LOCUS DECIMUS SEPTIMUS

DE BONIS OPERIBUS.

I.

VIII. 1. *Connexio cum loco praecedente.* Doctrinae de justificatione per fidem convenienti ordine succedit articulus de bonis operibus. Quamvis enim fide sine operibus justificemur, ac proinde a foro justificationis bona opera sint sejungenda; tamen vera illa et viva fides, per quam justificamur, non est sine operibus, cum beneficia justificationis et sanctificationis, regenerationis et renovationis perpetuo ac indissolubili nexu sint conjuncta. Adde quod exemplo D. Pauli doctrinae de justificatione per fidem immediate subjungatur doctrina de bonis operibus. Is namque, uti constat ex epistolis ad Romanos et Galatas, eadem methodo utitur, quod singulari consilio et divino impulsu factum esse neutiquam dubitari potest. Eximitur insuper hac ratione animis hominum vana ac falsa illa persuasio, quod fides sit nuda quaedam notitia fiduciali cordis apprehensione atque interiori renovatione destituta, quod sit mortuum et sterile quiddam vitae spiritualis motibus ac bonorum operum fructibus vacuum, quod sit exterior quaedam oris professio et jactantia testimonio operum denudata; quibus cogitationibus opponimus illud Jacobaeum c. 2. v. 17: *Fides, quae non habet opera, mortua est in semet ipsa;* v. 18: *ostende mihi fidem tuam ex operibus;* v. 26: *sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus est mortua.* Denique hoc docendi ordine obviam iri potest calumniae Tridentinae, quasi in nostris ecclesiis *magna contentione praedicetur illa ab omni pietate remota fiducia.* Atqui fidem et opera distinguere atque unicuique horum quod suum est tribuere non est fidem et opera separare, ab actu justificationis opera removere, non est eadem ex justificatis tollere et ex ecclesiae finibus penitus exterminare.

VIII. 2. *Ἐτυμολογία et significatio vocabuli.* 2. Vox operis ab operando deducta in schola Spiritus sancti non de externis solum inque oculos incurrentibus actionibus, sed etiam de internis affectibus cordis et motibus voluntatis adeoque de tota renatorum nova obedientia, tam interna, quam externa, tam habituali, quam actuali piorum justitia accipitur, appellatione enim bonorum operum Scriptura complectitur etiam renovationem interiorem, bonam voluntatem, bonam conscientiam etc. Placuit autem sanctis DEI hominibus appellatione operum potius quam habituum vel affectuum uti, cum *omnis laus verae virtutis in actione consistat,* cumque opera externa notiora sint internis qualitatibus et affectibus, denique cum sola renatorum opera sint bonorum operum encomio digna; non renatorum opera moraliter ac in speciem bona sint umbrae tantum ac larvae virtutis, imo *peccata*, ut diserte vocantur ab apostolo Rom. 14. v. ult. Augustino lib. 3. ad Bonifacium c. 5. Prospero lib. 1. de vocat. gent. c. 3. Anselmo in c. 14. ad Romanos, qua de re plura suo loco. Porro quando de externis actionibus appellatio bonorum operum usurpatur, tunc generatim non solum ipsas actiones transeuntes, sed etiam facta et effecta permanentia notat. Sic bonum opus est proximi dilectio, bonum etiam opus est donum ex dilectione proximo datum. Observandum etiam, quod vox bonorum operum usurpetur ut plurimum generaliter pro tota renatorum obedientia et vitae novitate. Ephes. 2, v. 10: *Conditi sumus in Christo ad bona opera.* Tit. 2, v. 14: *Christus sibi purificavit populum zelotem bonorum operum*, et alibi passim, quo sensu etiam in hoc tractatu appellatione bonorum operum utimur; quandoque vero specialiter usurpatur pro certa aliqua specie ἀγαθοεργίας, cumprimis pro liberalitate et beneficentia in pauperes. Actor. 9, v. 36. de Dorcade scribitur, quod *dives fuerit bonorum operum et eleemosynarum, quas praestabat.* 1. Tim. 5, v. 10. requiritur ab ea, quae vere vidua est, *ut in bonis operibus idoneo testimonio sit ornata*, ac postea explicatur, quaenam sint illa bona opera, *si videlicet fuerit hospitalis, si sanctorum pedes laverit, si afflictis subvenerit* etc. Cum enim *summa legis consistat in dilectione*, Rom. 13, v. 10. ideo mirum non est, bonorum operum appellationem εἰδικῶς beneficentiae erga proximum tribui, per

quam cumprimis Dei et proximi dilectio sere exserit. 1. Joh. 3, v. 17: *Qui habuerit substantiam hujus mundi et viderit fratrem suum indigere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* v. 18: *Filioli mei, non diligamus verbo nec lingua, sed opere et veritate.* August. lib. 10. de civit. Dei c. 1: *More vulgi nomen pietatis etiam in operibus misericordiae frequenter usurpatur, quod ideo arbitror evenisse, quia haec fieri praecipue Deus mandat eaque sibi vel pro sacrificiis vel prae sacrificiis placere testatur.*

Συνώνυμα bonorum operum simplicia.

3. Ad synonyma bonorum operum pertinent tum voces simplices, tum phrases conjunctae. Dn. Chemnicius synonymas bonorum operum appellationes revocat ad hasce classes. Quaedam pertinent ad causam efficientem, ut *donum per gratiam* Rom. 5, v. 15; *nova creatura in Christo* 2. Cor. 5, v. 17. Gal. 6, v. 15. Quaedam ad causam formalem, ut *renovatio* Ephes. 4, v. 23. Col. 3, v. 10; *novitas vitae* Rom. 6, v. 4; *novitas Spiritus* Rom. 7, v. 6; *cor novum et mundum* Psalm. 51, v. 12; *novus homo* Ephes. 2, v. 15. c. 4, v. 24. Col. 3, v. 10; *justitia bonae conscientiae* Rom. 9, v. 1. 1. Tim. 1, v. 5. Hebr. 11, v. 39. Quaedam et causam efficientem et formalem simul complectuntur, ut *bonum propositum, promtus animus, πϱοϑυμία* 2. Cor. 9,
VIII. 3. v. 2. *πϱοαίϱεσις* v. 7. *πϱόϑεσις* 2. Tim. 3, v. 10. siquidem *πϱοϑυμία* illa a Spiritu sancto donata et excitata est opus bonum et est operis boni exterioris causa. Ita quoque *vivificatio, regeneratio, sanctificatio, renovatio*, etc. tum causam efficientem, videlicet Spiritum sanctum vivificantem, regenerantem, sanctificantem et renovantem; tum causam formalem, videlicet inhaerentem novitatem et inchoatam vitam spiritualem denotant. Atque haec proprie ad interiores renovatae mentis qualitates pertinent, sequentia ad actiones proprie spectant, utpote quod quaedam appellationes pertinent ad objectum, ut *opera legis* Rom. 3, v. 28. Gal. 2, v. 16; *justitia ex lege* Philipp. 3, v. 9. Quaedam describunt effectus renovationis, ut *bona conversatio* 1. Petr. 2, v. 12; *sancta conversatio* 2. Petr. 3, v. 11; *mortificatio carnis* Rom. 8, v. 13; *obedientia ad justitiam* Rom. 6, v. 16. Quaedam et causam formalem et effectus renovationis simul exprimunt, *ut virtus* Philipp. 4, v. 8; *εὐσέβεια, ϑεοσέβεια* 1. Tim. 2, v. 10. Quaedam respiciunt causam finalem, ut *cultus Dei* Rom. 12, v. 1; *servitium Dei* Luc. 1, v. 74. Act. 23, v. 1.

4. Recte autem addit Dn. Chemnicius, memoriae causa synonymas appellationes ita distribui, quas si quis argutior *ἀκϱιβεστέϱως* examinare vellet, fortassis haberet quod reprehenderet. Pleraeque enim appellationes vagantur per plures classes.

Bona opera quare dicantur justitia.

Sic bona opera dicuntur *justitia* Luc. 1, v. 75. Rom. 6, v. 16. 1. Joh. 3, v. 7. primo ratione causae efficientis, sunt enim fructus justitiae per fidem imputatae Phil. 1, v. 11; secundo ratione acceptationis divinae, quia acceptantur gratis a Deo ab illis, qui sunt in filios prius adoptati Esa. 58, v. 7: *Frange esurienti panem tuum* etc. *tunc sanitas tua orietur et anteibit faciem tuam, justitia et gloria Domini colliget te;* tertio ratione objecti, quia ipsa mandata, quibus bona opera praecipiuntur, vocantur justitia, Deut. 27, v. 10: *Facies mandata atque justitias:* quarto ratione adjunctorum, quia justum et aequum est Deo in operibus bonis servire: *justum etiam est apud Deum retribuere illis, qui persecutiones sustinent, requiem*, 2. Thessal. 1, v. 6. et 7.

Sanctificatio.

Sic etiam *sanctificatio* respicit causam efficientem, videlicet spiritum sanctificationis; causam formalem, videlicet sanctitatem inhaerentem inchoatam; objectum, videlicet legem divinam, quae est omnis sanctitatis norma; effectum, videlicet sancta opera etc.

Appellationes metaphoricae bonorum operum. Fructus boni.

Quaedam appellationes sunt metaphoricae, ut *fructus poenitentiae, fructus spiritus, fructus justitiae, fructus fidei* etc. ut enim boni fructus nascuntur ex arbore bona, ita quoque bona opera salutarem poenitentiam, renovationem Spiritus ac fidem justificantem velut salutares fructus consequuntur, Psalm. 92, v. 13: *Justus virebit ut palma, crescit sicut cedrus in Libano;* v. 14: *plantati in domo Domini in atriis domus Dei nostri virebunt.* Natura sumus infrugiferae arbores, *oleae sylvestres* Rom. 11, v. 24. infernalibus flammis debitae et addictae Matth. 3, v. 10. sed per fidem Christo bonae olivae inserimur *συγκοινωνοὶ τῆς ῥίζης καὶ τῆς πιότητος* reddimur Rom. 11, v. 17. et velut palmites ex ea tanquam vera vite succum coelestem trahimus, ut fructus salutares feramus Joh. 15, v. 2. Quemadmodum igitur arbor fera et silvestris per transplantationem in mitem et frugiferam naturam transit ac irrigatione pluviae foecunda redditur; ita et nos verbo et Spiritu s. regenerati et gratia divina irrigati veterem silvestrem ac sterilem naturam exuimus, frugiferi reddimur et fructus pulcherrimos proferimus. Quemadmodum fructus herbarum et arborum ex spiritu naturae vivifico, qui est in arboribus et herbis, promanant, ita bona opera sunt fructus Spiritus sancti, quo aguntur fideles. Quemadmodum etiam fructus boni de arboris bonitate testantur, ita quoque bona opera testimonium ferunt de conversione ac fide. Quemadmodum fructus plurimum delectant et suaviter reficiunt, ita bona opera sunt *odor bonae fragrantiae coram Deo* Philipp. 4, v. 18. (quam appellationem itidem esse metaphoricam in propatulo est). Quemadmodum omnis agricolarum et hortulanorum labor fructus consequentes spectat: VIII. 4.
Qui arat, in spe arat 1. Cor. 9, v. 10. ita quoque electio, vocatio, justificatio, donatio Spiritus sancti et omnia Dei beneficia eo spectant, ut copiosos feramus fructus ipsi gratos ac placentes. Quemadmodum fructus colonis sunt veluti praemia laborum et diligentiae; ita quoque spirituales coloni (ecclesiae ministros intellige) non possunt non gaudere, quando vident *plantationi ac rigationi suae incrementum divinitus dari* 1. Cor. 3, v. 6. *ac laborem suum non esse inanem in Domino* 1. Cor. 15, v. 58.

Appellationes typicae.

Quaedam appellationes respiciunt V. T. typos, utpote quando bona opera dicuntur *ϑυσία, sacrificium justitiae,*

hostia viva, *Deo placens*, *spiritualis;* Psalm. 4, v. 6: *sacrificate sacrificinm justitiae;* Psalm. 51, v. 19: *sacrificium Deo placens est spiritus contribulatus;* Psalm. 141, v. 2: *sit devotio manuum mearum sicut sacrificium vespertinum*, Hos. 14, v. 3: *reddemus vitulos labiorum;* Rom. 12, v. 1: *exhibete corpora vestra hostiam viventem*, *sanctam*, *Deo placentem*, *rationabile obsequium vestrum*, Philipp. 4, v. 18. Beneficentia erga ministros ecclesiae vocatur *θυσία δεκτή*, *εὐάρεστος τῷ θεῷ*, quod imitatur epistola ad Hebraeos c. 13, v. 16: *Beneficentiae et communicationis ne obliviscamini; talibus enim hostiis εὐαρεστεῖται ὁ θεός.* Quemadmodum enim in V. T. sacerdotum proprium erat sacrificia offerre Deo; ita Christus *fecit nos sacerdotes Deo et Patri suo*, Apocal. 1, v. 6. ut *simus sacerdotium sanctum ac offeramus spirituales hostias acceptabiles Deo per Christum*, 1. Petr. 2, v. 5. Quemadmodum Levitae consecrati erant Deo ad mactandas victimas; ita vere pii sese totos divino cultui ac servitio mancipare debent ac carnem suam mortificare. Quemadmodum tum demum sacrificia V. T. DEO placebant, si vera fide promissum Messiam respiciente offerebantur; ita bona opera renatorum tum demum Deo placent, si procedant ex vera in Christum fide. *Nulla est grata Deo*, *nisi Christus Filius*, *ara.* Huc pertinet, quod obedientia piorum, praesertim vero preces dicuntur *θυμίαμα*, *incensum*, *odoramentum* Psalm. 141, v. 2. Apoc. 8, v. 3. cum sint *ὀσμὴ εὐωδίας* coram Deo sicut V. T. thymiama. **Chrysostomus *πολιτείας* nomine appellare solet bona opera. In homilia quadam in titulum libri Actorum: *οὐ θαύματα, ἀλλὰ πολιτεία εἰς τὴν βασιλείαν εἰσάγει τῶν οὐρανῶν*, *non miracula*, *sed vita in regnum coelorum introducit.* Intelligit autem, ut se ipsum ibi explicat, *πρᾶξιν ἀγαθὴν καὶ βίον καθαρόν.***

Bona opera cur dicantur sacrificia.

Synonyma bonorum operum conjuncta.

5. Ex vocibus simplicibus facile judicari potest de phrasibus conjunctis, quae itidem vel sunt propriae, vel metaphoricae, ac respiciunt vel causam efficientem, vel formalem, vel finalem, vel etiam objectum etc. utpote *facere justitiam* Deut. 27, v. 10. 1. Joh. 3, v. 7; *facere mandata Dei* Levit. 20, v. 8; *facere juxta mandata Dei* Deut. 17, v. 11; *declinare a malo et facere bonum* Psalm. 34, v. 15; *ambulare in viis Domini* Deut. 8, v. 6; *ambulare cum Deo* Genes. 5, v. 22; *Deum timere et diligere* Ecclesiastici 2, v. 18; *custodire mandata* Exod. 20, v. 6; *ambulare in lege Domini* Exod. 16, v. 4; *ambulare in innocentia* Psalm. 81, v. 12; *praebere membra sua arma justitiae Deo* Rom. 6, v. 13; *sistere membra serva justitiae in sanctificationem* v. 19; *servire Deo in sanctitate et justitia* Luc. 1, v. 75; *perficere sanctificationem cum timore Dei* 2. Cor. 7, v. 1; *bona conscientia Deo servire* Actor. 23, v. 1; *stabilire cor irreprehensibile in sanctitate coram Deo* 1. Thess. 3, v. 13. etc. Hujusmodi phrases in Scripturae lectione occurrunt longe plurimae a pietatis studiosis ad hunc locum referendae. Observandum vero duplex facere in sacris literis describi, *legale* et *evangelicum.* Facere legale est legem Dei perfecte implere, integram et numeris omnibus absolutam obedientiam, tam internam, quam externam, ab omni labe peccati immunem praestare, Rom. 2, v. 13: *Non auditores legis justi sunt apud Deum*, *sed factores legis justificabuntur.* Galat. 3, v. 12: *Qui fecerit ea*, *vivet in eis.* Illud facere legale non cadit in ullum hominem in hac vita, siquidem *lex spiritualis est*, *nos autem carnales sumus*, *venundati sub peccatum* Rom. 7, v. 14. Evangelium facere est credere in Christum, *qui est finis legis ad justitiam omni credenti* Rom. 10, v. 4. et praelucente hac fide legis obedientiam inchoare Matth. 7, v. 21: *Non omnis*, *qui dicit mihi*, *Domine*, *Domine*, *intrabit in regnum coelorum*, *sed qui facit voluntatem Patris mei*, *qui in coelis est.* Jam enim *haec est voluntas Dei*, *ut credamus in Christum* Joh. 6, v. 40. *et nostra sanctificatio* itidem est *DEI voluntas*, 1. Thessal. 4, v. 3. Sic 1. Joh. 3, v. 23: *Hoc est mandatum ejus*, *ut credamus in nomen Filii ejus Jesu Christi et nos invicem diligamus.* Hoc evangelicum facere complectitur veram poenitentiam et fidem, serium propositum ac studium sanctitatis, agnitionem imperfectionis et defectuum, qui ipsis bonis operibus adhaerent, sinceram obedientiam, dilectionem *ἀνυπόκριτον* etc. Haec distinctio in scriptis Lutheri et Philippi saepius occurrit, quae non destituitur veterum calculo. Ambrosius in c. 2. Roman. exponens verba: *Non auditores*, *sed factores legis justificabuntur. Hoc dicit*, *quia non hi justi sunt*, *qui audiunt legem*, *sed qui credunt in Christum*, *quem lex promisit*, *et hoc est facere legem. Omnis autem non facit legem*, *qui non credit legi*, *dum non recipit*, *cui lex testimonium perhibet* etc. Augustinus in Psalm. 31: *Laudo fructum boni operis*, *sed in fide agnosco radicem.* Nequaquam vero haec distinctio ad confusionem legis et evangelii vel ad labefactandam integritatem articuli de justificatione torqueri debet, sed usus ejus est in explicandis Scripturae dictis, quae de exercitiis fidei per bona opera, sive, ut Lutherus loquitur, de fide concreta et incarnata loquuntur, ubi nomine operum intelligitur cumprimis fides, sine qua bona opera non possunt fieri, inde dicta illa, licet primo intuitu videantur legalia, tamen penitius introspecta sunt evangelica.

VIII. 5. Duplex facere in sacris literis describi.

Divisiones bonorum operum.

6. Bona opera, quoad vim nominis, sunt bonae actiones, *καλοκαγαθίαι*, *ἀγαθοεργίαι*, cogitationes, affectus, motus et actiones bonitatis nomine commendatae. Sed cum et *operis* et *bonitatis* multiplex sit ratio, inde variae traduntur bonorum operum divisiones, quarum quaedam sunt distinctiones vocis ambiguae in sua significata. Ratione operis quaedam bona opera dicuntur *interna*, quaedam vero *externa.* Interna, solius Dei oculis obvia, interiores mentis ac voluntatis motus cordisque affectus bonos complectuntur, tales sunt, dilectio, timor Dei, fiducia erga Deum, patientia, humilitas etc. Externa ac non Dei solum, sed et hominum oculis conspicua exteriores membrorum gestus, exteriora

Quaedam sunt interna, quaedam vero externa.

verba et actiones exteriores complectuntur. Fundamenta hujus divisionis exstant in ipso decalogo, qui non externam solum, sed et internam, adeoque spiritualem obedientiam a nobis requirit, Rom. 7, v. 14: *Lex spiritualis est;* et in dictis Christi Matth. 12, v. 34. Luc. 6, v. 45: *Bonus homo de bono thesauro cordis profert bona et malus homo de malo thesauro cordis profert mala.* Matth. 23, v. 26: *Pharisaee caece, munda prius quod intus est calicis et paropsidis, ut fiat et id, quod de foris est, mundum;* v. 28: *exterius apparetis coram hominibus justi, sed interius pleni estis hypocrisi et iniquitate.* 1. Joh. 3, v. 18: *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate.*

VIII. 6. Quaedam spectant Deum, quaedam proximum, quaedam nos ipsos.

7. Ratione objecti duplicis, creatoris scilicet et creaturae, duplicia statuuntur bona opera; *quaedam spectant Deum, quaedam vero homines.* Posteriora rursus sunt duplicia, *quaedam enim nos ipsos, quaedam vero proximum respiciunt.* Fundamentum hujus divisionis itidem exstat in decalogo, cujus tabulae sunt duae, ipsius Dei voluntate et sapientia eo modo distinctae, ut prior agat de cultibus Deo debitis, posterior de officiis proximo praestandis. Matth. 22, v. 37: *Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima et ex tota mente tua;* v. 38: *hoc est primum et maximum mandatum;* v. 39: *secundum autem huic simile est, diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Huc referendum, quod Christus Matth. 6. hypocrisin Pharisaeorum arguens ad tres classes bona opera revocat, *eleemosynam* scilicet, *orationem* et *jejunium*, ubi nomine orationis complectitur omnes in universum cultus Deo debitos, qui enim Deum nec timet nec diligit, nunquam recte orabit; nomine jejunii complectitur disciplinam corporis, nomine eleemosynae officia dilectionis proximo praestanda. D. apostolus itidem statuit tria bonorum operum genera, videlicet *εὐσέβειαν, δικαιοπραξίαν* et *σωφροσύνην.* Tit. 2, v. 12: *Abnegantes impietatem et secularia desideria σωφρόνως καὶ δικαίως καὶ εὐσεβῶς ζήσομεν.* Zacharias Baptistae parens Luc. 1, v. 75. ad duo summa capita, *ὁσιότητα* scilicet *καὶ δικαιοσύνην*, bona opera revocat. nomine *ὁσιότητος* primae, *δικαιοσύνης* vero secundae tabulae obedientiam complexus.

Observationes circa hanc divisionem.

Observandum vero 1. quod quaedam bona opera dicuntur respicere Deum, quaedam vero homines, id intelligendum esse de immediato respectu; quod enim proximo praestatur, illud itidem Deo praestari testis est CHRISTUS. Matth. 25, v. 40. cum dilectionem proximi Deus praeceperit, ideo qui proximum diligit, Deo obsequitur, ac proinde diligendo proximum, Deum ipsum diligit.

Gradus bonorum operum.

2. Ex hac divisione gradus bonorum operum petendos esse. Primus ac praecipuus bonorum operum gradus est interior obedientia cordis erga Deum, cujus praecipuae partes sunt timor et dilectio Dei. Secundus gradus complectitur opera moralia primae tabulae, invocationem, gratiarum actionem, verbi divini auditum. Tertius gradus complectitur opera moralia secundae tabulae, videlicet omnis generis officia proximo debita. Quartus gradus continet officia vocationis personalis sive ecclesiasticae, sive civilis, sive oeconomicae. Quintus gradus complectitur ceremonialia primae tabulae. Quae distributio petita est ex sequentibus Scripturae dictis 1. Samuel. 15, v. 22: *Melior est obedientia, quam sacrificium; auscultatio, quam adeps arietum.* Eccles. 4, v. 17: *Propinquior sis ad audiendum, quam ad dandum stultorum sacrificium.* Hos. 6, v. 6. Matth. 9, v. 13. c. 12, v. 7: *Misericordiam volo et non sacrificium; scientiam Dei pro holocaustis.* Marc. 12, v. 33: *Diligere Deum ex toto corde et proximum tanquam se ipsum, majus est omnibus holocautomatis et sacrificiis.* 3. Quamvis angeli peculiarem quandam objecti speciem constituere videantur; tamen reverentiam illis debitam non constituere novum quoddam bonorum operum genus a reliquis distinctum, ac honorificentiam illis visibiliter apparentibus delatam *ἀναλογικῶς* ad quartum praeceptum referri posse. In coelo demum familiaris quaedam societas cum angelis nobis intercedet, in hac vero vita invisibiliter nobis adsunt, externis igitur officiis honorari non possunt; cultu religioso ac divino honorari non debent; quid ergo mirum, quod non statuitur peculiaris quaedam bonorum operum classis angelis debita?

Quaedam sunt moraliter, quaedam spiritualiter bona.

8. Ratione bonitatis quaedam opera dicuntur *moraliter et civiliter bona*, quaedam vero *spiritualiter bona.* Opera non renatorum (sive extra ecclesiam constituti sint, sive in externo ecclesiae coetu locum habeant) quantumvis externa specie hominibus bona videantur, et suo genere (quod quidam vocant *secundum substantiam actus*) bona sint, ut cooperire nudum, subvenire periclitanti, dare eleemosynam etc.,

VIII. 7. Quare non renatorum opera sint peccata.

tamen coram Deo non sunt vere bona ipsique placentia opera, sed peccata; primo quia fiunt a persona nondum Deo reconciliata, sed coinquinata et infideli, jam vero *coinquinatis et infidelibus nihil est mundum*, Tit. 1, v. 15. Non renati sunt in peccatis mortui, illorum igitur ut vita spiritualis est nulla, ita nec spiritualis operatio. Secundo quia non fiunt ex fide, jam vero *quicquid non fit ex fide, peccatum est*, Rom. 14, v. ult. et *absque fide impossibile est placere Deo*, Hebr. 11, v. 6. Nazianzenus in orat. reversi ex agro: *οὐκ ἔστι χωρὶς πίστεως πρᾶξις ἔκκριτος, sine fide nullum opus bonum seu approbatum est.* Augustinus in Psalm. 67: *Nulla sunt bona opera, nisi quae sequuntur praecedente fide.* Tertio quia fiunt in vetustate literae, non autem in novitate Spiritus, jam vero *φρόνημα σαρκός, cogitationes carnis*, hoc est hominis nondum per Spiritum renati *sunt inimicitia adversus Deum* Rom. 8, v. 7. Augustinus de civit. Dei lib. 5. c. 19: *Illud constet inter omnes veraciter pios, neminem sine vera pietate, id est veri Dei vero cultu, veram posse habere virtutem.* Quarto quia fiunt sine vera veri Dei agnitione, jam vero, *qui non honorat Filium, is nec Patrem honorat*, Joh. 5, v. 23. Bernhardus serm. 22. in Cant.: *Quid vobis philosophis cum virtutibus, qui Dei virtutem Christum ignoratis?* Quinto quia non ad debitum

finem, videlicet ad gloriam Dei, sed propriam jactantiam, ambitionem aut voluptatem referuntur; jam vero *lux nostra* ideo *debet lucere*, *ut glorificetur Pater coelestis*, Matth. 5, v. 16. Augustinus lib. 19. de civit. Dei c. 25: *Virtutes*, *quas animus habere videtur*, *per quas imperat corpori et vitiis* etc. *nisi ad Deum retulerit*, *etiam ipsae vitia sunt potius quam virtutes.* lib. 4. contra Julianum c. 3: *Per horribile sacrilegium* (infideles) *serviunt ipsorum vitiis vel ambitioni, vel avaritiae, vel voluptati.* Quamvis igitur non renatorum opera, secundum apparentiam vel secundum substantiam operis (ut loquuntur) bona sint, tamen subjecto, objecto, fine aliisque circumstantiis, ac proinde coram Deo non sunt vere bona, is enim non judicat secundum adspectum, sed justo judicio; is cor respicit atque opera non externis actibus, sed veris causis aestimat. Augustinus loco proxime citato: *Non officiis, sed finibus a vitiis discernendae sunt virtutes; non actibus, sed finibus pensantur officia*; qua de re plura diximus in tractatu de libero arbitrio §. 103. et seqq. ex quo facile intelligitur, quid de merito congrui, de praeparationibus ad gratiam, de dispositionibus ad justificationem etc. statuendum sit, de quibus vide tract. de justificatione §. 133. et seqq. Pulchre Lutherus tom. 1. oper. lat. pag. 122: *Bona naturaliter et moraliter facta ideo sunt mala coram Deo, quia non fiunt ex Deo, nec propter Deum, id est non cognoscuntur, nec referuntur in Deum, sed homo ea sibi tribuit et in eis tanquam suis sibi placet, cum non sint sua.* ** 1. Quaedam opera sunt *a Spiritu sancto*, non *cum Spiritu sancto*, hoc est talia, quae sunt a Dei quodam motu extraordinario, non tamen cum Spiritu sanctificante, ut in Aristide justitia, in Alexandro fortitudo, in Scipione castitas. 2. Quaedam opera sunt *a Spiritu sancto et cum Spiritu sancto*, ut bona opera in credentibus. 3. Quaedam autem opera sunt *cum Spiritu sancto*, non *ab eo*, ut peccata venialia in renatis. 4. Quaedam opera sunt nec *a* nec *cum Spiritu sancto*, ut peccata mortalia. Armandus de bello viso tract. 2. c. 126.**

Quid de haereticorum operibus statuendum.

9. Sed quid de operibus haereticorum fiet, quae itidem magna bonitatis specie sese commendant? Responsio: 1. per errores contra fundamentum directe pugnantes et pertinaciter defensos non minus quam per peccata contra conscientiam excluditur Spiritus sancti gratia. Ergo haereticorum vere et proprie sic dictorum opera non possunt esse spiritualiter bona. 2. Haeretici *discesserunt a fide* 1. Tim. 4, v. 1. *fecerunt naufragium fidei* 1. Tim. 1, v. 19. quomodo ergo opera eorum ex fide poterunt fieri? 3. *Si in sermone meo manseritis, vere discipuli mei eritis*, dicit Christus Joh. 8, v. 31. Ergo a contrario sensu, *si quis aliter docet et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri JESU Christi et ei quae secundum pietatem est doctrinae, inflatus est nihil*
VIII. a. *sciens*, 1. Timoth. 6, v. 3. et 4. nec potest esse verus Christi discipulus, quomodo ergo opera illius Deo placere poterunt? 4. Haeretici non amplius sunt vera et viva membra ecclesiae, quae est corpus Christi mysticum; ergo non sunt participes spiritualis vitae, quae est *ex Deo* Ephes. 4, v. 18. non sunt *palmites* haurientes fructum ex vite salutis Christo Joh. 15, v. 4. opera ergo eorum coram Deo sunt mortua. 5. Haeretici vere et proprie sic dicti sunt idololatrae, quia nova dogmata V. Testamentum allegorico sermone *Deos alienos* appellare consuevit, eo scilicet, quod *ab haereticis ipsorum opiniones, sicut a gentilibus dii sui observentur*, ut scribit Vincentius Lerinensis adv. haeres. quomodo ergo opera eorum ad veram veri Dei gloriam sunt directa? ** Tertullianus de praescript. c. 40: *Neque ab idololatria distant haereses*, *cum et auctoris et operis ejusdem sint*, *cujus et idololatria; Deum autem fingunt alium adversus creatorem, aut si unicum creatorem confitentur*, *aliter eum disserunt*, *quam in vero est. Itaque omne mendacium*, *quod de Deo dicunt*, *quodammodo genus est idololatriae.* ** Augustinus in Psalm. 83. ad vers. passer invenit sibi domum etc.: *Quanti videntur praeter ecclesiam bona operari? quam multi etiam pagani pascunt esurientem*, *vestiunt nudum*, *suscipiunt hospitem*, *visitant aegrotum*, *consolantur inclusum? quam multi haec faciunt? quasi videtur parere turtur*, *sed non sibi invenit nidum. Quam multa multi haeretici non ea in ecclesia operantur*, *non in nido pullos ponunt*; *conculcabuntur et conterentur et non servabuntur*, *non custodientur.* ** Idem lib. 20. contra Faustum c. 15: *Satius est vel lapidi, qui quoquo modo est*, *aram constituere et victimam offerre*, *quam quod omnino non est*, *in deliramento phantasmatis adorare.* Idem q. 29. in Jos.: *Quisquis talem Deum cogitat*, *qualis non est Deus, alterum Deum utique et falsum in cogitatione portat.***

Differentia bonorum operum, quae fiunt a renatis et eorum, quae fiunt a non renatis.

10. Multis igitur modis bona opera renatorum differunt a virtutibus ethnicorum ac operibus non renatorum *1. causa efficiente*, quae in ethnicis et non renatis est judicium et dictamen rectae rationis ex lumine naturae adhuc reliquum, cui voluntas obsequitur et membra externa ad obedientiam qualitercunque cogit. In heroicis virtutibus accedit afflatus quidam divinus extraordinarius, sed bonorum operum in renatis causa efficiens proxima est mens per Spiritum sanctum Verbi luce illustrata et voluntas novis viribus donata. *2. Causa impulsiva.* Non renati impelluntur ad bona opera dignitate externae obedientiae, auctoritate legum, reverentia erga magistratum, promissione praemiorum et comminatione poenarum; sed vere pii ac renati vero DEI timore ac dilectione ad obedientiam praestandam impelluntur. *3. Subjecto.* Non renati DEO nondum sunt reconciliati, ideoque cum persona ipsorum DEO non placeat, nec opera ipsi placere possunt; sed credentes in CHRISTUM fide DEO placent, inde atque ideo etiam opera ipsorum DEO probantur. *4. Objecto.* Non renatorum obedientia particulam quandam legis divinae de externa obedientia praestanda sibi propositam habet; sed renati totam legem re-

spiciunt, atque interiorem ac spiritualem obedientiam a lege requiri agnoscunt, ideoque praelucente vera in CHRISTUM fide ex corde DEO obediunt in vero timore, fiducia, dilectione, patientia etc. *5. Forma.* Non renatorum opera consistunt in gubernatione externae locomotivae, vel ad summum in moderatione quadam affectuum philosophica, ne in externa scelera erumpant, ac destituuntur fide in CHRISTUM; sed renatorum obedientia est exterior et interior procedens ex fide, quae est forma vere bonorum operum. *6. Causa finali.* Non renati suae velificantur gloriae atque omnia vel ad suam, vel patriae, vel amicorum utilitatem referunt. *Vicit amor patriae laudumque immensa cupido;* sed renati potissimum DEI gloriam respiciunt atque ad ecclesiae salutem labores suos dirigunt. *7. Consequentibus praemiis.* Non renati temporalem quandam operum suorum remunerationem consequuntur, sed *pietas* renatorum *habet promissionem praesentis*
VIII. 9. *et futurae vitae*, 1. Timoth. 4, v. 8. Lutherus tom. 1. operum lat. pag. 543: *Justitia hominis non renati, utut eam temporaliter DEUS honoret donis optimis hujus vitae, tamen coram DEO larva est et hypocrisis impia. Et mirum problema est, quod DEUS remuneret justitiam, quam ipse reputet iniquitatem et malitiam.*

Juxta Scholasticos quaedam opera sunt moraliter, quaedam meritorie bona.

11. Divisionem bonorum operum proxime assignatam Scholastici sic efferunt, quod quaedam opera sint *moraliter*, quaedam vero *meritorie bona.* Per opera moraliter bona non intelligunt externae solum disciplinae opera, sed etiam interna ac spiritualiter bona, utpote diligere DEUM super omnia, quod ex puris naturalibus hominem posse quidam ex ipsis statuunt; item praeparationes ac dispositiones ad gratiam justificationis, per quas non intelligunt externum solummodo verbi auditum, sed etiam interiores bonos motus, unde Bellarminus Scholasticos secutus lib. 5. de grat. et libero arbitrio c. 9. disputat, *posse aliqua vere bona opera ab infidelibus fieri sive cum auxilio DEI speciali, sive solis naturae viribus, quae non sint peccata.* Per opera meritorie bona intelligunt ea, quae ex condigno sunt meritoria, quae proprie meritoria vocari contendunt, interim non negant, opera moraliter bona esse meritoria ex congruo. Sed cum haec omnia nitantur falsis hypothesibus, ideo acceptari a nobis non possunt. Scriptura sacra ne semel quidem meriti nomen operibus tribuit, ut suo loco pluribus ostendemus.

Quaedam viva, quaedam mortua, quaedam mortifera, quaedam mortificata.

Constituunt etiam quatuor operum genera: quaedam dicunt *viva* seu bona; quaedam *mortua*, ut peccata venialia; quaedam *mortifera*, ut peccata mortalia; quaedam *mortificata*, scilicet per peccatum mortale, ideoque ad salutem invalida, eadem tamen per poenitentiam iterum vivificari disputant. Thom. part. 3. quaest. 89. art. 4: *Opera virtutum dicuntur mortificari per similitudinem, in quantum impediuntur a suo effectu, qui est perducere ad vitam aeternam.* art. 5: *Hoc impedimentum tollitur per poenitentiam, ideo opera prius per peccatum mortificata reviviscunt per eam, id est recuperant efficaciam perducendi eum, qui fecit ea, in vitam aeternam.* art. 6: *Mortua opera, id est sine caritate facta, non vivificantur per poenitentiam.* Biel 4. sent. distinct. 14. quaest. 3. art. 4: *In resurgente per poenitentiam vivificantur omnia merita per praecedens peccatum mortificata. Vivificantur autem quantum ad acceptationem divinam, quia per DEI misericordiam ordinantur ad illud praemium, ad quod ordinabantur primo ante peccatum.* Haec illi; quibus respondemus, bona opera non esse causas vitae spiritualis, sed ejusdem effecta, ergo non vivificant hominem, sed ab homine per Spiritum sanctum vivificato procedunt.

Juxta Pontificios quaedam sunt opera legis, quaedam evangelii.

12. Pontificiis scriptoribus usitatissima est divisio inter *opera legis* et *opera evangelii.* Opera legis vocant ea, quae fiunt ex solis liberi arbitrii viribus; opera evangelii, quae fiunt ex gratia et inhabitatione Spiritus sancti. Ideo disputant, apostolum Paulum tantummodo prioris generis opera ab actu justificationis excludere, quando fide sine operibus legis nos justificari pronuntiat, nequaquam vero posterioris generis opera. Item legis opera vocant, quae fiunt juxta decalogum; opera evangelii, quae fiunt juxta consilia perfectionis in evangelio praescripta. Respondemus: 1. Omnia omnino etiam renatorum opera ab actu justificationis excludi ostendimus in tractatu praecedente §. 118. in evangelio non proponi nova quaedam praecepta vel perfectionis consilia, ostendimus in tractatu de evangelio §. 64. et seqq. ex quo facile apparet, quid de hac divisione statuendum sit. 2. Renatorum opera itidem dicuntur in Scripturis opera legis, non ratione *causae efficientis*, quasi opera illa legis imperio ab invitis extorqueantur, cum proficiscantur a spiritu spontaneo et fiant a renatis cum promtitudine ac delectatione quadam, Psalm. 110, v. 3: *Populus tuus spontanea tibi offeret sacrificia in splendoribus*
sanctitatis; sed ratione *objecti*, quia renati in exer- VIII. 10.
citio bonorum operum non sequuntur judicium rationis aut propriam intentionem, sed normam ac praescriptum divinae legis Rom. 7, v. 25. *mente servio legi DEI* ac consideratione praeceptionum, promissionum, comminationum, praemiorum ac poenarum divinarum mortificant carnem, ut spiritui subjiciatur, nec in bonis operibus ei reluctetur. 3. Quod si per opera legis intelligantur ea, quae lex minando et terrendo extorquet, vel quae a solis liberi arbitrii viribus ante fidem et justificationem fiunt, concedimus, hoc sensu et respectu renatorum opera non esse legis opera, cum sint fructus Spiritus et opera gratiae, acceptamus igitur distinctionem Augustini, quam lib. 3. contra duas epistolas Pelagian. c. 4. atque alibi passim proponit inter opera legis et gratiae: *Magna* (inquit) *distantia est, quando qui praecepta legis custodiunt, hoc faciunt sub lege constituti ex coactione legis et quando sub gratia constituti per dilectionem hoc faciunt.* Addimus autem, divisionem hanc itidem sumtam esse a causa efficiente, non autem a causa formali vel objecto. 4. Sane utrumque est Christi beneficium per evangelii praedica-

tionem credentibus datum, remissio peccatorum, et donatio Spiritus sancti, qui ad omnis generis bona opera renatos impellit, sed propterea non debent aut possunt bona opera renatorum statim dici opera evangelii, nisi per quandam *ἀκυρολογίαν* accurate declarandam ac propter insidias adversariorum evitandas, ne confusio legis et evangelii introducatur atque integritas articuli de gratuita justificatione per fidem labefactetur.

Causa efficiens bonorum operum principalis.

13. *Causa efficiens principalis* bonorum operum est Spiritus sanctus, non solum quia exterius in Verbo ea monstrat, praescribit et exigit; sed etiam quia interius hominem regenerando ac renovando mentem illuminat, voluntatem flectit et ad omnis generis bona opera impellit. Rom. 8, v. 14: *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei;* inde etiam bona opera dicuntur *fructus Spiritus*, Gal. 5, v. 22. ut fructus herbarum et arborum ex vivifico illo naturae spiritu herbas, arbores et reliqua viventia animante promanant; ita bona opera renatorum velut suavissimi ac DEO gratissimi fructus ex Spiritu illo coelesti, quo fideles aguntur, procedunt. Psalm. 104, v. 30: *Emitte Spiritum tuum et renovabis faciem terrae.* Ut fidei, ita quoque bonorum operum causa efficiens est Spiritus sanctus, qui per evangelii praedicationem non solum fidem in cordibus accendit, sed etiam novos motus in eis efficit, naturam renovat ac viribus ad bene operandum necessariis instruit. Idem vero est, sive dicas Spiritum sanctum, sive DEUM esse causam bonorum operum, siquidem Spiritus sanctus est unus verus cum Patre et Filio DEUS, ideoque Spiritus sancti diserta mentione non excluduntur Pater et Filius, sed per appropriationem quandam Spiritui sancto id tribuitur, quod est totius sacrosanctae Trinitatis opus. Joh. 5, v. 17: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* De Filio Dei testatur Scriptura, quod *per fidem in cordibus credentium habitet*, Ephes. 3, v. 17; *in illis vivat*, Gal. 2, v. 20; eosdem sibi inserat tanquam *palmites viti*, ut in omnibus bonis operibus sint frugiferi, Joh. 15, v. 4: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semet ipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis.* v. 5: *ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.*

Causa instrumentalis.

14. *Instrumentalis causa* bonorum operum est verbum Dei. Ut enim fructus nascuntur ex semine, ita verbum DEI est spirituale illud et *incorruptibile semen, ex quo renascimur et foecundamur*, Jacob.
VIII. 11. 1, v. 18. 1. Petr. 1, v. 23. Ac quemadmodum semini prolifico inest spiritus vitae, ita quoque cum verbo conjuncta est Spiritus sancti operatio et efficacia, unde dicitur *verbum vitae et spiritus*. Joh. 6, v. 63: *Verba, quae locutus sum vobis, sunt spiritus et vita.* Id vero peculiariter et proprie intelligendum est de verbo evangelii, per quod datur Spiritus sanctus, Galat. 3, v. 2: *Ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* Interim ut agri prius arantur ac spinae ex illis evelluntur, antequam semen illis committatur atque in eis fructificet; ita quoque per praedicationem legis excitatur in cordibus hominum vera contritio ac spinae exteriorum delictorum, quae fructificationem verbi impediunt, evelluntur, ut ad omnis generis bona opera proferenda coeleste illud semen foveatur. Luc. 8, v. 15: *Semen, quod in terram bonam sparsum, hi sunt, qui in corde bono audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia.* Quatuor igitur modis verbum Dei generaliter acceptum concurrit ad bona opera: 1. ostendit, quae sunt bona opera; 2. docet, quomodo fieri debeant, ut placeant Deo; 3. excitat, hortatur ac impellit ad bona opera; 4. per illud confertur Spiritus sanctus et bene operandi gratia.

Αἴτιον συνεργόν.

15. *Αἴτιον συνεργόν* bonorum operum est mens ac voluntas hominis per Spiritum sanctum renovata. *Si quis enim est in Christo, est nova creatura*, 2. Cor. 5, v. 17. hoc est Spiritus sanctus eos, qui sunt per fidem in Christo, novis viribus donat, regenerat, vivificat, mentem ac voluntatem eorum efficaciter immutat, ut velut novi ac spirituales homines novitati vitae studeant et spiritualis vitae actiones edant. *Aguntur quidem renati Spiritu Dei*, Rom. 8, v. 14. ita tamen aguntur et impelluntur ad bona opera, ut ipsi etiam agant, non quidem naturalibus liberi arbitrii viribus, sed novis a Spiritu sancto donatis. Augustinus lib. de corrept. et gratia c. 2: *Intelligant, si filii Dei sunt, Spiritu Dei se agi, ut quod agendum est agant, et cum egerint, illi, a quo aguntur, gratias agant, aguntur enim, ut agant, non ut ipsi nihil agant.* Nimirum voluntas hominis per Spiritum sanctum renati ac renovati non est otiosa, sed per novas illas a Spiritu sancto donatas vires Spiritui sancto cooperatur, idque libere. Joh. 8, v. 36: *Si filius vos liberaverit, vere liberi eritis.* Rom. 6, v. 18: *Liberati a peccato servi facti estis justitiae.* 2. Cor. 3, v. 17: *Ubi spiritus Domini, ibi libertas.* **Homo renatus facultate praestandi bona opera donatus dicitur *εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἡτοιμασμένος* 2. Tim. 2, v. 21. *πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος* 2. Tim. 3, v. 17. *πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἕτοιμος* Tit. 3, v. 1. *κτισθεὶς ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς* Ephes. 2, v. 10. respectu eo, quod actu illa praestet, dicitur *ποιεῖν τὰ ἀγαθά* Joh. 5, v. 29. *ποιεῖν τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ* Ephes. 6, v. 6. *ἐργάζεσθαι ἔργον καλόν* Matth. 26, v. 10. Marc. 14, v. 6. *καλῶν ἔργων προΐστασθαι* Tit. 3, v. 8. 14. *ἀγαθοεργεῖν, πλουτεῖν ἐν ἔργοις καλοῖς* 1. Tim. 6, v. 18. *ἀγαθοποιεῖν* 1. Petr. 2, v. 15. *καρποφορεῖν ἐν παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ* Col. 1, v. 10. *περισσεύειν εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθόν* 2. Cor. 9, v. 8. *ἀγαθῶν ἔργων πλήρης* Act. 9, v. 36. *καλῶν ἔργων ζηλωτής* Tit. 2, v. 14. *μεστὸς καρπῶν ἀγαθῶν* Jac. 3, v. 17.** Interim tamen synergia illa renatorum in operibus bonis nequaquam excludit, sed requirit perpetuum Spiritus sancti adjutorium, qua de re plura diximus in tract. de lib. arbit. §. 141.

Forma bonorum operum.

16. Forma bonorum operum absolute consideratorum est conformitas cum lege Dei. Ut enim

ἡ ἁμαρτία est ἀνομία 1. Joh. 3, v. 4. ita bonum
VIII. 12. opus est ἐννομία, conformitas actionis cum lege Dei, quae est norma et canon bonorum operum. Dan. 12, v. 8: *Non faciat unusquisque quod in oculis ejus rectum videtur.* v. 32: *quicquid ego praecipio, custodietis ut faciatis, non addes ad illud neque diminues ex eo.* Num. 15, v. 39: *Non sequantur cogitationes suas et oculos meretricios* (oculi meretricum sunt vagabundi, vagantur per omnes angulos; ita ratio humana subinde quaerit novos cultus); v. 40: *sed memores praeceptorum Dei faciant illa.* Ezech. 20, v. 19: *Ego Dominus Deus vester, in praeceptis meis ambulate et judicia mea custodite et facite ea* Esa. 29, v. 13. Matth. 15, v. 9: *Frustra colunt me, docentes doctrinas mandata hominum* etc. **Jer. 7, v. 31: *Fecerunt quod non praecepi eis neque adscendit in cor meum.* Zach. 7, v. 5. dicit Dominus: *Cum jejunaretis et plangeretis in quinto et septimo per hos 70 annos, numquid jejunium jejunastis mihi?* (in quinto mense Judaei quotannis memoriam exusti templi Hierosolymitani refricabant jejunando, sed absque Dei mandato; in septimo mense Godolias erat interfectus, quem Nabuchodonosor gubernatorem in Judaea reliquerat.) v. 9: *Judicium verum judicate, misericordiam et miserationes facite unusquisque cum fratre suo* etc. (quod dicit haec mihi longe essent gràtiora quam spontanea vestra jejunia et cultus electitii.) Amos. 5, v. 25: *Numquid hostias et sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis domus Israël?* v. 26: *et portastis tabernaculum Moloch vestro.*** Ephes. 2, v. 10. dicit apostolus: *Deum praeparasse bona opera, in quibus pii ambulare debent;* ac Rom. 12. doctrinam de bonis operibus tractaturus v. 2. praemittit, *ut probetis, quae sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta;* ac seq. capite monstraturus, quomodo bona illa Dei voluntas sit probanda, recitat decalogum v. 9: *Non adulterium committes, non occides* etc. Col. 2, v. 20. ἐθελοθρησκείαι referuntur inter τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου, in prophetis hoc passim repetitur, ambulandum esse in viis Domini, Mich. 6, v. 8: *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum et quid Dominus requirat a te, facere judicium, diligere misericordiam et solicitum ambulare cum Deo tuo.* Contra vero de electitiis cultibus dicitur Esa. 1, v. 12: *Quis requisivit haec de manibus vestris?* Psalm. 106, v. 39: *Incitaverunt Deum suum adinventionibus suis.* Id ipsum exemplis μοσχοποιΐας Aaronicae, Exod. 32. Ephod Gideonis Jud. 8. cultuum Baal, Moloch etc. manifestissime comprobatur. Quicunque cultus expresse a Deo rejiciuntur et quorum auctores ob illos puniuntur, illi non possunt esse vere bona opera. Atqui ἐθελοθρησκείαι expresse a Deo rejiciuntur et eorum auctores propterea puniuntur. Ergo. Tria ergo sunt, quae bonorum operum normam ex lege petendam, ἐθελοθρησκείας vero improbandas esse arguunt. 1. Legis divinae proprietas, ea enim cum sit perfecta bonorum operum regula, non debent excogitari novi cultus. 2. Dei praecipientis auctoritas. Penes solum Deum αὐτοκράτορα sapientissimum est jus instituendi cultus. Jacob. 4, v. 12: *Unus est legislator et judex, qui potest perdere et liberare.* 3. Rationis humanae caecitas, ea enim verbi luce destituta in meris tenebris versatur ac horribiliter impingit.

Contra ἐθελοθρησκείας.

Argumenta pro ἐθελοθρησκείας.

17. Quae pro stabiliendis ἐθελοθρησκείαις contra haec Scripturae dicta solis radiis scripta afferuntur, facilem habent explicationem. **Excipit Bellarminus lib. 2. de sacram. in gen. cap. 32. Esa. 29, v. 13. Matth. 15, v. 9. frustra colunt me, *agi de illis tantum, qui omisso Dei mandato docent doctrinas hominum.* Respondemus: utrosque damnat Esaias, tum qui ore tantum appropinquabant ad Deum, cor autem eorum longe erat, id est qui tantum corporali, non spirituali cultu Deum colebant, tum qui timebant Deum juxta mandata et doctrinas hominum.** Alii excipiunt: *1. Improbari solum ea, quae fiunt contra legem.* Respondemus: Imo vero prohibetur aliquid addi mandatis Dei, proinde lex divina est perfecta bonorum operum regula, nec ulla creatura habet jus aut potestatem instituendi novum cultum

1. Improbari solum ea, quae fiunt contra legem.

Dei aut instituendi opera, quae pro cultu Dei prae- VIII. 13.
stentur, quacunque intentione fiant. *Quod praecipio tibi, hoc tantum facito,* dicit Dominus, in quae verba sic commentatur Vatablus: *Causatur Moyses, ideo nihil addendum esse vel demendum verbis Dei, quod traditiones hominum verbo Dei additae obstaculo sint, ne serventur, praecepta enim hominum avertunt a veritate et seducunt corda innocentium.* Matth. 15. Christus non illos solum cultus damnat, qui verbo Dei repugnant (quod jam ante notum erat et a Pharisaeis legem perpetuo crepantibus concessum), verum etiam omnes illos, qui non sunt verbo Dei mandati, id quod apparet ex occasione quaestionis, quam tum proponebant Pharisaei v. 2: *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lavant manus suas, cum manducant;* Christus primo quidem κατὰ βίαιον respondet: *Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* quasi dicat, reddite mihi primum rationem, quare vos propter traditiones vestras mandata Domini negligatis, postea pro discipulis meis respondebo; tamen secundo loco in genere concludit, *frustra Deum coli per tales doctrinas, quae sunt mandata hominum,* quod testimonio prophetico in medium adducto confirmat. *2. Abel et reliqui patriarchae obtulerunt Deo sacrificia absque expresso quodam mandato, quae tamen Deo placuerunt.* Respondemus: de tota hac re late egimus in tractatu de legibus ceremonialibus et forensibus §. 14. ubi ostendimus aliquot argumentis, non fuisse destitutos patriarchas mandato sacrificandi, licet illius expressa institutio a Moyse non describatur.

2. Patriarchae obtulerunt sacrificia absque mandato.

3. David orat Psalm. 119, v. 108. *ut voluntaria oris sui grata Deus habeat.* Respondemus: immediate sequitur, *et judicia tua doce me;* nequaquam igitur cultus electitios, sed juxta praescriptum legis divinae factos voluntariorum nomine intelligit. In Hebraeo est vox נְדָבָה, quae usurpatur etiam Psalm.

3. David voluntaria oris sui grata haberi petit.

110, v. 3. ac denotat spontaneam illam *προθυμίαν* ac promtitudinem in renatis, qua non inviti aut coacti, sed sponte et cum delectatione quadam Deo obediunt, sicut et Psalm. 54, v. 8. dicit propheta regius בִּנְדָבָה *voluntarie* (Benedict. Arias Montanus in devotione) *sacrificabo tibi et confitebor nomini tuo, quoniam bonum est.* 2. Cor. 9, v. 7: *Hilarem datorem diligit Dominus.* Tit. 2, v. 14: *Ut mundaret sibi populum zelotem bonorum operum.* 1. Petr. 5, v. 2: *Pascite gregem Dei μὴ ἀναγκαστῶς ἀλλ' ἑκουσίως.* Haec omnia non eo spectant, ut sibi quisque pro libitu excogitet et eligat opera, quibus Deo serviat, sed sicut apostolus loquitur in epistola ad Philem. v. 14: *ut bonum nostrum non sit ex necessitate, sed voluntarium, κατὰ ἑκούσιον.* Augustinus in Psalm. 118: *Bene intelliguntur oris voluntaria sacrificia laudis, confessione caritatis non timore necessitatis oblata.*

4. Quae ex voto offerebantur, Deo erant grata.

4. In lege accepta erant non illa solum sacrificia, quae ex mandato offerebantur, sed et illa praecipue, quae ex voto vel sponte offerebantur, Levitic. 7, v. 16. c. 22, v. 18. Numer. 15, v. 3. Deuter. 12, v. 11. Respondemus: in lege exstant certae ordinationes de spontaneis illis oblationibus, quod fieri possint, quomodo item fieri debeant, quibus conditionibus, quo in loco, ut apparet ex consideratione locorum in argumento adductorum; proinde spontaneae illae oblationes in V. T. non fuerunt destitutae testimonio verbi divini.

5. Ἐθελοθρησκεῖαι suscipiantur bono fine.

5. Quicquid fit eo fine, ut praestetur Deo honos et obedientia, est cultus Dei, sed quae bona intentione etiam sine mandato Dei suscipiuntur, fiunt eo fine. Respondemus: definitio cultus divini est imperfecta. Ut enim alias finis non reddit media legitima, sed ad bonitatem finis etiam mediorum bonitatem accedere oportet; ita quoque ut opus aliquod sit cultus Dei, ad illud requiritur non tantum causa finalis, ut nimirum ad Dei honorem dirigatur; verum etiam materialis (ut sic loquar), ut scilicet opus sit a Deo mandatum, requiritur causa formalis, ut fiat ex fide: jam vero *fides ex auditu, auditus est per verbum Dei*, Rom. 10, v. 17. Sine fide nec persona, nec opera Deo placent. Denique ut fiat a persona per Spiritum sanctum renata ac renovata. Adde quod

VIII. 14.

ea demum sit intentio bona ac propositum bonum, si quis Deo vult obedire juxta mandata ejus, hanc divinorum mandatorum regulam quisquis negligit, de vere bono proposito gloriari non poterit.

6. Exempla te[illegible] probari.

6. Maria ungit Christum unguento pretioso et capillis pedes extergit, Joh. 12, v. 3: *peccatrix lacrimis rigat pedes Christi, capillis eos tergit, osculatur, ungit*, Luc. 7, v. 38. *Atqui haec non praescribuntur in lege.* Respondemus: Haec fuerunt partim exteriora signa contritionis, partim officia humanitatis et dilectionis, quibus Christum pro more regionum illarum honorifice tractare voluerunt, nequaquam vero novum cultum instituere. Ratione generis officia illa in lege divina continentur, sicut et 1. Timoth. 5, v. 10. inter opera dilectionis et officii proximo debiti refertur, *si vidua sanctorum pedes laverit;* ingens ergo discrimen est inter haec opera, quod Christo in diebus carnis suae visibiliter in terris conversanti ex vera dilectione varia pietatis et humanitatis officia hae mulierculae exhibuerunt, et quod sanctorum statuis ex bona (uti vocant) intentione superstitiosae mulierculae candelas accendunt, ad statuas et sepulchra sanctorum peregrinantur etc. Adde, quod singularia exempla sanctorum, qui ex peculiari Spiritus sancti instinctu et familiari ejusdem alloquio hoc vel illud fecerunt, non possint generalis regula statui. Denique non est praetermittendum, quod in typum sepulturae suae unctionem illam esse factam Christus testatur, atque inter opus illud beneficentiae et ordinarium pietatis cultum, quem ipsi ecclesia exhibitura sit, manifestum discrimen constituit subjungens: Pauperes semper habetis vobiscum etc.

7. Spiritus s. quo aguntur renati, est agens liberrimum.

7. Renati aguntur spiritu Dei, Rom. 8, v. 14. *et ambulant spiritu*, Galat. 5, v. 18. *jam vero spiritus est agens liberrimum, proinde renatorum obedientia erit libera, non inclusa legis repagulis.* Respondemus: quamvis renati spiritu Dei agantur, tamen spiritus non sine medio eos gubernat, sed verbum Dei est *ministerium spiritus* 2. Cor. 3, v. 3. ac in V. T. promissioni de donatione Spiritus sancti diserte hoc additur: *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam* Jerem. 31, v. 33. unde patet, quod spiritus Domini credentes ad legem deducat et juxta ejus praescriptum opera ipsorum dirigat.

8. Caritas est regula bonorum operum.

8. Caritas est bonorum operum regula. Ergo quae ex caritate fiunt, licet non sint a DEO mandata, sunt bona opera. Respondemus: *Caritas est impletio legis*, Rom. 13, v. 10. Galat. 5, v. 14. *et summa mandati*, 1. Tim. 1, v. 5. quae ergo non habent testimonium verbi divini, de illis non potest dici, quod ex vera et sincera Dei caritate proficiscantur. Caritas conjuncta cum praevaricatione praecepti de non excogitandis novis cultibus non est vera, sed fucata et falsa caritas. Ne quidem maritus ratum ac gratum habet omne, quod conjux ex caritate sese facere profitetur, nisi conveniat cum tabulis legum conjugii. De operibus, quae fiunt mandato ecclesiae, hoc est praesulum, maxime vero pontificis Romani, alius erit disserendi locus, hac vice unicum illud monemus, constitutiones ecclesiasticas *εὐταξίαν καὶ εὐσχημοσύνην* in rebus adiaphoris spectantes distiguendas esse ab *ἐντάλμασιν* humanis, quae proprie et directe ipsum Dei cultum concernunt, hoc est cum opiniones absolutae necessitatis, cultus atque merita a praesulibus ecclesiae obtruduntur.

Quo sensu fides dicatur bonorum operum forma.

18. Ceterum cum ipsa quoque renatorum opera sint imperfecta et immunda (neque enim assequuntur summum illum perfectionis gradum in lege divina praescriptum, neque ab adhaerentibus pravae concupiscentiae sordibus et peccati reliquiis sunt penitus libera, ut paulo post plenius docebitur), ideo ut Deo placeant, necesse est fidem in Christum accedere, propter quem fide apprehensum non solum persona, sed etiam bona opera renatorum Deo placent, inde est, quod fides dicitur forma bonorum operum in renatis. Sane conformitas cum lege est vera et

proprie dicta bonorum operum absolute consideratorum forma, sed cum perfecta illa cum lege conformitas in hac vita, ne quidem in renatorum operi-
VIII. 15. bus inveniatur, ideo in evangelio ostenditur, propter Christum mediatorem fide apprehensum renatorum opera Deo placere atque ab ipso acceptari, quemadmodum obedientiam filii gratam ac ratam habet parens, licet in sese sit imperfecta. Quo pertinet dictum Evagrii episcopi Antiocheni, quod Philippus Melanthon allegat: *Bona opera placere Deo προηγουμένης τῆς πίστεως*. Fides ergo ad opera renatorum multis modis concurrit: *1. ratione notitiae.* Deus in verbo per Spiritum sanctum voluntatem suam nobis revelavit, ex hac luce verbi oritur in cordibus nostris lux fidei. Rom. 10, v. 17: *Fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei*, absque hac luce verbi et fidei semper cogitat mens humana: quis scit, an hoc, quod agas, placeat Deo, an sit vere bonum opus? ergo ut opera vere bona et Deo grata fiant, requiritur lux verbi et fidei. *2. Ratione fiduciae;* evangelium docet, nos reconciliari Deo ac in filios ab ipso adoptari propter Christum; hunc igitur fides apprehendit ac statuit, propter ipsum et nos et opera nostra Deo placere. haec fiduciae certitudo requiritur omnino in bonis operibus, ut haesitatio et fluctuatio conscientiae excludatur, ideoque cum apostolus Rom. 14, v. 23. docuisset, nihil esse fluctuante et haesitante conscientia faciendum, addit generalem regulam: *quicquid non fit ex fide*, *peccatum est*, quia certitudo illa in conscientia non habet locum absque fide, quae sola conscientiam nostram confirmat, quod propter Christum peccata nobis remittantur et opera nostra Deo placeant. 3. Fides est insuper *efficiens bonorum operum*, ita enim describitur Galat. 5, v. 6. quod sit *ἐνεργουμένη per caritatem*. Fide datur Spiritus sanctus. Atqui bona opera sunt *fructus Spiritus* Galat. 5, v. 22. Ergo etiam sunt fructus fidei. Fide coram Deo justificamur. Atqui bona opera sunt *fructus justitiae*, Phil. 1, v. 11. Ergo etiam sunt fructus fidei. Fides est essentialis ac potissima pars poenitentiae. Atqui bona opera sunt *fructus poenitentiae*, Matth. 3, v. 8. Ergo etiam sunt fructus fidei. *Per fidem Christus habitat in cordibus nostris*, Ephes. 3, v. 17. Atqui: *qui manet in Christo et Christus in eo*, *hic fert fructum copiosum*, Joh. 15, v. 5. Ergo bona opera sunt fructus fidei. *Justus vivit ex fide*, Habac. 2, v. 4. ac renati *in fide vivunt Filii Dei*, Galat. 2, v. 20. Atqui bona opera sunt effectus et fructus vitae spiritualis. Ergo etiam fidei. Inde fides ab August. epist. 143. vocatur *radix et mater bonorum operum*. Gregorius homil. 19. in Ezech.: *Vestibulum per quod ad opera pervenitur*. 4. Denique cum opera renatorum ex se et in se non sint modis omnibus perfecta, ideo fides in Christum, vel potius Christus ipse eorum imperfectionem et naevos adhaerentes tegat oportet, quo sensu fides dicitur veluti anima ac forma bonorum operum, quippe a qua et rem et appellationem bonitatis sortiuntur. Hebr. 11, v. 6: *Sine fide impossibile est Deo placere*. Rom. 14, v. 23: *Quicquid non fit ex fide, peccatum est*. 1. Petr. 2, v. 5: *Ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini*, etc. *sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias acceptabiles Deo per Christum*. Lutherus tom. 4. latin. Jenens. fol. 403: *Omnia nostra Deo placent non propter meritum seu dignitatem aliquam nostram*, *sunt enim omnia polluta*, *sed propter donum fidei*, *quod credimus in Christum*. ** *Forma intrinseca bonorum operum est ipsa convenientia cum lege Dei seu ἐννομία*, *extrinseca*, *a qua denominantur Deo accepta*, *est fides*, *qua tantum opera nostra placent Deo propter Christum. Illo respectu legaliter*, *hoc evangelice bona dici possunt*, *illa ratione habent esse absolutum.*, *hac respectivum. Et ἐννομία est forma constituens, πίστις assistens.* **

Quot modis concurrat fides ad bona opera renatorum.

19. Hoc ergo volumus, quando fidem bonorum operum formam esse dicimus, quod Christus mediator vera fide apprehensus et hominem et opera ejus Deo accepta reddat, quod propter Christum non solum persona Deo fide reconcilietur, sed etiam opera credentis Deo placeant, quod fide in Christum detur remissio peccatorum non solum praecedentium, sed etiam infirmitatum adhaerentium, quae ipsa bona opera contaminant. Nequaquam vero hoc sensu intelligendum est, fidem esse bonorum operum formam, quasi Christi justitia et satisfactio ita im- VIII. 16.
putetur operibus, ut per nostra illa opera in Dei judicio justificemur; *cum enim ipsa* (ut cum D. Luthero loquamur) *justificari indigeant*, *utique nos justificare non poterunt*. Placent Deo renatorum opera, sed non placant Deum; inde quidam distinguunt inter acceptationem personae et operum. Quamvis enim una eademque causa sit acceptationis personae et acceptationis operum, videlicet Christus fide apprehensus, tamen acceptationem personae ab acceptatione operum differre dicunt tribus potissimum modis: *1. fine et effectu*. Acceptatio personae fit ad adoptationem filiorum Dei et hereditatem vitae aeternae; acceptatio operum tantum ad μισθαποδοσίαν gratuitam. *2. Ordine causae et effectus*, quia acceptatio operum est fructus consequens acceptationem personae, vim omnem ab illa mutuans eidemque ut fulcro et fundamento innitens, ita ut sine illa haec non possit consistere. *3. Diversa consideratione fori divini*. Nam in foro justificationis personae Deus primum cum peccatore ad tribunal suum vocato agit pro rigore justitiae suae severissime ab eo exigens perfectissimam cum lege conformitatem, nec eundem nisi per fidem justitia Christi ornatum justum reputat, in filium adoptat et spiritu adoptionis donat; in foro autem approbationis bonorum operum Deus cum homine agit, non ut cum servo aut reo, sed ut pater cum filio, nam propter personam fide sibi reconciliatam primitias novae obedientiae ex gratia paterna in optimam partem interpretatur, exosculatur, et praeclarissimis encomiis ac praemiis justititiae ornat. Flacius in defens. confess. Antuerp. contra Tiletanum c. de justificat.

Acceptatio personae et operum quomodo differat.

p. 120. et ex eo D. Schilterus in disputat. de bonis operibus thesi 67. et sequentibus.

Finis bonorum operum.

20. Finis bonorum operum ultimus ac principalis est Dei gloria, quod adeo verum est, ut quicquid non dirigitur ad hunc finem, id quamvis videatur, tamen non sit vere bonum opus. Augustinus lib. 4. contra Julianum c. 3: *Cum facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur. Verae virtutes Deo serviunt in hominibus, a quo donantur hominibus. Quicquid igitur boni fit ab homine et non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia praecipit, etsi ab officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.* Hunc bonorum operum finem proponunt sequentia Scripturae dicta Psalm. 115, v. 1: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Jerem. 9, v. 23: *Sic dicit Dominus: non glorietur* (אַל יִתְהַלֵּל non laudet se) *sapiens in sapientia sua, neque glorietur dives in divitiis suis.* v. 24: *sed in hoc glorietur, quod me sciat et cognoscat.* Matth. 5, v. 16: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est.* 1. Corinth. 10, v. 31: *Omnia in gloriam Dei facite.* Philipp. 1, v. 11: *Repleti fructibus justitiae per Jesum Christum in laudem et gloriam Dei.* 1. Petri 2, v. 9: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum;* v. 12: *ut ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum.* c. 4, v. 11: *Si quis ministrat, tanquam ex virtute, quam praebet Deus, ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum.* Intermedius ac secundarius bonorum operum finis est salus proximi atque inprimis ecclesiae Philipp. 2, v. 4: *Nemo quod suum est, quaerat, sed quod alterius.* Tit. 3, v. 14: *Discant et nostri bonis operibus praeesse ad usus necessarios (εἰς τὰς ἀναγκαίας χρείας), ne sint infrugiferi.* 1. Joh. 4, v. 21: *Hoc mandatum habemus ab eo, ut, qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.*

VIII. 17.

De necessitate bonorum operum.

21. Expositis bonorum operum causis restat, ut de adjunctis et effectis eorum pari perspicuitate agamus, ubi occurrunt hae quaestiones pertractandae, an bona opera sint necessaria; an sint perfecta; an praemiis afficiantur; an sint meritoria illorum praemiorum? Quod ad primam quaestionem attinet, *an bona opera sint necessaria*, observandum est, varias esse species necessitatis, enumerabimus hoc loco eas solum, quae ad explicationem hujus quaestionis accommodari possunt. Aristotel. 5. metaph. c. 5: *Violentum dicitur necessarium, quare etiam triste; omnis namque necessaria res tristis est et vis necessitas quaedam est.* Albertus libr. 11. anim. tract. 1. c. 3. fol. 120: *Necessarium est, 1. sine quo non contingit esse vel fieri rem, sicut id quod est concausale ad esse vel fieri; et haec est necessitas suppositionis. 2. Sine quibus bonum esse, quod intenditur, non contingit et sine quibus non contingit malum expellere. 3. Vim faciens, sicut coactus dicitur ex necessitate facere. 4. Quod non contingit se aliter habere sicut propter praemissas sequitur conclusio, ad quod necessarium etiam alia reducuntur.* Thom. part. 3. quaest. 14. art. 2: *Est necessitas coactionis, quae fit ab agente extrinseco; et est necessitas naturalis, quae consequitur principia rei naturalia.* Biel 3. sentent. distinct. 16. quaest. 11: *Notandum, quod multiplex est necessitas. Est enim necessitas absoluta, vel simpliciter dicta, cujus scilicet oppositum includit contradictionem. Alia est necessitas violentiae seu coactionis, qualis est necessitas corruptionis ligni positi in ignem, quod violenter ab igne corrumpitur. Tertia est necessitas finis sive conditionata, sic necessarium est ad finem, sine quo finis haberi non potest.* ** Alia *necessitas* est *βιαστική*, *violenta*, alia *προςτακτική*, *praeceptionis*. Priore sensu opera piorum non sunt necessaria, sed libera, quia proficiscuntur a spiritu spontaneo etc. Augustin. in Psalm. 77: *Non tanquam ex necessitate, sed voluntarie Dei legibus serviant.* *Ἀβίαστον εἶναι πρέπει τὸ καλόν*, inquit Damasc. libr. 4. orthod. fid. c. 20. ergo non intelligitur nessitas *βιαστική*, sed *ἀβίαστος, ἡγεμονική, προςτακτικὴ καὶ κυριευτική.* **

Quot modis Scriptura necessitatis termino in hac quaestione utatur.

22. Dn. Chemnicius part. 3. locorum de bonis operibus q. 4. p. 49. utiliter monet, Scripturam vocabulo necessitatis quatuor potissimum modis uti, quantum quidem ad hanc quaestionem attinet: 1. Pro eo, quod tanquam ad justititiam et salutem necessarium exigitur. Hoc sensu Act. 15, v. 5. illi, qui erant de secta Pharisaeorum, urgebant necessitatem observationis legis; et Gal. 2, v. 4. c. 6, v. 12. pseudo-apostoli urgebant necessitatem circumcisionis inter gentes. 2. Vocabulum necessitatis in quibusdam Scripturae locis significat vel coactionem, vel involuntarium aliquid, quando vel ab invitis, vel ab involuntariis praeter animi sententiam aliquid externi operis extorquetur. 2. Cor. 9, v. 7: *Non ex tristitia aut necessitate.* epist. ad Philem. v. 14: *Ut ne velut ex necessitate bonum tuum esset.* 3. Utitur Scriptura vocabulo necessitatis pro eo, quod non est adiaphoron seu arbitrarium, sed debitum ratione mandati et voluntatis divinae. Act. 13, v. 46: *Necessarium erat Judaeis primum loqui.* et c. 15, v. 28: *Visum est nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria.* Rom. 13, v. 5: *Necessitate subditi estote.* 1. Cor. 9, v. 16: *Si evangelizavero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit.* 4. Saepius generaliter usurpatur pro necessitate consequentiae, quam vocant immutabilitatis. Hebr. 7, v. 12: *Translato sacerdotio necesse est, ut et legis translatio fiat.* Item pro eo, quod certas et graves causas habet cur non sit omittendum, sed faciendum. Phil. 1, v. 24: *Permanere in carne necessarium propter vos.*

Quare et quomodo bona opera sint necessaria.

23. Quamvis igitur bona opera non sint dicenda necessaria primo et secundo modo, ex eo tamen nondum sequitur, quod abjiciendus sit usus vocabuli necessitatis in doctrina de bonis ope-

ribus, cum in tertia et quarta significatione bona opera et sint et debeant dici necessaria. 1. Quia
VIII. 18. analogia fidei docet, renatis non esse liberum vel arbitrarium relictum, an velint Deo in bonis operibus servire, necne. sed bona opera necessaria esse multis de causis paulo post exponendis atque hanc esse seriam et perpetuam Dei voluntatem, ut creatura rationalis obediat creatori, quod obedientiae debitum non tollitur per evangelii praedicationem aut fidem. Rom. 3, v. 31: *Num legem destruimus per fidem? absit, sed legem stabilimus.* 2. Quia ipsa Scriptura non solum aequipollentibus vocabulis, sed ipso etiam necessitatis termino in hac quaestione utitur. Matth. 23, v. 23: *Haec oportuit facere et illa non omittere.* Luc. 17, v. 10: *Quod debuimus facere, fecimus.* Rom. 8, v. 12: *Fratres, debitores sumus, non carni, sed ut secundum spiritum vivamus.* c. 13, v. 8: *Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Act. 5, v. 29: *Oportet Deo magis obedire quam hominibus.* 1. Tim. 3, v. 2: *δεῖ, oportet, episcopum esse irreprehensibilem.* 1. Joh. 4, v. 11: *Nos debemus alterutrum diligere.* Vocabulum necessitatis exstat in sequentibus dictis. Act. 15, v. 28: *Visum est Spiritui sancto et nobis, nihil ultra vobis oneris imponere, quam haec necessaria.* Rom. 13, v. 5: *Necessitate subditi estote.* 1. Cor. 9, v. 16: *Vae mihi, si non evangelizavero, necessitas enim mihi incumbit.* 3. Negare, quod bona opera sint necessaria, furoribus Antinomorum, Libertinorum adeoque quorumcunque ἐργομίσων fomenta praebet. **Antinomorum ac Libertinorum verba recitat Lutherus in lib. de concil.: *Si es adulter, scortator, usurarius, avarus, aut aliis pollutus peccatis, si tantum credis, salvus es.*** Libertini, Christiana libertate abusi, opinabantur nihil interesse, sive mala sive bona quis agat, secuti Valentinianos, de quibus Irenaeus lib. 1. c. 9. et Epiphanius lib. 1. tom. 2. haeres. 31. p. 85. referunt, quod dixerint, *bona opera esse quidem ad salutem necessaria, se ipsos vero non per opera, sed propter ea, quod ex natura spirituales sint, penitus et omnino salvari et in quibuscunque materialibus actionibus versentur, minime laedi, unde etiam interdicta omnia intrepide fecerint.* Item Eunomianos, magistrum suum Eunomium corpore et animo leprosum secutos, de quo Augustinus haeres. c. 54. refert, quod *usque adeo bonis operibus fuerit inimicus, ut nihil cuiquam obesse quorumlibet perpetrationem et perseverantiam peccatorum asseveraverit, si modo fidei, quam docebat ipse, particeps esset.* Quo referendi sunt Simoniani, de quibus Irenaeus lib. 1. c. 12. Carpocratiani, de quibus ibidem c. 24. **De Carpocratianis testatur Irenaeus lib. 1. c. 24. *eos tanta fuisse insania effrenatos, ut omnia quaecunque irreligiosa et impia potestatem se habere operandi dicerent, sola enim humana opinione negotia mala et bona definiverunt.* De Simone Mago refert Theodoret. lib. 1. haeret. fab. *quod omnium operum quorumcunque invexerit licentiam.* Circa annum Christi 1314 Begardi alias Bisochi *hominis imperfecti esse* dicebant *in virtutum operibus exerceri, nulla homini opera praestanda, cum perfectionis statum in hac vita attigisset.*** Antinomi vivente adhuc Luthero propositioni illi, quod bona sint necessaria (qua D. Lutherus in disputat. contra Eccium in libro de votis monasticis, in comment. epistol. Galat. et alibi passim utitur), bellum indixerant, sed tunc auctoritate et vigilantia ipsius repressi sunt, postea vero certamen illud recruduit, in quo propositio de necessitate operum ab Antinomis ignominiose fuit exagitata, sed ab orthodoxis defensa. Vide Sleidanum libr. 9. histor. Monet autem Philippus in Forma concordiae Wormatiae scripta, quae habetur tom. 4. operum p. 811. perniciosum ac furiosum illum errorem aliter refutari non potuisse, nec adhuc posse, nisi haec loquendi formula retineatur. 4. Necessitas bonorum operum ideo urgenda est, ne studium eorum in renatis languescat, sunt enim ex parte adhuc *carnales* Rom. 7, v. 14. prospiciendum igitur sedulo, ne libertatem spiritus mutent in carnis licentiam. 5. Augustana confessio ejusdemque apologia diserte utuntur necessitatis vocabulo atque addunt perspicuam declarationem, quomodo dicantur opera necessaria; sic enim loquitur confessio art. 6: *Docent, quod fides illa debeat bonos fructus parere et quod oporteat bona opera mandata a Deo facere,*
propter voluntatem Dei, non ut confidamus per ea VIII. 19.
opera justificationem coram Deo mereri. art. 20: *Docent nostri, quod necesse sit bona opera facere, non ut confidamus per ea gratiam mereri, sed propter voluntatem Dei.* Apolog. confess. sub titul. respon. ad argum. adv.: *Facienda sunt bona opera propter mandatum Dei. Item ad exercendam fidem, item propter confessionem et gratiarum actionem. Propter has causas necessario fieri debent bona opera.* Ibidem: *Nos sentimus ac docemus, bona opera necessario facienda, debet enim sequi fidem inchoata legis impletio* etc.

24. ***Causae propter quas facienda bona opera:* 1. Sacrae Scripturae auctoritas, Tit. 2, v. 14. Ephes. 2, v. 10. 2. Fidei proprietas, Galat. 5, v. 6. Jac. 2, v. 17. 3. Ipsa necessitas.** Causae vero, propter quas bona opera necessaria sunt, enumerari possunt complures; referuntur autem commodissime ad tres classes, ita ut quaedam respiciant Deum, quaedam proximum, quaedam nos ipsos. (Causae, propter quas necessaria sint bona opera.) Respectu Dei multis modis necessaria sunt opera bona, utpote 1. quia haec est seria et perpetua ipsius voluntas ac mandatum, ut in bonis operibus ambulemus. (1. Respectu Dei.) Levit. 11, v. 44. c. 19, v. 2: *Sancti estote, sicut ego sanctus sum.* Esa. 1, v. 17: *Quiescite perverse agere, discite bene agere.* Ezech. 20, v. 19: *In praeceptis meis ambulate.* Joh. 13, v. 34: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis vos invicem.* 1. Thess. 4, v. 3: *Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* 1. Joh. 4, v. 21: *Hoc mandatum accepimus ab eo, ut, qui diligit Deum, etiam fratrem diligat.* Quo etiam pertinet illud, quod bona opera Deo placeant, quaecunque enim Deus praecipit, ea etiam ipsi placent. Act. 10, v. 35: *In omni gente, qui timet Deum, et*

operatur justitiam, acceptus est illi. Col. 1, v. 10: *Ambuletis digne Deo εἰς πᾶσαν ἀρέσκειαν.* 2. Deus est creator et Dominus, nos ipsius creaturae atque servi, aequum igitur est, ut obedientiam ipsi praestemus. Mal. 1, v. 6: *Servus honorat Dominum suum, si ego Dominus, ubi timor mei?* 3. Deus est Pater, nos ipsius filii, patrissemus igitur. Matth. 5, v. 44: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos* etc. v. 45: *ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est.* Ephes. 5, v. 1: *Estote imitatores Dei sicut filii carissimi.* Col. 1, v. 10: *Ambuletis digne Deo per omnia placentes in omni opere bono fructificantes.* 1. Petr. 1, v. 14: *Quasi filii obedientiae.* Nazianzenus in orat. de s. baptism.: *Ἔργασον καλόν, ὅτι καλὸν τῷ πατρὶ πείθεσθαι, κἂν εἰ σοὶ μηδὲν ἔσεσθαι μέλλοι, τοῦτ᾽ αὐτὸ μισθὸς τὸ τῷ πατρὶ χαρίζεσθαι.* 4. Hoc fine sumus per Christum redemti, ut bene operemur. Luc. 1, v. 74: *Ut liberati de manu inimicorum nostrorum serviamus ipsi sine timore.* v. 75: *in sanctitate et justitia coram ipso.* 2. Cor. 5, v. 15: *Christus pro omnibus mortuus est, ut et qui vivunt, jam non vivant sibi, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.* Ephes. 2, v. 10: *Ipsius sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Tit. 2, v. 14: *Dedit semet ipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* 1. Petr. 2, v. 24: *Christus peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiae vivamus.* Condidit Deus hominem, non ut esset otiosus, sed ut indefinienter bona et utilia operaretur; hunc finem nostrae creationis Satan inducto peccato pervertit, Christus autem eum in ordinem restituit; per hunc regeneramur, ut simus nova creatura et bonorum fructuum feraces, in consortium ecclesiae vocati. Duplici autem nomine opus redemtionis ad bona opera nos hortatur, tum quia est insigne testimonium dilectionis Dei et Christi, quam dilectione rependere aequissimum est, tum quia de magnitudine irae divinae adversus peccata testatur, quae non nisi ipsius Filii Dei sanguine exstingui potuit; aequum igitur est, nos peccata odisse. 5. Ideo etiam per Spiritum sanctum sumus regeniti, justificati et sanctificati, ut in bonis operibus ambulemus. 1. Cor. 6, v. 11: *Et haec quidam fuistis, sed abluti estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi et in spiritu Dei nostri.* Gal. 5, v. 25: *Si spiritu vivimus, spiritu*
VIII. 22 *etiam ambulemus.* Ephes. 4, v. 1: *Ambuletis digne vocatione, qua vocati estis;* v. 30: *ne contristetis Spiritum, quo obsignati estis.* 1. Thessal. 4, v. 7: *Non vocavit nos Deus ad immunditiem, sed ad sanctificationem.* 1. Petr. 2, v. 20: *Si benefacientes patienter sustinetis, haec est gratia apud Deum;* v. 21: *in hoc enim vocati estis.* 6. Operibus nostris Deus glorificatur, jam vero Dei gloriam in omnibus spectare convenit. Matth. 5, v. 16: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona opera vestra et glorificetur Pater vester coelestis.* 1. Cor. 10, v. 31: *Omnia ad gloriam Dei facite.* 1. Petr. 2, v. 12: *Conversationem inter gentes habete bonam, ut in eo, quod detrahunt vobis tanquam malefactoribus, ex operibus bonis vos considerantes glorificent Deum in die visitationis.* Duplici autem nomine per bona opera glorificatur Deus, nam et nos bonis operibus eum celebramus, et alii ea videntes ipsum nobiscum celebrant. Agapetus in exposit. paraenet. tom. 1. orthodoxograph. pag. 183: *Εὐχαριστίαν ζητεῖ (ὁ θεὸς) παρ᾽ ἡμῶν, οὐ τὴν διὰ ῥημάτων ἀγαθῶν προφοράν, ἀλλὰ τὴν διὰ πραγμάτων εὐσεβῶν προσφοράν, gratitudinem Deus a nobis exigit, non quae verborum blandorum prolatione, sed quae actionum piarum oblatione peragitur.* Cui affine est illud Chrysostomi homil. 4. in 1. ad Tim. col. 1452: *Gloria Deo non verbis redditur, quia et ipse non verbis nos honoravit, sed rebus ac operibus, sic et nos honoremus ipsum per opera.* 7. Cavendum est, ne sanctissimum Dei nomen et verbum ipsius propter nos male audiat. Rom. 2, v. 24: *Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes.* 1. Tim. 6, v. 1: *Servi dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini et doctrina blasphemetur.* Tit. 2, v. 5: *Adolescentulae viris sint subditae* etc. *ut non blasphemetur verbum Dei.* Huc pertinent graves illae obtestationes Philipp. 1, v. 27: *Ambuletis digne evangelio Christi.* Tit. 2, v. 10: *Ornate doctrinam servatoris in omnibus.* 8. Denique exemplum Christi in diebus carnis suae conversantis ad imitationem nobis est propositum. Matth. 11, v. 29: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Joh. 13, v. 15: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.* Philipp. 2, v. 5: *Idem affectus sit in vobis, qui fuit in Christo.* 1. Petr. 2, v. 21: *Christus reliquit nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus.* 1. Joh. 2, v. 6: *Qui dicit, se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare.* Justinus apol. 2. p. 49. in Graec.: *Οἳ ἂν μὴ εὑρίσκωνται βιοῦντες ὡς ἐδίδαξε (ὁ Χριστὸς), γνωριζέσθωσαν μὴ ὄντες χριστιανοὶ, κἂν λέγωσιν διὰ γλώττης τὰ τοῦ Χριστοῦ διδάγματα.*

25. Respectu proximi necessaria sunt bona opera 2. Respectu proximi.
1. ut nostris officiis eum pro virili juvemus. Tit. 3, v. 14: *Discant nostri bonis operibus praeesse ad usus necessarios, ne sint infrugiferi.* Societas humana conservatur mutuis officiis et in corpore Christi mystico membrum unum debet alteri *ἐπιχορηγίαν* Ephes. 4, v. 16. Anselmus libr. de simil. c. 180: *Quia personaliter Deo non possumus reddere, non enim his persona ejus eget, ostendit nobis, quibus debeamus reddere, dicit: mando vobis, ut diligatis vos invicem.* 2. Ut bono exemplo ipsi praeluceamus. Phil. 2, v. 15: *In medio nationis pravae et perversae lucetis, sicut luminaria in mundo.* Oecumenius in c. 2. Tit.: *Ἔστω κοινὸν ἅπασι διδασκαλεῖον ὁ σὸς βίος καὶ ὑπόδειγμα.* 3. Ut alios lucrifaciamus, hoc est ad veram doctrinam et pietatem invitemus. 1. Petr. 3, v. 1: *Mulieres subditae sint viris, ut et si qui non credunt*

verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrificant; v. 2: *considerantes in timore castam conversationem vestram.* 4. Ut vitemus scandala. Matth. 18, v. 7: *Vae homini illi, per quem scandalum venit.* 1. Cor. 10, v. 32: *Ἀπρόσκοποι, sine offendiculo, estote Judaeis et gentibus et ecclesiae Dei.* 2. Cor. 6, v. 3: *Nullam ulla in re praebentes offensionem, ne vituperetur ministerium.* Hebr. 12, v. 15: *Considerate, ne quis desit gratiae Dei, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat et per illam inquinentur multi.* 5. Ut benefaciendo improbis calumniatoribus os obturemus. Tit. 2, v. 7: *In omnibus te ipsum praebe exemplum bonorum operum;* v. 8: *ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de vobis.* 1. Petr. 2, v. 12: *Conversationem habentes bonam, ut in eo, quod detrahunt vobis tanquam malefactoribus, ex*
VIII. 21. *bonis operibus vos considerantes glorificent Deum* etc. 1. Petr. 3, v. 16: *Cum modestia et timore conscientiam habentes bonam, ut in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem.* Lact. lib. 5. inst. c. 9: *Cum videant* (ethnici) *et se et suos ea, quae diximus, gerere, nostros autem nihil aliud operari nisi aequum et bonum, poterant, si quid saperent, ex hoc intelligere, et illos, qui bonum faciunt, pios esse et se impios, qui nefanda committunt, neque enim fieri potest, ut qui in omnibus vitae suae actionibus non errant, in ipsa summa errent, hoc est in religione, quae rerum omnium caput est.*

3. Respectu nostri.

26. Respectu nostri necessaria sunt bona opera 1. ut novitate vitae testemur, nos esse novam creaturam in Christo, 2. Cor. 5, v. 17: *Si quis est in Christo, est nova creatura.* Galat. 5, v. 24: *Qui sunt Christi, carnem crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis;* atque ut ambulando tanquam filii lucis, ereptos nos e tenebris esse comprobemus, Ephes. 5, v. 8: *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate,* ut spirituales hostias offerendo nos veros Dei sacerdotes demonstremus Rom. 12, v. 1: *Exhibete corpora vestra hostiam viventem sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* 2. Ut veros fidei fructus exseramus atque hoc modo vocationem nostram firmam faciamus. Jacob. 2, v. 18: *Ostende mihi fidem tuam ex operibus.* 2. Petr. 1, v. 10: *Studete vocationem et electionem vestram firmam facere.* Quo pertinent dicta, quae testantur, fidei et bonorum operum vinculum esse perpetuum. 3. Ut suspicionem hypocriseos amoliamur, nec nos ipsos atque alios falsa persuasione decipiamus. 1. Joh. 2, v. 4: *Qui dicit, se nosse Deum et mandata ejus non custodit, mendax est, et veritas non est in eo;* c. 3, v. 18: *diligamus non verbo, neque lingua, sed opere et veritate;* v. 19: *in hoc cognoscimus, quia ex veritate sumus.* 4. Ut vitemus poenas temporales et aeternas malis operibus et ἀεργίᾳ constitutas Matth. 3, v. 10: *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, exciditur et in ignem mittitur.* Rom. 8, v. 13: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* 1. Cor. 6, v. 9: *Nolite errare, nec fornicarii, nec idololatrae, nec adulteri* etc. *regnum Dei possidebunt.* Col. 3, v. 6: *Propter haec* (fornicationem, immunditiem, libidinem, pravam concupiscentiam etc.) *ira Dei venit super filios incredulitatis.* 5. Ne per peccata excutiamus fidem, contristemus Spiritum sanctum et amittamus Dei gratiam 1. Tim. 1, v. 19: *Habentes fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes naufragium fidei fecerunt.* Ephes. 4, v. 30: *Ne constristetis Spiritum sanctum, quo obsignati estis,* qua de re plura suo loco. 6. Denique ut corporalia et spiritualia praemia a Deo consequamur. Esa. 3, v. 10: *Dicite justis, quia bonum eis, quia fructum operum suorum comedent.* 1. Tim. 4, v. 8: *Pietas ad omnia utilis est habens promissionem praesentis et futurae vitae.* Tales promissiones in propheticis et apostolicis scriptis exstant longe plurimae.

Quot modis necessaria sunt bona opera?

27. Ex his facile apparet, bona opera non uno modo esse necessaria; siquidem occurrit hic *1. necessitas mandati,* quia in decalogo exigit Deus bonorum operum studium. *2. Necessitas debiti* ex priori orta, quia Deo ut creatori, redemtori, ac sanctificatori nostro debemus hoc filiale obsequium; proximo etiam debemus omnia humanitatis studia et dilectionis officia. *3. Necessitas ordinis,* quia perpetuus manet justitiae ordo, ut creatura rationalis creatori obediat. *4. Necessitas consequentiae,* quia fidem bona opera perpetuo comitantur et sequuntur. *5. Necessitas hypotheseos,* quia nisi velimus fidem excutere, gratiam Dei et aeternam vitam amittere, poenas omnis generis accersere, vacandum est bonorum operum studiis. Huic necessitati adjungit Dn. Philippus bonorum operum dignitatem atque utilitatem, ubi per dignitatem non intelligendum est quoddam meritum vel gratiae divinae, vel justitiae, vel salutis aeternae, nec perfectio quaedam bonorum operum coram Dei judicio, nec causalitas in articulo justificationis, sed gratuita Dei acceptatio, qua renatorum obedientiam ex fide profectam ratam ac gratam habet eandemque gratuitis praemiis afficit. Itemque quod opera sint fructus spiri- VIII. 22.
tus in renatis habitantis et inchoata quaedam legis completio in futura vita perficienda, quo sensu D. Lutherus in c. 3. epist. ad Galat. scribit, *extra causam justificationis bona opera nunquam satis magnifice commendari posse.* Utilitas complectitur praemia praesentis et futurae vitae, quae Deus ex gratia bonis operibus reddenda esse promisit. D. Hutterus in explic. Form. Conc. art. 4. p. 432. tribus illis (quae in scriptis symbolicis et Luthero proponuntur) causarum classibus addit alias duas: *Ex consideratione* (inquit) *earum personarum, ad quas nostrae actiones directae sunt, quinque oriuntur classes causarum, propter quas bona opera facienda sunt, vel enim cum Deo agimus, vel cum angelis, vel cum proximo, vel cum nobis ipsis, vel cum diabolo. Respectu Dei necessaria sunt bona opera, ut is a nobis colatur, ac nostram ei obedientiam ac gratitudinem probemus. Angelorum gratia facienda*

sunt bona opera, ne eos offendamus, qui nobis additi sunt custodes. Proximi gratia facienda sunt bona opera, ne nostro exemplo alios offendamus vel in impietate confirmemus. Nostri causa facienda sunt, ut fidem nostram exerceamus, poenas vitemus, praemia consequamur etc. *Tandem diaboli causa facienda bona opera, ne per impietatem et securitatem hospitium ipsi in cordibus praebeamus.* Haec ille. Possunt autem duae illae classes ad usitatam causarum enumerationem referri hoc modo: Angeli non offenduntur nostris operibus, nisi iisdem Deus offendatur, quisquis ergo ex vero Dei timore cavet, ne malis operibus Deum offendat et gratiam ejus amittat, is eo ipso cavet, ne angelos custodes sibi additos offendat eosque a se abigat. Pari ratione non praebetur diabolo in corde hominis hospitium, nisi Spiritus sancti desinat esse domicilium, quisquis ergo Spiritum sanctum veretur excutere, is eo ipso cavet diabolo hospitium praebere.

An causae illae dicendae sint impulsivae et finales.

28. Causas illas, propter quas necessaria sunt opera bona, quidam vocant finales et impulsivas, monendum vero, terminum causae finalis in latiori significatione ab illis accipi, ita ut complectatur etiam τὰ ἑπόμενα, ea quae consequuntur bona opera renatorum, non ex quadam ipsorum dignitate, sed ex gratuita Dei miserentis bonitate. Neque enim intuitus praemiorum atque evitatio poenarum proprie et accurate loquendo debet esse causa finalis et impulsiva bonorum operum, cum nova obedientia renatorum ex sincera Dei caritate et filiali timore proficisci debeat, jam vero caritas non est mercenaria, ac servilis timor est, non filialis, propter constitutas poenas a peccatis cavere. Non negamus, carnem refractariam, quae spiritui in ipsis etiam renatis adversatur, consideratione praemiorum excitandam, si velit in via bonorum operum torpescere, et consideratione poenarum in ordinem cogendam esse, si velit ad vias pessimas declinare; interim tamen bona opera, quatenus talia, ex spiritu spontaneo et sincera Dei dilectione absque ullo mercedis intuitu facienda sunt, qua de re inferius plura.

Bona opera sunt urgenda.

29. Quare cum tot modis necessaria sint bona opera, studium eorum in ecclesia docendum, urgendum et inculcandum erit. *Aeque necessarium est,* scribit D. Luther. tom. 4. latin. p. 165. *ut pii doctores tam diligenter urgeant doctrinam de bonis operibus, quam doctrinam de fide. Satan enim utrique infensus est et accerrime resistit* etc. *non solum doctrinam fidei, sed etiam bonorum operum vehementer odit et impedit.* **Ibid. fol. 109: *Extra causam justificationis nemo potest bona opera a Deo praecepta satis magnifice commendare.* Chrysostomus homil. de fid. et lege tom. 5: *Oportet et ante opera lucere fidem et fidei pedissequa semper esse opera.*** Neque est, quod quis obvertat, renatos ex libero et spontaneo spiritu bene agere atque ipsorum obedientiam non esse coactam, legis minis extortam, proinde bona opera non esse dicenda necessaria; quamvis enim necessitas coactionis, τὸ ἀκούσιον, a bonis operibus renatorum exsulare debeat, ex eo tamen nondum sequitur, vocabulum necessitatis simpliciter proscribendum esse ex doctrina de bonis operibus, cum ipsa Scriptura optima loquendi magistra in alia significatione ac respectu vocabulum hoc de bonis operibus diserte usurpet. VIII. 23.
Bona opera sunt necessaria ratione mandati, debiti atque ordinis divinitus instituti, non sunt adiaphora vel arbitraria; eadem tamen in renatis sunt spontanea ac voluntaria, quia non ex coactione, sed libero et spontaneo spiritu proficiscuntur. Opponitur igitur haec necessitas τῷ ἀδιαφόρῳ, non autem voluntario. Necessitas coactionis excludit voluntarium, non autem necessitas immutabilitatis. Deus ipse non contingenter nec coacte bonus est et bona agit, sed necessario bonus est et bona agit, necessitate immutabilitatis, idem tamen est agens liberrimum. Addendum tamen hoc, cum renati sint ex parte adhuc *carnales* Rom. 7, v. 14. cum *spiritus* quidem in ipsis sit *promtus*, *caro autem infirma* Matth. 26, v. 41. ideo quandoque legis coactione carnem ipsorum indigere, quin imo nullum bonum opus in hac vita ex tanta spiritus promtitudine oritur, quam caro nullatenus retardet aut impediat.

An libertas Christiana excludat bonorum operum necessitatem.

30. Neque est quod ad libertatem Christianam provocetur, quasi ea excludat bonorum operum necessitatem. Alia enim est *libertas spiritus*, alia vero *carnis licentia*. Gal. 5, v. 13: *Vos in libertatem vocati estis, tantumve libertatem in occasionem detis carni.* 1. Petr. 2, v. 15: *Haec est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis hominum imprudentium ignorantiam;* v. 16: *quasi liberi et non quasi velamen habentes malitiae libertatem, sed sicut servi Dei. Libertas evangelica est libertas conscientiae, qua solvitur conscientia ab operibus, non ut nulla fiant, sed ut in nulla confidat*, quae sunt verba Lutheri in libro de votis monasticis. Fides in Christum liberat nos a legis maledictione, nequaquam vero ab obedientia Deo praestanda. Eadem fides in Christum liberat nos a legis carcere, non ut mala faciamus, sed ut bonum illud, ad quod nos lex cogebat, libere faciamus, hoc est sponte, cum gaudio et delectatione quadam. Illud Lutherus in explicatione epistolae dominicalis Galat. 4. *sub lege conclusi custodiebamur* etc. elegantissima similitudine declarat: *Qui in carcere est* (inquit) *duobus modis liberari potest, primo si carcere effracto corporaliter quis liberetur, ut, quo libeat, pergat; secundo si carcerem quis ita ornaret et delectabilem redderet mentemque et animum tibi mutaret, ut nolles egredi, sed optares ibi manere non tanquam in carcere, sed tanquam in paradiso; ita Christus spiritualiter nos a lege liberavit, non frangendo aut tollendo legem, sed cor nostrum mutat et legem ita delectabilem facit, ut cum gaudio et delectatione novus homo in ea exerceatur* etc. Huc pertinet distinctio Augustini inter opera legis et opera gratiae, inter id quod fit timore poenae serviliter, et inter id quod fit amore justitiae liberaliter; inter id quod lex operum minando imperat, et inter id quod lex fidei credendo impetrat, vide

librum de spiritu et gratia, de natura N. T., libros contra duas epistolas Pelagianorum atque alia Pelagianis opposita. Alia ergo quaestio est, an perfecta legis impletio ad justificationem et salutem credentibus sit necessaria, ubi ostendit doctrina de libertate Christiana, nos per Christum a maledicto legis liberatos esse; alia rursus quaestio est, an renati a maledicto legis liberati Deo juxta normam legis obedire ac servire teneantur. Vicissim alia quaestio est, quomodo fieri debeant bona opera, videlicet non coacte, non invito animo, non timore poenae, sed libero et spontaneo spiritu; alia rursus quaestio est, an sint facienda bona opera, an sit adiaphorum atque arbitrarium bona opera fieri. Denique alia quaestio de libertate renatorum in adiaphoris, quae non habent expressum mandatum, ideoque bona conscientia extra casum scandali fieri vel omitti possunt; alia rursus quaestio de libertate in operibus moralibus divinitus mandatis.

An bonorum operum necessitas in nostris ecclesiis negetur.

31. Hisce ordine expositis videamus, quid de necessitate bonorum operum Bellarminus statuat. Is lib. 4. de justif. c. 1. probare conatur, nos operum necessitatem negare, quod ut suis persuadeat, quinque argumentorum classes producit, quas antequam excutiamus, monemus, calumniam hanc 1. *esse in-*
VIII. 24. *veteratam*, cum enim apostolus Paulus itidem doceret, fide absque operibus legis hominem coram Deo justificari, gravabatur ista calumnia, quod *legem destrueret per fidem*, Rom. 3, v. 30. quod *doceret, facienda esse mala, ut eveniant bona*, v. 8. Illorum calumniatorum *βλασφημούντων* (ut apostolus loquitur) proterviam imitatur Bellarminus, post tot solennes ac publicas Augustanae confessionis, Lutheri, Chemnicii atque aliorum protestationes, non erubescens hanc sententiam nobis tribuere. ** Gregorius etiam de Valentia in anal. p. 213: *Apud Lutheranos ita omnia comparata, ut in eorum religionis ratione vix aliquod Christianae disciplinae signum reliquum sit, quo eos ab ethnicis nulla veri Dei cognitione imbutis discernere queas.* Stapletonus promt. moral. p. 318. Dom. sept.: *Apud horum temporum haereticos* (Lutheranos) *omnis pietas, justitia, virtus, timor Dei, religio non exsulat tantum et jacet, verum etiam exploditur et irridetur. Quod enim de gentibus nullam futurae gloriae spem habentibus Paulus scribit, hoc illis accidit, desperantes semet ipsos tradiderunt impudicitiae* etc. Caspar Ulenberg. de causis apost. c. 5. Lessius consid. 1. p. 18. vocant nos *opericidas.*** *2. Esse mendacissimam.* Docemus enim, fidem illam, qua justificamur, esse efficacem per caritatem et cum studio bonorum operum perpetuo conjunctam; docemus, justificatis et renatis nullam dari a Deo peccandi licentiam, sed hanc esse immotam Dei voluntatem, ut ipsi serviamus in operibus bonis. Docemus et urgemus legem, repetimus promissiones et comminationes, item exempla praemiorum et poenarum in Scripturis proposita, quibus homines excitamus, hortamur, invitamus adeoque impellimus ad bona opera, proponimus auditoribus nostris causas longe gravissimas, propter quas studium bonorum sit necessarium. ** Wellerus in epistol. nuncupat. ad Albertum ducem Megapol.: *Malim concionatores prope plus operae in admonendis ac reprehendendis securis quam in consolandis afflictis sumere. Semper enim major pars auditorum sunt homines securi et profani, illorum vero, qui sensu peccati et irae Dei ac terroribus inferni et mortis vexantur exiguus est coetus.*** Magistratum officii sui commonemus in puniendis delictis contra legem divinam commissis etc. *3. Ipsis auctoribus hujus calumniae falsitatem non esse ignotam. Quicquid sit*, scribit hoc loco Bellarminus, *de modis loquendi* (Luthero, Philippo, Brentio, Chemnicio) *usitatis, cum excutiuntur ipsorum principia et pleraque dicta et scripta Lutheri, videntur omnino existimare, posse hominem salvari, etiamsi nulla bona opera faciat, nec mandata divina custodiat.* Videntur (inquit), nimirum illis, qui recte dicta malitiose pervertunt; ipsi enim Bellarmino constat, quod necessitatem operum urgeamus; *dissentimus* (scribit lib. 1. de justific. c. 3.) *quod ipsi fidem, quam dicunt solam justificare, docent nunquam esse posse solam.* lib. 3. c. 6: *Adversarii, tametsi dicant, remissionem non pendere a conditione operum neque poenitentiam aut fidem aut ullum actum nostrum esse causam aut meritum justificationis, tamen non negant, requiri fidem et poenitentiam et fidem vivam et poenitentiam seriam, et sine his neminem justificari.* lib. 4. c. 1: *Dicent fortasse, mala opera non posse cum fide consistere, quia qui habet propositum peccandi, non potest concipere fiduciam remissionis peccatorum, et ideo vera fides semper est cum caritate conjuncta.* lib. 4. de justif. c. 5: *Videtur Lutherus docere, libertatem Christianam in eo consistere, quod pia conscientia libera sit ab omnibus operibus non faciendis, sed accusantibus et defendentibus.* ** libro 4. de justif. c. 1. art. 2: *Augustana confessio, Philippus, Brentius, Chemnicius, Calvinus et ipse etiam Lutherus docent, bona opera esse facienda.*** Haec omnia Bellarminus quod et alii ante eum. Toletus in comm. Joh. 13: *Protestantes docent quidem, fidem ad salutem sufficere, negant tamen, fidem illam sine operibus esse posse.* Vega lib. 15. de justif. c. 5: *Justificationem et sanctificationem tam conjunctas tamque cohaerentes esse asseverant, ut non possit alterum ab altero divelli.* Maldonat. in c. 3. Joh.: *Dicunt, fidem justificantem non posse esse sine bonis operibus.* Staplet. 9. de justif. c. 7: *Protestantes ad unum omnes dicunt, fidem, quae justificat, et vivam et operantem per caritatem aliaque opera.* **Idem
in Antidot. Rom. 1, v. 17: *Non enim justificat, imo* VIII. 25.
*ne fides quidem est, juxta Bezae verba, quae bonis operibus caret.*** Gregorius de Valentia tom. 2. disp. 7. q. 6. p. 991. refert, *Lutherum contra Antinomos aperte disputasse, quod Christianis bona opera sint necessaria.* ** Sic quoque Reihing. fund. 8. p. 197: *Plerique Lutherani bona opera ad salutem necessaria esse asserunt.***

[...]icta [L]utheri, [q]uibus [n]egare videtur bonorum operum necessitatem.

32. Sed audiamus argumenta, quibus colorem quendam calumniae suae Bellarminus obducit. Primum profert quaedam dicta Lutheri, de quibus in genere monemus 1. quod in scriptis Lutheri plus centies occurrat non solum res ipsa, quod bona opera necessaria sint, sed etiam modus loquendi, videlicet ipsum vocabulum necessitatis, quodque distinctas causarum classes constituat, propter quas bona opera sint facienda; contra hanc perpetuam et manifestam Lutheri sententiam non debent dicta quaedam obscuriora torqueri. 2. Quod dicta Lutheri, in quibus explicat quaestionem illam, quomodo fieri possint et qualia debeant esse renatorum opera, non debeant detorqueri ad convellendam receptam et manifestam ipsius sententiam de debito seu necessitate novae obedientiae renatorum. Coacervatione illa sententiarum Lutheri, quae priorem quaestionem explicant (verba sunt Chemnicii part. 3. locorum p. 72.), multi ex lectoribus perturbantur, id quod lectori minus exercitato in grandi illo dicendi genere, quo Lutherus utitur, tunc facile potest contingere, quando non observatur regula Hilarii, ut ex causis dicendi dictorum intelligentia sumatur. 3. Quod aliud sit opera ab actu justificationis excludere, aliud vero ab ipsis justificatis eadem relegare. 4. Quod de vero ac genuino dictorum sensu non ex *locis* truncatim citatis, sed ex serie et cohaerentia integri contextus, ex occasione et scopo dicentis et ex aliorum locorum collatione judicandum sit, alias nihil tam *bene* et commode dictum erit, quod non male intelligendo depravari possit. 5. Quod pleraque Lutheri dicta, quae Bellarminus hoc loco allegat, scripta sint in lingua Germanica Bellarmino procul dubio ignota, aliorum igitur allegationibus, vel potius detorsionibus fidem habuit. 6. Quod aliud sit absolute et simpliciter quaerere, an bona opera sint necessaria, aliud vero determinate et cum hoc προδιωρισμῷ quaerere, an sint necessaria ad justificationem et salutem, quas duas quaestiones distinctas Bellarminus confundit. Ab est tertii adjecti ad est secundi adjecti negative non licet argumentari.

33. Age vero in specie examinemus Lutheri dicta, quae eo detorquet Bellarminus, quod bona opera tuto omitti possint ideoque non sint necessaria. 1. Lutherus in libro de libertate Christiana scribit: *Bona opera non faciunt bonum virum, nec malum mala. At si bona opera non faciunt bonum hominem, quare non possunt omitti?* Respondemus: Lutherus loquitur de viro non civiliter, politice et coram hominibus, sed spiritualiter, theologice et coram Deo bono, ubi distinguit causam et effectum ac verum ordinem rerum monstrat. Bona opera non faciunt bonum, sed ostendunt; oportet enim personam prius Deo fide reconciliari, antequam bona opera Deo grata faciat, cum *quicquid non fit ex fide, sit peccatum*, Rom. 14, v. ult. Idem sibi vult Lutherus, quod Augustinus, quando scribit: *bona opera non praecedunt justificandum* (non faciunt bonum aut justum coram Deo), *sed sequuntur justificatum*, lib. de fide et operibus c. 14. **Idem docuit Augustinus serm. 12. de verb. Domini secundum Matth. tom. 10. p. 37: *Prius est mutandus homo, ut opera mutentur. Si enim manet homo in eo, quod malus est, bona opera habere non potest. Si manet in eo, quod bonus est, mala opera habere non potest.*** Quemadmodum fructus boni non faciunt arborem bonam, sed sunt effectus arboris bonae, quam bonam esse testantur, ita quoque bona opera non faciunt hominem bonum et justum, sed ipsum justificatum esse testantur. 1. Joh. 3, v. 7: *Qui facit justitiam, justus est.* Jac. 2, v. 21: *Abraham ex operibus justificatus est*, hoc est *justus declaratus*, ut Thomas et Glossa recte exponunt. Bona opera sunt fructus poenitentiae et fidei; atqui fide coram Deo justificamur; ergo quando homo facit bona opera, jamdum est Deo per fidem reconciliatus ac justificatus. Quid quod ipse Bellarminus concedere cogitur etiam juxta proprias suas hypotheses quoad primam justificationem, quam in infusione inhaerentis justitiae constituit, bona opera non facere justum, sed justificationem sequi, disputat enim lib. 2. de justific. c. 15. *justitiam, qua formaliter justificamur, non esse actualem, sed habitualem.* At esto, inquis, bona opera non facere justum, tamen mala facient malum. Respondemus: non negat Lutherus, sed potius contra Anabaptistas diserte statuit, malis operibus sine peccatis contra conscientiam amitti fidem, eo igitur sensu non debet accipi dictum, quasi mala opera (hoc est peccata contra conscientiam) cum fide salvifica consistant, sed quod mala opera itidem testentur, fidem ex corde amissam esse, quamdiu enim lux fidei salvificae in corde splendet, opera tenebrarum non habent locum. Sic ergo bona opera proprie et accurate loquendo non faciunt malum, sed testantur, hominem esse malum vel per connatam malitiam, cujus sunt fructus mali, vel propter amissam fidem ac deperditam Spiritus sancti inhabitationem.

(Margin: [B]ona [o]pera [non faciunt] bonum virum. — VIII. 26.)

Nullum bonum opus infideli prodest ad justitiam.

34. 2. Lutherus ibidem scribit: *Ut nullum bonum opus infideli prodest ad justitiam et salutem; sic e diverso nullum malum opus facit malum et damnatum, sed sola incredulitas.* Respondemus: recte haec dicuntur, modo non calumniose depraventur. Infideli nullum bonum opus prodesse potest ad salutem et justitiam, nimirum quia ne quidem agere potest vere bonum opus, cum *quicquid non est ex fide, sit peccatum*, Rom. 14, v. ult. cum *absque fide impossibile sit Deo placere*, Hebr. 11, v. 6. quanto magis impossibile fuerit sine fide esse coram Deo justum et salutis participem. Malum opus non facit malum et damnatum, sed sola incredulitas, intellige immediate et formaliter. Christus est propitiatio pro totius mundi peccatis, in hunc qui credit, justificatur, hoc est remissionem peccatorum consequitur. Ergo a contrario sensu causa damnationis immediata, propria et adaequata non sunt peccata (alias omnes damnarentur, cum in omnibus sint peccata), sed incredulitas, per quam abundantissimum illud Christi meritum repellitur; hinc Scriptura notanter dicit Joh. 3, v. 18: *Qui non*

credit in Filium, eum jam judicatum esse, quia non credit in nomen unigeniti Filii Dei; v. 36: *qui incredulus est filio, eum non habere vitam aeternam, sed iram Dei manere super ipsum.* Joh. 16, v. 9: *Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quia non credunt in Christum*, nimirum quia hoc peccatum est omnium maximum et est causa, propter quam reliqua peccata non dimittuntur, *eo manente manent etiam reliqua*, ut Augustinus in illum locum commentatur. Quemadmodum igitur fides, Christi justitiam apprehendens, est unicum illud medium, per quod a peccatis liberamur et salutis aeternae participes reddimur; ita incredulitas sola damnat, hoc est repellit Christum et una cum Christo vitam aeternam, quae non nisi in Christo nobis offertur. Neque tamen ex eo inferendum, ut Bellarminus facit, bona opera tuto omitti ac mala opera tuto committi posse. Quamvis enim sola fides in Christo justitiam et salutem apprehendat, eadem tamen fides est efficax per bona opera, est victrix mundi, carnis ac diaboli; contra vero per peccatum contra conscientiam fides amittitur, Spiritus sanctus excutitur et hereditas vitae aeternae deperditur. Proinde quod nullum malum opus, sed sola incredulitas damnare dicitur, id intelligendum est de immediata et (ut ita loquar) formali causa damnationis; certum interim est, in classe causae meritoriae mala opera omnino damnare; quemadmodum de eo, qui in captivitate Turcica detentus oblatam redemtionem repudiat, recte pronuntiatur, quod unica
VIII. 27. captivitatis ulterioris causa sit oblati τοῦ λύτρου contemtus, interim non negatur, aliis ex causis in captivitatem incidisse, vel etiam semel liberatum denuo in eam redigi posse. Adde, quod infidelitas sit fecundissima mater omnis generis peccatorum, quando ergo matri tribuitur damnatio, non excluditur soboles, sed includitur, tanquam individua comes matris; infidelitati tamen seorsim et nominatim hic perniciosissimus effectus adscribitur, quia reliqua peccata damnare non possent, nisi cum infidelitate essent conjuncta, ut haec declarat D. Balduin. in disput. de necess. bonor. operum th. 58.

Ubi fides est, nullum peccatum nocere potest.

35. 3. Lutherus in serm. Sic Deus dilexit mundum, scribit: *Ubi fides est, nullum peccatum nocere potest. Si peccatum non potest nocere, secure igitur erit ei indulgendum.* Respondemus: intelligendum, hoc est 1. de peccatis antegressis, quorum Deus non vult recordari amplius, si vera fide ad ipsum convertamur. 2. De peccato in carne adhuc habitante, perinde ut apostolus, postquam conquestus fuerat de illo peccato Rom. 7. subjungit c. 8, v. 1: *Nulla damnatio est his, qui sunt in Christo Jesu.* 3. De peccatis infirmitatis, venialibus, non regnantibus, quorum quotidiana remissio contingit per fidem. Intelligendum etiam hoc est de credentibus in ipso justificationis statu, quatenus peccatum in carne adhuc habitans, et infirmitates renatorum teguntur perfectissima Christi justitia, Psalm. 32, v. 1. extra illum statum omnino nocent peccata etiam venialia, inquinant enim inchoatam renatorum obedientiam, quominus sit omnibus numeris perfecta et munda. Nequaquam vero de peccatis regnantibus ac conscientiam vastantibus id intellectum voluit Lutherus, ea enim cum fide nequeunt consistere, ideo ubi ea sunt, ibi non est fides. Fons calumniae ortus est ex eo, quod Bellarminus nullam aliam agnoscit fidem, quam quae historica notitia et assensu definitur, unde concil. Trident. sess. 6. c. 15. *fideles fornicarios, fideles adulteros, fideles masculorum concubitores* etc. agnoscit, sed ostendimus suo loco, cum vera illa et justificante fide, quam Spiritus sanctus commendat, peccata contra conscientiam nequaquam consistere.

Homo baptizatus etiam volens non potest perdere salutem, nisi nolit credere.

36. 4. Lutherus in lib. de capt. Babyl. cap. de baptismo scribit: *Vides, quam dives sit Christianus homo, vel baptizatus, ut etiam volens non possit perdere salutem suam quantiscunque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata possunt eum damnare nisi sola incredulitas. Ergo statuit bona opera tuto omitti posse.* Respondemus: propositionem illam, quod sola incredulitas damnet, mutuatus est Lutherus ex Scriptura sacra, in qua hominum incredulitas ut plurimum allegatur, tanquam causa damnationis Joh. 3, v. 16. et 36. c. 16, v. 9. Marc. 16, v. 16. neque tamen peccata reliqua pro adiaphoris haberi, vel citra damnationis periculum perpetrari posse voluit, sed inter causas damnationis dextre discernere. Mala opera damnant in ordine causae efficientis meritoriae, sola incredulitas damnat in ordine causae (ut sic loquar) formalis, immediatae atque proximae, quae nisi adesset, peccata reliqua, pro quibus omnibus Christus satisfecit, non damnarent. Declarat hanc suam sententiam ipsemet Lutherus satis perspicue in libro contra regem Angliae tom. 2. Jenens. German. fol. 144: *Qui credit, non potest adulterium, vel aliud peccatum committere, quemadmodum Johannes ait, nam verbum Dei, a quo dependet, est omnipotens Dei virtus, quae sustentat ipsum, ne cadat. Si vero labitur et peccat* (mortaliter et contra conscientiam), *jam certo fides est deperdita et infidelitas successit. Ubi autem infidelitas est, ibi et fructus ejus, adulterium, homicidium, odium etc. Ergo priusquam externa peccata perpetrantur, jam capitale peccatum, infidelitas, adest. Verissimum itaque est, nihil peccatum esse quam infidelitatem, ea et peccatum est et peccatum facit. Et si infidelitas ab odio vel alio peccato separari posset, certe odium peccatum non esset. Quemadmodum ergo sola fides justitia nostra est et justa operatur; ita infidelitas solum peccatum est.* Vide etiam tom. 7. fol. 185. b.
At, inquis, Lutherus tamen disertis verbis scribit, VIII. 28.
quod baptizatus etiam volens non possit perdere salutem quantiscunque peccatis, nisi nolit credere. Ergo etiam voluntaria peccata cum fide consistere posse statuit. Respondemus: calumniam hanc Tridentinam jamdudum protrivit Dn. Chemnicius part. 2. examinis de baptismo can. 6, p. 75. ubi monet, 1. Lutherum eo ipso in loco diserte affirmare, quod baptizati per peccata conscientiam vastantia deserant

promissionem gratiae baptismi, a fide et veritate ejus deficiant atque ex virtute et fide baptismi excidant, nequaquam igitur privilegium turpitudinis ac impunitatem scelerum baptizatis concedit. 2. Lutherum ibidem insectari errorem Pontificium, quod per peccata post baptismum commissa ipsa navis baptismi illidatur et in tabulas dissolvatur, hoc est quod vis et gratia baptismi prorsus fiat irrita, ita ut per poenitentiam ac fidem non pateat ad eam reditus, sed quaerenda sit alia tabula nostrae scilicet contritionis ac satisfactionis, cujus virtute ad portum salutis provehamur. Ex hoc igitur scopo de verbis Lutheri judicandum. 3. Fallaciam esse in vocabulo amissionis gratiae baptismi. Certum est ex Dei verbo, quod nec Lutherus ibidem negat, per peccata contra conscientiam amitti gratiam baptismi, atqui non amittitur ea ratione, ut per poenitentiam et fidem non pateat iterum ad eam reditus. Peccatis contra conscientiam amittitur omnino salus et gratia in baptismo credentibus collata, sed si egerint veram poenitentiam ac fide promissionem foederalem, quae in baptismo ipsis facta est, receperint, salus et gratia in ipsis iterum instauratur.

Cavendum esse a bonis operibus. 37. 5. Lutherus in comm. c. 2. Gal. scribit: *Quando sic docetur, fides in Christum justificat quidem, sed simul servari oportet mandata Dei, quia scriptum est, si vis ad vitam ingredi, serva mandata, ibi statim Christus negatus est et fides abolita, quia mandatis seu legi tribuitur, quod est solius Dei.* In serm. de missa: *Caveamus a peccatis, sed multo magis a legibus et operibus bonis, tantum attendamus Dei promissionem et fidem. Ergo statuit, non esse facienda bona opera.* Respondemus: aliud est ab actu justificationis opera et observationem legis excludere, aliud ex justificatis eadem exterminare. Constans et perpetua Lutheri (imo ipsius Scripturae) sententia haec est, fide absque operibus hominem justificari, ideoque actum justificationis non ingredi opera, interim tamen illis, qui per fidem justificati sunt ac Deo reconciliati, proponendam esse doctrinam mandatorum Dei, ut in illis ambulent. Negat Lutherus, ab observatione mandatorum Dei justificationem dependere, et recte hoc negat; si enim ab observatione legis justificatio penderet, nullus hominum justificaretur, cum nemo perfecte legem impleat; nequaquam vero negat, observationem mandatorum Dei justificatis necessariam esse. Hanc suam sententiam clarissime exponit Lutherus in lib. de votis monasticis et alibi passim. *Opera legis divinae* (inquit) *in decalogo mandata non justificant, nec sunt necessaria ad justitiam et salutem, cum Paulus dicat: ex operibus legis non justificabitur omnis caro, tamen necessaria sunt dicente Christo: si vis ingredi ad vitam, serva mandata, neque enim omitti possunt etiam praesente fide, quae sola justificat, cum sint fructus fidei justificantis.* In c. 5. Gal.: *Difficile est et periculosum docere, nos fide justificari sine operibus, et tamen simul exigere opera; hic nisi sunt prudentes dispensatores mysteriorum Dei, qui recte secant verbum veritatis, statim fides et opera confunduntur. Uterque locus et fidei et operum diligenter doceri et urgeri debet, sic tamen, ut uterque intra suos limites maneat, alioqui si opera sola docentur, ut in papatu accidit, fides amittitur; si fides sola docetur, statim somniant carnales homines, opera non esse necessaria.* Ibidem diserte scribit, *extra causam justificationis neminem posse vere bona opera satis magnifice commendare.* Ex quo etiam manifeste intelligitur, quando cavendum a legibus et bonis operibus Lutherus scribit, id comparate habito scilicet respectu ad ipsum justificationis actum, nequaquam vero absolute intelligendum esse. Cavenda sunt opera non simpliciter, ut negligantur, sed certo respectu, ne justificationis meritum illis tribuatur. Sic Lutherus ipse in c. 5. Gal. distinguit *inter opus* VIII. 29. *per se*, quod sine opinione justitiae nihil obsit, et *fiduciam ac justitiam operi* adjectam.

38. 6. Lutherus in sermone: Sic Deus dilexit mundum etc. sic scribit: *Ego dico tibi, quia angusta est via, oportet te fieri tenuem, si vis per eam venire. Ceterum qui operibus onerati sunt, sicut conchylibus onustos videmus Jacobi peregrinos, ii non poterunt penetrare.* Et infra: *Si veneris cum magnis saccis operum plenis, deponere oportebit, alioqui non poteris penetrare. Ergo excludit bonorum operum studium.* Respondemus: non operum praesentiam, sed fiduciam excludit, ut ex serie contextus est manifestissimum. Ipsa vox oneris et sacci de operibus usurpata manifeste indicat, haec verba opposita esse hypocriticae ac pharisaicae opinioni de copia, perfectione et merito bonorum operum, quasi possimus plenos saccos operum ad Dei tribunal afferre, cum tamen peccata nostra incomparabiliter plura sint quam bona opera; quasi opera nostra sint perfecta et meritoria, cum tamen multis modis imperfecta sint, nec rigorem legis ac justitiae divinae ferre possint. Atque haec dicta sint de prima argumentorum classe, videlicet de quibusdam pronuntiatis Lutheri, quae contra operum necessitatem a Bellarmino torquentur; cui notum esse debebat illud ejusdem, contra quem scribit: *Sceleratum est, cum noveris, pium et sanum esse alicujus sensum, ex verbis incommode dictis statuere errorem.* **Pazmanus lib. 3. hodegi adducit aliud dictum Lutheri tom. 2. Lat. Witeb. in script. contra Latom. fol. 254. ubi scribit, *fortiores esse cogitationes malas piorum quam impiorum, non tamen polluere, non damnare, quia licet utrobique idem sit peccatum, pii tamen antidotum habent, illi non habent.* Respondemus: nihil hic impietatis. Verissimum enim est, quod pii a diabolo fortius instigentur ad peccandum quam impii, qui jam a diabolo plene captivi sponte ruunt a peccato uno in aliud. Pii vero cogitationibus tantum malis, quas tamen in actum non ducunt, tentantur. Sed quo minus hae malae cogitationes eos damnent, duo providit eis Deus *robustissima munitissimaque firmamenta,* ut Lutherus in eodem lib. contra Latomum loquitur tom. 2. Latin. Jenens. f. 406. *primum ipsum Chri-*

Operibus onusti non intrant per angustam portam.

stum propitiatorium, ut sub hujus gratia tuti sint, non quia credunt et fidem aut donum habent, sed quia in gratia Christi habent. Nullius enim fides subsisteret, nisi in Christi propria justitia niteretur et illius protectione servaretur etc. *Alterum est, quod dono accepto non ambulant secundum carnem nec obediunt peccato* etc., *sed prius illud principale et robustissimum est.* Haec Lutherus.**

39. Alterum argumentum Bellarmini, quo probet, necessitatem bonorum operum a nobis negari, petit ex dogmate illo Lutheri in assertat. art. 31. 32. et 36. quod *bona opera justorum ex sua natura sint peccata mortalia.* Argumentum tale est. *Peccata mortalia non sunt facienda. Bona opera justorum sunt ex natura sua peccata mortalia. Ergo bona opera non sunt facienda.* Respondemus: 1. **Lutherus hoc non asserit simpliciter, sed certo respectu, sic enim habent verba art. 32: *Omne bonum opus etiam optime factum est mortale peccatum in rigido Dei judicio consideratum.* art. 35: *Nemo dubitet, omnia nostra bona opera esse peccata mortalia, si secundum rigorem judicii divini aestimentur et non ex mera Dei gratia pro bonis aestimentur.* Gregor. in c. 9. Joh. iisdem verbis utitur: *Sanctus Iob videbat, omnia nostra bona opera esse mera peccata, si judicantur a Deo, ideo dicit, si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille.* Idem dicit Augustinus lib. 9. conf. c. 13: *Vae etiam laudabili vitae hominum, si remota misericordia discutias eam.*** Bellarminus igitur mani-

Bona opera an sint peccata mortalia.

festum crimen falsi committit, quia de suo addit, quod bona opera sint *ex natura sua mortalia* peccata, quod non exstat apud Lutherum, sic enim loquitur art. 31: *In omni opere justus peccat.* art. 32: *opus bonum optime factum est mortale peccatum secundum judicium Dei.* art. 36: *justus in bono*

VIII. 30. *opere peccat mortaliter.* 2. Ambiguitas est in voce *mortale;* ostendimus suo loco in tractat. de pecc. actual. §. 90. et seqq. quamvis omnia peccata, si in se et ex se considerentur, sint mortalia, hoc est mortifera et damnationis reum constituentia, quaedam tamen dici venialia ac quaedam tantum mortalia, idque fieri non propter naturam peccatorum, sed propter misericordiam Patris, meritum Filii, et sanctificationem Spiritus, ac proinde hanc divisionem non respicere omnes homines in genere, sed tantum renatos. Eorum enim respectu illud in specie dicitur mortale peccatum, quod fit contra conscientiam, quam vastat, ut loquitur Augustinus 11. de civ. Dei c. 12. quod excutit fidem et Spiritus s. gratiam, alias vocatur *peccatum regnans* ac distinguitur a veniali seu non regnante, in quo lucta est spiritus contra carnem, qui hanc tandem vincit ac deprimit; unde licet per se et sua natura esset mortale, tamen propter Christum, quem fides apprehendit, non imputatur, cum *nulla sit condemnatio in his, qui sunt in Christo Jesu,* Rom. 8, v. 1. Inde jam intelligitur vitium argumenti. Major loquitur de peccatis per se, absolute et simpliciter sic dictis; minor accipienda est *κατά τι.* Bona opera justorum nequaquam dicuntur a nobis formaliter et sua natura peccata, multo minus peccata mortalia (cum ne quidem omnia peccata renatorum dicantur mortalia, sed quaedam tantum, scilicet vastantia conscientiam, qua fronte audet nobis Bellarminus tribuere, quod statuamus, omnia renatorum bona opera esse peccata mortalia?), sed dicimus, bona opera renatorum secundum quid et certo quodam respectu esse peccata, quatenus scilicet sunt adhuc imperfecta et quatenus a reliquiis peccati in carne adhuc haerentibus contaminantur, unde non possent rigorem legis et justitiae divinae sustinere, si districto Dei judicio remota misericordia examinanda essent, sed quia haec imperfectio et immundities bonorum operum tegitur Christi merito, ideo coelesti parenti obedientia renatorum, quamvis adhuc imperfecta sit et peccatis contaminata, probatur. Ergo bona opera renatorum ratione imperfectionis et immunditiei extra fidem consideratae sunt peccata, hoc est peccatis contaminata, nec satisfaciunt rigori legis divinae, quin etiam fiunt peccata mortalia, si fiducia justitiae coram Deo valentis et opinio meriti illis affingatur, quae omnia clariora erunt ex seqq. ubi de perfectione bonorum operum disputabitur. *Quid meum articulum damnant* (ait Lutherus in eo ipso, quem Bellarminus allegat, loco), *damnent illud Esa. 64.: Et facti sumus ut immundi omnes nos et quasi pannus mulieris menstruatae universae justitiae nostrae.* Et illud Eccl. 7: *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum et non peccet. Obsecro, qui universas nostras justitias immundas dicit, nonne omne opus bonum peccato pollutum asserit? Damnent et illud Psalm. 143: Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Deus enim justus judex bonum opus damnare non potest; cum autem hic dicat, non justificari ullum viventem, etiam servum Dei, planum est, nullum opus bonum posse judicium Dei sustinere, quare nec plene bonum est*

40. Regerit Bellarminus: *Si bona opera sunt peccata mortalia et tamen propter fidem non imputantur, certe etiam poterunt mala opera propter fidem non imputari ac per hoc non nocere, neque erit causa, cur vitentur.* Respondemus: sicut quaedam peccata sunt venialia, quaedam mortalia; ita quoque mala opera quaedam sunt peccata infirmitatis, lapsus humani, quotidiana debita; quaedam vero sunt peccata conscientiam vastantia. Si de priori malorum operum genere Bellarminus loquitur (quo sensu lib. 4. de justif. c. 10. circa fin. malorum operum appellatione utitur), concedimus, fide in Christum remissionem eorum renatis quotidie contingere ac per hoc, quod ad justificationem et salutem attinet, eis non nocere. Si vero de posteriori malorum operum genere agit (quo sensu Scriptura malorum operum appellatione utitur), nequaquam concedimus, propter fidem ea non imputari ac per hoc non nocere nec esse causam, cur vitentur, si-

Exceptiones Bellarmini.

quidem ejusmodi mala opera non consistunt cum fide, ergo oppositum in adjecto est dicere, quod propter fidem non imputentur. Lutherus in art. VIII. 31. Schmalcald.: *Necesse est scire et docere, quando sancti labuntur in manifesta peccata, ut David, quod tunc amissa fuit fides et amissus Spiritus sanctus, nam Spiritus sanctus non permittit peccatum dominari, ut perficiatur, sed repugnat, quando vero peccatum facit quod vult, tunc non adsunt Spiritus s. et fides.* Bellarminus regerit: *Si mala opera non possent cum fide consistere, etiam bona opera non possent cum fide consistere. Nam opera bona (ex ipsorum sententia) non sunt bona, nisi in nomine et secundum quid, re ipsa vero et simpliciter sunt peccata mortalia.* Respondemus: calumniatorem agit Bellarminus non disputatorem. Quis enim unquam ex nostris docuit, bona opera tantum nomine et secundum quid esse talia, re ipsa vero et simpliciter peccata mortalia? Contrarium prorsus dicimus, bona opera in se ac per se, revera ac simpliciter juxta omnes causas considerata, esse bona, (fiunt enim a persona Deo reconciliata, proficiscuntur ex fide, sunt fructus Spiritus, fiunt juxta praescriptum legis et ad gloriam Dei ac salutem proximi diriguntur), sed ex accidenti et secundum quid sunt peccata, hoc est peccati reliquiis in carne renatorum adhuc haerentibus contaminantur nec perfectissimum legis rigorem assequuntur; fiunt etiam peccata, quando opinio meriti accedit. Exspirant ergo infames illae consequentiae, quas ex hac falsissima hypothesi Bellarminus texit: *Qui habet* (inquit) *propositum faciendi eleemosynam, quoniam scit, se hoc non posse facere nisi peccando mortaliter, habet propositum peccandi mortaliter; atqui hoc propositum cum fide consistit, imo propter fidem non reputatur peccatum. Igitur eodem modo, qui habet propositum furandi, poterit simul habere fidem et propter eam fidem furtum non reputabitur ad peccatum.* Respondemus: turpissime confunduntur ea, quae per se et quae ex accidenti de aliqua re praedicantur. Bona opera in se ac per se, quoad substantiam actus et quoad causas suas bona sunt et legi Dei conformia, tantum ex accidenti ratione imperfectionis et adhaerentis immunditiei (quae tamen fide in Christum tegitur) sunt peccata, vel potius peccatis contaminata; mala in se ac per se quoad substantiam actus et quoad causas suas mala sunt et legi divinae adversantur. Ergo qui habet propositum faciendi eleemosynam, non habet propositum peccandi mortaliter, sicut is qui habet propositum furandi, sed habet boni operis propositum, quod peccato mortali e diametro et formaliter est oppositum; ex accidenti demum contingit, quod propter imperfectionem dilectionis et adhaerentes carnis reliquias in illo bono opere peccetur; mutatur igitur in argumento Bellarmini *quid* in *quale*, confunditur id, quod rei per se convenit et quod per accidens ei adhaeret. Porro quod hoc loco Bellarminus asserit, propositum mortaliter peccandi cum fide consistere, id suae fidei hominibus occinat, illi enim ex decreto concilii Tridentini *fideles scortatores, fideles adulteros, fideles masculorum concubitores* etc. agnoscunt, hoc est veram fidem cum enormibus illis flagitiis ipsi naturae repugnantibus subsistere docent, nos aliam esse verae fidei proprietatem ex Scripturis novimus.

41. Tertium argumentum petitur ex discrimine legis et evangelii, quod in nostris ecclesiis traditur. *Si evangelium nullam requirit conditionem obedientiae, sed est sola fide contentum, certe qui nihil boni facit, consentanee ad evangelium vivet.* Respondemus: de hoc argumento late egimus in tract. de evangel. §. 27. Quamvis evangelium proprie sic dictum sit promissio gratiae, non autem doctrina operum, ex eo tamen haudquaquam sequitur, quod consentanee evangelio vivat, qui nihil boni facit. Etsi enim fides (promissionis evangelicae correlatum) in actu justificationis unice respiciat Christum; ea tamen fidei proprietas est, quod se exserat per bona opera: duplicem ergo habet *ἐνέργειαν;* unam, qua in evangelio intuetur et apprehendit Christum cum omnibus suis beneficiis; alteram, qua se per bona opera, quorum norma in lege proponitur, officiosam praebet, prior actus fidei evangelicus est, posterior legalis. Proinde quando quaeritur, quis consentanee evangelio vivat, ibi non de modo justificationis quaeritur, sed de vita et moribus hominis per fidem in Christum justificati, ubi is consentanee VIII. 32. evangelio vivere dicitur, qui oblatam in evangelio gratiam amplexus omnis generis bonis operibus gratum et obsequentem Deo sese praestat. Philipp. 1, v. 27: *Tantum digne evangelio conversemini, ut audiant de vobis, quia statis in uno spiritu unanimes collaborantes fidei evangelii*, qua de re plura dicto loco.

Si evangelium non requirit conditionem obedientiae, bona opera non erunt necessaria.

42. Quartum argumentum ducit ex doctrina de libertate Christiana. *Si fides sola necessaria est, ut simus justi, cetera omnia liberrima, neque praecepta amplius neque prohibita; si nihil nobis cum lege, quia libertatem habemus; si summa ars et sapientia Christiana est nescire legem, ignorare opera et totam justitiam activam; denique si nullo opere, nulla lege homini Christiano opus est, cum per fidem liber sit ab omni lege; consequens fuerit, bona opera non esse necessaria. At prius scribit Lutherus in cap. 2. Galat. et in libr. de libert. Christ. et communiter docetur in Protestantium ecclesiis. Ergo et concedi oportet posterius.* Respondemus: liberatio a rigore, exactione et damnatione legis in articulo justificationis nequaquam infert libertatem ab obedientia legi praestanda in justificatis. Libertas Christiana nequaquam est licentia peccandi et privilegium turpitudinis, sed liberatio a maledictione et summo rigore legis, quo pertineat dicta apostolica Rom. 6, v. 14: *Non estis sub lege, sed sub gratia.* Galat. 4, v. 4: *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum sub lege;* v. 5: *ut eos, qui sub lege erant, redimeret.* Interim tamen justificatis et a legis damna-

Libertas Christiana an tollat bonorum operum necessitatem.

tione absolutis datur Spiritus s. qui ad obedientiam Deo et legi ejus sponte praestandam eos impellit. Rom. 6, v. 15: *Quid ergo? peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? absit;* v. 16: *nescitis, quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis;* v. 18: *liberati a peccato servi facti estis justitiae.* Utrumque complectitur apostolus Rom. 8, v. 1: *Nihil nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant;* v. 2: *lex enim spiritus vitae in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis.* Lutherus in c. 3. Galat.: *Abutuntur lege primum omnes justitiarii et hypocritae, qui somniant, homines lege justificari. Deinde abutuntur lege, qui Christianos prorsus ab ea absolvere volunt, ut sectarii tentabant et illa occasione seditionem rusticorum movebant, et hodie multi ex nostris etiam somniant, libertatem Christianam esse carnalem licentiam faciendi quidvis. Tertio abutuntur etiam lege, qui terrores ipsius sentientes non intelligunt, eos tantum durare debere ad Christum.* In praef. epist. Rom.: *Libertas sive liberatio a lege non est carnalis libertas nihil faciendi, sed est spiritualis libertas, quae non tollit legem, sed id, quod a lege requiritur, donat et praebet, ut scilicet cum delectatione et dilectione sine coactione legali bona faciamus.* lib. de libert. Christ.: *Non liberi sumus per fidem in Christum ab operibus, sed ab opinionibus operum, id est a stulta praesumtione justificationis per opera requisitae.* Ex quibus omnibus patet, in argumento Bellarmini esse fallaciam a dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Quamvis enim credentes in Christum secundum quid a lege liberati sint, videlicet respectu perfectae obedientiae ad justificationem necessariae; respectu condemnationis, quam lex vibrat in omnes non perfecte obedientes et respectu severae exactionis, propter quam lex dicitur *sceptrum exactoris* Esa. 9, v. 4. tamen non sunt simpliciter ab obedientia legis absoluti. At, inquis, manifesta sunt Lutheri verba in c. 2. Gal.: *Sola fides necessaria est, ut justi simus, cetera omnia liberrima sunt, neque praecepta neque prohibita.* Ergo ipsam etiam legis obedientiam tollit. Respondemus: Lutherus ibi loquitur non de operibus, quae ad legem moralem pertinent, sed de rebus ceremonialibus natura sua indifferentibus, nisi accedat casus scandali, ut contextus manifeste ostendit, agit enim de lapsu Petri, qui gentes coëgit judaizare abstinendo a cibis gentilium. Exstat hac de re manifestissimus locus in comm. c. 3. Gen.: *Habet libertatem homo non talem, ut si Deus praeceperit, possit illud facere vel non. Quod enim ad praecepta Dei attinet, non est homo liber, sed debet obedire voci Dei, aut sustinebit sententiam illorum.* VIII. 33. *Libertas autem est illorum, quae Deus non praecepit in externis functionibus.* In lib. de votis monast.: *Quicquid non est mandati divini, abrogatum est et libertate donatum; evangelica libertas non est posse omittere mandata Dei, sed est libertas conscientiae, quae solvitur conscientia ab operibus non ut nulla fiant, sed ut in nulla confidat.*

Vita et mores evangelicorum.

43. Quintum argumentum petit ex vita et moribus Lutheranorum, *qui occasione hujus doctrinae ita coeperint incredibili licentia in omnia scelera et peccata prorumpere, ut necesse fuerit Lutherum visitationem instituere et laudare bona opera atque ad ea populos hortari.* Addit etiam quorundam dicta, *quod bona opera sint perniciosa ad salutem, quod opera bona non ad regnum Christi, sed ad mundum pertineant.* Respondemus: 1. corruptelae illae morum ac vitae cum a Luthero in visitatione et a nostris in concionibus et scriptis arguantur, ex eo manifestissimum est, quod non ex doctrina, sed ex pessimo doctrinae abusu ortum ducant. Dicimus ergo cum Augustino lib. 1. de moribus eccles. cath. c. 34: *Nunc vos illius admoneo, ut aliquando ecclesiae catholicae maledicere desinatis vituperando mores hominum, quos et ipsa condemnat et quos quotidie tanquam malos filios corrigere studet;* et cum Hieronymo lib. 3. Apolog. contra Rufin.: *Quis unquam catholicorum in disputatione sectarum turpitudinem ei, adversus quem disputat, objecit?* 2. Quam vero camerinam moveremus, si de vitiis Romanorum pontificum, cardinalium, episcoporum etc. curiosius agere velimus? Legantur querellae Bernhardi serm. 33. in Cant., serm. 6. in Psalm. 91, lib. 4. de consider. ad Eugenium; legantur historiae Platinae, Balaei. Georg. Gothardus canonicus Ingolstad. in scripto contra Heerbr. p. 116. *luce clarius esse scribit, quod plerique pontifices vitam turpem ac flagitiosam duxerint.* Legatus Bavaricus in oratione ad patres Tridentinos sic loquitur omnibus audientibus: *Clerus noster gulae libidinibusque indulget, ac quasi velit in contemtum Dei hominumque omni genere vitiorum se coopertum potius palam cognosci, quam minima aliqua re emendatum animadverti* etc. Quid? an non Adrianus VI. in legatione, quam ad conventum Norimbergensem an. 1523 miserat, *a planta pedis usque ad verticem capitis nihil esse sani in toto ordinis ecclesiastici capite* fatebatur, referente Sleidano lib. 4. histor.? An non Paulus III. quibusdam cardinalibus in mandatis dedit, ut consilium de emendanda ecclesia scripto comprehenderent, in quo illi diserte fatentur, *nomen Christi oblitum a gentibus et clericis, abusibus tanquam pestiferis morbis jampridem ecclesiam Dei, praesertim Romanam curiam laborare; propter vitia clericorum nomen Dei blasphemari inter gentes* etc.? Edidit Matth. Flacius Illyricus Germanicum libellum in epitomen ex decem reformationibus congestum, in quibus ipsi papae, cardinales, episcopi saepissime grandibus verbis et valde seria oratione ac maximo animi dolore confitentur, *multos ac crassos abusus et palpabiles errores atque corruptelas in ecclesiam religionemque suam invectas esse, et praeter foedissimam morum vitaeque spiritualium corruptionem multipliciter etiam regimen vitiatum* testantur. De tota hac re in tract. de ecclesia, cujus decimam notam vitae sanctitatem Bellarminus statuit, dicendum erit ube-

rius. 3. Nec solum gravia scelera in papatu tolerantur, sed etiam ipsa doctrina papistica quaedam peccata docet, utpote idola colere, mortuos invocare, ejurare conjugium, interficere magistratus, violare juramenta etc. qua de re plura suo loco. 4. August. confessio, liber ecclesiarum nostrarum symbolicus, art. 6. diserte loquitur: *Docent, quod fides illa debeat bonos fructus parere et quod oporteat bona opera mandata a Deo facere propter voluntatem Dei, non ut confidamus per ea opera justificationem a Deo mereri.* Quisquis igitur bonorum operum studio remissus est, non sequitur Augustanae confessionis praescriptum, sed ab eo deflectit, multo magis ille, qui peccatis secure indulget. 5. Locutiones illas, quod *bona opera sint ad salutem perniciosa, quod bona opera pertineant ad mundum, non ad Christi regnum* etc. nequaquam probamus,
VIII. 34. non enim ipsa opera, sed opinio meriti est perniciosa. Nicolaus Amsdorffius adversariis se vehementius opponens ex fervore disputationis in sinistram nimium deflectendo bona opera ad salutem perniciosa esse dixit, sed collocutores Altenburgenses ipsius socii nequaquam hoc probarunt (ut Bellarminus statuit), quin potius propositionem illam diserte repudiarunt, ita ut nec quandam excusationem vel emollitionem adhibuerint. Vide resp. Sax. ad accusat. Elect. f. 238. Ipse quoque Amsdorffius in praefat. post. domest. Luther. agnoscit vocabulum debiti ex doctrina de bonis operibus neutiquam tollendum; abhorremus igitur sincere et animo ab illo dogmate jamdudum ex nostris ecclesiis eliminato, quod bona opera ad salutem sint perniciosa. Quod enim Deus mandat, quod remuneratur, quod gratum habet, quomodo illud ad salutem perniciosum esse potest? Idem de D. Andrea Musculo respondemus, ipsum quidem initio contendisse, bona opera non esse necessaria, sed postea errorem hunc agnovisse, dum Formulam Concordiae, in qua inter damnatos errores hic ipse refertur, lubens subscripsit.

Justificatio per fidem absque operibus non est haeresis Simonis et Eunomii.

44. Non incommode ad hunc locum refertur, quod Bellarminus lib. 4. de notis eccles. c. 9. lib. 4. de justif. c. 4. et in judicio de libro concord. mend. 7. doctrinam nostram de justificatione per fidem absque operibus cum profligatissimis Simonianorum et Eunomianorum haeresibus comparat. *Aggrediamur*, inquit, *catalogum eorum, qui apud antiquos patres pro exploratis haeresibus notantur, quos tamen Protestantes pro orthodoxis dogmatibus amplectuntur. Prima haeresis est Simonianorum, qui docebant hominem salvari per gratiam Simonis Magi, quem deum faciebant, non secundum operum justitiam. Eunomiani dixerunt, nemini peccata nocere, modo fidem habeat. Idem Protestantes dicunt.* Respondemus: quae fuerit Simonianorum et Eunomianorum haeresis, constat ex veteribus, a qua tanto intervallo distat nostra doctrina, quantum summum coelum ab infima terra. Irenaeus lib. 1. c. 12. p. 75. de Simone sic scribit: *Docet eos, qui in se et in Helenam, quam circumducebat, spem haberent, libere agerent, quae vellent, per ipsius enim gratiam salvari homines, non secundum operationes justas. Esse enim quaedam justa, quaedam injusta, non natura, sed ex accidente, quia angeli per praecepta hominem in servitutem adduxissent.* Justinus Apol. 2. pro Christianis p. 54: *Simon in urbe Roma propter magicas quas exhibuit virtutes deus habitus est*, etc. *et Samaritani prope omnes, ex aliis nationibus etiam perpauci illum quasi primum deum esse confitentes, adorant quoque et Helenam quandam profectionis ejus eo tempore comitem, quae prius pudicitiam in propatulo habuerat et in lupanari prostiterat, principem ab illo notionem et intelligentiam* (πρώτην πρόνοιαν) *factam esse narrant.* Augustinus de haeres. c. 1: *Simon Magus docebat ad detestandam turpitudimem indifferenter utendi feminis.* Theodor. lib. 1. haeret. fab. de Simone: *Jubebat in se credentes non attendere prophetis neque legis minas pertimescere, sed tanquam liberos facere quae vellent, non enim per bonas actiones, sed per gratiam esse eos salutem consecuturos.* De Eunomio sic scribit Augustinus lib. de haeres. ad Quodvultdeum c. 54: *Fertur etiam bonis operibus usque adeo inimicus, ut asseveraret, quod nihil cuiquam obesset, quorumlibet perpetratio ac perseverantia peccatorum, si hujus, quae ab illo docebatur, fidei particeps esset.* Instituamus collationem: 1. Simoniani docebant fidem in Simonem Magum et Selenen (vel ut Justinus affert Ἑλένην), propudiosissimum scortum, nos docemus fidem in Christum. 2. Eunomius praedicabat illam fidem vel potius perfidiam, qua ὁμοουσία Filii ac Spiritus sancti cum Patre negatur, nos docemus fidem in unum verum Deum, qui est Pater, Filius et Spiritus sanctus. 3. Simoniani praedicabant gratiam Simonis Magi et impostoris pessimi, nos praedicamus gratiam Dei viventis in Christo nobis oblatam. 4. Simoniani peccandi licentiam introducebant, nec prophetis attendendum, nec legis minas pertimescendas esse docentes; nos Christianam libertatem docemus, quae non tollit, sed potius stabilit obedientiam legi praestandam. 5. Simoniani negabant, esse VIII. 35.
quasdam actiones sua natura malas et injustas, nos haeresin illam a Libertinis et Anabaptistis ex orco revocatam damnamus. 6. Eunomiani erant bonis operibus inimici, nos ea urgemus, praedicamus et praemiis temporalibus ac aeternis affici docemus. 7. Eunomiani docebant, nemini obesse perpetrationem et perseverantiam peccatorum, si fidei illius vel potius ἀπιστίας, quam praedicabant, particeps esset; nos clare et sonore protestamur, veram et salvificam in Christum fidem cum perpetratione ac perseverantia peccatorum haudquaquam subsistere. *At* (inquit Bellarminus) *in eo tamen cum Simone vobis convenit, quod docetis, non servari homines secundum operationes justas.* Respondemus: non eo nomine Irenaeus ac Theodoretus Simonem haereseos accusant, quod meritum salutis operibus denegaverit, sed quod spem in se suamque Selenen collocandam, gratiam salutis a se exspectandam, bonas vero actiones libere omitti posse do-

cuerit, quippe cum non ex natura sua, sed tantum ex accidenti, hoc est ex nuda opinione hominum justae sint atque angelorum (quos mundi opifices statuebat) directioni tribuendae; quid vero horum portentorum nobis salva veritate tribui potest? Concludimus ergo cum Thoma Mortono p. 1. Apol. c. 24: *Cum tam exsecrandas de fide haereses sine fide falso nobis affingant, ideo in criminationibus reliquis fidem nullam eis deberi.*

45. Certum igitur esto, bona opera esse necessaria, sed ex eo nondum sequitur, quod necessaria dici debeant ad salutem, qua de re antequam latius agamus, notandum est, non uno modo atque sensu propositionem illam a quibusdam adstrui. 1. Quidam mitissime loquuntur ac sentiunt; distinguunt inter justificationem et salutem, concedunt bona opera non necessaria esse ad justificationem, quam sola fide fieri nobiscum adstruunt, interim tamen ad salutem eadem necessaria esse arguunt; quod ut obtineant duplicem proponunt divisionem. Primo quod salus significet modo initium salutis, qua ratione justificationi aequipolleat, ut Rom. 4, v. 6: *David dicit μακαρισμόν, salutem ac beatificationem, illius hominis, cui Deus acceptam fert justitiam sine operibus.* Eph. 2, v. 8: *Gratia salvati estis* (σεσωσμένοι) *per fidem;* v. 9: *non ex operibus;* modo autem finem salutis, ut Rom. 8, v. 24: *Spe salvi facti sumus,* ἐσώθημεν. 1. Petr. 1, v. 5: *Virtute Dei custodimur per fidem ad salutem, quae parata est patefieri tempore ultimo.* Deinde necessarium ad aliquid consequendum bifariam dici, absolute, quod simpliciter ita requiritur, ut sine eo perfici res non possit, quo modo sanctificatio Spiritus ad salutem sit necessaria; et ex hypothesi, quod alia re posita ita requiritur, ut sine eo nequeat perfici, quo modo baptismus ad salutem sit necessarius. In utroque genere necessarii requiri aliud ut causam, aliud ut instrumentum, aliud ut adjunctum. Bona opera esse necessaria ad salutem, non qua salus notat justificationem, sed qua notat glorificationem; esse etiam necessaria non absolute, sed ex hypothesi, nec ut causam vel instrumentum, sed ut adjunctum necessarium, hinc scribit Beza part. 1. resp. ad quaest. vol. 1. operum f. 675. *bona opera ad salutem necessaria esse, ut quiddam cum vera fide necessario conjunctum. Si fides* (inquit) *ad salutem necessaria est et veram fidem opera necessario consequantur, certe et illud efficitur, necessaria esse ad salutem bona opera.* Eodem sensu D. Georgius Major circa annum 1552 voce et scriptis patrocinium harum propositionum suscepit: *Bona opera sunt necessaria ad salutem.*

Quis sensus propositionis: Bona opera esse necessaria ad salutem.

VIII. 36. *Impossibile est sine bonis operibus salvari. Nemo unquam sine bonis operibus salvatus est.* Vide conf. Mansf. p. 95. edit. Isleb. an. 1565. **Piscator obs. 16. in c. 25. Matth.: *Bona opera respectu vitae aeternae habent rationem causae efficientis, non ut merita, sed ut via seu ambulatio, qua ad vitam aeternam pervenitur, ex ordinatione Dei. Simili declarari potest, ut si cui donetur thesaurus in cacumine montis reconditus, sed hac lege, ut si potiri velit, montemque conscendat, illumque effodiat. Hic certe conscensus montis et effossio thesauri rationem habet causae efficientis respectu possessionis ac fruitionis thesauri, at non habent rationem meriti, quippe cum thesaurus illi fuerit donatus.* Philipp. Melanthon in enarr. colloquii Marp. an. 1529. habiti recitat de Zuinglio et ejus sociis, quod incommode locuti fuerint et scripserint de hominis justificatione coram Deo et doctrinam de fide non satis inculcarint, sed ita de justificatione docuerint, *quasi sanctificatio et bona opera quae fidem sequuntur sint justitia hominis.* Calvin. lib. 3. inst. c. 14. §. 21: *Istis nihil obstat, quominus opera Dominus tanquam causas inferiores amplectatur. Sed unde? nempe quos sua misericordia aeternae vitae hereditati destinavit, eos ordinaria sua dispensatione per bona opera inducit in ejus possessionem. Hac ratione ab operibus interdum vitam aeternam deducit, non quod illis referenda sit accepta, sed quia quos elegit, justificat, ut demum glorificet, priorem gratiam, quae gradus est ad sequentem, causam quodammodo facit.* Beza resp. ad colloq. p. 95: *Studium justitiae et sanctitatis ait apostolus esse vitam aeternam, hoc est afferre secum vitam aeternam, non quidem ex merito, sed ex ordinatione Dei.* Petrus Bertius in praefat. tractatui Jac. Arminii de 7. c. Roman. praefixa: *Tenendum est ex Scripturis veram conversionem praestationemque bonorum operum esse conditionem praerequisitam ante justificationem.* Idem in epist. discept. cum Sibrando: *Fides servat. Fides est opus. Ergo opus servat. Sed quod opus? opus evangelii et, ut Christus loquitur, opus Dei.* Conr. Vorstius in lib. de 100 erroribus Lubberti: *Si simpliciter verum est, omnia in universum opera a justificatione excludi, falso dicemur ex fide et per fidem justificari, quippe quae et ipsa quoddam bonum opus est.*** 2. Quidam vero longius progressi statuunt, bona opera esse necessaria ad salutem non solum ut adjunctum, sed etiam ut causam sine qua non, vel instrumentum. **Heredes Arminii in praefat. tractatus de c. 7. Rom. a P. Bertio ipsorum nomine scripta: *Tenendum ex Scripturis veram conversionem praestationemque bonorum operum esse conditionem praerequisitam ante justificationem, juxta illud Johannis,* si vero in luce ambulemus, sicut ipse in luce est, communionem habemus cum eo mutuam, et sanguis Jesu Christi, Filii Dei emundat nos ab omni peccato. Adolphus Venator et Alcmariani in ejus declaratione: *Ecclesia Romana recte sentit in articulo de justificatione hominis coram Deo, atque hoc patet ex concil. Trident. sess. 6. c. 7.* Goclenius disp. 9. philosoph. theolog.: *Bona opera etsi non sunt causa salutis et regni coelestis meritoria, sunt tamen via et intermedium iter ad regnum et causa sine qua non salutis. Ut enim desiderium carnis est mors, hoc est aeternam mortem parit; ita desiderium Spiritus, hoc est studium sanctitatis, est vita et pax, id est causa vitae et felicitatis.* Piscator vol. 2. loc. 10. p. 133.

in peculiari disputatione defendit hanc propositionem, bona opera esse necessaria ad salutem; scribit etiam p. 112. lib. 2. de justif. c. 3: *Quin etiam salvant bona opera, ut via, per quam Deus credentes ad salutem deducit;* quod approbat etiam Bucanus loc. 32. instit. q. 37. p. 346: Auch hats Spindler geprebigt in seiner Postill Dom. 6. Trinitat. p. 647. et Dom. 18. p. 791. praeeunte Beza part. 1. quaest. et respons. p. 78. volum. 1. oper. p. 675.** Zanchius 5. de nat. Dei c. 2. p. 670: *Non simpliciter negamus, bona opera esse causam salutis nempe instrumentalem potius, quam efficientem, et ut causam, quam vocant, sine qua non.* Et postea: *Bona opera causa sunt instrumentalis possessionis vitae aeternae, per haec enim tanquam per media et legitimam viam ducit nos Deus in possessionem vitae aeternae* etc. Grynaeus in disput. de scala a terra ad coelum perting. thes. 29: *Deus ex misericordia sua, qua servavit nos per lavacrum regenerationis et renovationem Spiritus santi* (hanc lectionem in loco Tit. 3. habent etiam biblia Tigurina anno 1597. edita). Sohnius tom. 2. exeg. in August. confess. art. 4. p. 871: *Fides est tanquam instrumentum ad justitiam in hac vita, confessio autem tanquam medium ad salutem post hanc vitam consequendam.* ** *Nos sola quidem fide justificari, non tamen sola fide salvari, sed ad id requiri etiam opera,* statuunt Conradus Pelicanus in c. 5. Levitic. v. 19. Calvinus lib. 3. Instit. c. 14. sect. 21. c. 16. sect. 1. Beza vol. 1. f. 675. Zanchius tom. 2. misc. p. 82. Piscator volum. p. 132. 133. Trelcat. p. 358. Ursinus p. 577. Pareus in miscell. p. 155. Polanus part. 2. th. 640. Lubert. in catal. 99. error. p. 657. Piscator Herborn. in apolog. vers. bibl. p. 237: Die Schrift sagt, daß uns auch die guten Werke selig machen; p. 577: die ewige Seligkeit und himmlische Freude können wir nicht bekommen ohne vorhergehende gute Werke. Vorstius p. 2. tesseradec. p. 126: *Opera sunt causa adjuvans et efficiens salutis.* Jac. Laurentius in Apol. ad castigat. Sandaei de prodig. Jes. liberal. p. 42: *Quod Reihingius de plerisque tantum Lutheranis affirmat, quod opera ad salutem necessaria statuant, id de omnibus affirmo vere nec Lutheranis solum sed omnibus om-*
VIII. 27. *nino Protestantibus.*** Piscator in analysi c. 1. ad Ephes. v. 4: *Haec ipsa nostri sanctificatio, qua sancte vivimus, actio Dei est, qua nos inter alios ad salutem perducit, ac proinde rationem aliquam causae efficientis habet;* in analysi c. 3. ad Titum v. 5. scribit, *Deum nos servasse per regenerationem et renovationem Spiritus sancti tanquam per lavacrum quoddam, quo abluimur a sordibus peccatorum.* Similia habet in c. 20. Matth. p. 106. in c. 6. Rom. p. 116. et 119. lib. 2. de justificatione c. 3. p. 85. etc. ** Confer eundem in bibl. German. in c. 20. Matth. p. 106. Ausführlichen Bericht p. 160.** 3. Ab his non longe abeunt, qui statuunt, bona opera esse necessaria ad salutem, non quidem acquirendam, sed tamen retinendam et conservandam. ** Tileaus part. 2. syntagm. disput. 46. thes. 8. bonis operibus tribuit, quod *retineant, custodiant et conservent salutem.* Zuinglius in epist. ad Principes Germaniae: *Sanctificatio Spiritus est vera justificatio, quae sola ad justificationem sufficiat.* Joachimus Curaeus in exeg. pag. 36. 37: *Sumus justi primum imputatione propter obedientiam Filii Dei derivantis in se poenam pro peccatis generis humani, sed altera pars justificationis est sanctificatio.*** Praxis et medulla catechet. Marburg. edita anno 1606. quaest. 67: *Fides sufficit ad apprehendendam salutem, non autem ad eam conservandam, sed amplius requiritur vitae emendatio;* quaest. 70: *vitae emendatione perficitur conversio ac fides et salus in nobis conservatur.* 4. Pontificii docent, necessaria esse opera non solum ad acquirendam et conservandam, sed etiam promerendam salutem, statuunt enim opera et causas ac merita tam salutis quam justificationis, qua de re sic scribit Bellarminus lib. 4. de justificat. c. 7: *Adversarii in eo conveniunt, quod opera bona non sint necessaria ad salutem, nisi ratione praesentiae, cujus propositionis hic est sensus, quod bona opera fieri debeant, quoniam alioqui fides non esset viva ac vera, nisi fructus bonos faceret, quomodo ignis non est ignis, nisi calefaciat, tamen opera bona non habeant ullam relationem ad salutem, quasi sint merita, causae conditiones etc. In quo distingui dicunt fidem ab operibus, quoniam fides habet relationem ad salutem; opera vero nullam omnino relationem habent et ideo sunt quidem necessaria, sed non ad salutem. Nos contra dicimus, opera bona homini justo esse necessaria ad salutem, non solum ratione praesentiae, sed etiam ratione efficientiae, quia efficiunt salutem et sine ipsis sola fides non efficit salutem.*

46. Certum quidem est: 1. Justificatis per fidem 'Επι-
necessaria esse bona opera. 2. Per peccata contra χρισις.
conscientiam amitti fidem et salutem. 3. Discrimen aliquod esse inter justificationem et *υἱοθεσίαν*, quae in hac vita obtingit per fidem, atque inter glorificationem et plenam aeternae hereditatis possessionem, quae in vita aeterna speratur. 4. Propius ad veritatem et *ὀρθοδοξίαν* accedere eos, qui statuunt, bona opera esse necessaria ad salutem non quatenus salus notat justificationem, sed glorificationem; necessaria etiam esse non absolute, sed ex hypothesi; non ut causas vel instrumenta, sed ut adjuncta, quam illos, qui necessaria ad salutem dicunt opera vel ratione meriti, vel ratione causae efficientis, vel ratione instrumenti apprehendentis, vel ad salutem conservandam: interim tamen secuti τὸ ἐνστικὸν judicamus, ab illa propositione velut ad *ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων* non satis congrua abstinendum esse, cujus
assertionis fundamenta producemus, si prius hoc VIII. 28.
monuerimus. 1. Bona opera nec meriti nec causae (sive efficientis sive instrumentalis) rationem habere in salutis nostrae negotio. Quod bona opera non sint merita nec causa efficiens salutis, demonstrabitur inferius; quod non sint causa instrumentalis salutis, vel ex eo conspicuum, quod gratia Dei, remissio peccatorum, justitia et vita aeterna in solo Christo

mediatore nobis proponitur, illum vero non apprehendimus nostris operibus, sed sola fide. Joh. 3, v. 36: *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam.* 1. Joh. 5, v. 11: *Vitam aeternam dedit nobis Deus, et haec vita in Filio ejus est.* Inde notanter pronuntiat apostolus, nos non solum *justificari fide in Christum*, sed etiam *fide accessum habere in gratiam istam, in qua stamus et gloriamur in spe gloriae filiorum Dei.* 2. Salutis conservationem in Scripturis non tribui operibus nostris, sed virtuti Dei et fidei. 1. Petr. 1, v. 5: *In virtute Dei custodimini per fidem in salutem, quae parata est revelari in tempore novissimo;* v. 9: *reportantes finem fidei nostrae salutem animarum.* Rom. 11, v. 20: *Tu fide stas.* Marc. 16, v. 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.*

Quare bona opera ad salutem necessaria esse, non sit dicendum.

47. Quo minus ergo bona opera dicamus ad salutem necessaria, movemur his rationibus: Apostolus in propria sede doctrinae de justificatione Rom. 3, v. 4. Galat. 2. Ephes. 2. justitiam et salutem conjungens ex sententia Moysis et Davidis, hoc est legis et omnium prophetarum, pronuntiat, *nos justificari et salvari gratis, fide, sine operibus; beatitudinem esse illius hominis, cui Deus acceptam fert justitiam sine operibus; beatum esse eum, cui non imputat Dominus peccatum; gratia nos salvari per fidem et hoc non ex nobis, Dei hoc esse donum, non ex operibus, ne quis glorietur.* Sed haec propositio, quod bona opera necessaria sint ad salutem: 1. Apostolicis hisce pronuntiatis opposita est, asserit enim ei, qui fide sine operibus justificatus est, ad salutem bona opera esse necessaria, adeo ut impossibile sit, beatitudinem esse alicujus hominis sine operibus. 2. Legem et evangelium confundit. Justificamur et salvamur non ex lege, sed ex evangelio. Gal. 3, v. 11: *In lege nemo justificatur apud Deum;* v. 21: *si data esset lex, quae posset vivificare, vere ex lege esset justitia.* c. 5, v. 4: *Evacuati estis a Christo, quicunque in lege justitiam quaeritis.* Jam vero evangelium proponit justitiam et salutem credentibus in Christum gratis sine conditione bonorum operum. Rom. 4, v. 5: *Non operanti, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam;* v. 6: *sicut et David dicit beatitudinem hominis, cui Deus acceptam fert justitiam sine operibus.* Quodsi bona opera sunt ad salutem necessaria, promissiones evangelii non amplius erunt gratuitae, sed conditionales, qua ratione lex et evangelium confunduntur. 3. Incertam facit promissionem salutis. Si enim bona opera dicuntur necessaria ad salutem, conscientiae pavidae ac sensu irae divinae perterrefactae perpetuo dubitare coguntur, num sat bonorum operum habeant, quibus Deo placere et salutem adipisci possint. Actor. 15, v. 24: *Quidam ex nobis exeuntes turbarunt vos verbis evertentes* (ἀνασκευάζοντες) *animas vestras*, quibus verbis perstringuntur pseudo-apostoli, qui docuerant, quod *oporteat eos circumcidi, praecipere quoque servare legem Moysis, qui salvari velint*, v. 1. et 5. Nos autem cum apostolo pronuntiamus: *ideo ex fide ut secundum gratiam, ut sit firma promissio*, Rom. 4, v. 16. 4. Alias justificationis, alias salutis causas constituit, vel certe plura ad justificationem requirit, cum tamen in propria sede doctrinae de justificatione eaedem causae et justificationis et salutis statuantur, utpote gratia Dei, Act. 15, v. 11: *Per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari* (σωθῆναι); fide. 1. Petr. 1, v. 5: *virtute Dei custodimur per fidem ad salutem;* non opera, Ephes. 2, v. 8: *Gratia estis salvati per fidem;* v. 9: *non ex operibus.* 2. Timoth. 1, v. 9: *Salvos nos fecit Deus* (σώσαντος ἡμᾶς) *non secundum opera nostra, sed secundum propositum et gratiam in Christo Jesu.* Tit. 3, v. 5: *Non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit* (ἔσωσεν). 5. Detrahit gratiae Dei et merito Christi. VIII. 39.
Si enim ex operibus, jam non est gratia, Rom. 11, v. 6. Si meritum Christi sufficientissimum est ad justitiam et salutem, adeo ut *non sit aliud nomen sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, quam nomen Jesu*, Act. 4, v. 12; bona opera non erunt dicenda necessaria ad salutem. 6. Nata est in scholis pseudo-apostolorum. quorum verba Lucas Act. 15, v. 1. et 5. recitat hoc modo: *Nisi circumcidamini et legem servetis, non potestis salvari*, quae verba plane aequipollent illi propositioni: impossibile est quenquam sine legis observatione, seu quod idem est, sine bonis operibus salvari. Propositionem pseudo-apostolorum apud Gal. contra quam D. Paulus tam acriter dimicat, Lutherus hanc constituit in comment. c. 1. Gal.: *Praeter fidem in Christum etiam opera legis divinae ad salutem necessaria esse.* 7. Pontificiorum corruptelas quodammodo approbat, illi enim tanto conatu oppugnantes exclusivam de sola fide justificante antithesin semper ita constituerunt: Bona opera sunt necessaria ad salutem. Ergo non sola fide justificamur et salvamur, vel non sola fide justificamur, quia bona opera quoque sunt necessaria ad salutem. In doctrina sectae Anabaptisticae fuit etiam hic articulus, quod bona opera sint necessaria ad salutem, licet fiducia non sit collocanda in merito bonorum operum, quam propositionem tunc temporis Menius in scripto contra Anabaptistas solide refutavit, cui praefixa est Lutheri praefatio, quae exstat Tom. 2. Witteb. p. 326. Monasterienses itidem rejecerunt hanc propositionem, quod fides salvet sine bonis operibus, et substituerunt aliam, quod fides salvet, sed non sine bonis operibus, cui egregiam refutationem opposuit D. Urbanus Regius. 8. Testimoniis veterum refragatur; Ambrosius in c. 11. Rom.: *Hoc decrevit Deus, ut quia nulla spes per legem omnibus hominibus erat, Dei misericordia salvarentur.* In 1. Cor. 1: *Gratia data est in Christo, quia hoc constitutum est a Deo, ut qui credit in Christum, salvus sit sine opere sola fide gratis accipiens remissionem peccatorum.* Praefat. comm. epist. Galat.: *Sola fides sufficit ad salutem.* Origenes in c. 3. Rom.: *Si exemplum requiramus, quis sine operibus sola fide justificatus sit, sufficere arbitror illum*

latronem, qui cum Christo crucifixus clamavit de cruce: Domine Jesu, memento mei, cum veneris in regnum tuum; nec aliud quicquam boni operis ejus in evangeliis describitur etc. *Sed ad mulierem, quae in evangelio secundum Lucam refertur, ex nullo legis opere, sed pro sola fide ad eam ait: remittuntur tibi peccata tua, fides tua te salvam fecit.* Chrysostomus de fide et leg. natur.: *Latro credidit duntaxat et justificatus est a misericordissimo Deo, atque hic ne mihi dixeris, defuisse tempus, quo juste viveret et honesta opera faceret. Neque enim de hoc contenderim ego, sed tantum illud unum asseveraverim, quod sola fides per se salvum fecerit. Nam si supervixisset fideique et operum fuisset negligens, a salute excidisset. Hoc autem nunc quaeritur, quod fides per se ipsam salvum fecerit.* 9. Adversatur symbolicis ecclesiarum nostrarum scriptis et perpetuae Lutheri sententiae. August. confessio art. 6. citat dictum Ambrosii: *Hoc constitutum est a Deo, ut qui credit in Christum, salvus sit sine opere sola fide gratis accipiens remissionem peccatorum.* Eadem sententia repetitur in apolog. art. de just. et bonis operibus, in articulis Schmalcald. part. 3. art. 3. in Form. Concord. art. 4. antith. 1. Lutherus multis in locis propositionem illam rejicit, praesertim in c. 1. Gal. in disp. ann. 1536. in c. 22. Gen. etc. Philippus in resp. ad artic. Bavaricos et Wormatiensi formula concordiae ait, *se docere, bona opera necessaria esse, quia debita sunt ordine divino, sed nolle ea dici necessaria ad salutem et vitam aeternam, ne hac additione intelligatur meritum.* 10. Deseritur ab illis ipsis, qui ejus patrocinium suscipiunt. Georgius Major in commonefactione historica tom. 1. operum subjuncta p. 1203. conqueritur, injuriam sibi fieri, quod statuerit, opera esse aliquam causam justificationis, ac pollicetur, *hac propositione opera esse necessaria ad salutem, cum propter ambiguitatem ostenderit aliquos, deinceps se non usurum.* Sohnius tom. 2. exeg. conf. August.
VIII. [illegible] p. 800: *Dicimus, bona opera ad salutem esse necessaria ac dici posse, non tamen ut causam et meritum salutis, sed ut medium, sine quo ad salutem non pervenitur.* Postea subjungit: *Quia propositio illa hoc tempore parit contentiones et quibusdam praebet ansam cavillandi, a Pontificiis vero in malam partem rapitur atque eos in opinione de merito bonorum operum confirmat, non est ea utendum, aut si uti velis, cum explicatione necessaria est utendum.* 11. Ne quidem apud ipsos Pontificios universaliter vera est. Bellarminus lib. 4. de justificat. c. 7: *Intelligimus, bona opera esse necessaria ad salutem hominibus rationis usum habentibus, et qui tamdiu post adeptam remissionis gratiam supervivant, donec occasio implendae legis occurrat. Non enim negamus, quin infantes et etiam adulti recens baptizati salventur, si continuo ex hac vita decedant.* lib. 1. de justif. c. 25: *Origenes docet, posse hominem interdum justificari, etiamsi nullum bonum opus externum faciat, excludit ergo necessitatem operis externi, quando aut potestas aut occasio ejusmodi operis faciendi deest.* Et postea: *Chrysostomus docet, fidem solam, id est sine opere externo, interdum sufficere, opus externum sine fide nunquam sufficere.* Anglo-Remenses in annot. marg. Apoc. 20: *Qui nulla bona opera faciunt, si per aetatem possint et tempus illis suppetat, non inveniuntur scripti in libro vitae.* Concludimus igitur, bona opera non esse necessaria ad salutem, vel promerendam, vel acquirendam vel conservandam, quamvis ob causas alias eadem vel maxime justificatis necessaria esse superius fuerit demonstratum.

Argumenta pro necessitate operum ad salutem.

48. Sed istaec nondum possunt Bellarmino satisfacere, quo minus necessitatem operum ad salutem probare conetur, quam ut obtineat, quinque argumentorum classes velut distinctas acies contra nos producit lib. 4. de justif. c. 7. Prima classis continet argumenta ex discrimine legis et evangelii, secunda ex libertate Christiana, tertia ex quibusdam Scripturae locis, quarta ex testimoniis Patrum, quinta ex ratiocinatione. Primae classis argumentum hoc est: *Si promissio vitae aeternae est conditionata, utique necessarium est implere conditionem, si quis velit salvus fieri; sed illud, ergo hoc.* Respondemus: De discrimine legis et evangelii late dictum fuit in tractatu de evangelio §. 19. et seqq. ubi ostendimus et legem et evangelium promittere vitam aeternam, sed diversa ratione. Promissiones legis sunt conditionales, requirunt enim nostram obedientiam eandemque perfectissimam; evangelii vero promissiones sunt gratuitae, ostendunt enim Christum, qui nostri loco legem implevit; fides, quam requirunt promissiones evangelii, non est conditio quaedam meritoria, sed medium, quo justitiam et salutem in Christo nobis oblatam apprehendimus. Quae contritionem et bonorum operum studium requirunt, ad doctrinam evangelii proprie sic dictam non pertinent, sed legalia sunt ac describunt ordinem, quem Deus in convertendis et salvandis hominibus observat. Invertimus igitur argumentum: Salus contingit nobis ex evangelio, non ex lege. Atqui promissiones evangelii sunt gratuitae, non conditionales; requirunt fidem, non opera nostra. Ergo bona opera non sunt necessaria ad salutem.

1. Promissio vitae aeternae est conditionata.

49. Argumentum secundum ex libertate Christiana deductum tale est: *Si justus non est liber ab obligatione legis divinae, certe nisi eam impleat, non salvabitur; at verum prius, ergo et posterius.* Respondemus: 1. Ostendimus superius §. 30. libertatem Christianam esse liberationem a coactione et maledictione, nequaquam vero ab obedientia legis. Libertas spiritus distinguenda est a licentia carnis. Falso igitur Bellarminus nobis tribuit illas Simonianorum, Eunomianorum ac Libertinorum blasphemias, quod renati simpliciter et absolute liberi sint a legis obligatione ac potestatem obtineant quidvis faciendi, cujus contrarium plus milies in scriptis Lutheri et aliorum ex nostris occurrit. Caput sextum, in quo de libertate Christiana tractaverat, Bellarminus concludit his verbis: *Habemus igitur, ex vera Christiana libertate colligi, legis custodiam et opera bona homini* VIII. 41.

2. Justus non est liber ab obligatione legis divinae.

Christiano esse maxime necessaria. At quis nostrum hoc negavit? Mera igitur σκιαμαχία est, quam tanto conatu suscipit, sua enim somnia, non autem nostra dogmata oppugnat, sic enim in principio c. 7. ipse subjungit: *Adversarii in eo conveniunt, quod bona opera non sint ad salutem necessaria, nisi necessitate praesentiae,* quibus verbis ab intentato crimine nos liberat ac se ipsum calumniatorem fuisse probat. 2. Ergo si per obligationem legis Bellarminus obedientiam intelligit ex spiritu spontaneo legi praestandam, concedimus, justos non esse liberos ab obligatione legis divinae, sed ex eo nondum sequitur, quod justus, nisi impleat legem, non possit salvari. Potest enim homo obligatus esse ad legem, licet eam non possit implere, siquidem debitum obedientiae non est aestimandum ex viribus illis, quae in homine post lapsum adhuc reliquae; sed ex illis, quas larga manu in prima creatione Deus ipsi contulit, quod alibi firmissimis rationibus et exemplis fuit comprobatum. 3. Sed nec hoc sequitur: Justus obligatur ad obedientiam legi praestandam. Ergo nisi eam impleat, non salvabitur. Proceditur hac ratione a non distributo ad distributum. Justus obligatur ad obedientiam legi praestandam, ut non sua obedientia salutem aeternam sibi promereatur, eam enim jamdum in Christo per fidem habet, quia justus est, hoc est fide in Christum justificatus; ideo non obligatur ad perfectam obedientiam hoc fine legi praestandam, ut per eam justus et salvus fiat, siquidem *Christus est τέλος, finis et impletio, legis ad justitiam omni credenti,* Rom. 10, v. 4 *in eum qui credit, justus est* et habet vitam aeternam. 4. Confunduntur ergo diversi fines obedientiae illius, quam justi, id est per Christum justificati dicuntur legi debere. Nos dicimus, justum esse legis debitorem, ut sese gratum exhibeat Deo creatori, redemtori, sanctificatori etc. ac propter causas alias superius enumeratas. Bellarminus pugnat, justum esse legis debitorem, ut hac sua obedientia legem perfecte impleat et salutem aeternam sibi promereatur; hoc est, ut ad propositam quaestionem redeamus, ex necessitate bonorum operum ἁπλῶς asserta vitiose infert Bellarminus, bona opera ad salutem esse necessaria; ex propositione simplice infert compositam; ab est secundi adjecti procedit ad est tertii adjecti.

3. Dicta Scripturae probant necessitatem operum ad salutem. 1. Patientia vobis necessaria est etc. Hebr. 10.

50. Progrediamur igitur ad dicta Scripturae, quibus necessitatem operum ad salutem probare satagit. 1. Hebr. 10, 36: *Patientia vobis necessaria est, ut facientes voluntatem Dei reportetis promissionem. Hic habemus modum loquendi, quod opera sint necessaria ad salutem. Nam patientia opus quoddam est, cum sit actus virtutis a fide distinctae, ea vero disertis verbis praedicatur necessaria, et additur, ad quid sit necessaria, ut reportetis, inquit, promissionem. Deinde habemus etiam hoc loco, patientiam esse necessariam non solum ratione praesentiae, sed etiam relationis ad salutem, nam si tantum necessaria esset ratione praesentiae, satis fuisset dicere patientia vobis necessaria est, sed cum additur ratio necessitatis et dicitur, ut reportetis promissionem, aperte significatur relatio aliqua patientiae ad acquisitionem promissionis.* Respondemus: 1. Distinctae sunt hae duae propositiones: *Patientia vobis necessaria est, ut facientes voluntatem Dei reportetis promissionem; et patientia necessaria est ad reportandam salutem promissam.* Prior est apostoli, posterior vero Bellarmini. 2. Nequaquam dicit apostolus, patientiam esse necessariam ad acquirendam vel promerendam salutem, sed ad faciendam Dei voluntatem; sensus est, neminem in tanto adversitatum impetu voluntatem Dei facere posse, nisi *in patientia animam suam possideat,* Luc. 21, v. 19. qua adversus omnes insultus fortiter se muniat. 3. Est autem voluntas Dei non solum studium bonorum operum, sed etiam ac cum primis fides in Christum et constans in ea perseverantia. Joh. 6, v. 29: *Hoc est opus Dei* (hoc est seria ipsius voluntas et cultus ipsi gratissimus), *ut credatis in eum, quem misit ille.* 1. Joh. 3, v. 23: *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomen Filii ejus Jesu Christi et diligamus invicem.* 1. Tim. 1, v. 18: *Milita bonam militiam;* v. 19: *habens fidem et bonam conscientiam.* Haec voluntas Dei ut a nobis fiat, patientiam necessariam esse apostolus asserit. 4. Alia deinde quaestio est, quid exspectandum sit facientibus Dei voluntatem, ubi respondet apostolus, id esse reportationem promissionis, per quam intelliguntur omnis generis praemia temporalia et aeterna, perinde ut 1. Tim. 4, v. 8. dicitur: *Pietas habet promissionem praesentis et futurae vitae.* Ac relatio est patientiae non ad ipsam salutem, sed ad fidem, cujus naufragium ne in tantis adversitatum et persecutionum procellis faciamus, patientia nobis necessaria est. 5. Quidam distinguunt inter ea, quorum dicimur χρείαν ἔχειν et quae dicuntur ἀναγκαῖα, quod quamvis suo loco non improbemus, huic tamen textui non admodum congruit, nisi quod de modo loquendi aliquid monere potest, quod enim rem ipsam attinet, libenter fatemur, patientiam esse renatis ἀναγκαίαν.

VIII. 42.

51. 2. Adducitur locus 1. Tim. 2, 15: *Salvabitur mulier per generationem filiorum, si permanserit in fide, dilectione et sanctificatione cum sobrietate. Quo loco perseverantia non in sola fide, sed in fide, dilectione, sanctificatione et sobrietate ponitur necessaria ad salutem ut conditio quaedam, sine qua mulier salvari non potest.* Respondemus: 1. concedimus non solum in fide, sed etiam in dilectione aliisque virtutibus Christianis perseverandum esse vere in Christum credentibus et ad coelestem hereditatem adspirantibus. 2. Sed ex eo nondum sequitur, quod fides et dilectio aliaeque virtutes eodem modo sese habeant ad salutem. Fides ad salutem consequendam ac conservandam habet se ut causa instrumentalis, oblatam enim in Christo salutem apprehendit, tenet ac conservat; sed dilectio et reliquae virtutes non habent illam causae instrumentalis ad salutem vel acquirendam vel conservandam rationem, sed sunt fructus fidei ac testimonium ferunt

2. Salvabitur mulier per generationem filiorum, si permanserit in fide. 1. Tim. 2.

de justitia et salute per fidem donata. 3. Perseverantia ergo fidei sive perseverans fides requiritur tanquam necessaria ad salutem obtinendam ac conservandam, sed perseverantia dilectionis, aliarumve virtutum requiritur tanquam testimonium fidei et salutis per fidem donatae indicium. 4. Breviter, non causas salutis, sed qualitates eorum, qui sunt heredes salutis, exponit apostolus, quod in fide, dilectione, sanctificatione et sobrietate perseverent, haec enim si absint, salus amissa intelligitur.

1. Cum metu et tremore salutem vestram operamini. Phil. 2.

52. 3. Phil. 2, v. 12: *Cum metu et tremore vestram salutem operamini. Profecto si actiones bonae salutem operantur, non sunt necessariae solum ratione praesentiae, sed etiam ratione efficientiae.* **Respondemus**: Operari salutem nequaquam est eo fine bona opera facere, ut per illa mereamur salutem (talia enim opera non sunt vere bona opera, cum non proficiscantur ex vera fide, quippe quae statuit, in Christo nobis donatam esse salutem, neque ex dilectione, quippe quae non est mercenaria, sed ex libero et spontaneo corde Deo obsequitur), sed est *1. operari illud opus Dei, ut credamus in Christum* Joh. 6, v. 29. atque hanc fidem meditatione verbi, usu sacramentorum, precibus fovere. 2. In timore filiali vivere ac *sollicite ambulare ἀκριβῶς περιπατεῖν*, ubi loquitur apostolus Ephes. 5, v. 15. ne per peccata contra conscientiam fides excutiatur ac salus amittatur. Quid sit cum timore et tremore salutem operari, ibidem exponit apostolus, dum jubet Philippenses *obedire et sermonem vitae sustinere*, ne pseudo-apostolorum erroribus circumventi et peccatis contra conscientiam polluti in vacuum gratiam Dei receperint ac fidei et salutis naufragium faciant, sed ut *gloriam illam in die Christi consequatur, quod non in vacuum cucurrerit nec in vanum apud ipsos laboraverit*, v. 16. Hortatur insuper, *ut nunc multo magis in absentia sua id faciant* v. 12. (quando scilicet erroribus falsorum doctorum ipse absens tam facile non possit resistere)
VIII. 13. quod si per operari salutem intelligeretur mereri salutem, consequens fuerit, Philippenses habuisse privilegium remissius merendi salutem in praesentia apostoli. Quemadmodum igitur Timotheus dicitur *se ipsum et auditores suos salvare*, 1. Tim. 4, v. 16. (non promerendo salutem, sed) *attendendo doctrinae*, quae est *potentia Dei ad salutem*, Rom. 1, v. 16. ita quoque Philippenses dicuntur operari salutem *sustinendo sermonem vitae, si scilicet in nullo terreantur ab adversariis, sed idem certamen habeant, quale viderint in apostolo* c. 1, v. 28. et 30. *siquidem, ut dignum est, evangelio Christi conversentur*, v. 27. Proinde quod apostolus hoc loco cum timore et tremore salutem operari jubet, idem plane est cum eo, quod 1. Tim. 1, v. 19. et 20. praecipit: *Milita bonam militiam habens fidem et bonam conscientiam, quam quidem repellentes circa fidem naufragium fecerunt.* Non tribuitur nostris operibus **efficientia** salutis, sed in bonis operibus hoc fine nos jubemur exercere, ne amissa fide et bona conscientia naufragium salutis faciamus; nec de causa et merito salutis, sed de curriculo et stadio vocationis fide jam justificatorum apostolus tractat, in quo cum timore ac tremore exclusa securitate et confidentia carnali ad propositum brabeum decurrendum esse admonet, 1. Cor. 9, v. 24: *Sic currite, ut comprehendatis.*

4. Tristitia secundum Deum operatur poenitentiam ad salutem. 2. Cor. 7.

53. 4. Ex 2. Cor. 7, 10: *Tristitia, quae secundum Deum est, poenitentiam in salutem stabilem operatur. Hic etiam videmus, rationem efficientiae. Tristitia enim poenitentiam, poenitentia salutem stabilem operatur.* Respondemus: locum hunc apostolicum late exposuimus in tractatu de poenitentia §. 45. Hac vice breviter monemus, apostolum nequaquam dicere, quod tristitia operetur poenitentiam ac poenitentia salutem, sed quod *tristitia secundum Deum operetur poenitentiam ad salutem*, hoc est salutarem illam poenitentiam, quae dicitur *μετάνοια εἰς ζωήν* Act. 11, v. 18. Dicitur autem poenitentia *εἰς σωτηρίαν καὶ ζωήν* salutaris et vivifica, non respectu prioris partis (contritionis puta), sed respectu partis posterioris, videlicet fidei in Christum, qui cum sanctissima sua obedientia et satisfactione plenissima salutem nobis promeruerit, ideo qui credit in eum, habet vitam aeternam.

5. Tribulationis nostrae momentaneum parit pondus aeternae gloriae. 2. Cor. 4.

54. 5. Ex 2. Cor. 4, 17: *Id enim quod in praesenti est, momentaneum et leve tribulationis nostrae supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur nobis. Si patientia tribulationis operatur pondus aeternae gloriae, quis negare poterit, relationem aliquam esse inter patientiam et salutem?* Respondemus: 1. Apostolus diserte asserit Rom. 8, v. 18. *passiones hujus temporis non esse condignas futurae gloriae in nobis revelandae.* Ergo patientia in afflictionibus non est meritum ac causa aeternae gloriae, effectus enim nunquam est praestantior vel dignior sua causa. Idem etiam diserte pronuntiat Rom. 11, v. 6: *Si ex gratia, jam non ex operibus;* jam vero *vita aeterna* est *χάρισμα* Rom. 6. v. ult. Ergo non provenit ex operibus, inter quae etiam est patientia. 2. Ideo vero afflictiones nostrae dicuntur operari aeternae pondus, quia in via mandatorum Dei ambulantibus et ad propositum brabeum contendentibus multa superanda sunt adversa. Act. 14, v. 22: *Per multas tribulationes oportet nos ingredi in regnum coelorum*, et quia largissima merces in coelo reposita est iis, qui fide justificati in afflictionibus patientiam praestant. Ambrosius in hoc loco: *Praesentis temporis tribulationes, quae causa fidei ingeruntur, momentaneas et leves dicit, quia sunt temporales; supra modum tamen in sublimitate aeternae gloriae pondus operari patientibus; parvis enim laboribus magna redditur merces et pro levi tribulatione supra modum sublimitas gloriae pensabitur perpetuae.* 3. Hoc ipso in loco apostolus confert momentaneam afflictionum levitatem et *καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν* aeternum gloriae pondus, eo ipso ostendens, nullam plane inter ea proportionem constitui posse; quid enim *τὸ παραυτίκα* ad *τὸ αἰώνιον?* quid *τὸ ἐλαφρὸν* ad *τὸ βάρος* VIII. 44.
καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολήν? 4. Proinde τὸ και-

ἐργάζεσθαι non notat causam efficientem meritoriam; sed ordinem illum, quo Deus ad perfectam salutis aeternae possessionem vere piis conferendam utitur, quod variis calamitatibus in hac vita eos prius subjicit, postea demum participes gloriae facit, quod prius tristi crucifixi Filii sui imagini eos conformat, postea demum corpora ipsorum glorificato Christi corpori conformia reddit. Ac respicit haec vox non dignitatem aliquam et meritum passionum (quod instituta ab apostolo ἀντίθεσις plane excludit), sed liberalem et gratuitam Dei promissionem, qua passiones piorum aeternis praemiis compensare constituit. 5. Vox illa *operatur* non statim causae meritoriae rationem importat. Quando enim apostolus Rom. 4, v. 15. scribit: *Lex iram operatur*, nequaquam docere voluit, quod lex sit causa irae, *num enim quod bonum erat praeceptum mihi factum est mors?* (causa mortis et irae?) *absit!*. Rom. 7, v. 13.

6. Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Rom. 8.

55. 6. Ex Rom. 8, 13: *Si Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Ubi mortificationem carnis necessariam esse ad salutem ut conditionem et causam ac per hoc relationem habere ad ipsam salutem, ostendit primum particula conditionalis, deinde antithesis; nam paulo ante dixerat: Si secundum carnem vixeritis, moriemini, neque enim dubitari potest, quin secundum carnem vivere sit causa mortis aeternae.* Respondemus: 1. Certum est, quando renati indulgent concupiscentiis carnis, abjiciunt poenitentiam et scelera contra conscientiam admittunt; quod tunc excidant salute. 2. Sed ex eo nondum sequitur, bona opera esse necessaria ad salutem acquirendam, promerendam vel conservandam. 3. Neque enim ideo per peccata contra conscientiam amittitur salus, quod fides apprehendens ac possidens Christum sit insufficiens ad justitiam et salutem, ita ut operibus auxiliares manus ipsi in hoc negotio praeberi sit necesse, sed quia fides non manet in his, qui abjiciunt poenitentiam et peccatis indulgent. 1. Tim. 1, v. 19: *Qui bonam conscientiam repellunt, naufragium faciunt circa fidem.* Coloss. 3, v. 5. enumerantur peccata contra conscientiam et additur, *propter illa venire iram Dei super filios incredulitatis*, qua de re inferius plura dicentur. 4. Requiritur ergo mortificatio carnis a renatis non ut meritum et causa salutis, sed ut fructus Spiritus ac fidei, ne scilicet salus propter Christum nobis donata iterum amittatur. 5. Secundum carnem vivere et Spiritu actiones carnis mortificare non opponuntur sibi aequaliter et iisdem gradibus. Secundum carnem vivere potest homo ex se ipso; sed actiones carnis mortificare non potest nisi ex Spiritus sancti dono; secundum carnem vivere est perfecte malum, Spiritu actiones carnis mortificare non est pure et perfecte bonum, inde est, quod secundum carnem vivere sit meritum mortis, sed carnis actiones mortificare non sit meritum vitae aeternae, quam diversitatem ipse apostolus ostendit Rom. 6, v. ult.: *Stipendium peccati mors est, donum autem Dei vita aeterna in Christo Jesu*, qua de re in quaestione de meritis operum dicetur uberius.

7. Si tamen compatimur ut et conglorificemur. Rom. 8.

56. 7. Ex Rom. 8, 17. 18: *Si tamen compatiamur, ut et conglorificemur, existimo enim, quia non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, ubi conditionalis particula indicat causam, et ratio addita de excessu gloriae ad passiones ostendit esse aliquam vim in opere patientiae ad acquirendam illam gloriam.* Respondemus: 1. Idem ad hoc argumentum respondemus, quod ad proxime praecedens. Tolerantia passionis requiritur non ut conditio causalis ac meritoria salutis, sed ut fructus fidei salvificae ac pars ordinis illius, quem Deus in negotio salutis nostrae observat. 2. Neque enim apostolus his verbis docet, ex quo principio oriatur illa filiorum Dei gloria, quam ex mera gratia propter Christum credentibus in ipsum donari ubique adstruit, sed quo ordine Deus ad illam gloriam credentes evehat, quod videlicet *per multas tribulationes oporteat ipsos intrare in regnum coelorum.* Act. 14, v. 22. VIII. 45. 3. Excessus ille gloriae ad afflictiones manifeste probat, patientiam piorum non esse causam efficientem meritoriam salutis, cum inter causam et effectum semper sit proportio. 4. Invertimus igitur Bellarmini argumentum. Collatio enim illa passionum ad gloriam et excessus unius ad alterum non infert, esse aliquam vim in opere patientiae ad acquirendam gloriam, sed plane negat, esse aliquam inter ista duo proportionem, qualem certe oportet esse inter efficientem et effectum, inter laborem et meritum. Gratuitam remunerationem afflictionum apostolus concedit, sed meritum de condigno disertis verbis excludit.

8. Ore fit confessio ad salutem. Rom. 10.

57. 8. Ex Rom. 10, 9: *Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Videmus hoc loco, non sufficere fidem ad salutem, quae vera et integra in corde esse non potest, nisi accesserit etiam externa confessio.* Respondemus: 1. Ipse Bellarminus concedere cogitur, externam confessionem non esse absolute et simpliciter necessariam, uti docet exemplum infantum baptizatorum, quos infuso fidei habitu absque externa confessione salvos fieri disputat lib. 1. de baptismo c. 11. 2. Apostolus eo in loco nequaquam ita distinguit justitiam et salutem, ut illam fidei, hanc vero operibus tribuat, vel etiam veram fidem absque operibus justificare et salvare neget, cum eo ipso in loco *legem factorum et verbum fidei, facere et credere*, hoc est fidem et opera, quoad articulum justificationis opponat atque ex professo contra operum justitiam disputet. 3. Sed ostendit, quae et qualis sit illa fides, quae salutem consequitur, nempe vera, viva et efficax; non est autem vera et viva fides, quae non ostendit se in confessione, quae explicatio traditur in apologia Augustanae confessionis. 4. Loquitur ergo apostolus *de fide concreta* (ut habet Lutheri terminus), hoc est describit fidem a suis fructibus, quod scilicet arbor fidei per fructum confessionis atque invocationis progerminare debeat,

Psalm. 116, v. 10: *Credidi, propter quod locutus sum.* 2. Cor. 4, v. 13: *Habentes eundem spiritum fidei et nos credimus, propter quod et loquimur.* 5. Concedimus, non esse veram et integram in corde fidem, si non accedat confessio externa (videlicet in adultis et quando gloria Dei et salus proximi eam exigit), sed ex eo nondum sequitur. Ergo confessio requiritur ad acquirendem, promerendam vel conservandam salutem; sed hoc tantum sequitur, quod requiratur ad contestandam fidem et salutem, quae per fidem in Christum obtinetur. Fides enim per confessionem sese exserit seque veram esse et salutem in Christo obtinere demonstrat. 6. Phrasis igitur illa *ad salutem* non significat causam, propter quam detur salus, sed ordinem Dei, quibus scilicet gradibus salutem nostram perficiat, ad finem illum ultimum perducat, sicut *finis sanctificationis dicitur vita aeterna* Rom. 6, v. 22. Quae tamen est et manet *χάρισμα* v. 23. Unde quidam agnoscunt hebraismum in hac phrasi: ore fit confessio ad salutem, id est confessio salutis. 7. Sin vero Bellarminus hoc sensu asserit, fidem veram et integram in corde esse non posse, nisi accedat exterior confessio, quod fides cordis per confessionem oris formetur et quasi animetur ac proinde vim salvandi a confessione mutuetur, vel certe cum ea communem habeat, negamus, hoc sensu fidem sine confessione externa non esse integram, sed talem inter fidem et confessionem constituimus relationem, qualis est inter causam et proprium effectum; ut enim *fides efficax est per dilectionem* Gal. 5, v. 6. ita quoque efficax est per confessionem. 8. Perperam igitur ex hoc loco Bellarminus colligit, fidem non sufficere ad salutem. Quamvis enim vera fides non sit sine externa confessione, tamen ipsa confessio non ingreditur fidei essentiam, neque una cum fide justificat et salvat, sed ex vera fide oritur; ubi ergo confessio abest, ibi fidem abesse, vel certe non esse veram et vivam fidem intelligitur. 9. Nec improbari potest eorum explicatio, qui verbum *ὁμολογεῖσθαι* in textu apostolico inter-
VIII. 14. pretantur de praeconio et meditatione evangelii sive illud publice quis doceat, sive privatim secum repetat, quo sensu accipitur Hebr. 3, v. 1. c. 4, v. 14. c. 10, v. 23. loquitur enim apostolus de verbo gratiae, cui correspondet fides, quod verbum unum idemque est tum in corde credentis, tum in ore confitentis, nempe de Domino nostro Jesu Christo propter peccata nostra mortuo et propter justitiam nostram ex mortuis resuscitato: quam explicationem et scopo et contextui conformem esse facile ostendi potest. Neque enim dubium est, apostolum stilum suum conformasse ad dictum Mosaicum Deut. 30. ubi cum et cordis et oris facta fuisset mentio, retinere illam locutionem D. Paulus voluit, quasi dicat, doctrinam evangelii in promptu esse et sonare in corde nostro sincera fide; non igitur opus ad illam discendam vel in coelum adscensu vel in abyssum descensu, vel ultra mare navigatione. Vide analysin hujus decimi capitis traditam a D. Mentzero ac tom. 1. Disp. Giss. subjunctam.

58. *9. Matth. 25, 34 seqq.: Venite benedicti Patris* 9. Venite, benedicti, esurivi enim etc. Matth. 25.
mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim et dedistis mihi manducare etc. *ubi ratio addita luculenter ostendit, bona opera esse aliquo modo causam aeternae salutis.* Respondemus: 1. Quod vita aeterna detur electis non tanquam operum bonorum meritum, ibidem manifeste ostenditur. Primo enim dicuntur *benedicti*, videlicet in benedicto illo semine, in Christo per fidem apprehenso, non autem benedicentes se in suis operibus atque in illis confidentes. Galat. 3, v. 8: *Praevidens Scriptura, quia ex fide justificat gentes DEUS, proevangelizavit Abrahae, quia benedicentur in te omnes gentes;* v. 9: *igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.* Deinde vita aeterna datur eis ut *hereditas*, ergo non ut meritum, *κληρονομήσατε*, hereditate accipite, paternum bonum, vobis ut filiis jure adoptionis dandum, jam vero per fidem contingit *υἱοθεσία*, utique ergo et hereditas regni coelestis. Galat. 3, v. 26: *Omnes filii Dei estis per fidem in Christo.* Rom. 8, v. 17: *Si autem filii, utique etiam heredes.* Praeterea regnum illud dicitur electis *paratum a constitutione mundi*, nimirum quia *electi sunt in Christo ante jacta mundi fundamenta*, Eph. 1, v. 4. *Antequam quidquam boni velmali fecissent*, Rom. 9, v. 11. Quomodo ergo potuerunt illud suis operibus promereri? Praeparatio illa regni nihil aliud est quam hominum ad vitam aeternam praedestinatio. Jam vero praeparatio illa non est facta propter opera, ut suo loco ostendimus. Ergo nec ipsa possessio propter opera contingit. Denique immensam praemiantis largitatem electi mirantur, ac hoc ipso declarant, quod simplici corde, non autem mercedis intuitu benefecerint, quodque opera sua non agnoscant tanta renumeratione digna. Gloss. ord. hoc loco: *Dicunt haec non diffidentes de verbis Domini, sed vel stupentes pro magnitudine majestatis regis, vel quia parum illis videtur omne opus bonum, quod fecerunt.* Quodsi in hac vita opera sua vitae aeternae ex condigno meritoria esse credidissent ac fine et intentione coelum promerendi eadem fecissent, nequaquam in illam admirationem prorumperent. Quando intentioni respondet finis, id certe non contingit praeter exspectationem. Huc referendum est, quod analogia fidei doceat, *vitam aeternam esse χάρισμα*, Rom. 6, v. 23. *Gratia nos salvatos esse, non ex operibus, ne quis glorietur*, Ephes. 2, v. 9. Addimus egregium locum ex 2. Timoth. 1, v. 16. 17. et 18. ubi apostolus ita precatur: *Det misericordiam Dominus Onesiphori familiae, quoniam saepe me refocillavit* (esurienti dedit edere, sitienti bibere etc.) *et catena mea non erubuit* (in carcere eram et venit ad me) *det ei Dominus, ut inveniat misericordiam apud Dominum in illo die, et in quam multis Ephesi ministraverit, melius tu Timothee nosti.* Ergo qui opera misericordiae a Christo enumerata exercuerunt, invenient et ipsi misericordiam sive gratiam in illo die, quod si *per gratiam* salvantur, *jam non ex operibus*, Rom. 11, v. 6. 2. Haec ergo

a Christo adducuntur, non ut ποιητικά, ut causae efficientes vitae aeternae, sed ut σημαντικά, ut testes et fructus, quibus declararunt vere pii, se esse in numero electorum ac vere credentium. Causam
VIII. 47. vitae aeternae jamdum expresserat Christus, videlicet gratuitam Dei misericordiam, qui in Christo nos elegit ac in filios adoptavit, exponit igitur indubitata illius electionis et υἱοθεσίας indicia, videlicet opera caritatis, per *quae vera fides est efficax* Gal. 5, v. 6. Judicium illud visibile ac publicum coram augustissimo angelorum et hominum conspectu instituetur, jam vero fides in Christum occulta est, nec conspici potest nisi in operibus, illa igitur producuntur tanquam indubitati testes justitiam fidei comprobantes. Euthym. in hoc loco: *De sola caritate disserit, non quod cetera vel justorum bona opera vel peccatorum delicta sine examinatione vel discussione relinquenda sunt, sed confirmare volens, quod caritatem maxime requirit, et hanc prae omnibus expetit utpote Christianis maxime necessariam, cujusque enim Christiani insigne, quo dignosci potest, est dilectio; hujus autem optima pars est pauperum amor et erga proximum misericordia.* 3. Ex quibus patet, particulam γάρ hoc loco non esse causalem, sed ratiocinativam, qua non causa vitae aeternae, sed qualitas eorum, qui ad regnum coeleste vocandi sint, denotatur, quemadmodum in aliis Scripturae dictis passim usurpatur; cum primis huc referendum est dictum Johannis 1. epist. 3, v. 14: *Scimus, quod translati simus de morte in vitam, quoniam* (ὅτι) *diligimus fratres.* Ubi dilectio constituitur ut nota consequentis: beatissimae illius translationis ex morte in vitam, quae in extremo die revelabitur. 4. Regerit Bellarminus: *Non oportet verba Domini expressa dimittere et alia, quae ipse non dixit, et quae in quaestione sunt posita, aliunde accersere. Quod enim bona opera sunt necessario cum vera fide conjuncta ejusdemque infallibilia signa, id Dominus hoc loco non dicit, ubi ne fidei quidem meminit, et res in quaestione posita est; at quod propter bona opera detur regnum coelorum disertis verbis hoc loco Scriptura testatur.* Respondemus: Quamvis disertis verbis atque explicite non fiat hoc in loco fidei mentio (propter causam antea assignatam, quod visibilis ille judicii processus juxta externa opera interioris et in corde latentis fidei testimonia instituendus sit), implicite tamen illius mentionem fieri, adeoque ipsi soli salutem et vitam aeternam exclusis operum meritis adscribi evidenter ostendimus. Propter opera regnum coelorum dari ex hoc loco tum demum evinci poterit, si particulam *enim* ubique causalem esse evictum fuerit. 5. lib. 5. de justificatione c. 3. regerit, *particulam γάρ in membro posteriore esse causalem, cum mala opera sint damnationis merita, relinqui igitur, quod et in priore membro causalis sit.* Respondemus: Imo vero in membro posteriore itidem est ratiocinativa ac δεικτική. Christus enim ubique propriam immediatam, proximam et adaequatam damnationis causam constituit incredulitatem, Joh. 3, v. 16. et 38. Marc. 16, v. 16. jam vero cum incredulitas illa in corde lateat, ideo producuntur opera mala, praesertim immisericordia erga proximum, tanquam fructus et testimonia illius latentis incredulitatis, 1. Joh. 3, v. 17: *Qui habuerit substantiam hujus mundi et viderit fratrem suum egere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* v. 14: *scimus, quod ex morte translati sumus in vitam, quia diligimus fratres; qui non diligit, manet in morte.* Adde, quod dispar sit ratio bonorum operum ad salutem ac malorum ad damnationem. Non enim dicit Christus aeternum illum ignem a DEO paratum hominibus damnatis, sicut regnum dixerat paratum electis et benedictis, ne Dei ordinationi sic adscribatur hominum damnatio, sicut eorum salvatio, sed ut intelligamus, Deum neminem creasse ad perditionem, homines vero sua sponte suisque peccatis participes et obnoxios sese facere illis, quae inprimis et potissimum diabolo et ipsius angelis erant parata, nec dixit prius regnum, ad quod vocantur justi, paratum angelis justis, sicut nunc dicit ignem paratum diabolo et angelis malis, ne similiter intelligamus, homines mereri angelorum bonorum consortium, sicut merentur consortium malorum. Divinae benignitati tribuendam justorum salvationem significavit, dicens regnum illis a constitutione mundi paratum, humanae vero malitiae injustorum condemnationem deputandam, cum dicit ignem non ipsis paratum, sed diabolo.

59. 10. Jacob. 1, 25: *Qui perspexerit in lege perfecta libertatis et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit. At quomodo quaeso beatus in suo facto, si facta nullam habent relationem ad beatitudinem, sed solum praesentiam suam otiose exhibent? Adde quod idem apostolus ait cap. 2: Quid proderit, fratres mei, si quis dicat, fidem se habere, opera autem non habeat, numquid poterit fides sua salvare eum?* Respondemus: posterioris dicti expositionem in tractatu de justificatione §. 158. satis luculentam proposuimus. In priore Jacobi dicto lex libertatis accipitur pro universa doctrina coelesti divinitus patefacta, quam v. 22. et 23. hujus capitis generali appellatione vocat λόγον. Dicitur autem *lex perfecta*, quia perfecte tradit salutis viam; *lex libertatis*, quia Spiritus Christi per praedicationem evangelii (quod est doctrinae coelestis pars altera) credentibus datus efficit, ut liberati a servitute peccati spontaneam obedientiam legi praestent, Rom. 8, v. 2: *Lex Spiritus vitae in Christo liberavit me a lege peccati et mortis.* Permanere in ea dicitur, qui verbum evangelii fideli corde recipit et juxta praescriptum legis pie vivit, quemadmodum etiam Christus dicit Joh. 8, v. 31: *Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis.* Quando factor operis in suo facto beatus pronuntiatur, id nudae auditioni opponitur, atque in actione, non in auditione ac nuda γνώσει beatitudinem sitam esse docetur, sic enim habent verba apostoli v. 22: *Estote*

VIII. 48. 10. Qui perspexerit in lege perfectae libertatis etc. beatus erit in opere suo. Jac. 1.

factores verbi, *non auditores tantum fallentes vos ipsos;* v. 23: *quia si quis auditor est verbi et non factor*, *hic comparabitur viro consideranti vultum* etc.; v. 25: *qui autem perspexerit in legem libertatis perfectam et permanserit in ea*, *non auditor obliviosus*, *sed factor operis*, *hic beatus in facto suo erit.* Nihil ergo aliud ex hoc Jacobi dicto elici potest, quam quod vere pii et credant evangelio et operibus juxta legis praescriptum factis fidem suam testentur. Ergo bona opera relationem habent non ad beatitudinem hominis tanquam causae ad effectum, sed ad hominem beatum tanquam adjuncta ad subjectum.

Dicta patrum. 60. Quartam argumentorum classem, quibus operum necessitatem ad salutem probet, petit Bellarminus ex *traditione ecclesiastica*, ubi primo comparat nostram doctrinam cum profligatissima Simonianorum et Eunomianorum haeresi, cui calumniae satisfecimus superius §. 44. Deinde profert *varia patrum dicta*, quibus negant fidem sufficere ad salutem, nisi accedant opera. Respondemus: 1. Quandocunque patres fidem sine operibus sufficere negant, loquuntur de fide vel haeretica et falsa, vel mortua et inani, vel historica solum notitia, vel nuda fidei professione; nos autem quando cum apostolo dicimus, *fide justificari hominem absque operibus legis*, fidem intelligimus veram et vivam, quae per caritatem et omnis generis bona opera efficax est, licet ea in justificationis actum non adsciscat. 2. Quando veteres fidei et bonorum operum conjunctionem urgent, nequaquam hoc volunt, quod fides et opera eodem modo sese habeant ad justitiam et salutem (cujus contrarium exstat in illis dictis, quibus sola fide hominem justificari et salvari nobiscum pronuntiant), sed naturam verae fidei describunt, quae a bonis operibus tanquam propriis et necessariis suis fructibus separari nec possit nec debeat. 3. Aliud ergo est statuere, quod bona opera sint necessaria, aliud vero, quod sint necessaria ad salutem. Nequaquam docemus, quod *credentibus non obsit quorumvis perpetratio et perseverantia delictorum* (sicut in hoc capite Bellarminus nobis impudenter tribuit), sed veram fidem cum peccatis contra conscientiam consistere disertis verbis negamus, eandem vero cum bonis operibus individuo nexu conjunctam esse dicimus. Necessarium ergo ac necessario urgendum esse dicimus bonorum operum studium propter causas complures superius enumeratas, ita tamen ut articulo de justificatione sua constet integritas. 4. Si quid impensius de bonis operibus pii veteres pronuntiant, noverimus eos in homiliis ad populum

c. 10. versari, ideo cum viderent, bonorum operum studium apud plerosque frigescere, necessitatem bonorum operum ac perpetuam eorundem cum fide connexionem merito urserunt, quandoque etiam rhetoricati immodicis laudibus eadem extulerunt. Recognoscat Bellarminus sua verba lib. 2. de grat. et lib. arb. cap. 14. resp. ad 3: *Patres* (asserentes Deum elegisse eos, quos praescivit justos futuros, quorum bonum propositum ante praenoverat) *cum ad populum verba facerent*, *ea dicebant*, *quae utiliora videbantur ad excitandos homines ad opera bona.*

61. Quinta classis argumentorum petita est ex quadam ratiocinatione, quam hoc modo Bellarminus format: *Si fides sola salvaret et opera non essent necessaria nisi ratione praesentiae ut fructus et signa fidei*, *sequeretur*, *fidem salvare posse*, *etiamsi careret omni bono opere et conjuncta esset omnibus vitiis et peccatis. Consequens est falsum. Ergo et antecedens.* Respondemus: ejusdem generis sophisma excussimus in tractat. de justificat. §. 142. Videamus tamen, quid pro confirmanda connexione propositionis, quam dicimus esse falsissimam, Bellarminus hoc loco afferat: *Opera* (inquit) *non requiruntur in actu salvandi nisi per accidens*, *nullam enim ipsa vim salvandi habent*, *neque addunt fidei neque tollunt a fide vim*, *quam habet salvandi*, *ut adversarii contendunt*, *igitur bonis operibus omnibus sublatis adhuc salvaret.* Respondemus: putidum hoc sophisma toties repetitum et inculcatum procedit ex falsa hypothesi, quod fides vera possit esse sine bonis operibus, quin etiam cum malis operibus, hoc est cum peccatis contra conscientiam conjuncta, cujus contrarium suo loco evidentissime ostendimus. Duplicem ἐνέργειαν fidei tribuimus, formalem unam, qua respicit Christum, quem apprehendit, tenet ac possidet, ad hanc fidei ἐνέργειαν non concurrunt opera, sed sola fides in ea agit; effectivam alteram, qua respicit proximum, cui dilectionem et omnis generis officia impendit. Quamvis igitur fides sola justificet et salvet, nunquam tamen est sola, hoc est a bonis operibus separata. Vicissim quamvis vera fides non sit a bonis operibus separata, nequaquam tamen ex eo sequitur, quod una cum bonis operibus justificet et salvet, multa enim sunt simul, quae tamen ad unum eundemque effectum producendum non concurrunt, ut aliquot exemplis superius demonstratum fuit. Quod ergo Bellarminus infert, *bona opera non habent vim salvandi*, *nec eam addunt vel adimunt fidei*, *ergo sublatis bonis operibus fides adhuc salvat*, id peccat contra leges verae consequentiae, cum consequens plus concludat, quam antecedens permittit, id enim tantum sequitur, ergo bona opera non simul cum fide justificant et salvant, sed hoc soli fidei relinquendum. Nequaquam vero inferri potest: ergo sublatis bonis operibus fides adhuc salvat, quia sublatis vel negatis operibus bonis tollitur vel negatur ipsa fides, talis enim fides est mortua et inane simulacrum, est cadaver quoddam fidei, non autem vera et salvifica fides. *At*, inquit Bellarminus, *sufficit ad hypotheticam propositionem statuendam*, *fidem sine operibus bonis intelligi posse atque ab eis*, *si non re*, *saltem ratione separari*, *quod ne adversarii quidem negare possint.* Respondemus: Dianoëtica illa abstractio non immutat rei naturam, sed distinctis conceptibus apprehendit ea, quae inter se sunt et manent perpetuo conjuncta, nequaquam igitur ex ea inferri potest, fidem omnibus bonis operibus realiter destitutam esse ac manere veram fidem, ergo etiam non

5. Rationes.

potest ex ea inferri, quod fides omnibus bonis operibus realiter destituta justificet et salvet. Considerari potest fides absque operibus, non autem esse; quodsi non est absque operibus, utique etiam nullus effectus ei tribui potest, non-entis enim nulla sunt effecta. Sic ignis et calor ratione separari possunt, interim tamen re semper sunt conjuncta, praesertim quoad calefaciendi potentiam, quam ne quidem divina potentia ab igne separari disputant Scholastici, ut notum est Bellarmino; ita quoque fides et opera ratione separari (vel ut rectius loquamur distingui) possunt, interim tamen re ipsa semper sunt et manent conjuncta, fide enim Christus habitat in cordibus nostris, ubi Christus, quomodo ibi exsulare pos-
VIII. 50. sunt opera bona? Monendum tamen, per opera bona intelligi hoc loco interiorem renovationem et sanctificationem, nam externa bona opera a fide et justificatis quandoque abesse, ipse Bellarminus concedit, uti vidimus §. 47. membr. 11. **Dupliciter vero aliquid dicitur *adesse per accidens*. Uno modo, ut adesse possit et abesse indifferenter, altero, ut adsit non immediate, sed propter aliud. Priori modo concederetur Bellarmini consequentia, quomodo paternitati ita per accidens adest eruditio. Atqui in hoc ordine constitui non possunt opera bona, nisi destruatur ipsa hypothesis, quae ponit necessitatem praesentiae. Altero modo possunt quidem nonnulla etiam adesse et abesse, sed non omnia tamen, opera etsi adsint per accidens rei propositae, id est per aliud, tamen huic ipsi, per quod adsunt, necessaria sunt. Sic Isaaci hominis ac proinde rationalis genitorem oportet esse rationalem. Ita huic generationi ratio est necessaria, etsi per accidens, nimirum per aliud. Non enim adest ratio generationi per se et ex ipsa generationis natura, sed adest tamen huic generationi necessario.**

An bona opera sint perfecta.

62. Atque haec dicta sint de necessitate bonorum operum, succedit quaestio de eorundem perfectione. Bellarminus lib. 4. de justificat. c. 10. nobis hanc tribuit sententiam, quod doceamus, *legem divinam esse plane impossibilem homini, etiam justo, ac nullam esse in nobis actualem justitiam, sed omnia opera justorum esse mortalia peccata ex natura sua*, contra vero a Catholicis (Romanensibus) summa consensione dicit doceri contrarium, videlicet *primo legem Dei justis hominibus absolute esse possibilem, non quidem per solas vires liberi arbitrii, sed per auxilium gratiae et spiritum fidei et caritatis in ipsa justificatione infusum; secundo opera justorum esse simpliciter et absolute justa ac suo modo etiam perfecta, quamvis non ea perfectione, quin crescere possint et quin non admisceantur interdum operibus bonis aliqua opera mala, non quidem mortifera, sed venialia, quae non impediunt, quominus justi maneant, qui justi erant; tertio operibus justis hominem vere justificari non prima, sed secunda justificatione, quae non facit justos ex impiis, sed justiores ex iis.* Haec tria dicit haberi in concilio Tridentino sess. 6. cap. 10. et 11. seque eadem sigillatim probaturum pollicetur. Respondemus: 1. Concedit Bellarminus, legem non posse impleri per solas liberi arbitrii vires, qua ratione discedit a quibusdam Scholasticis et Pontificiis Scriptoribus. Neque enim per calumniam illis hoc tribuimus, ut Bellarminus in hoc capite conqueritur, sed quod res est dicimus. Notum enim est, quid Scotus, Occamus, Petrus de Aliaco et Biel statuant, quod *voluntas viatoris ex suis naturalibus possit Deum super omnia diligere, quod liberum arbitrium ex suis naturalibus sine gratia possit elicere actum moraliter bonum, peccatum mortale novum quodlibet cavere, divina praecepta quoad substantiam actus implere.* Quamvis vero addant, praecepta Dei non posse impleri sine gratia *quoad intentionem praecipientis*, in eo tamen sibi ipsis contradicunt. Quae enim alia Dei praecipientis intentio, quam ut se diligamus super omnia ex toto corde, tota anima omnibusque viribus? Ergo si homo non renatus potest Deum diligere super omnia ex puris naturalibus, utique etiam quoad intentionem praecipientis praecepta implere potest. Roffensis contra Lutherum agnoscit, hanc esse quorundam Scholasticorum sententiam. *Patres* (inquit) *asserunt, neminem posse quicquam boni velle sine speciali Dei auxilio, nec sufficere generalem illum influxum. Nonnulli contra Scholastici contendunt, hunc sufficere, ut quis absque illo auxilio bene moraliter agere et bonum facere possit non solum ex genere, sed etiam quod debitis undique circumstantiis ornatum sit.* Latomus scriptis publice editis defendit, *homines* VIII. 5
ante Moysen salvatos esse lege naturae. In concilio Tridentino monachus quidam Franciscanus Tridenti publice concionatus est, *gentiles, qui vitam honestam duxerint, etiam sine cognitione Christi salvatos esse.* Refert Sleidanus libr. 23. histor. Id ipsum postea Andradius, unus ex Tridentinis patribus, publicis scriptis asseruit. Notum est Erasmi de Cicerone judicium, etc. Quodsi gentiles sine Christo salvati, aut ex lege, aut ex evangelio salus ipsis contigit; non ex evangelio, uti constat, ergo ex lege. Quodsi ex lege, utique perfecte impleruntlegem, siquidem non potest ex lege sperari salus absque perfecta ejusdem impletione. Ergo ex puris naturalibus impleverunt legem, hoc est absque Christi gratia et Spiritu, qui per solam evangelii praedicationem confertur. Quid quod ipse Bellarminus fateri cogitur, impletionem legis ex puris naturalibus haberi posse. Sic enim argumentatur lib. 4. de justific. c. 13. rat. 3: *Si lex esset impossibilis, sequeretur, Deum omni tyranno esse crudeliorem et stultiorem, quippe qui ab ipsis etiam amicis exigeret, quod nemo solvere posset, et leges ferret, quas sciret a nemine observandas.* Atqui lex Dei non solum ad renatos et Dei amicos, sed ad omnes omnino homines pertinet, quare si connexio majoris satis firma, sequetur, aut homines non renatos itidem implere posse legem, quippe quibus non minus quam renatis proponitur, aut illorum respectu Deum esse crudelem tyrannum. Vide tract. de lege §. 188. 2. Nimis largiter Bellarminus scribit, *nos docere, quod nulla sit in nobis*

actualis justitia. Atqui non negamus, novam obedientiam renatorum esse quandam justitiam, alias evidentissimis Scripturae dictis contradicere necessarium foret, Luc. 1, v. 74: *Liberati de manu inimicorum serviunt Deo in sanctitate et justitia.* 1. Joh. 3, v. 7: *Qui facit justitiam, justus est;* hoc vero est, quod negamus, justitiam illam esse omnibus numeris perfectam ac coram Dei judicio subsistere posse, adeo ut per et propter eam coram ipso justificemur. Quando igitur titulum hujus capitis Bellarminus sic informat: *proponitur quaestio de veritate justitiae operum*, ludit quadam ambiguitate in voce *veritatis;* ea enim vel opponitur imperfectioni vel hypocrisi. Priori modo negamus, justitiam actualem esse veram, hoc est modis omnibus perfectam et omni peccati labe vacuam; posteriori modo concedimus, actualem renatorum justitiam esse veram, hoc est ἀνυπόκριτον, ex sincero et simplici corde profectam. August. 19. de civ. Dei c. 27: *Ipsa nostra justitia, quamvis vera sit propter veri boni finem, ad quem refertur, tamen tanta est in hac vita, ut magis peccatorum remissione constet quam perfectione virtutum.* Bernhardus de verb. Esa. serm. 5. col. 250: *Nostra si qua est humilis justitia, recta forsitan, sed non pura.* 3. Illud etiam invita veritate a Bellarmino asseritur, quod statuamus, omnia opera justorum esse peccata mortalia ex natura sua, cujus ἐγκλήματος depulsionem quaere superius §. 39. 4. Bellarminus sibi ipsi contradicit; si enim bona opera non sunt ea perfectione perfecta, quin crescere possint (addo etiam quod crescere debeant) ac si opera quaedam mala, hoc est peccata venialia, illis sunt admixta, utique non sunt modis omnibus absolute et simpliciter perfecta atque incontaminata. Novimus quidem, pro Bellarmino responderi posse, quod statuat, non esse necessarium, ut bona opera summam perfectionem in lege praescriptam assequantur, *cum quaedam in lege praecipiantur, non ut indicetur, quid faciendum sit, sed ut indicetur solum finis, ad quem oporteat adspirare*, vel ut Stapletonus loquitur, *quaedam praecepta sunt doctrinalia, quaedam obligatoria;* sed putidam illam distinctionem jamdum evertimus in tract. de lege morali §. 181. Novimus etiam, pro Bellarmino responderi posse, quod *peccata venialia non sint vere et proprie dicta peccata; cum non fiant contra, sed tantum praeter legem ac sint sua natura venialia;* sed pharisaicum illud somnium itidem evertimus in tractat. de peccat. actualibus §. 92. et seqq. 5. Unam tantum justificationem, sicut unum Christum atque unicam salutem novimus, quae ergo de secunda justificatione per bona opera afferuntur, ea doctrinae apostolicae adversari dicimus, id quod suo loco comprobatum dabimus. ** Photiniani itidem statuunt perfectionem operum. Schmaltz. in refut. disp. 2. de pecc. orig. D. Frantz. p. 55: *Perfectio duplex est, absoluta et comparata. Absoluta est, quando quis ne unum peccati actum committit; comparata est, quando quis nullius peccati habitu vel assuetudine implicatus est, sed plerumque id facit, quod Christi praecepta jubent. Ad illam adspirandum est, at haec necessario possidenda, et qui hanc possidet, is perfectus est ex mente sacrarum literarum et justus, quatenus Deus id, quod talis homo facit, pro perfectione accipit et ipsum pro justo habet;* p. 56: *in illa comparate perfecta justitia dantur gradus. Potest enim aliquis secundum Spiritum ambulare, sed aegre, sed invitus quodammodo et reclamante perpetuo ipsius appetitu, utpote qui nondum prorsus superatus est. Et rursus potest aliquis secundum Spiritum ambulare, hoc est plerumque id facere, quod rectum est, libenti animo et absque magna lucta. Imo statuendum est, posse hominem adjutum Dei Spiritu eo usque progredi, ut fere semper summa cum alacritate et jucunditate faciat Dei voluntatem, etiamsi fiat, ut interdum a vera pietatis semita aliquantisper aberretur.***

Nostra sententia de bonorum operum perfectione.

63. Nostra haec est sententia, quod bona opera renatorum non assequantur perfectionem in lege divina praescriptam, cum sint imperfecta et inquinatione peccati sordidata, adeo quidem, ut si Deus ex stricto justitiae suae rigore in lege divina expressae eadem judicare velit, non modo possint ipsi non placere, sed etiam meritissime repudiari, sed fide in Christum imperfectionem illam tegi et adhaerentes peccati sordes condonari, quo sensu superius assertum fuit fidem esse bonorum operum formam. 1. Petr. 2, v. 5: *Renati tanquam domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerunt spirituales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum.* (Ideo spirituales illae hostiae, i. e. bona renatorum opera, Deo placent, quia fiunt ex fide.) Porro imperfectionem illam operum nostrorum demonstramus his fundamentis:

Imperfectio bonorum operum demonstratur.

1. Quicquid non assequitur summum perfectionis gradum in lege praescriptum, illud non est perfecte bonum. Renatorum opera non assequuntur summum perfectionis gradum in lege praescriptum. Ergo non sunt perfecte bona. Bellarminus agnoscit, ex ἀδυναμίᾳ perfecte implendi legem recte inferri bonorum operum imperfectionem; negat autem implendae legis ἀδυναμίαν, quam cum evidentissimis argumentis in tractatu de lege assertam dederimus, lectorem eo remittimus. 2. Ubi non est perfecta Dei dilectio, ibi etiam non est mandatorum divinorum perfecta observatio. Atqui in renatis, quamdiu in hoc mundo peregrinantur, nondum est perfecta Dei dilectio. Ergo non est in eis perfecta mandatorum divinorum observatio et per consequens bona opera eorum non sunt perfecte bona. Major est satis evidens, siquidem *summa et finis praecepti est caritas ex corde puro conscientia bona et fide non ficta*, 1. Tim. 1, v. 5. *In praecepto dilectionis tota lex ἀνακεφαλαιοῦται*, Matth. 22, v. 40. Rom. 13, v. 9. 10. Minorem late probavimus in tractat. de lege §. 181. hoc loco illud solummodo urgemus: Ubi non est perfecta summi boni agnitio, ibi etiam non habet locum perfecta ejus dilectio. Atqui in hac vita non est perfecta summi boni agnitio, 1. Cor. 13, v. 9: ἐκ μέρους γινώσκομεν. Ergo nec locum habet perfecta ejus dilectio. Neve

quis excipiat, *imperfectionem illam dilectionis nihil quicquam detrahere actuali justitiae, quo minus legi perfecte satisfacere ac severum Dei judicium sustinere possit,* audiat Augustin. epist. 29. ad Hieron.: *Virtus est caritas, qua id, quod diligendum est, diligitur, haec in aliis major, in aliis minor, in aliis nulla, plenissima vero, quae jam non potest augeri, quamdiu hic homo vivit, est in nemine; quamdiu autem augeri potest, profecto illud, quod minus est quam debet, ex vitio est* (nota, imperfectio deputatur vitio, at num forte est tantum naevulus quidam perfectionem justitiae actualis neutiquam tollens? ita quidem Bellarminus statuit, sed attendenda sunt
VIII. 53. sequentia), *ex quo vitio non est justus in terra, qui bonum faciat et non peccet, ex quo vitio non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens, propter quod vitium, quantumlibet profecerimus, necessarium est nobis dicere, dimitte nobis debita nostra*, etc. 3. Renati in hac vita non sunt perfecti. Ergo nec opera eorum sunt perfecta. Consequentiae ratio est satis manifesta, quia nulla perfectio effectui potest tribui, quae non sit in causa vel formaliter vel virtualiter. Antecedens patet 1. Cor. 13, v. 10: *Cum venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est.* Phil. 3, v. 12: *Non quod jam apprehenderim aut perfectus sim, sequor autem, si comprehendam* etc. Quo vero sensu ac respectu in quibusdam Scripturae dictis renati dicantur perfecti, illud exponit Augustinus in libr. de perfectione justitiae contra Coelestium Pelagianum, vide tract. de lege morali §. 192. 4. Quaecunque opera non procedunt totaliter et perfecte ex Spiritu, hoc est ab homine, qui totus est spiritualis omni vetustate carnis abolita, ea non sunt perfecte bona. Ratio connexionis haec est, quia *lex est spiritualis*, Rom. 7, v. 14. hoc est requirit spiritualem, integram et perfectam obedientiam, non qualemcunque solum externam, sed etiam internam, quae non nisi ab homine penitus spirituali proficisci potest. Atqui opera renatorum non procedunt totaliter et perfecte ex Spiritu, hoc est ab illis, qui toti sint spirituales omni vetustate carnis abolita, quod apostolus ibidem asserit, *sese adhuc carnalem* (ex parte scilicet) *esse* pronuntians. Ergo bona opera renatorum non sunt totaliter et perfecte bona.

Immunditiem bonis operibus adhaerere demonstratur. 1. Omnes nostrae justitiae, velut pannus menstruatae. Esa. 64.

64. Immunditiem bonis operibus adhaerere demonstramus: 1. ex evidenti dicto Esaiae prophetae c. 64, v. 6: *Facti sumus ut immundi omnes, et omnes nostrae justitiae sunt instar panni menstruatae.* Quid manifestius dici posset, quam omnes nostras justitias propter adhaerentem peccati immunditiem esse similes panno menstruatae? **P. Bertius in praefat. tract. Arminii de vero et genuino sensu c. 7. Rom.: *Apud Esaiam ecclesia Israëlitica multiplici idololatria, defectione a Deo aliisque infinitis sceleribus inquinatissima, cum a Deo propter istas foeditates graviter puniretur, lamentabunda querens de gravitate poenarum simulque etiam exomologesin faciens peccatorum fatetur inter cetera, justitias suas ut pannum menstruatae esse, designans nimirum optima opera, quae durante publica defectione sua praestiterat. Hic locus vulgo perniciosa torsione corrumpitur, allegatur enim perpetuo ac si sensus illius inferret, excellentissima quaeque praestantissimorum Christianorum opera (ac proinde etiam ardentissimas preces in nomine Christi fusas, eleemosynas ex animo vere et intima misericordia commoto praestitas, denique et martyrium propter Christum ad sanguinis effusionem usque obitum) esse ut pannum menstruatae, hoc est foeda, abominanda, horrenda coram facie Dei merasque adeo abominationes, quo nomine cum sola flagitia et scelera maxima nuncupari in Scripturis soleant, sequitur porro, optima et praestantissima opera nihil a flagitiis immanissimis differre, quem conceptum si quis semel hauserit, an non omne pietatis studium curamque abjiciet* etc.? Arminius art. perpend. p. 36: *Perpendendum est, an de bonis operibus fidelium vere dicatur: immunda esse instar panni menstruati eisque competat dictum illud Esa. 64. omnes nostrae justitiae.*** Bellarminus etiam libr. 4. de justificat. c. 20. audacter regerit, *locum hunc ad rem nihil pertinere* propter tres rationes: 1. *quia Esaias non loquitur de justis hominibus, sed de insignibus peccatoribus, ob quorum scelera tradenda erat civitas et totus populus in manu regis Babyloniae.* Respondemus: imo vero Esaias more omnium sanctorum remissionem peccatorum a Deo humiliter petit, Psalm. 32, v. 6. ex vera et seria poenitentia secum aliis conjungit, nequaquam vero ex hac publica totius populi confessione se ipsum hypocritice excludit; probat id ipse verborum sonus, *facti sumus ut immundi nos omnes*, probant illud antecedentia et consequentia istius loci. Quotquot enim serio publicarum calamitatum sensu afficiuntur, peccata sua ibidem agnoscunt, deplorant atque eorum remissionem petunt. Atqui propheta et reliqui pii in populo Israëlitico afficiuntur serio publicarum calamitatum sensu. Ergo peccata sua unanimiter agnoscunt, deplorant ac remissionem eorum petunt; probat id ipsum vox *justitiarum*, quas peccatis contaminatas esse propheta conqueritur, at quis insignibus peccatoribus tribuere velit justitias? **Non loquitur de impiis ut impiis, nec de piis ut piis, sed in genere de peccatoribus, qui peccata sua agnoscunt, confitentur et misericordiam Dei implorant. Ad hanc classem pertinent non solum illi, qui peccatis contra conscientiam commissis Deum ad iram concitarunt, ab iis tamen per poenitentiam postea se averterunt, sed etiam pii et justi, quia ex innata labe et infirmitate non fuerunt sine peccato.** Probat denique id simile exemplum prophetae Danielis c. 9, v. 5: *Peccavimus et inique egimus*; v. 7: *tibi, Domine, justitia, nobis autem confusio faciei;* v. 18: *non in justitiis nostris prosternimus deprecationes nostras in conspectu tuo, sed in miserationibus multis.* **Nec ex verbis, *nemo invocat nomen tuum* Esai. 64, v. 7. potest evinci, de impiis tantum sermonem esse. Non enim negat simpliciter omnem Dei invocationem, quia nomine populi v. 8. 9. Dei

gratiam implorat, sed quod nemo instar Moysis, Aaronis et aliorum, qui intercessione sua Dei iram averterunt, praesto sit, ut apparet ex verbis sequentibus, quam expositionem Sanctius in hoc loco v. 29. exemplis aliquot confirmat.** Vide etiam tractatum de lege §. 184. ubi ex Bernhardo, Gersone et
VIII. 54. Adriano de Trajecto ostendimus, de ipsis renatorum justitiis sive bonis operibus locum intelligendum esse; scitum cumprimis est illud Adriani: *Jugiter super pannum vitae, quem justitiae operibus teximus, stillamus saniem diversorum criminum;* uti et Gersonis illud: *Quis justitias suas velut gloriabundus ostentaverit Deo plus quam pannum confusionis suae mulier viro?* Quibus adde Origenem in c. 3. Rom. sic commentantem: *Quis substantia sua gloriabitur, cum audiat prophetam dicentem, omnis justitia nostra sicut pannus menstruatae?* uti etiam Macarium homil. 20. p. 290: *Postulet anima a Christo, qui largitur atque exornat eam gloria in lumine arcano nec consuta sibi veste vanarum cogitationum arbitretur propriae justitiae opinione decepta, se habere vestimentum ipsius salutaris. Si enim in sua justitia atque redemptione solum quis perstiterit, frustra ac temere labores ille suscipit. Omnis enim opinio justitiae ejus velut pannus menstruatae apparet in extremo die, ut inquit propheta Esaias: Facta est universa justitia nostra tanquam pannus menstruatae.* Sed Bellarminus conquirit quasdam ratiunculas, quibus probet, Esaiam tantum de insignibus peccatoribus loqui, primo *quia paulo ante dixerat: Ecce tu iratus es et peccavimus, id est quia iratus es, deseruisti nos, at Deus nec irascitur justis, nec eos deserit;* deinde *quia in verbis sequentibus additur non est qui invocet nomen tuum, non est qui surgat et teneat te. At justi Deum invocant, quod in hoc ipso capite facit Esaias;* denique *opera justorum Scriptura ubique commendat ac Deo grata esse docet. Ergo non loquitur de operibus justorum, nisi quis ita desipiat, ut existimet, sordes et pannum menstruatae Deo placere.* Respondemus: Propheta in publicis hisce precibus totum populum complectitur et ex vera poenitentia conqueritur, iram Dei per peccata populi provocatam ac ne quidem pios ab omni peccati labe immunes esse, cum justitiae, hoc est bona opera eorum, si in districto Dei judicio aestimentur, sint peccatis sordidatae. Quemadmodum ergo David ab agnitione externi peccati, videlicet adulterii, ad agnitionem interioris mali progreditur, *in peccatis sese conceptum ac natum esse* pronuntians, Psalm. 51, v. 7. ita quoque sanctus propheta in hac humili totius populi confessione docet, coram Deo non externa solum ac graviora delicta esse peccata, quibus ejus iram et omnis generis poenas impii provocent, sed et *absconditum nostrum collocari in lumine vultus ejus*, Psalm. 90, v. 8. esse quaedam occulta et interiora peccata, quorum emundatione etiam sancti indigeant Plam. 19, v. 13. quibus ipsae eorum justititiae inquinentur ac sordidentur, ac proinde in vera ad Deum conversione non externa solum delicta agnoscenda ac deploranda esse, sed etiam interiorem illam totius naturae corruptionem atque immunditiem. Ceterum quod alibi bona opera renatorum commendantur ac praedicantur, illud non fit inde et ideo, quasi omni imperfectione et immunditie careant, sed quia ex fide proficiscuntur et filialis obsequii loco coelesti Patri, cui per Christum sunt reconciliati atque accepti, una cum humili peccatorum confessione offeruntur. *2. Etsi loqueretur Esaias de omnibus, id est de toto illo populo, tamen non loquebatur de omnibus pro omni tempore, sed solum pro eo tempore, quo tradendi erant propter summa ipsorum scelera in captivitatem Babylonicam.* Respondemus: ex textu quidem manifestum est, de tempore Babylonicam captivitatem antegresso prophetam loqui, sed quod *tantum* de eo loquatur, illa exclusiva nunquam poterit ex textu elici, quin imo quemadmodum Daniel in suis precibus c. 9. patrum ac majorum delicta confitetur, ita quoque Esaias et Jeremias expresse docent, causam Babylonici exsilii non illis solum, qui in captivitatem abducti, sed et patribus ipsorum transscribendam esse. Demus autem ex hypothesi, tantum de eo tempore, quod captivitatem antegressum est, prophetam loqui, concedendum tamen erit, illo ipso tempore sanctum quoddam semen Deum sibi reli- VIII. 55.
quisse ac in scelerato populo aliquos adhuc vere pios fuisse, nunquam enim interit ecclesia. Atqui nihilominus in grege pronuntiat propheta, *omnes nos facti sumus velut immundi et omnes justitiae nostrae sicut pannus menstruatae*, ad solam igitur Dei misericordiam omnibus confugiendum, nequaquam vero ullis operibus confidendum esse docet. *3. Non loquitur propheta de omnibus impiorum operibus, quasi omnia essent peccata, sed tantum de operibus illis, quae ipsi justitias esse putabant, ut sacrificia, neomenias etc. poterant enim illi ipsi facere opera moraliter bona, quae nec meritoria sunt nec peccata.* Respondemus: imo vero si illa quoque opera erant peccata, quibus plurimum tribuebant quaeque pro summo Dei cultu venditabant, quanto magis reliqua eorum opera moraliter bona coram Deo fuerunt peccata, id quod superius etiam demonstravimus; generaliter pronuntiat propheta, *omnes nostrae justitiae sunt sicut pannus menstruatae.* **Insuper 1. Textus est manifestus: *Omnes nostrae justitiae.* 2. De leviticis ceremoniis et sacrificiis non possunt verba accipi, quia templum erat igne succensum v. 11. et in captivitate non offerebantur sacrificia Hos. 3, v. 4. unde Lyranus statuit, *in verbis* nemo invocat nomen tuum *significari publicam invocationem, sacrificia et cultum in templo.* 3. Sacrificia poenitentium Deus non repudiat, fuisse autem populum tunc poenitentem, patet ex textu. *Lutherus rejicit hanc explicationem.* Respondemus: non rejicit, sed loci hujus propriam esse negat. *Hoc loco*, inquit, *aliquando usi sumus contra justititiam humanam. Bona quidem sententia est, sed non propria hujus loci. Propheta enim cum videt, multos bonos viros in captivitatem ad-*

ductos, ut fuere Nehemia, Esras et alii, dolet, quod ob malorum impietatem justi homines diutius in captivitate detineantur, quasi dicat, Abrahamo propter quinque justos condonasses Sodomam. Hic plures boni sunt et tamen perinde cum eis agis ac si ipsi quoque impii essent et immundi. Coguntur ferre poenam impietatis, quanquam ipsi sint justi, perinde ac si ipsi quoque peccassent. Postea addit: *Sunt autem alii loci Scripturae, qui justitiam humanam damnant.* Et adducit quinque dicta, Psalm. 143, v. 2. Luc. 17, v. 10. Matth. 6, v. 11. Psalm. 32, v. 6. Philipp. 3, v. 7—9.**

VIII. 56. 2. Sancti indigent quotidiana peccatorum remissione.

65. 2. Quibus perpetua peccatorum remissione opus est, illorum opera non sunt pura et munda. At sanctis in tota vita perpetua peccatorum remissione opus est. Psalm. 32, v. 1: *Beati, quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata* etc.; v. 6: *pro hac peccatorum remissione orabit ad te omnis sanctus.* Ergo sanctorum opera non sunt pura et munda. Excipit Bellarminus *1. si tota vita justorum et omnia ipsorum opera peccatis sordescerent,* unde diceret idem David Psalm. 1: VIII. 57. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum et in via peccatorum non stetit;* et in Psalm. 100: *Psallam et intelligam in via immaculata, quando venies ad me, perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meae; non proponebam ante oculos meos rem injustam.* Respondemus: Justi non insistunt viae peccatorum, sed innocentia cordis sui ambulant et sunt immaculati, interim tamen ex eo nondum sequitur, quod omni omnino peccato careant, quod coram sanctissimis Dei oculis natura et opera eorum sint munda, distinguendum enim inter justitiam facti et inter justitiam personae; distinguendum inter justitiam bonae conscientiae et inter justitiam Dei, hoc est quae coram Deo valet; distinguendum inter probabilem conversationem coram hominibus et inter perfectam legis impletionem; distinguendum inter peccata contra conscientiam et inter infirmitates in renatis adhuc haerentes; distinguendum inter obedientiam ἀνυπόκριτον et inter absolutam obedientiae integritatem; quisquis haec omnia confundit, articulum de justificatione pervertit. *2. Loquitur David de initio justificationis seu de prima justificatione, per quam remittuntur peccata et infunditur caritas, ut per eam corde dilatato per viam mandatorum currere valeamus.* Respondemus: imo vero non solum in prima nostra ad Deum conversione, sed etiam per omnem vitam ac in medio cursu bonorum operum indigemus remissione peccatorum, uti evidenter docet apostolus Rom. 4. ubi ex hoc ipso Davidis testimonio probat, justificationem nostram in remissione peccatorum consistere, quod ne de prima tantum justificatione (uti fingit Bellarminus) accipiatur, notandum, quod apostolus de Abrahamo in medio pietatis cursu constituto agat atque eum non operibus, sed fide justificatum esse ostendat. Quam Pontificii vocant justificationem secundam, eam Scriptura vocat sanctificationem et renovationem, quae cum in hac vita non sit perfecta, ideo per et propter eam coram Deo justificari non possumus. ** Pulchre Origenes homil. 8. in Ezech.: *Quomodo lumen lucernae ad radios solis obscuratur et velut alia caeca materia obtenebrescit; sic licet fulgeat justorum omnium lumen ante homines, non fulget tamen ante Christum. Luceat quippe lumen vestrum, non simpliciter dictum est, sed luceat ante homines, ante Christum non potest fulgere lumen justorum.***

66. 3. Quicunque deprecantur Dei judicium, illi agnoscunt, opera sua non posse rigorem illius judicii sustinere. Atqui sancti deprecantur Dei judicium, Psalm. 143, v. 2: *Ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Huc referendae sunt similes sanctorum confessiones. Exod. 34, v. 7: *Coram te nemo innocens.* Job. 9, v. 2: *Vere novi, quod non justificabit se homo coram Deo;* v. 3: *si velit cum eo contendere, non respondebit ei unum ex mille.* c. 15, v. 15: *Coeli non sunt mundi in conspectu ejus, quanto magis abominabilis ac putridus homo, qui bibit velut aquam iniquitatem.* Psalm. 19, v. 13: *Delicta quis intelligit! ab occultis meis munda me.* Psalm. 130, v. 3: *Si iniquitates observaveris, o Deus Domine, quis sustinebit?* Dan. 9, v. 18: *Non in justitiis nostris prosternimus deprecationes nostras, sed in miserationibus tuis multis.* 1. Cor. 4, v. 4: *Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum justificatus, qui autem me judicat, Dominus est.* etc. Ergo sancti agnoscunt, opera sua non posse rigorem judicii divini sustinere. Recte igitur episcopus Mersburgensis Adolphus, cum quidam doctrinam nostram de justificatione ut novam traduceret, respondit: *Quid? vosne doctrinam hanc novam perhibetis? an non meministis in psalmo dictum: non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens?* Vide Camerarium in vita Georgii princ. Anhaldini. Bellarminus praetermissis reliquis dictis ad locum Psalm. 143. triplicem affert solutionem: *1. sensum hujus loci esse, quod homo non habeat ex se justitiam, sed ex Dei dono, ac proinde non possit justificari ex his, quae ex se habet.* Respondemus: et imputata et habitualis justitia (ex qua actualis postea oritur) a Deo nobis donatur, quod ergo homo non possit justificari coram Deo illa justititia, quam ex se habet, sed donatam requiri justitiam, verissime asseritur, sed ex eo nondum sequitur, omnem donatam justitiam coram Dei judicio subsistere, sed illud tantummodo imputatae per fidem justitiae convenit, habitualis vero et actualis quamvis itidem sit Dei donum, tamen severum ejus judicium sustinere nequit, id quod vel ex hoc ipso loco manifestissimum est. Negari enim non potest, Davidem justitia habituali et actuali instructum fuisse, idem tamen judicium Dei deprecatur atque inhaerentem suam justitiam irae et judicio Dei non audet opponere, sed in misericordia Dei et merito promissi Messiae omnem suam fiduciam collocat. *2. Quosdam referre hunc locum ad peccata venialia, sine quibus in hac vita esse non possumus, ex quo tamen nondum sequatur, quod*

VIII. 58 3. Sancti deprecantur Dei judicium.

omnia nostra opera sint peccata, etiamsi absque peccato vivere non possimus; sensum ergo hunc esse, non cupio tecum contendere; confiteor me peccatorem et veniam oro. Respondemus: de hac expositione egimus in tract. de lege §. 182. Concedimus, de peccatis venialibus locum hunc intelligendum esse, (cum in renatis quatenus talibus non sint peccata mortalia) sed aliter describuntur peccata venialia a Pontificiis, aliter a nobis. Illi peccata venialia non agnoscunt esse vere et proprie dicta peccata, sed vocant ea peccata illa levicula vitiola, quae ex se et sua natura sunt venia digna; nos vero omne peccatum sua natura esse odio Dei dignum dicimus, quod vero in renatis illa, quae dicuntur venialia, non sint actu mortalia, id nequaquam ipsi per se peccato, sed gratiae Dei et fidei, quae per ea non amittitur, adscribendum esse dicimus. Deinde per venialia peccata non tantum intelligimus quotidianas piorum infirmitates, sed etiam defectus ipsis bonis operibus adhaerentes, quos Deus propter Christum credentibus condonat. Invertimus igitur responsionem Bellarmini. Quia bonis operibus opera quaedam mala commiscentur, quia absque peccato vivere non possumus, ergo opera nostra non sunt perfecta, sed habent quosdam
VIII. 30. defectus et peccatis sordidantur. Sane venialia peccata non tollunt justitiam fidei, siquidem renatis ea agnoscentibus ac deplorantibus, in Christum credentibus, carnem suam crucifigentibus et ad perfectionem adspirantibus non imputantur, interim tamen justitiae tam habitualis quam actualis perfectionem omnino tollunt. Justitia enim est perfecta cum lege conformitas, ubicunque igitur adhuc est vel minimum aliquod peccatum, ibi nondum adest perfecta cum lege conformitas, siquidem peccatum est transgressio legis. *3. Sententiam Davidis esse, non posse hominem justificari, si comparetur ad Deum, non quod non sit in homine vera justitia, si absolute consideretur, sed quia tanta est puritas et sublimitas justitiae Dei, ut omnis hominum et angelorum justitia ei comparata injustitia esse videatur.* Respondemus: Hieronymus in c. 13. Jer. hanc expositionem ab haereticis mutuatam esse docet: *Ostendens* (inquit) *nos vas esse fragile, juxta apostolum dicentem: habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, nec posse fieri, ut non illud impleatur in nobis, quod scriptum, non enim habitat in carne mea bonum; et iterum, non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc operor; ac deinde: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Hac autem ebrietate, qua obliviscimur praeceptorum Dei et vitiis atque peccatis animi impletur humana conditio dicente propheta: non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, non ad comparationem Dei, ut veteres et novi haeretici volunt et patroni haereticorum, sed ad scientiam ejus; homo enim videt in facie, Deus in corde, et quod nobis interdum mundum videtur, illius oculis sordidum deprehenditur.* Hactenus Hieronymus. Dicimus ergo, Davidem non comparate solum, sed absolute omnem operum justitiam coram Dei judicio et sibi et aliis in universum omnibus derogare, perinde ut alibi omnes sanctos peccatorum remissione indigere testatur Psalm. 32, v. 6. Vide Augustinum in enarrat. Psalm. 142. ubi inter alia sic scribit: *Noli intrare mecum in judicium, Domine Deus meus. Quantumlibet rectus mihi videar, producis tamen de thesauro tuo regulam, coaptas ad me, et pravus invenior* etc.

67. 4. Qui eo modo faciunt bonum, ut simul etiam peccent, eorum opera non sunt perfecte munda. Atqui *non est homo justus, qui faciat bonum et non peccet*, 1. Reg. 8, v. 46. Eccles. 7, v. 21. Ergo justorum opera non sunt perfecte munda. Excipit Bellarminus, *non esse hunc sensum, quod homo justus peccet, dum bonum facit, sed neminem esse tam justum, qui semper bonum faciat, cum omnes aliquando peccent.* Respondemus: 1. si nemo tam justus est, quin aliquando peccet, actualis justitia non erit in hac vita perfecta. *Qui enim peccat in uno, reus est omnium* Jac. 2, v. 10. 2. renati non solum obnoxii sunt quotidianis infirmitatibus et externis peccatis (quae sua natura venialia esse, falso sibi persuasit Bellarminus), sed etiam interioribus pravis affectibus et motibus, quin imo labes originalis in carne eorum adhuc haeret, quae omnes ipsorum actiones coinquinat. 3. Ipsa renatorum opera nondum assequuntur summum perfectionis gradum in lege divina praescriptum. 4. Recte igitur dicitur, *justum in omni bono opere peccare*, non quod externis peccatis et quotidianis lapsibus omni momento succumbat (hoc enim sensu recte asserit Bellarminus, *justum non cadere ad singulos passus, sed aliquoties, nec semper cadere, sed aliquando cadere, aliquando resurgere*, Proverb. 24, v. 16: *Septies in die cadit justus et resurgit)*, sed quia in carne ipsius haeret adhuc peccatum, quod omnes actiones coinquinat, et quia ipsa opera bona imperfectione quadam laborant; jam vero peccare phrasi Hebraica non externas solum actiones, sed etiam naturae vitiositatem habitualiter inhaerentem denotat.

4. Non est justus, qui faciat bonum et non peccet. 1. Reg. 8.

68. 5. Quorum cor nondum est perfecte mundum, illorum etiam opera nondum sunt perfecte munda. Jam vero renatorum cor nondum est perfecte mundum. Ergo nec ipsorum opera. Connexio majoris est manifesta, cor enim phrasi Hebraica notat omnes animae facultates, quae sunt actionum principia, quo pertinet illud Christi Matth. 12, v. 35. Luc. 6, v. 45: *Bonus homo ex bono cordis thesauro profert bona, malus vero mala.* Facultates animae nostrae, quae sunt proximae actionum humanarum causae, non sunt penitus spirituales, nec caro, hoc est nativa peccati labes ab iis planissime est absterasa, nec Spiritus et caro separatas sedes habent in nobis vel separatim operantur, sed mixtim, consequitur igitur nullum esse quantumvis praestans cujusquam regenerati opus, quod sit ab omni carnis vitio purum, cui non sit aliquid carnis admixtum. In sacrificiis adhibebantur suavissima aromata, quibus sacrificia

5. Cor renatorum nondum est perfecte mundum.

condiebantur, addebatur nihilominus tamen et galbanum foetidissimum, quo haud dubie significatum fuit, nostra opera, quae sunt gratissimum Deo sacrificium, admixtum habere quippiam de carnali vetustate. Exod. 28, v. 38: *Aaron portabit iniquitates eorum, quae sanctificarunt filii Israël in cunctis muneribus et donariis suis.* Quid aliud hac sanctione divina ostenditur, quam bona opera, eucharistica illa sacrificia, Deo placere non posse, nisi iniquitates nostrae placentur per sacerdotem summum Christum, cujus typus fuit Aaron. ***Aaron portabat iniquitatem* הַקֳּדָשִׁים, *sanctificationum sive sacrificiorum,* innuitur ergo, quod in ipsis sanctificationibus sive sacrificiis et sanctis operibus Israëlitae committant iniquitatem; Rabbini fingunt *vitium in materia oblata*, in qua non facile poterat peccari, utpote legibus determinata. Vera causa mandati est, quod personis offerentibus atque ipsi actioni oblationum semper adhaeret aliquid vitii, id ut tollatur, tradita fuit haec lamina. *Alius ille angelus, qui stetit ante aram habens thuribulum aureum, multos habuit sibi datos suffitus, ut illos inderet precibus sanctorum,* ἵνα δώσῃ ταῖς προσευχαῖς τῶν ἁγίων πάντων Apocal. 8, v. 3. *super altare aureum, quod est ante thronum, et adscendit fumus suffituum, qui indebantur precibus e manu angeli ad conspectum Dei. Quod indicio est, precibus sanctorum suam esse infirmitatem, nec ullum fragrantem odorem Deo absque favore in Christo emittere.* Rainoldi colloq. cum Harto. p. 357.** Minor itidem sua luce radiat. Prov. 20, v. 9: *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Job. 10, v. 14: *Si peccavi, observas me et ab iniquitate mea non facis innocentem.* c. 14, v. 4: *Quis dabit mundum de immundo conceptum semine.* c. 15, v. 14: *Quid est homo, ut immaculatus sit et ut justus appareat natus de muliere?* v. 15: *ecce inter sanctos ejus nemo integer, et coeli non sunt mundi in conspectu ejus;* v. 16: *quanto magis abominabilis et putridus homo, qui bibit velut aquam iniquitatem.* Matth. 15, v. 19. dicit Christus ad discipulos suos jamdum renatos: *Quae procedunt de ore, de corde exeunt et ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes* etc.; v. 20: *haec sunt, quae inquinant hominem.* At quis gloriari potest, quod cogitationibus pravis non sit obnoxius? Marc. 10, v. 14. exprobrat Christus discipulis σκληροκαρδίαν, ex quo apparet, quod in renatis quippiam de nativa duritie adhuc superstes maneat. Breviter, si Deus opera nostra severe ad omnes legis suae circumstantias et partes exigere, internum nostrum sensum, affectum, intentionem, divinae gloriae promovendae studium, bonorum operum constantiam ac voluntatis nostrae conformitatem ad normam verbi revocare vellet, utique in opere et operario magnam infirmitatem, plurimos defectus, imperfectiones et peccata mente, dictis et factis commissa perspiceret.

69. Quae de argumento Lutheri ex oratione dominica desumto Bellarminus hoc loco addit, ea in tractatu de peccatis actualibus §. 55. late sunt exposita. Non solum conservationem et incrementum donorum spiritualium, sed etiam peccatorum remissionem Christo auctore petimus, quare cum quotidie orationem dominicam recitemus, an non quotidie peccatorum debita nos contrahere profitemur? Bellarminus dicit, *intelligendum id esse de peccatis venialibus, non autem de concupiscentia in membris adhuc haerente.* Atqui utrumque oratione nostra complectimur, utriusque gratuitam remissionem humili corde petimus, quod ex ipso Augustino alibi demonstratum fuit. Praeterea si de quotidianis illis VIII. 6
infirmitatibus orationem dominicam accipiendum esse Bellarminus concedit, quare negat, eas esse vere et proprie dicta peccata, cum diserte appellentur *debita?* De tota hac re suo loco plura, referenda enim ad hanc quaestionem omnia illa, quae probant, legem Dei non posse a nobis perfecte in hac vita impleri, concupiscentiam post baptismum in renatis reliquam esse vere et proprie peccatum; venialia (quae ita vocantur) renatorum peccata non esse sua natura, sed ex DEI miserentis et condonantis gratia venialia etc.

70. Ex veteribus multa in hanc sententiam afferri possunt. Dicta Patrum
Origenes tract. 8. in Matth. in princip.: *Etsi omnia fecerimus, quae praecepta sunt, nec sic quantum ad haec verba bonum aliquid fecimus, nec enim si vere bona essent, quae facimus, scriptum fuisset, ut facientes ea dicamus esse nos inutiles servos, si proprie conveniret hominibus appellatio bonitatis, quoniam omne bonum nostrum abusive et non proprie bonum dicitur.* Cyprianus serm. 4. de mortalit. (quem locum Augustinus lib. 2. contra Julianum allegat): *Cum avaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est, cum carnalibus vitiis, cum illecebris secularibus assidua et molesta luctatio est. Obsessa mens hominis et undique diaboli infestatione vallata vix occurrit singulis, vix resistit. Si avaritia prostrata est, exsurgit libido; si libido compressa est, succedit ambitio; si ambitio contemta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia invitat, invidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscindit* etc. Bellarminus lib. 4. de justif. c. 2. excipit, *Cyprianum nihil dicere contra justitiam operum, sed contra miseriam hujus vitae.* Atqui quomodo perfecta operum justitia locum habet in tanta carnis adversus Spiritum colluctatione, cui ipsi renati quandoque ex infirmitate succumbunt? Sic enim Augustinus ex hoc loco contra Pelagianos argumentatur lib. 2. contra Julian.: *Cyprianus nec avarus erat, nec impudicus, nec ambitiosus, quia his malis motibus partim de origine, partim de consuetudine venientibus fortiter resistebat, non acquiescens esse, quod eum esse cogebant; nec ideo tamen in tam periculoso laboriosoque certamine nullo telo feriebatur hostili, cum dicat in epistola sua de eleemosynis: Ne quisquam sic sibi de puro atque immaculato pectore blandiatur, ut innocentia sua fretus medicinam non putet esse adhibendam vulneribus, cum scriptum sit: Quis gloria-*

bitur, castum se habere cor? aut quis gloriabitur, mundum se esse a peccatis? et iterum in epistola sua Johannes dicat: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. Si autem nemo esse sine peccato potest et quisquis se inculpatum dixerit, aut superbus aut stultus est, quam necessaria, quam benigna est divina clementia, quae cum sciat, non deesse sanatis postmodum quaedam vulnera, dedit curandis denuo sanandisque vulneribus remedia salutaria. Haec omnia ex Cypriano Augustinus, quae cum Pelagiana de perfectione actualis justitiae persuasione nunquam conciliari poterunt, diserte enim in serm. de eleemos. Cyprianus addit, *sine aliquo conscientiae vulnere esse non possumus*, et in serm. de orat. domin.: *ne quis sibi innocens placeat et se extollendo plus pereat, instruitur et docetur, se peccare quotidie, quotidie pro peccatis jubetur orare.)* ** Hieronymus lib. 2. adv. Jovin. fol. 32: *Frustraneum, habere advocatum Jesum, qui non peccat;* et paulo post argumentum petit ex oratione dominica. ** Lactantius lib. 6. instit. c. 13: *Nemo sine delicto esse potest, quamdiu indumento carnis oneratus est.* ** Hieronymus in c. 53. Esa. v. 9. epist. 46. fol. 101. ubi respondet etiam ad objectionem, *quod quidam dicuntur justi et quidem in conspectu Domini.* in c. 3. Jonae: *Nullus absque peccato*, (quem locum allegat Augustinus lib. 3. de pecc. merit. et remiss. c. 6. Augustinus lib. 4. ad Bonifac. c. 10. adducit Cypriani et Ambrosii dicta. 1. retract. c. 3. in fin. serm. 6. de verb. apost. de vera religione c. 27: *Novum et coelestem hominem nemo in hac vita potest agere nisi cum vetere.* Gregorius lib. 4. moral. c. 22. Anselmus enarr. evang. Luc. 2. fol. 278. Lombardus 2. sent. dist. 25. §. 10: *Manere peccatum in regeneratis, ita tamen, ut non regnet.* Ludov. Vives lib. 14. de civ. Dei c. 9: *Augustinus docet, sine crimine homines esse posse, sed sine peccato minime.* Pomerius serm. 3. de Trinit: *Sancti viri non sunt omni boni, i. e. omni parte boni, quia multos habent defectus.* ** Hilarius in Psalm. 51: *Non enim illa ipsa justitiae opera sufficerent ad per-*
VIII. 62 *fectae beatitudinis meritum, nisi misericordia Dei etiam in hac justitiae voluntate humana motuum non reputet vitia. Spes igitur in misericordia Dei in seculum et in seculum seculi.* ** Cyrillus Alexand. libr. 4. in Joh. c. 11: *Ne justificari opere putemus, ne gratiam Dei meritis nostris, sed fide nobis affuturam speremus.* ** Macarius homil. 15. p. 188: *Si perseveres dicere, per adventum Christi damnatum esse peccatum, non post baptismum vitium habere, ubi pascatur, aut collocetur in corde, ignoras, quot ab adventu Domini ad hoc usque tempus baptizati sint, et nihilominus interdum prava cogitaverunt* etc. *An non reperimus, post baptismum multa committi peccata ac plerosque delinquere? post baptismum igitur pabulum habet praedo et ingredi potest et agere quod voluerit. Scriptum est enim: diliges Dominum tuum ex toto corde tuo. Verum dicis, diligo et habeo Spiritum sanctum. Estne apud te memoria, amor et desiderium ardens erga Dominum, ita ut diu noctuque sis ibi devinctus?* etc. homil. 16. p. 236: *Nobis vitium adjacet eo quod habitet in corde, ubi vim suam exercet, suggerens improbas et obscoenas cogitationes, non sinens puras preces effundere, sed captivam ducens mentem per hoc seculum.* ** Idem homil. 38. prolixe ostendit, perfectionis persuasionem stolidam esse, cum nullus Christianus sit, in quem cupiditatis peccatum non cadat. ** Ambrosius lib. 2. de Jacob. et vita beata c. 2: *Non operibus justificamur, sed fide, quoniam carnalis infirmitas operibus impedimento est, sed fidei claritas factorum obumbrat errorem, quae meretur veniam delictorum.* Idem lib. 1. de poenitentia c. 7: *Tu audes, Novatiane, mundum te dicere, qui et si operibus mundus esses, hoc solo verbo fieres immundus.* Hieronymus lib. 1. advers. Pelag: *Inspiciente Deo et omnia contemplante, quem cordis arcana non fallunt, nullus est justus* etc. *Haec hominibus sola perfectio, si imperfectos se esse noverint. Et vos*, inquit, *cum omnia feceritis, dicite: servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Si inutilis est, qui fecit omnia, quid de illo dicendum est, qui explere non potuit?* Ibid.: *Tunc justi sumus, quando nos peccatores fatemur et justitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei consistit misericordia; dicente Scriptura, justus accusator sui est in principio sermonis.* (Bellarminus excipit, *ad primam justificationem locum hunc referri posse*, at Hieronymus absolute et simpliciter negat, justitiam nostram esse ex proprio merito et de ipsis justis pronuntiat, quod in peccatorum remissione justitia ipsorum consistat. Aliter igitur respondet Bellarminus, videlicet *ad justitiam hujus vitae pertinere veritatem confessionis, quod saepe labamur in peccata venialia, quae non repugnant justitiae.* At quomodo peccata venialia, cum sint et dicantur peccata, non repugnent perfectioni actualis justitiae? qui peccat et transgreditur legem, quomodo de perfecta operum justitia gloriari potest? Sane justitiam fidei non tollunt venialia peccata, sed justitiam operum, quae coram Deo consistere possit, plenissime evertunt. Nimirum Bellarminus semper recurrit ad hypothesin illam, quod peccata quaedam sint sua natura venialia, quam esse falsam, suo loco demonstravimus.) ** Idem lib. 3. advers. Pelag.: *O te felicem et nimium beatum, si justitia, quae jam non nisi in coelis creditur, apud te solum inveniatur in terris.* ** Idem in c. 20. Proverb.: *Multi quidem misericordes praesenti seculo apud homines videntur; virum autem fidelem, id est, qui recta intentione bonum opus faciat, invenire difficile. Et in isto* (versiculo) *munditiem et rectitudinem qualis in hac vita esse justorum non potest, docet habendam in illa, subtilitatem divini examinis, quo hominum facta et intentiones dijudicantur, monet semper ob oculos* VIII. 63
habendam, unde et illum antiqui interpretes ita transtulerunt: cum sederit rex justus in solio judicii, quis gloriabitur, castum se habere cor, aut

quis gloriabitur, mundum se esse a peccato. in c. 7. Eccles.: *Opera quia per corpus administrantur, aliquo semper errore commixta sunt.* Augustinus epist. 29. ad Hieron.: *Plenissima caritas, quae jam non possit augeri, quamdiu hic homo vivit, est in nemine, quamdiu autem augeri potest, profecto illud quod minus est quam debet, ex vitio est, ex quo vitio non est qui faciat bonum et non peccet.* Idem lib. de perfect. justitiae: *Quis gloriatur, mundum se esse a peccato, nisi forte isti, qui volunt in sua justitia, non in ipsius judicis misericordia gloriari?* Ibid.: *Ingredi sine macula non absurde etiam ille dicitur, non qui jam perfectus est, sed qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus atque ipsa peccata venialia non negligens mundare eleemosynis. Ingressum quippe hoc iter nostrum, quo tendimus ad perfectionem, munda mundat oratio, ubi veraciter dicitur: Dimitte nobis, sicut et nos dimittimus, ut, dum reprehenditur quod non imputatur, sine macula nostra ad perfectionem habeatur cursus, in qua perfectione cum ad eam pervenerimus, jam non sit omnino quod ignoscendo mundetur.* Ibid.: *Peccatum est, cum vel non est caritas, quae esse debet, vel minor est, quam debet.* (Excipit Bellarminus, *Augustinum peccatum et vitium largo modo appellare, quod proprie non sit peccatum,* cui exceptioni quid tribuendum sit, patet ex tractatu de peccatis actualibus §. 67. et seq.) Idem lib. 9. confess. c. 13: *Vae hominum vitae quantumvis laudabili, si remota misericordia discutias eam.* (Excipit Bellarminus, *Augustinum nequaquam dicere, quod bona opera sint peccata, si remota misericordia discutiantur, sed hoc solum asserere, quod vita laudabilis propter opera bona egeat misericordia in judicio Dei propter peccata saltem venialia, a quibus nemo liber invenitur.* At si laudabili hominum vitae aeternum vae, hoc est condemnatio, debetur, si districto Dei judicio remota misericordia discutiatur, quomodo renatorum bona opera non erunt immunda et imperfecta? Si nemo est liber ab actualibus venialibus peccatis, quomodo perfectio actualis justitiae locum habebit? Si in judicio Dei ipsi renati misericordia indigeant, quomodo ipsorum opera ex condigno merentur coronam justitiae? interim tamen manet discrimen inter peccata et bona opera, neque enim dicimus, bona opera esse formaliter peccata, sed peccatis contaminata propter imperfectionem et immunditiem adhaerentem). Idem lib. 3. contra duas epistolas Pelagian. c. 7: *Ex quo factum est, virtutem, quae nunc est in homine justo, perfectam hactenus nominari, ut ad ejus perfectionem pertineat etiam ipsius imperfectionis et in veritate cognitio et in humilitate confessio.* (Excipit Bellarminus, *justitiam in hac vita esse imperfectam, si comparetur ad justitiam vitae beatae, imperfectionem vero illam non esse nec ab Augustino vocari peccatum.* Atqui justitia operum imperfecta est facta non solum ad vitam aeternam, sed etiam ad legem Dei comparatione, cujus perfectionem nondum assequitur, ut suo loco demonstravimus. An imperfectio illa ab Augustino negetur esse peccatum, judicari potest ex epistol. 29. ad Hieron.: *Plenissima caritas,* inquit, *quae non possit augeri, quamdiu hic homo vivit, est in nemine, quamdiu autem augeri potest, profecto illud, quod minus est, quam debet, ex vitio est; ex quo vitio non est justus in terra, qui faciat bonum et non peccet; ex quo vitio non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens; propter quod vitium, quantumlibet profecerimus, necessarium est nobis dicere: dimitte nobis debita nostra.* Vide tract. de lege §. 179. et seqq.) Idem in Psalm. 129: *Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, inquit, quis sustinebit? Ecce apparuit, de quo profundo clamaret. Clamat enim sub molibus et fluctibus iniquitatum suarum; circumspexit se, circumspexit vitam suam, vidit eam undique flagitiis et facinoribus coopertam, quacunque respexit, nihil in se boni invenit, nihil illi justitiae serenum potuit occurrere. Et cum tanta et tam multa peccata undique et catervas scelerum suorum videret, tanquam expavescens exclamavit: Si iniquitates observave-* VIII. 64 *ris, Domine, Domine, quis sustinebit? non dixit: ego non sustinebo, sed quis sustinebit? Vidit enim, prope totam vitam humanam circumlatrari peccatis, accusari omnes conscientias cogitationibus suis, non inveniri cor castum praesumens de sua justitia.* libr. 10. de civit. Dei cap. 22: *Peccatorum in hac vita non fit nostra virtute, sed divina miseratione purgatio, per indulgentiam illius, non per nostram poenitentiam, quia et ipsa quantulacunque virtus, quae dicitur nostra, illius est bonitate concessa. Multum autem nobis in hac carne tribueremus, nisi usque ad ejus depositionem sub venia viveremus. Propterea ergo nobis per mediatorem praestita est gratia, ut polluti carne peccati carnis peccati similitudine mundaremur. Hac Dei gratia, qua in nos ostendit magnam misericordiam suam, et in hac vita per fidem regimur et post hanc vitam per ipsam speciem incommutabilis veritatis ad perfectionem plenissimam perducemur.* **Auctor comm. in 1. epist. Joh. qui Augustini nomine circumfertur in exposit. c. 2: *Videte ipsum Johannem observantem humilitatem. Certe vir justus erat et magnus, qui de pectore Dei mysteriorum secreta habebat. Ille ille, qui bibendo de pectore Domini ructavit divinitatem, ille talis vir non dixit: advocatum habetis apud patrem, sed siquidem peccaverit, advocatum habemus; non dixit: habetis, nec me habetis dixit, sed ipsum Christum habetis, sed et Christum posuit, non se. Maluit se ponere in numero peccatorum, ut haberet advocatum Christum, quam ponere se pro advocato Christo et inveniri inter reprobandos superbos.***. Leo serm. 3. pasch.: *Nemo tam sanctus est, ut non sanctior, nemo tam devotus, ut non debeat esse devotior. Quis enim in hujus vitae constitutus incerto aut immunis a tentatione aut liber videatur a culpa? Quis est, qui nihil virtutis sibi adjici, aut qui nihil vitii sibi optet auferri?* Prosper. epigr. 88:

Ipsaque virtutum gaudia vulnus habent, ni Dominus miseranda lavet delicta suorum et dans virtutum munera det veniam. Gregorius lib. 8. moral. c. 23: *Quantalibet justitia polleant, nequaquam sibi ad innocentiam electi sufficiunt, si in judicio districto requirantur; sed hoc nunc ad solatium sive erectionem inveniunt, quod nequaquam se posse sufficere, humiliter sciunt.* lib. 9. moral. c. 2: *Sanctus vir, quia omne virtutis nostrae meritum vitium esse conspicit, si ab interno arbitrio districte judicetur, recte subjungit, si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille.* (Excipit Bellarminus, *districte judicari hoc loco nihil aliud esse, quam judicari ex his, quae homo habet ex se remotis donis gratiae Dei;* cui exceptioni quid tribuendum sit, patebit ex aliis dictis Gregorii). Idem lib. 9. moral. c. 11: *Repente Deus interrogat, cum nos ad districtionem sui examinis vocat, sed ad interrogationem illius homo respondere non sufficit, quia si remota tunc pietate discutitur, in illo examine etiam justorum vita succumbit* (quid ad clariss. hoc dictum Bellarminus? excipit, *opera justorum in judicio Dei succumbere, non quod ipsa sint peccata, sed quia justi in peccatis inveniuntur, de quibus nullam egerunt poenitentiam.* At si in districto Dei examine vita justorum succumbit, quomodo actualis justitia erit perfecta? non dicimus, bona opera justorum esse formaliter peccata, absit enim ut discrimen inter peccata et bona opera tollamus, sed bona opera dicimus esse imperfecta et peccatis contaminata, quo sensu et respectu peccata dicuntur. Costerus in enchirid. p. 217. non diffitetur, quando in actione quamvis per se bona adhuc aliquid deest, quod adesse debeat, id peccatum esse. Quod justis quaedam peccata tribuuntur, de quibus nullam egerint poenitentiam, dupliciter intelligi potest, vel de peccatis voluntariis contra conscientiam admissis, quodsi de illis non agunt poenitentiam, desinunt esse justi; vel de peccatis infirmitatis, de quibus quamvis in specie non agunt poenitentiam, generaliter tamen ea agnoscunt ac deplorant atque eorum remissionem per fidem impetrant. Si de posteriori peccatorum genere Bellarminus loquitur, invertimus ejus responsum. Quodsi enim renatis ac justis quaedam peccata adhaerent, de quibus non agunt poenitentiam, hoc est quae in specie non agnoscunt ac ne quidem agnoscere possunt, sed cum psalte regio orare coguntur Psalm. 19, v. 13: *Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me,* quomodo inhaerens et actualis ipsorum justitia poterit esse ac dici perfecta? Si propter occulta peccata vita justorum in districto divini judicii examine succumbit, quomodo peccata illa erunt sua natura venialia sive venia digna?) Idem libr. eod. moral. c. 14: *Omnis humana justitia injustitia esse convincitur, si districte judicetur, prece ergo post justitiam indiget, ut quae succumbere discussa poterat, ex sola judicis pietate convalescant. Mens humana vix comprehensa peragit et valde extrema sunt, quae comprehendit. Dicat ergo quis, etiamsi habuero aliquid justum, non respondebo, sed meum judicium deprecabor. Velut si apertius fateatur dicens: Etsi ad opus virtutis excrevero, ad vitam non ex merito, sed ex venia convalesco. Prece itaque innitendum est, cum recte agimus, ut omne quod juste vivimus, ex humilitate condiamus.* c. 26. in illud, *verebar omnia opera mea, Ac si,* inquit, *humili confessione diceretur, quae aperte egerim, video, sed quae in his latenter pertulerim, ignoro.* c. 28: *Notandum quod vir sanctus non ait, fulserint manus meae mundissimae, sed velut mundissimae manus meae, quia quousque poena corruptionis adstringimur, quamlibet rectis operibus insudemus, veram munditiem nequaquam apprehendimus, sed imitamur.* lib. ult. c. ult.: *Si de his districte discutimur, quis inter ista remanet salutis locus, quando et mala nostra pura mala sunt et bona, quae non habere credimus, pura bona esse nequaquam possunt.* (Bellarminus repetit suas exceptiones, de quibus ex antecedentibus et ex ipsis Gregorii verbis judicium fieri potest.) Notandum singulariter, quod Bellarminus hoc loco concedit, *peccata venialia, si non misericorditer remittantur, impediant ab ingressu coelestis regni;* quod si verum est, ut certe est verissimum, quomodo peccata illa erunt sua natura venialia? quomodo justitiam operum non reddunt imperfectam et impuram? Nec est, quod Bellarminus obvertat, *misericordiam Dei justo judicio deberi justis, qui bene operantur;* si enim est vere et proprie dicta misericordia, non erit justitiae debitum. Rom. 11, v. 6: *Si ex gratia, jam non ex operibus.* Idem in c. 7. Jobi: *Justi omne, quod agunt, metuunt, dum caute considerant, ante quod judicium stabunt. Enumerant mala proprii operis et contra exaggerant bona gratiae conditoris. Considerant prava quam districte judicet, et bona opera quam subtiliter penset et perituros se absque ambiguitate praesciunt, si remota pietate judicentur, quia hoc ipsum quoque quod justi videmur vivere est culpa, si vitam nostram, cum judicat hanc apud se, divina misericordia non excusat.* Ibid.: *Ipsa justitia nostra ad examen justitiae divinae deducta injustitia est, sordet in districtione judicis, quod in aestimatione fulget operantis, unde et Paulus, cum diceret: nihil mihi conscius sum, protinus adjunxit; sed in hoc non sum justificatus.* In c. 9. Jobi: *Sanctus Iob videbat, omnia nostra bona opera esse mera peccata, si judicantur a Deo, ideo dicit, si voluerit homo contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille.* In Ezech. homil. 4: *Quantumlibet sancti sint viri in hac adhuc vita, habent tamen, quod ante Dei oculos operire debeant, quia omnino est impossibile, ut aut in opere aut in locutione aut in cogitatione non delinquant.* Anselmus in 1. Cor. 4: *Ad ejus examen vita nostra ducitur, sub quo et virtutes nostrae trepidant.* Bernhardus serm. 5. de verb. Esaiae col. 250: *Nostra si qua est humilis justitia, recta forsan, sed non pura, nisi forte meliores nos esse credimus, quam*

patres nostros, qui non minus veraciter quam humiliter dicebant: omnes nostrae justitiae tanquam pannus mulieris menstruatae. Quomodo enim pura justitia, ubi non potest adhuc culpa deesse? Excipit Bellarminus, *Bernhardum hoc velle, quod in nobis esse possit justitia recta, quia possumus peccato non consentire, sed non puram, quia nemo nostrum est, qui non peccaverit in Adamo, et qui non aliquando venialiter peccet.* Respondemus: bene est, etiam nos hoc volumus. Ergo si
VIII. 66. justitia nostra recta quidem, quia non consentimus peccatis contra conscientiam, interim tamen non pura, sed potius panno mulieris menstruatae similis, quomodo erit perfecta et labe vacua? *At*, inquit Bellarminus, *vos omnia bona opera dicitis esse peccata mortalia. Ergo non admittitis justitiam rectam, quae in peccatum letale non consentit*, qua de re quid statuendum sit, ex superioribus manifeste apparere potest. Idem in festo omnium sanctorum serm. 1. col. 224: *Quid potest esse omnis nostra justitia coram Deo, nonne juxta prophetam velut pannus menstruatae reputabitur? Si districte judicetur, injusta invenietur omnis justitia nostra et minus habens. Quid ergo de peccatis erit, quando ne ipsa quidem pro se poterit respondere justitia? propterea obnixe cum propheta clamantes: non intres in judicium cum servo tuo, Domine! tota humilitate ad misericordiam recurramus, quae sola potest salvare animas nostras.* serm. de verb. Origen.: *Qui me judicat, Dominus est, illius enim prorsus nequeo declinare judicium. Etsi justus fuero, non levabo caput, quoniam omnes justitiae meae tanquam pannus menstruatae coram illo. Non est qui in conspectu ejus justificetur, non est usque ad unum.* Serm. de interiori domo col. 1214: *Nec hoc quidem quod laudabiliter vixi, sine aliquo reatu est, si remota pietate discutiatur.* Radulphus in Lev. lib. 1. c. 1: *Vix bonum opus compleri potest sine alicujus peccati admixtione.* Gloss. ord. in c. 9. Jobi: *In bonis operibus duo timenda sunt, desidia scilicet et fraus, desidiam facit minor amor Dei, fraudem facit, proprius amor sui.* Huc pertinet illud Lud. Vivis in 19. Augustin. de civ. Dei c. 27: *Magna ex parte boni sumus, non quod bene vivimus, sed quod commissorum scelerum sit nobis a Deo gratia.* ** Osorius tom. 5. conc. p. 441. *imperfectiones multas reperiri etiam in bonis operibus.* tom. 2. p. 429. *bona opera plena esse imperfectionibus.* Taulerus in meditat. vitae Christi c. 15, p. 130: *Vere humiles, quia in bono deficiunt, delinquere se fatentur in eo, quod benefaciunt.* Bellarminus in conc. 2. de ext. jud. §. sed se: *Oculi Domini ejusmodi sunt, ut stellae non sint mundae coram eo et ibi saepe reperiat pravitatem, ubi nos nihil nisi sanctitatem videmus.* Joh. Ferus in c. 12. Matth. super verba „progenies viperarum": *Etiam in operibus nostris nonnihil mali concurrit. Quamvis enim qui in Christo sunt baptizati, Christum induerunt, Christus autem justitiam secum affert, tamen nondum plane interiit Adam ille vetus, unde fit, ut cum Christus gratia sua ad bona opera exstimulat, ipse Adam, id est perversa natura, adjicit vel aliquid propriae complacentiae vel proprii commodi* etc. *quo fit, ut opus ipsum nunquam sit perfectum, quamvis ex misericordia Dei non imputetur piis.* **

71. Accedamus ad examen argumentorum, quibus operum perfectionem stabilire conatur Bellarminus. Primum causae suae robur petit ex impletione legis. *Si enim renati perfecte possunt implere legem, utique etiam ipsorum opera erunt perfecta.* Sed contrarium evicimus suo loco, videlicet renatos in hac vita peccatis adhuc obnoxios esse ac proinde legi divinae non praestare perfectam illam, quam exigit, obedientiam, ex quo sponte sequitur, quod actualis eorum justitia sit imperfecta. lib. 4. de justif. c. 15. octo Scripturae testimoniis operum perfectionem confirmat: 1. ex c. 1. Jobi: *In omnibus his non peccavit Job neque stultum aliquid contra Deum locutus est.* c. 2: *Deus ipse testimonium fert Jobo, quod fuerit vir simplex et rectus recedens a malo et adhuc retinens innocentiam. Certe si innocentiam retinebat et si a malo recedebat, neque lingua neque corde peccaverat*, cui argumento ut robur aliquod Bellarminus adderet, subjungit, *Lutheranos a partibus diaboli contra Deum pugnare, siquidem diabolus suis tentationibus Jobum voluit ad peccandum inducere, Deus autem tentationes illas permisit, ut patientia et virtus sancti viri demonstraretur, si ergo Job peccasset, Deus ipse quodammodo a Satana superatus fuisset.* Respondemus: 1. generalia sunt Scripturae pronuntiata, Exod. 34,
v. 7: *Coram Deo nemo innocens.* 1. Reg. 8, v. 46: *Non* VIII. 67
est homo, qui non peccet. Rom. 3, v. 23: *Omnes sunt peccatores.* 1. Joh. 1, v. 8: *Si dixerimus, nos non habere peccatum, nos ipsos seducimus;* ex illorum ambitu Jobus non poterit excludi. 2. Quin imo se ipsum sponte includit c. 9, v. 2: *Vere scio, quod ita sit, quod non justificatur homo compositus Deo;* v. 3: *si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum ad mille;* v. 15: *etiamsi habuero aliquid justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor. Si me justificare voluero, os meum condemnabit me; si innocentem ostendero, pravum me comprobabit.* c. 14, v. 4: *quis dabit mundum de immundo conceptum semine.* 3. Dicimus ergo, proponi in Jobo exemplar singularis pietatis et patientiae, quod pravas carnis ad impatientiam et omnis generis peccata sollicitantis concupiscentias Spiritu vicerit et hoc respectu non peccarit, interim tamen per peccatum in carne ipsius adhuc habitans ad impatientiam ipsum fuisse sollicitatum, negari non potest; quin et postea tentationibus illis carnis quodammodo succubuit, cum diem nativitatis suae detestari inciperet. 4. Breviter, recta fuit Jobi pietas et patientia, sed non pura, ergo in severo Dei judicio per eam non potuit subsistere, sed gratuita peccatorum indiguit remissione. ** Lutherus praef. libri Job.: Diese Historia führet endlich dahin, daß Gott allein gerecht ist, und doch wohl ein Mensch wider den andern gerecht ist auch vor Gott. **

Argumenta Bellarmini pro perfectione justitiae.

1. Job. In omnibus his non peccavit Job.

David secundum justitiam suam sibi retribui petit. Ps. 7.

72. **2.** ***David non solum opera sua justitiae nomine ornanda censet, sed etiam confidit, ea in judicio Dei subsistere posse, alioqui petens, judicari secundum justitiam suam, damnationem pro absolutione quaesivisset.*** Psalm. 7, v. 9: *Judica me, Domine, secundum justitiam meam et secundum innocentiam meam super me.* Psalm. 17, v. 1. 2: *Exaudi, Domine, justitiam meam; de vultu tuo judicium meum prodeat; oculi tui videant aequitatem. Probasti cor meum et visitasti nocte, igne me examinasti et non est inventa in me iniquitas.* Psalm. 18, v. 21. 22: *Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi, quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo.* Ps. 35, v. 24: *Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum.* Ps. 119, v. 121: *Feci judicium et justitiam, non calumnientur me superbi.* Respondemus: 1. Distinguendum est inter justitiam personae et inter justitiam facti. Quando de justitia personae David loquitur, tunc hoc modo orat Psalm. 19, v. 13: *Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me.* Psalm. 130, v. 3: *Domine, si peccata imputare decreveris, quis sustinebit?* Psalm. 143, v. 2: *Ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Quando vero juxta suam justitiam atque innocentiam judicari petit, loquitur de justitia facti, quod justam contra hostes suos causam defendat, nec reus sit illorum peccatorum, quae a detractoribus et persecutoribus sibi imponi noverat. Provocat igitur David ad suam justitiam et innocentiam, non quod per eam coram severissimo Dei judicio consistere se posse persuasum habeat, sed certo respectu, quatenus scilicet res ipsi erat cum adversariis, quorum calumniis et violentia gravabatur, justam ergo sciens se fovere causam non dubitat ad judicium Dei provocare, ut secundum illud et sibi et adversariis retribuatur. Eodem sensu adversariis suis respondet Augustinus lib. 3. contra Crescon. c. 3: *Ad existimationem humanam magna testium, qui me noverunt, suppetit copia, ad Dei vero conspectum sola conscientia, quam cum contra vestras criminationes intrepidam geram, non me tamen sub oculis omnipotentis Dei justificare audeo magisque ab eo effluentem misericordiae largitatem, quam judicii summum examen exspecto, cogitans, quod scriptum est: Cum rex justus sederit in throno, quis gloriabitur, castum se habere cor aut mundum esse a peccatis?* 3. In quibusdam dictis excluditur hypocrisis, quod scilicet sincero corde pietatem fuerit sectatus, non externam solummodo pietatis speciem, quasi diceret: hypocritae solum agunt, ut exteriorem pietatem simulent, sed tu, Deus, nosti cor meum, quod absque hypocrisi tibi obediam atque serviam. 4. In quibusdam dictis loquitur David non tam de sua, quam in Christi persona, cujus sanctitatem et justitiam esse numeris omnibus absolutam et perfectam ipsimet propugnamus. 5. Frustra igitur Bellarminus urget generalia illa pronuntiata, *ab omni via mala me prohibui, non est inventa in me iniquitas,* haec enim excludunt hypocrisin et voluntaria peccata conscientiam vastantia, nequaquam vero omnibus gradibus ac numeris perfectam et puram obedientiam inferunt, si enim perfectionis illius David sibi conscius fuisset, cur judicium Dei tantopere formidaret? Adde quod impletio mandatorum divinorum cum additione de peccatorum remissione intelligenda sit, *tunc enim omnia mandata facta deputantur, quando quicquid non fit, ignoscitur.*

73. 3. Matth. 6: *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit;* et Luc. 11: *Si ergo corpus tuum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, et sicut lucerna fulgoris illuminabit te; ubi per oculum simplicem intelligitur recta intentio, per corpus lucidum opus bonum, tale autem opus pronuntiat Dominus esse lucidum totum nec ullam habere partem tenebrarum. Ergo non erit sua natura mortale peccatum.* Respondemus: 1. Ex figuratis et obscuris dictis non possunt duci argumenta apodictica. 2. Per oculum simplicem intelligi quidem potest intentio recta, sed non sola, alias enim consequens fuerit, rectam intentionem conciliare operibus bonitatem, si vel maxime non congruat cum praescripto legis, cujus contrarium ostendimus suo loco. 3. Ergo per oculum simplicem intelligimus animum ab avaritiae aliorumve affectuum vitiosorum tenebris repurgatum ac Spiritus sancti luce collustratum. Ut enim oculus omnia membra corporis illuminat, hoc est illuminando dirigit; sic animus spiritualiter illustratus et caecis affectibus vacuus actiones omnes reddit lucidas. 4. Quia vero in hac vita repurgatio illa animi ab affectibus vitiosis nunquam est tam perfecta, quin de vetustate carnis in homine aliquid superstes maneat, ideo etiam ipsae actiones externae in se ac per se non sunt tam lucidae, ut coram sanctissimi et justissimi Dei oculis omni imperfectionis labe careant, ipse *enim absconditum nostrum collocat in lumine vultus sui, Psalm. 90, v. 8.* 5. Quod nihilominus dicuntur esse lucidae et nihil tenebrarum habere, id fit propterea, quia peccatum adhaerens fide tegitur, ut non imputetur, sed condonetur, non dominetur, sed mortificetur.

Matth. 6: Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit.

74. 4. 1. Cor. 3: *Per aurum, argentum et lapides pretiosos supra fundamentum aedificatos intelliguntur opera adeo bona, ut nihil omnino vitii admixtum habeant, unde dicunt, in igne divini judicii manere et mercedem accipere.* Respondemus: 1. Bellarminus in libro de purgatorio ipsemet fatetur, locum hunc apostolicum esse obscurum ac diversimode a veteribus exponi. 2. Ambrosius per aurum, argentum et lapides pretiosos *doctrinas cum apostolorum et prophetarum doctrina Christum salutis fundamentum unice monstrante consentientes* intelligit, quam explicationem cum scopo apostoli et integro contextu aptissime congruere, ostendemus suo loco. 3. Augustinus in ench c. 68. demonstrat, per ignem non judicii divini, sed *tribulationum ignem* intelligendum esse. 4. Si vel maxime per aurum, argentum et gemmas bona renatorum opera intelli-

1. Cor. 3: Quidam superaedificant aurum etc.

gerentur, nondum tamen consequens foret, ea per se et absoluta esse tam pretiosa et defaecata, sed quia proficiscuntur ex fide, quae est *aurum illud igne excoctum*, 1. Petr. 1, v. 7. per quam imperfectio et immundities operibus adhaerens tegitur, ut coram oculis Dei auri instar et argenti nitere possint.

VIII. 69. Jac. 3: In multis offendimus. Ergo non in omnibus.

75. 5. Jac. 3: *In multis offendimus omnes. Ergo non in omnibus.* Respondemus: 1. Scopus apostoli docet, de lapsibus linguae πρώτως hoc loco agi. 2. Neque tamen repugnamus, quominus ad reliquos vitae humanae quotidianos lapsus transferatur, sed perfectionem operum ex hoc dicto evinci posse negamus. 3. Quae enim haec argumentatio? In multis offendimus omnes. Ergo justitia actualis est perfecta; contrarium potius inde sequitur. Ergo propter quotidianos lapsus justitia actualis est imperfecta. 4. *At*, inquit Bellarminus, *si in multis tantum offendimus*, *ergo non in omnibus*, *et per consequens bona opera renatorum non sunt peccata.* Respondemus: per τὸ offendere intelliguntur peccata infirmitatis in externis operibus et verbis, utpote risus immodicus, verbum otiosum etc. Quamvis igitur hoc sensu et respectu non offendamus in omnibus, ex eo tamen nondum sequitur, quod ea, quae secundum legem Dei facimus, perfecte congruant legi et omni inhabitantis peccati labe careant, sed hoc tantum sequitur, quod in illis, quae secundum legem facimus, externo opere non impingamus ac offendamus.

6. Scripturae dicta hortantur nos ad non peccandum.

76. 6. *Multa Scripturae dicta hortantur hominem ad non peccandum.* Psalm. 4: *Irascimini et nolite peccare.* Esa. 1: *Quiescite perverse agere*, *discite benefacere.* Joh. 5: *Noli amplius peccare.* 1. Cor. 15: *Evigilate justi et nolite peccare* etc. *At quorsum pertinent hae adhortationes*, *si in omni opere quantumvis bono non possumus non peccare.* Responspondemus: 1. Ex praeceptis nostram δύναμιν non posse colligi ostendimus suo loco, docent enim non quid possimus, sed quid debeamus. 2. τὸ peccare in Scripturis notat primo externa delicta conscientiam vastantia, ut 1. Joh. 3, v. 9: *Qui ex Deo natus est*, *non peccat;* deinde peccata infirmitatis et lapsus quotidianos, 1. Reg. 8, v. 46: *Non est homo*, *qui non peccet;* denique phrasi Hebraica notat vitiositatem naturae, peccatum in carne habitans, Rom. 3, v. 23: *Non est distinctio*, *omnes sunt peccatores.* Dicta illa Scripturae, quae Bellarminus cumulat, loquuntur de peccatis contra conscientiam, a quibus per Dei gratiam renati cavere, non renati operante Spiritu sancto resurgere possunt; sed ex eo nondum sequitur, quod renati a peccatis infirmitatis ac defectibus puritatis et perfectionis in hac vita plane sint liberi. 3. Ipse Bellarminus concedit, peccata venialia (quae diserte vocat *mala opera)* justitiae actuali renatorum admixta esse. Atqui illa ipsa peccata venialia prohibentur ac pii admonentur, ut ab illis abstineant, num vero ex eo sequitur, quod in hac vita ab illis penitus sint liberi? ita quidem voluerunt Pelagiani, sed Augustinus eos solide refellit.

77. 7. *Scriptura testatur*, *bona opera renatorum Deo placere.* Mal. 3: *Placebit Deo sacrificium Judae.* Sap. 9: *Sapientia custodiet me*, *et accepta erunt opera mea* etc. *At Deo nihil placere potest*, *nisi quod est vere bonum et purum ab omni vitio.* Respondemus: Placent Deo bona opera non ratione propriae dignitatis et perfectionis, sed quia procedunt ex fide in Christum, qua adhaerens imperfectio et immundities teguntur. Bellarminus regerit, *hoc omnino absurdum esse*, *cum ex eo sequatur*, *non solum peccatoribus*, *sed etiam ipsis peccatis Christi justitiam imputari*, *quis vero intelliget*, *ipsum peccatum per indulgentiam fieri hostiam Deo placentem.* Respondemus: nequaquam dicimus, bona opera formaliter esse peccata, proinde ex nostra sententia non potest inferri, peccatis Christi justitiam imputari, sed per fidem in Christum peccatorum non solum ante commissorum, sed etiam labis ac defectus ipsis bonis operibus adhaerentis remissionem contingere dicimus; quod ut rectius intelligatur, repetenda sunt hoc loco, quae superius §. 18. de forma bonorum operum disputavimus. 7. Bon[a] opera r[e]natoru[m] placent Deo.

78. 8. *Justorum opera absolute vocantur bona. Ergo sunt perfecte bona*, *quia bonum non dicitur absolute*, *nisi integre sit bonum.* Respondemus: plus est in consequente, quam antecedens promittit. Eadem Scriptura, quae justorum opera vocat bona, multis in locis testatur, quod in carne renatorum adhuc habitet peccatum, quod caro in illis concupiscat adversus Spiritum, quod non sit homo, qui non peccet etc. Quodque non dicantur bona, quia perfecte bona sint nihil defectus aut vitii habentia, sed quia ex fide proficiscuntur et aliquam cum lege conformitatem obtinent. Hebr. 11, v. 4: *Fide Abel meliorem hostiam obtulit Deo*, *quam Cain.* 8. Just[o]rum op[era] absolu[te] dicunt[ur] bona. VIII. 7[…]

79. *Testimonia patrum*, quae pro perfectione operum c. 16. Bellarminus producit, facilem habent explicationem. Ex plerisque nihil aliud exsculpi potest, quam opera virtutum distincta esse a peccatis, at quis nostrum hoc negat? Cui in mentem venit statuere, quod idem sit peccatum et opus bonum? Libertinis haec opponat Bellarminus, non autem nostris ecclesiis. 1. Ambrosius de Apol. David c. 6. *cavendum esse* dicit, *ne sint plura peccata quam opera virtutis*, at ibidem diserte addit, *non posse sine peccato esse humanam fragilitatem.* Hortatur igitur renatos, ut operam dent, quotidianos lapsus esse quam paucissimos, interim tamen non negat, peccatum ipsis et operibus eorum adhaerere. 2. Hieronymus lib. 3. ad Pelag. dicit, *posse hominem non peccare*, *si velit*, at late ibidem contra Pelagianos probat, peccatis venialibus in hac vita pios adhuc obnoxios esse. Ergo de peccatis contra conscientiam proprie loquitur, quod per Dei gratiam ea caveri possint. Item quod aliquo tempore etiam venialia externa caveri possint, at ex eo nondum Dicta Patrum

sequitur, quod detur tempus, quo peccatum in carne haerens opera non coinquinet, perpetuo verum est illud apostolicum: *Si dixerimus, nos non habere peccatum, mendaces sumus.* 3. Augustinus lib. de spiritu et lit. cap. ult. negat, *culpae deputandum esse, quod in hac vita non sit tanta puritas et perfectio operum, quanta erit in vita aeterna.* At hoc telum nos non ferit, per culpam enim intelligit Augustinus peccatum actu mortale sive mortem afferens. Quamvis enim in operibus renatorum non sit tanta puritas et perfectio, quanta esse debebat, tamen culpae id non deputatur, hoc est non sunt propterea irae Dei et damnationi actu obnoxii, quia fide in Christum et ipsi et opera eorum Deo placent. Idem Augustinus diserte scribit epist. 29. ad Hieron.: *Quod in caritate* (ac justititia actuali) *minus est, quam esse debebat ex vitio, ex quo vitio non sit, qui faciat bonum et non peccet.* 4. Quod ad dictum Augustini libr. de bono conjugali c. 6. attinet, *conjugalem concubitum generandi genera non habere culpam*, et c. 7: *Reddere debitum conjugi nullius est criminis;* respondemus, distiguendum esse statum naturae integrae et corruptae. In statu integritatis concubitus conjugalis omni pravae concupiscentiae vitio caruisset, sed in statu corruptionis concubitus conjugalis per accidens deformatur ab inhaerente prava concupiscentia et libidine. 5. De dictis Gregorii et Bernhardi judicari potest ex illis, quae pro nostrae sententiae confirmatione superius ex illis ipsis scriptoribus produximus. Gregorius in epistola ad Augustinum dicit, *bonarum esse mentium culpam ibi agnoscere, ubi nulla est,* id intelligendum, quod coram oculis nostris bona opera videantur carere vitio, interim tamen alia ratio est de judicio Dei, qui in quolibet renatorum opere invenit, quod culpet. Bernhardus lib. de praecept. et disput. gradus obedientiae constituit, sed summum perfectionis gradum in hac vita obtineri posse nuspiam asserit.

80. Cap. 17. Duas rationes pro perfectione bonorum operum Bellarminus format, quibus quid roboris insit, breviter videbimus: *1. Si opera bona justorum essent omnia vitiata et corrupta, ita ut peccata mortalia ex sua natura dici deberent, id sine dubio vel ex innata concupiscentia vel ex defectu dilectionis Dei, vel ex admistione peccatorum venialium nasceretur. At nihil horum contaminare potest opera justorum bona.* Respondemus: Imo vero haec omnia et singula contaminant bona renatorum opera, quomodo ergo Bellarminus probat suum assumtum? *Concupiscentia*, inquit, *peccatum non est, sed infirmitas, nisi ei consentiatur, atque etiamsi peccatum esset, tamen non semper movetur.* Respondemus: Contrarium evicimus in tractatu de peccatis actualibus §. 36. ubi ostendimus, concupiscentiam esse peccatum eandemque per modum habitus vitiosi nobis inhaerere, nec torpidam qualitatem, sed perquam actuosum malum esse. *Defectu caritatis non contaminari bona opera,* inde probat Bellarminus, *quia defectus ille non sit culpa vel peccatum.* Respondemus: Hanc itidem esse falsam hypothesin evicimus in tractatu de lege. §. 181. ubi ostendimus, summum illum dilectionis gradum in lege divina praescriptum in hac vita nos non posse assequi. *Admistione peccatorum venialium bona renatorum opera non vitiari*, inde probat Bellarminus, *quia non est necesse singulis operibus admisceri veniale peccatum et quia peccatum veniale non est contra, sed tantum praeter legem.* Respondemus: utrumque falsum. Quamvis enim a peccatis infirmitatis externis renati quandoque liberi sint, tamen perpetuo ipsis adhaeret peccatum interius, videlicet pravae concupiscentiae malum. Sed et venialia peccata non solum praeter, sed et contra legem esse ostendimus in tractatu de peccatis actualibus §. 43. Quo sensu ac respectu pii dicantur perfecti et immaculati, exposuimus in tractatu de lege §. 192.

81. Altera ratio ducitur ab absurdis, quae ex nostra sententia consequi Bellarminus existimat: *Si omnia renatorum opera essent peccata, sequeretur, ipsum quoque opus fidei, quo justificamur, tum et orationem, qua petimus peccata nobis condonari, esse peccata, et sic per peccata nos justificari.* Respondemus: Bona opera non dicimus esse *in se, per se*, ac *formaliter* peccata, sed peccatis contaminata propter defectum operibus adhaerentem et propter concupiscentiam pravam in carne renatorum adhuc reliquam. Proinde fides et oratio ex fide non sunt in se ac per se peccata, nec, dum fide justificamur, per peccatum justificamur, aut dum ex fide remissionem peccatorum petimus, per peccatum remissionem peccati petimus, ut Bellarmino nugari placuit. Interim negari nequit, et fidem et orationem defectu quodam laborare, neque enim fides tam robusta est, ut non debeat esse robustior, aut oratio tam ardens, ut non debeat esse ardentior, sed hunc defectum benignissime condonat Deus propter Christum, propter quem et fides et oratio nostra Deo placent, fide insuper justificamur, non quatenus est vel qualitas, vel opus quoddam tantae dignitatis et meriti, ut justificationem impetret, sed quatenus relative considerata apprehendit Christum et in Christo Dei gratiam, justitiam et vitam aeternam. *2. Si omnia opera justorum sunt peccata, qua fronte dicere potuit apostolus: Nihil mihi conscius sum? Nullumne bonum opus fecerat, aut illa ipsa bona opera esse peccata mortalia ignorabat? Et nonne major fuisset audacia pro ejusmodi operibus, id est peccatis mortalibus, exspectare coronam justitiae.* Respondemus: apostolus se nullius contra conscientiam admissi criminis conscium esse rectissime pronuntiat, idem tamen *in carne sua peccatum adhuc haerere* conqueritur Rom. 7, v. 14. et seqq. Ergo de justitia bonae conscientiae verissime gloriari poterat, eandem vero Dei judicio haudquaquam opponebat, ideo cum dixisset, nihil mihi conscius sum, immediate subjungit, *sed in hoc non sum justificatus, qui autem me judicat, Dominus est*, quibus verbis agnoscit, non operum, sed fidei justitiam coram Deo subsistere posse. Coro-

Absurda quae videntur sequi ex negata bonorum operum perfectione.

nam justitiae a Deo exspectat non tanquam ex debito pro meritis bonorum operum, sed ex gratia pro benignissima atque indebita mercede, ut paulo post latius docebitur. *3. Si bona opera justorum essent peccata mortalia, sequeretur, ipsum Deum peccare mortaliter, Deus enim est, qui operatur in nobis Phil. 2.* Respondemus: Bona opera dicuntur peccata, hoc est peccatis contaminata, non quatenus bona sunt, et Deus suo Spiritu ea in nobis operatur, sed quatenus defectu quodam adhuc laborant, qui defectus non a Deo, sed a carne nostra corrupta oritur. *4. Si omnia justorum opera essent peccata, Christus a nulla iniquitate nos redemisset, nec vere populum suum mundasset, nec sectatores bonorum operum, sed peccatorum mortalium fecisset.* Respondemus: imo vero ab omni iniquitate Christus nos redemit, ut propter ipsum peccata commissa remittantur et inhaerens peccatum non imputetur, sed condonetur et Spiritu sancto nobis dato mortificetur, plenissima ab omni imperfectione et pravae concupiscentiae labe purgatio ac liberatio in futura vita eodem Christi merito ac beneficio nobis continget. *5. Si omnia opera bona sunt peccata mortalia, sequitur, ut aliqua peccata mortalia sint bona opera, et possent fieri hi syllogismi: Omnia opera bona sunt facienda. Aliqua peccata mortalia sunt opera bona. Ergo aliqua peccata mortalia sunt facienda. Item: nullum peccatum mortale est faciendum. Omnia bona opera sunt peccata mortalia. Ergo nullum opus bonum est faciendum.* Respondemus: turpissimam horum argumentorum sophisticationem exposuimus superius §. 39. Nec judicamus in re manifesta ulterius laborandum esse. *6. Bona opera esse peccata, implicat contradictionem, erunt enim et bona et non bona, et praemio et poena digna.* Respondemus: vera contradictio debet fieri ad idem et eodem respectu, jam vero bona opera diverso respectu et bona et non bona dicuntur; bona sunt, quatenus Deus suo Spiritu ea in nobis operatur, quatenus legi congruunt, quatenus ex fide fiunt, quatenus gloriam Dei et proximi salutem spectant; non bona sunt, quatenus defectu quodam adhuc laborant, et quatenus ab homine ex parte adhuc carnali procedunt, bona ergo sunt per se, non bona sive imperfecte bona per accidens. Regerit Bellarminus, *distinctiones hasce inanes esse: 1. Deus non facit nostra bona opera nisi per nos, id est faciendo, ut nos illa faciamus. Ergo si ut a nobis fiunt, mala sunt, simpliciter mala erunt non bona.* Respondemus: Plus est in consequente quam antecedens permittit; hoc tantum sequitur, bona opera esse imperfecta et immunda, quatenus a nobis ex parte adhuc carnalibus fiunt, non autem quatenus a nobis per Spiritum Dei renovatis procedunt. Declarat id Lutherus similitudine boni fabri secantis corrosa et dentata securi, ubi imperfectio et deformitas incisionis non ipsi fabro, sed vitiosae securi tribuenda. *At*, inquit Bellarminus, *bonus faber per malam securim non facit bonas, sed malas incisiones, sic igitur Deus per nos operans non facit opera bona, sed mala.* Respondemus: Distinguendum imperfectio et deformitas incisioni adhaerens ab incisione per se bona, ita quoque imperfectio et immundities bonis operibus adhaerens ab ipsis operibus per se bonis. Quod in incisione bonum ac laudabile, id bono fabro, quod imperfectum et vitiosum, id tribuitur securi; ita quoque quod in operibus nostris imperfectum et vitiosum, id nostrae carni, quod bonum, id Spiritui in nobis ac per nos operanti tribuendum est. Propagatio humanae naturae est opus divinum per se bonum, interim illi ipsi naturae adhaeret originale peccatum, ut ergo in hoc opere divinum beneficium distinguitur a peccati vitio, ita quoque in operibus, quae Deus per renatos operatur, idem faciendum erit. *2. Opera bona ex genere sive ex objecto, sed mala ex circumstantia non sunt bona simpliciter, sed mala, quia bonum non exsistit, nisi ex causa integra, malum vero ex quolibet vitio.* Respondemus: Denuo plus est in consequente, quam antecedens permittit. Adhaerens illud vitium hoc efficit, ut bona renatorum opera non possint dici summo gradu et perfecte bona, nequaquam vero hoc infert, ut simpliciter et absolute dici debeant mala, sed hoc tantum sequitur, quod diverso respectu et bona sint et non bona. Dictum Dionysii, quod Bellarminus allegat, loquitur de eo, quod gradu summo et perfectissimo bonum est, illud enim non exsistit, nisi ex integra causa, sed ex eo non potest inferri, quod simpliciter malum sit et nullo respectu bonum, quod aliquo defectu laborat. Quid? Annon Bellarminus ipse hominum non renatorum opera vocat moraliter bona, quae tamen omnibus circumstantiis bona esse non poterit asserere? ***Detrahitur efficaciae meriti Christi, si opera statuuntur imperfecta.* Respondemus: Vitiositatis nostrae successiva curatio non arguit vel imperfectionem curationis vel impotentiam medici, sed gravitatem morbi et extremam naturae nostrae corruptionem.**

VIII. 72. (margin)

82. Cap. 18. et 19. conatur Bellarminus probare, quod bona opera hominem vere justificent, nimirum non prima, sed secunda justificatione, quae non faciat justos ex impiis, sed justiores ex justis. Respondemus: 1. Ostendimus in tractatu de justificatione, hominem justificari fide sine operibus et formam justificationis consistere in remissione peccatorum et imputatione justitiae Christi; ac postea late probabimus, bona opera non esse meritoria vitae aeternae ex condigno, ex quo sponte sequitur, hominem non justificari ex operibus. 2. Distinctio inter justificationem primam et secundam, prout a Bellarmino et aliis Pontificiis Scriptoribus usurpatur, non solum destituitur fundamentis Scripturae, sed eidem etiam fortissime adversatur, siquidem testatur Scriptura, *omnes justificandos uno eodemque modo justificari*, Act. 15, v. 11. Rom. 4, v. 24; *nempe per fidem Christi*, Rom. 3, v. 22. 25. 28. c. 4, v. 5. Gal. 2, v. 16. etc.; *absque operibus*, Rom. 3, v. 28. Gal. 2, v. 16; *remissis peccatis*, Act. 13, v. 38.

VIII. 7[3] De justificatione secunda per ope[ra] (margin)

Rom. 3, v. 24. c. 4, v. 7; *et imputata Christi justitia*, Rom. 4, v. 6. 2. Cor. 5, v. ult.; *per cujus unius obedientiam justificamur*, Rom. 5, v. 19; *ut omnis gloriatio nobis adimatur*, Rom. 3, v. 27. c. 4, v. 2; *et nostra justitia sit mere gratuita*, Rom. 3, v. 24. Ephes. 2, v. 8; *nimirum ex Dei gratia*, Rom. 3, v. 4. Ephes. 2, v. 8; *per redemtionem Christi*, Rom. 3, v. 24. Col. 1, v. 14; *fide apprehensam*, Rom. 3, v. 22. 26. 28. etc.; *ex evangelio*, Gal. 3, v. 18; *non ex lege*, Rom. 3, v. 21; *ex gratia et non ex operibus*, Rom. 4, v. 4. et c. 11, v. 6. Ephes. 2, v. 8. 9; *dono Dei et non ex nobis*, Ephes. 2, v. 8; *ex fide gratis, ut sit firma promissio*, Rom. 4, v. 16. Gal. 3, v. 22; *quomodo Abraham, David, Esaias, Daniel, Paulus aliique justificati sunt*, Rom 4, v. 3. 17. 23. Gen. 15. Psalm. 32. Esa. 64. Dan. 9. 1. Cor. 4. etc. ita ut bona opera tanquam fructus *justitiae Spiritus et fidei* sequantur demum justificatos, non praecedant justificandos, Phil. 1, v. 11. Gal. 5, v. 22. quae *alias Deo ut creatori et Domino debentur*, Luc. 17, v. 10; ac *multis nominibus imperfecta sint propter inhabitans peccatum et contaminata variis naevis*, Esa. 64, v. 6; *ut subinde petenda sit a Deo peccatorum venia*, Psalm. 32, v. 6. Matth. 6, v. 12. Ideo opera *in articulo justificationis diserte excluduntur a gratia Dei*, Rom. 11, v. 6. 2. Tim. 1, v. 9. Tit. 3, v. 5; *a merito Christi*, Esa. 63, v. 3. Joh. 1, v. 29; *a fide*, Rom. 3, v. 28. Gal. 2, v. 16; *ab electione aeterna*, Rom. 9, v. 12. 2. Tim. 1, v. 9; *nec habent relationem ad promissionem evangelii, quae est solius fidei*, Rom. 4, v. 11. Gal. 3, v. 18. et 22. et clara voce testatur Spiritus sanctus, *ex operibus legis nullam carnem justificari apud Deum*, Rom. 3, v. 20. Gal. 2, v. 16. c. 3, v. 11; *ut in solo Deo possimus gloriari*, 1. Cor. 1, v. 31. Jerem. 9, v. 24; *ac de salute nostra esse certi*, Rom 4, v. 16: *reportantes finem fidei nostrae salutem aeternam*, 1. Petr. 1, v. 9. Quae membra omnia et singula probant, excludi opera a justificatione coram DEO, sive ea dicatur prima, sive secunda. 3. Concedimus, inhaerentem justitiam tam actualem, quam habitualem in hominibus fide justificatis incrementa capere, sed ex eo non potest nec debet inferri, quod actualis operum justitia coram DEO nos justificet, cum enim habitualis justitia non justificet nos coram Deo justificatione prima, ut demonstratum fuit in tractatu de justificatione, consequens est, nec actualem justitiam nos justificare coram Deo justificatione secunda. Ratio connexionis est manifesta, quia partium homogenearum eadem est natura ac proprietas. Si justitia habitualis (quam vocant infusam), quae est initium, causa et primus quasi gradus actualis nostrae justitiae, non justificat nos coram Deo, utique nec actualis, quae est consequens, effectus et veluti progressus justitiae infusae, justificabit nos coram DEO. 4. Concedimus etiam, quod fidei justitia exserat se per dilectionem et opera bona, quodsi declaratio justitiae coram hominibus intelligeretur per justificationem secundam, posset sano sensu dici, hominem justificari ex operibus, hoc est justum declarari et coram hominibus agnosci; sed Bellarminus et alii Pontificii eo non spectant, verum de justificatione coram Deo loquuntur, quod bona opera non solum coram hominibus nos fide justificatos esse manifestent, sed etiam coràm Deo vere nos justificent, in judicio ejus consistant et vitam aeternam ex condigno mereantur, quo sensu et respectu secundam justificationem per opera introducere est gratiam Dei, meritum Christi et gratuitam fidei justitiam e medio tollere et in locum eorum opera constituere, cui errori epistola ad Galatas manifestissime repugnat. 5. Denique concedimus, eos, qui fide in Christum coram Deo justificati sunt, quotidiana peccatorum remissione indigere, ac fidem non tantum in prima ad DEUM conversione, sed etiam quotidie imputari ad justitiam, quodsi quis quotidianam illam peccatorum remissionem justificatis et renatis (non minus quam justificandis et renovandis) propter peccatum in carne adhuc habitans et quotidianas infirmitates necessariam appellare vellet justificationem secundam, non admodum repugnaremus. Utrumque enim Scriptura asserit, *credenti in eum, qui justificat impium, reputari fidem ad justitiam* Rom. 4, v. 5; *atque eum, qui justus, adhuc justificari debere* Apoc. 22, v. 11. sed nec hoc volunt Pontificii, justificationem enim secundam non tribuunt fidei in Christum remissionem peccatorum gratuitam quaerenti et impetranti, sed bonis operibus perfectione ac merito suo justitiam et vitam aeternam obtinentibus.

83. Quomodo igitur probat Bellarminus, opera bona vere justificare hominem coram Deo justificatione secunda? Producit primo loco c. 2. Jacobi, cujus analysin proposuimus in tractatu de justificatione. Ex qua facili negotio expediri possunt, quae pro justificatione operum hoc loco Bellarminus disputat. Primo monet, *scopum Jacobi fuisse demonstrare, non quae sit vera fides, sed fidem veram ad salutem sine operibus non sufficere*, quod probat testimonio Augustini lib. de fide et operibus c. 14. atque ex circumstantiis textus, *quia jubet apostolus, ut simus factores verbi, non auditores tantum, neve in personarum acceptione fidem Christi habeamus, hoc est ne cum fide simul peccata nutriamus, quale est acceptio personarum.* Respondemus: Jacobus nequaquam docet, fidem veram et vivam non sufficere ad justificationem (hac enim ratione apostolo Paulo apertis tibiis contradiceret), sed ostendit, nudam illam fidei professionem, qua quis dicit, se habere fidem, opera autem non habet, non sufficere ad salutem, quo sensu et respectu recte dicit Augustinus, disputationem Jacobi directam esse contra opinionem eorum, qui fidem sine operibus, hoc est nudam fidei jactantiam bonorum operum fructibus vacuam justificare contendebant, at fides sine operibus non est vera et viva fides, tantum abest, ut justificet et salvet. Ergo non negamus, c. 2. Jacobi oppositum esse gloriationi eorum, qui fidem dicunt se habere, opera autem non habent, sed ex eo nondum sequitur, quod bona opera una cum fide vera

Argumenta Bellarmini pro justificatione secunda. Abraham ex operibus justificatus est. Jac. 2.

justificent, ingens enim discrimen est inter fidem veram et inanem fidei jactantiam, inter fidem vivam et mortuum fidei simulacrum. Secundo monet Bellarminus, *Paulum loqui de justificatione prima, Jacobum de justificatione secunda.* Respondemus: Justificatio illa secunda per opera repugnat disertis Scripturae dictis, quae paulo ante commemorata sunt, cui parum roboris accedit ex similitudine, quam Bellarminus hoc loco format: *Quemadmodum*, inquit, *nemo potest opere suo se ipsum procreare, aut e morte revocare, procreatus autem vel a morte revocatus ipse sese comedendo et bibendo nutrit et auget; sic etiam homo per peccatum mortuus non potest merito operum suorum se justificare, sed posteaquam a DEO justus factus est, potest recte vivendo justitiam in se alere atque augere, atque ita operibus justificari.* At praeterquam quod similia tantum illustrent, nequaquam vero probent, manifestum est, Bellarminum sibi ipsi contradicere.

VIII. 75. Si enim requiruntur quaedam dispositiones ad justificationem tanquam merita de congruo, quibus homo se ipsum ad justificationem praeparet ac disponat, uti disputat lib. 1. de justificat. c. 21. et lib. 2. de poenit. c. 12. qua veritatis specie hoc loco asserit, hominem non posse merito operum suorum se justificare? Ipsam similitudinem quod attinet, notandum, vivificationem accipi dupliciter: primo pro justificatione per fidem, quae ex filiis irae et mortis facit filios gratiae et vitae, quo sensu propheta asserit, *justum ex fide vivere*, Hab. 2, v. 4. quod effatum propheticum ad justificationem fidei accommodat apostolus Rom. 1, v. 17. Gal. 3, v. 11. quia fides apprehendit Christum et in Christo vitam aeternam; deinde pro renovatione per donationem Spiritus sancti, per quam in nobis ex morte peccatorum suscitatis vita spiritualis inchoatur, quae per bona opera tanquam externos hujus spiritualis vitae motus sese exserit. Concedimus igitur, renovationem in nobis augeri, vitam spiritualem incrementa capere, in Christo nos crescere, corroborari per Spiritum in interiori homine etc. sed ex eo nondum sequitur, quod justificatio coram Deo, quae in remissione peccatorum et imputatione justitiae Christi consistit, gradus et incrementa habeat, ut propterea quaedam prima, quaedam secunda (sensu Pontificio) dici possit aut debeat.

84. Statuimus igitur, per justificationem in textu apostolico Jac. 2. intelligi declarationem et manifestationem justitiae coram hominibus, ut apparet ex v. 18: *Dicet quis, tu fidem habes et ego opera habeo, ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam*, ut sit sensus, non sufficere, ut quis dicat se habere fidem, sed et bonorum operum testimonio hanc fidei professionem esse comprobandam et fidei justitiam declarandam, siquidem fides sine operibus sit mortua. Haec significatio vocabuli justificationis occurrit etiam in aliis Scripturae dictis. Psalm. 51, v. 6: *Ut justificeris in sermonibus tuis*, id est justus agnoscaris. 1. Tim. 3, v. 16: *Filius Dei justificatus in Spiritu.* Hanc interpretationem confirmat Glossa ordinaria in eum locum et Thomas Aquinas in cap. 3. Galat. quorum testimonia in tractatu de justificatione recensuimus; sed Bellarmino ea non probatur, ideo quatuor argumenta eidem opponit: *1. Jacobus dicit, fidem Abrahae cooperatam esse operibus ad eum justificandum. At fides non cooperatur operibus ad justitiae declarationem.* Respondemus: Jacobus nuspiam dicit, fidem Abrahae cooperatam esse operibus ad eum justificandum, sed absolute et indeterminate pronuntiat v. 22: *Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius*, προςδιορισμὸς ille ad justificandum a Bellarmino additur. Porro quando hoc loco Jacobus dicit, fidem cooperatam esse Abrahae operibus, loquitur non de vera fide interiori, sed de externa fidei professione, haec cooperata est Abrahae operibus, hoc est concurrit cum operibus professioni consentaneis ad communem illum effectum, videlicet Abrahae fidem et justitiam testandam. *2. Jacobus dicit, hominem justificari ex operibus et non ex fide tantum, ubi non potest justificatio sumi pro declaratione, quia fides non justificat declarando, sed vel disponendo ad justitiam et inchoando formalem justitiam, ut volunt Pontificii, vel apprehendendo justitiam Christi, ut volunt Protestantes.* Respondemus: idem vitium amphiboliae in argumento recurrit, non agit apostolus de justificatione per fidem coram Deo, sed de justitiae declaratione coram hominibus per opera. Conclusio illa Jacobi v. 24. necessario sic accipienda est, ut praemissis exacte respondeat et ex illis sponte sequatur, *videtis, quoniam ex operibus justificatur homo*, id est justus coram hominibus declaratur (ut apparet ex v. 18.), *et non ex fide tantum*, id est non ex nuda fidei professione (ut apparet ex v. 14.). Opera sola sine fidei professione uon justificant, hoc est vere fidelem Christianum arguunt (nam et gentiles opera in specie externa bona facere possunt) nec sola professio fidei sine operibus justificat, sive justum et vere fidelem declarat (nam et hypocritae fidem jactare possunt), sed fidem et opera oportet esse conjuncta. *3. Jacobus dicit, fidem Abrahae ex operibus consummatam esse, id non potest aliud significare nisi justitiam inchoatam per fidem accepisse incrementum et perfectionem per opera.* VIII.
Respondemus: Non negamus, justitiam inhaerentem suos gradus suaque habere incrementa, sed ea de re hoc loco non agit apostolus, verum perseverat in instituto disputationis suae contra inanem fidei jactantiam cursu ac docet, fidei professionem per opera eidem consentanea coram hominibus demonstrandam esse, quod sit vera et viva fides, sicque in fine illo perfectionem suam adipisci, quod pro vera et viva fide ab hominibus agnoscitur, sicut viri honesti fides et promissio perficitur et consummari dicitur, quando re ipsa praestatur, quod promissum erat. Thomas Aquinas in h. l.: *Fides ex operibus fuit consummata, id est augmentata et comprobata et ostensa. 4. Raab dicitur ex operibus justificata. Atqui non potuit declarari justa, cum fuerit*

An justificatio Jac. 2 accipiatur pro declaratione Justitiae

meretrix, sed vere justificata est, hoc est ex infideli facta est fidelis et ex meretrice facta est justa. Respondemus: Bellarminus sibi ipsi apertissime repugnat. Si enim justificari apud Jacobum significat ex infideli fieri fidelem et ex meretrice justam, quomodo hic locus potest accipi de justificatione secunda, quam antea sic descripsit, quod per eam homo non fiat justus ex injusto, sed ex justo magis justus? Dicimus ergo, Rahabam ex operibus justificatam, hoc est justam declaratam. Epist. ad Hebr. 11, v. 31. diserte testatur, *Rahabam fide non periisse cum incredulis*, hanc fidem concepit ex auditu verbi et miraculorum divinorum, ut patet ex c. 2. Josuae, eandem testata est insigni illo opere, quod recepit nuntios Israëliticos, erat enim hoc cum praesentissimo vitae periculo conjunctum, si ad regem emanasset. Ergo cum professa sit veram in DEUM fidem Jos. 2, v. 11. atque eandem operibus expresserit, verissime laudem justitiae consecuta fuit. Quod Rahab vocatur *meretrix*, nequaquam eo hoc sensu accipiendum, quod meretriciis amoribus tempore adhuc indulserit, sed quod olim talis fuerit, quemadmodum Matth. 21, v. 31. dicitur: *Publicani et meretrices praecedunt vos in regnum Dei*, et Matth. 26, v. 6. Christus dicitur, *fuisse in domo leprosi*, hoc est qui aliquando leprosus fuit. Eadem phrasi dicitur Matth. 11, v. 5: *Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt*, adde quod vocabulum זוֹנָה a Pagnino et aliis reddatur caupona, qua voce non notatur aliquod Rahabae flagitium, sed exploratorum hospitium, praeferimus autem priorem explicationem, quia epistola ad Hebraeos vocat πόρνην. Nec sibi ipsi solum, sed et veritati contradicit Bellarminus, praesupponit enim, Rahabam usque ad illud tempus, quo venerunt nuntii Israëlitici, et infidelem et meretricem fuisse, cujus contrarium testatur ipsius confessio, quae exstat Josuae 2, v. 11: *Dominus Deus vester ipse est Deus in coelis sursum et super terram deorsum, ex quo epistola ad Hebraeos colligit, Rahabam fide justificatam esse.*

85. Vidit Bellarminus hanc difficultatem, quam ipse vocat gravissimam, quod eodem Abrahae exemplo eodemque V. T. pronuntiato: *Credidit Abraham Deo et reputatum est ei ad justitiam*, et Paulus et Jacobus utantur, ex quo consequitur, de eadem fidei justitia utrumque apostolum agere, sed diversimode considerata. Paulus agit de ea, ut coram Deo nos justificat; Jacobus, ut per opera coram hominibus se declarat. Vidit inquam Bellarminus hanc difficultatem, ideo eandem amovere conatur. Monet autem *1. Jacobum respicere illud tempus, quo Abraham voluit immolare filium suum, quod libenter concedimus*, quamvis enim Abrahamus jam ante multis operibus bonis fidem suam ostenderat, tamen hoc fuit eximium et peculiare opus fidei, de quo Deus ipse pronuntiat Gen. 22, v. 12: *Nunc cognovi, quod timeas, cum non prohibueris filium tuum unicum a me*, ideo Jacobus illud Abrahae opus potissimum seligit, ut demonstret, Abrahae fidem non fuisse nudam professionem, sed bonorum operum testimonio comprobatam. 2. Quod Jacobus dicit, tunc impletam esse Scripturam, id hunc habere sensum, *non quod tunc primum fuerit impleta Scriptura, sed quod tunc etiam fuerit impleta.* Nec hoc sententiae nostrae repugnat, ipsimet enim notare jussimus, quod Jacobus non argumentetur absolute ex illo dicto (nam apostolus Paulus contra- VIII. 77.
rium ex eo deducit, quod Abrahamus coram Deo non operibus, sed fide justificatus sit Rom. c. 4.), sed ex complemento illius dicti in insigni opere oblationis filii, non quod aliis pietatis operibus non fuerit ante completum, sed quia in hoc opere potissimum apparuit illius complementum, sicut et Petrus Actor. 13, v. 33. ostendit, per resurrectionem CHRISTI completum esse illud Psalm. 2: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, nimirum, quia CHRISTUS per *resurrectionem potenter demonstratus est Dei Filius*, Rom. 1, v. 4. Non quod miraculis non fuerit hoc jam ante demonstratum, sed quia in resurrectione demonstratum est ἐν δυνάμει. 3. Concedit, *Abrahamum fuisse multo ante justificatum, quam de eo dictum sit: credidit Abraham DEO* etc. Idque aliquot argumentis confirmat Augustini et Anselmi expositione repudiata. Id vero diligenter notare jubemus contra Papistas reliquos, quorum plerique disputant, Paulum loqui de prima (quam ita vocant) Abrahae justificatione, quam cum infusione justitiae, non autem in actuali operum justitia constituant, nullo negotio ex difficultate illa (quod Paulus disertissime pronuntiat, Abrahamum fide sine operibus justificatum esse) emergere se posse existimant, respondent enim, Paulum loqui de prima Abrahae justificatione, quae facta sit sine operibus, Jacobum de secunda, quae ex operibus ipsi contigerit. Sed videt Bellarminus hanc glossam non habere locum, nec salva veritate dici posse, quod Abraham non fuerit multo ante justificatus, quam de eo dictum sit: *credidit Deo et imputatum est ei ad justitiam*, primo quia Gen. 12. 13. et 14. narrantur egregia opera Abrahae, quod vocatus a Deo et jussus exire e terra sua continuo obedierit, quod aram Deo erexerit, quod saepius cum Deo familiariter collocutus fuerit; secundo quia epistola ad Hebraeos inter praecipuas laudes Abrahae ponit, quod *fide obedierit exire in locum, quem nesciebat*, quod certe factum est multo ante, quam diceretur de eo: *credidit Abraham Deo* etc.; tertio quia idem confirmant patres, Origenes lib. 4. in epist. Rom. Ambrosius lib. 1. de Abraham c. 2. Chrysostomus homil. 31. et 36. in Genes. Augustinus lib. 16. de civ. Dei c. 13. Haec omnia Bellarminus, ex quibus fortissime infertur: si Abraham in medio bonorum operum cursu non ex operibus, sed fide justificatus fuit, consequens est, non solum opera liberi arbitrii, sed etiam opera pietatis a renatis facta ab actu justificationis excludi, nec dari secundam quandam ex operibus justificationem. Quae cum ita sint, quodnam tandem Bellarminus invenit subterfugium, quominus clarissimam veritatem am-

plectatur? 4. Respondet: *id quod dicitur Gen. 15: Credidit Abraham Deo et reputatum est ei ad justitiam, si verba Hebraea diligenter inspiciantur, hunc habere sensum, quod actus ille credendi fuerit opus justum et meritorium et pro tali sit a Deo judicatum et acceptum, ut hac fide Abraham non sit factus justus ex impio, sed justior ex justo.* Atqui haec interpretatio disertissime repugnat Paulo, is ex hoc dicto Geneseos infert, Abrahamum justificatum esse fide, non ex operibus, Bellarminus ex eodem vult elicere, Abrahamum justificatum esse opere quodam justo et meritorio; apostolus ex dicto illo infert, *credenti, non operanti imputari fidem ad justitiam,* Bellarminus ex eodem vult elicere actum credendi fuisse opus justum et meritorium. Verba Hebraea quod attinet, non concedemus Bellarmino, quod Hebraeae magis fuerit gnarus, quam apostolus, sic autem sonant, הֶאֱמִן בַּיהוָה וַיַּחְשְׁבֶהָ לּוֹ צְדָקָה׃, Pagninus: *Credidit Domino et imputavit illud sibi ad justitiam.* Benedictus Arias: *Credidit in Dominum et imputavit illud ei in justitiam.* Munsterus: *Credidit Domino et reputavit hoc illi in justitiam.* Chaldaeus: *Credidit in verbum Domini et reputavit illi hoc in justitiam.* Apostolus LXX interpretes secutus passive vertit: ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην, quamvis enim verbum Hebraeum non in passiva, sed activa voce scribatur, norunt tamen sacrae linguae periti, novum atque insolitum non esse, quae active sonant, passive ab interprete verti. Perinde igitur est, sive dicatur, quod fides Abrahae imputata ei fuerit ad justitiam (ut apostolus loquitur Rom. 4, v. 5.), sive quod Deus fidem imputaverit Abrahae ad justitiam,
VIII. 78. sensus enim utrobique idem est, videlicet quod Abrahamus fide promissionem benedicti seminis respiciente et apprehendente fuerit coram Deo justus, quod Deus Abrahamum justitia, qua coram ipso consistere posset, carentem pro justo habuerit, eo nomine, quod credidisset verbo promissionis de benedicto semine, in quo justitia et benedictio nobis offertur, quia fides et credere in dicto mosaico et apostolico accipiuntur relative, quatenus respiciunt Christum, qui est Jehovah nostra justitia. Haec expositio nititur auctoritate Paulina, illam igitur merito praeferimus judaicae textus perversioni, quam Bellarminus sequitur, sic enim R. Salomon in hunc locum scribit: *Deus sanctus reputavit illi in justitiam et meritum, quod crediderit ei.* R. Levi *hac re dignum fuisse Abrahamum* dicit, et *quod Abraham hoc promissum acceptum justitiae et aequitati Domini tulerit, qua in se id promeritum seu eo dignum contulisset.* Vide Mercerum hoc loco. 5. Aliud insuper causae suae praesidium quaerit dicens: *Paulum usum esse Abrahae exemplo, non ut significaret, Abrahamum tunc primum justificatum esse a peccatis, sed ut ostenderet, non justificari impium ex operibus sine fide et gratia Dei factis, sed ex fide et gratia Dei, nam si Abraham justus non est factus justior ex operibus sine fide, multo magis impius non poterit fieri justus ex operibus sine fide.*

Respondemus: id vero est nugari et fumos clarissimae luci obvertere, ut etiam alibi monuimus. Quid enim clarius dici poterat, quam quod apostolus affirmat, *Abrahamum justificatum non ex operibus* v. 2; *sed ex fide* v. 3; *imputatione secundum gratiam* v. 4; *non operando, sed credendo et per fidei imputationem* v. 5; *per imputationem justitiae sine operibus* v. 6; *per remissionem iniquitatum* v. 7; *non imputando peccatum* v. 8; *per imputationem fidei ad justitiam* v. 9; *ut ipse esset pater omnium credentium, ut et ipsis justitia imputetur* v. 11. Qui tam evidentem de fidei absque operibus justificatione disputationem exponere velit de justificatione operum, quam secundam vocant, nae is ad clarissimam lucem oculos claudere judicandus est. Non loquitur apostolus hypothetice de operibus, quae Abrahamus sine fide facere potuisset, sed absolute et simpliciter negat Abrahamum ex operibus justificatum esse. Adde quod hypothesis illa jesuitica sit conficta et impossibilis. Fingit Bellarminus, apostolum sic argumentari: Hominis justi opera sine fide non faciunt eum justiorem, ergo nec opera sine fide faciunt hominem justum. At quomodo Abraham fide justificatus potuit bona opera facere sine fide? Num justitia in quoquam habet locum absque fide? quin potius apostolus exemplum Abrahae directe accommodat ad doctrinam de justificatione fidei absque operibus atque illud veluti regulam quandam justificationis proponit, ut apparet ex v. 11. 23. et 24. Violenta igitur admodum et plane inconveniens est illa Bellarmini glossa, quod Paulus loquatur de justificatione prima, Jacobus autem de justificatione secunda, et tamen exemplum Abrahae apud Paulum accipit de justificatione secunda. Exemplum Rahabae apud Jacobum de justificatione prima, cui violentissimae glossae quis poterit fidem habere, cui notum est, quod regula et exemplum sibi perpetuo debeant correspondere? ut taceamus, Bellarminum sua solum somnia proferre, nec ex textu vel ex veteribus ullam probationem suae interpretationis afferre.

86. Praeter classicum illum Jacobi locum alia Scripturae dicta pro justificatione operum stabilienda profert Bellarminus sequenti c. 19. Eccles. 18: Eccl. 18 Ne vereris usq ad mortem justificari.
Ne verearis usque ad mortem justificari. Respondemus: de hoc loco egimus in tractat. de justificat. §. 10. membr. 5. ubi ostendimus, ex fonte Graeco procrastinationem conversionis hic prohiberi. Sic enim habent antecedentia v. 21: *Ante judicium para te ipsum ad benefaciendum et in hora visitationis invenies propitiationem. Antequam aegrotas, humiliare continentia et in tempore peccatorum ostende* ἐπιστροφήν, *conversionem;* v. 23: *ne prohibeas reddere* εὐχήν, *votum* vel etiam preces *opportune, postea sequitur,* καὶ μὴ μείνῃς ἕως θανάτου δικαιωθῆναι, *et ne exspectes usque ad mortem* VIII. 7
justificari (ut vertit Bened. Arias), nihil hic audis de justificatione secunda per opera. Bellarminus regerit, *illud Ne cesses significare continuationem et progressionem justitiae, non inchoationem.* Re-

spondemus: Imo vero Graecum verbum proprie significat exspectare, differre etc. Ac si vel maxime continuatio justitiae denotaretur, nondum tamen justificatio operum stabilita foret, cum et fidei justitia continuatione indigeat. *At*, inquit Bellarminus, *quemadmodum illud praecedens Non impediaris orare, semper significat continuationem et progressum orationis, ita quoque hoc consequens justitiae incrementum.* Respondemus: Graeca sic habent: *μὴ ἐμποδισθῇς τοῦ ἀποδοῦναι εὐχὴν εὐκαίρως*, quod quidam de redditione voti exponunt, si vel maxime de oratione intelligatur, nihil aliud significat, quam quod in tempore adhuc commodo et opportuno precibus sit invigilandum, quemadmodum etiam apostolus admonet Gal. 6, v. 10: *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Quid vero haec ad stabiliendam justificationem per opera facere possunt? Quin imo cum operum justitia quotidie debeat incrementa capere, ideo nondum est perfecta, ideo non potest coram Deo justificare.

Rom. 6: Sicut exhibuistis membra vestra servire justitiae etc.

2. Rom. 6: *Sicut exhibuistis membra vestra servire justitiae in sanctificationem, ubi illud in sanctificationem non significat ad acquirendam primam sanctitatem, nam sanctos et justos alloquebatur apostolus, sed ad augendam sanctificationem. Intelligi autem per sanctificationem justificationem et per sanctitatem justitiam, perspicuum est ex antithesi, opponitur enim sanctificatio iniquitati.* Respondemus: demus sane, de incremento sanctificationis apostolum loqui, at ex eo non potest inferri, quod in incremento illo sanctificationis nostram coram Deo justificationem constituat, quin imo justificationem a sanctificatione manifeste distinguit, de illa praecedentibus capitibus egerat, de hac vero c. 6. tractare incipit. Iniquitati non solum sanctificatio, sed etiam remissio sive justificatio opponitur; haec reatum peccati tollit, illa peccatum mortificat et expurgat.

2. Cor. 7: Perficientes sanctificationem.

3. 2. Cor. 7: *Has ergo habentes promissiones, carissimi, emundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Domini, ubi docet apostolus, per mentis et corporis puritatem proficiendum esse quotidie ad majorem justitiam et sanctificationem.* Respondemus: Quis nostrum hoc negat, proficiendum omnino quotidie in sanctitate et justitia? sed per illam inhaerentem sanctitatem et justitiam coram Deo nos justificari probandum erat, cum enim quotidie in ea proficiendum sit, ideo *id quod adhuc deest, in vitio est, ex quo vitio non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens*, ut loquitur Augustinus epist. 29. ad Hieron.

2. Cor. 9: Multiplicabit semen et augebit incrementa frugum justitiae.

4. 2. Cor. 9: *Multiplicabit semen et augebit incrementa frugum justitiae vestrae, ubi docetur, per eleemosynas liberaliter erogatas diminui facultates, sed augeri justitiam.* Respondemus: eleemosynae hoc in loco dicuntur *τὰ γεννήματα τῆς δικαιοσύνης*, perinde ut bona opera in genere dicuntur *καρποὶ δικαιοσύνης* Philipp. 1, v. 11. Ergo non sunt meritum quoddam nostrae coram Deo justificationis, sed justitiae fidei fructus, quia *fides per dilectionem operatur* Gal. 5, v. 6. Dilectio per opera misericordiae sese exserit. Non negamus, pios in bonis operibus proficere debere, sed bonis operibus ipsos coram Deo justificari negamus.

Joh. 14: Qui diligit me, sermonem meum servabit etc.

5. Joh. 14: *Qui diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum. Haec nova dilectio post impleta mandata quid est nisi dilectionis ac per hoc justitiae augmentum, quod per observantiam divinae legis acquiritur?* Respondemus: non causa dilectionis divinae (quippe quae nostram praevenit dilectionem), sed infallibilis eorum, qui Deum diligunt et a Deo diliguntur, exprimitur nota, quae est mandatorum divinorum observatio, per quam actualem justitiam incrementa capere non negamus, sed eo perfectionis in hac vita assurgere, ut VIII. 80. meritorie coram Deo nos justificet, id vero negamus.

Apoc. 22: Qui justus est justificetur adhuc.

6. Apoc. ult.: *Qui sordescit, sordescat adhuc et qui justus est, justificetur adhuc.* Respondemus: Dictum hoc exposuimus in tractat. de justific. §. 10. membro 7. Rationes, quas addit Bellarminus a perfecta impletione legis atque operum perfectione petitas, ex falsa hypothesi procedere, suo loco demonstratum fuit.

De meritis operum.

87. Descendimus igitur ad gravissimam illam de meritis operum disputationem, ubi primo extra controversiam ponimus, bonis renatorum operibus ex fide ad gloriam Dei factis proposita esse praemia in hac et futura vita, id enim clarissimis verbis adstruit apostolus 1. Tim. 4, v. 8: *Pietas ad omnia utilis est, habens promissionem praesentis et futurae vitae*, quo pertinent omnia illa V. ac N. T. dicta, quibus Deus corporalibus et spiritualibus, temporalibus et aeternis praemiis bona opera renatorum sese remuneraturum passim pollicetur. Ceterum quod tam crebrae exstant in Scriptura promissiones praemiorum, id extremam naturae nostrae corruptionem, exuberantem vero Dei benignitatem arguit; illud, quia propositis praemiis ad id sumus excitandi, alliciendi et invitandi, quod sponte et cum delectatione quadam citra ullum praemii respectum a nobis fieri aequum erat; hoc vero, quia obedientiam nostram jam ante debitam et multis nominibus imperfectam largissimis praemiis afficere promisit is, quem propterea optimum optimo jure vocamus. Secundo praesupponimus distinctionem illam praemiorum, quod quaedam sunt essentialia, quaedam vero accidentalia. Essentialia sunt generalia illa DEI beneficia, quae in evangelii promissione gratis offeruntur et aequaliter dantur omnibus vere in CHRISTUM credentibus, qualia sunt peccatorum remissio, justitiae CHRISTI imputatio, renovatio, salus aeterna; haec ideo dicuntur generalia, quia sunt omnibus vere in CHRISTUM credentibus, quibus aequaliter dantur, communia. Accidentalia sunt particularia quaedam Dei beneficia, quae itidem gratis, sed inaequaliter pro distinctione inaequalium laborum, operum, passionum ac certaminum piis a Deo conferuntur; haec ideo dicuntur particularia, quia non eadem nec aequaliter omnibus piis dantur; accidentalia dicuntur, quia essentialia illius velut fundamenti loco substernuntur, non secus ac substantia accidentibus.

Status quaestionis.

88. His praesuppositis statum quaestionis formabimus. Bellarminus lib. 5. de justif. c. 1. sententiam Catholicorum (Romanensium) hanc esse scribit: *Opera bona justorum vere ac proprie esse merita, et merita non cujuscunque praemii, sed ipsius vitae aeternae.* Statuunt igitur 1. renatos suis operibus non tantum praemia accidentalia, sed ipsam etiam vitam aeternam promereri; 2. praemia illa dari non ex gratuita Dei bonitate, sed ex debito, quod *renatorum operibus nihil desit, quominus legi divinae pro hujus vitae statu plene satisfecisse et vitam aeternam vere promeruisse censeantur*, ut loquitur concil. Trident. c. 16. et can. 32. sess. 6. **Stapletonus in prompt. morali p. 312. anathemate illos ferit, qui operum negant meritum et opera appellant eucharistica.)** Huic opposita est Augustanae confessionis sententia, quam Bellarminus loco dicto his verbis recitat: *Confessio Augustana et apologia art. 20. dicunt, opera bona justorum placere Deo et esse meritoria praemiorum. Sed ne videantur omnino consentire Papistis, addunt duo*
VIII. 81. *temperamenta, quorum unum est, opera bona esse meritoria praemiorum temporalium et spiritualium in hac vita et in futura, sed non ipsius vitae et salutis aeternae; alterum temperamentum est, opera justorum non esse meritoria ex propria dignitate, quasi re vera sint justa et legi satisfaciant, sed ex fide et indulgentia Dei, quia videlicet Deus iis, qui credunt, sibi remissa esse peccata, indulgentia sua tegit operum foeditatem et sic accipit, quasi justa essent.* Agnoscimus recte formatum controversiae statum. Ut autem sententia nostra sit illustrior, declarabimus eam verbis D. Aepini et D. Chemnicii. Sic ergo Aepinus, theologus quondam clarissimus, in egregio suo de justificatione libello c. de praemiis bonorum operum fol. 154. et seqq.: *Deus non modo propter Christum donat nobis justitiam, Spiritum s. et vitam aeternam ac salutem, sed nostras bonas actiones Spiritus s. virtute, non nostra factas etiam propter ipsum Christum, qui eorum est fons et auctor, variis et multis praemiis ornat, tum in hac, tum in futura vita. Sicut homo propter Christum DEO placet, Christo fide insitus, ita propter insitionem et participationem naturae illius, unde bona opera tanquam e sua scaturigine profluunt, etiam bona opera credentium Deo placent, licet ea imperfecta et ex parte vitiosa sint propter conjunctum originis vitium. Deus bona opera non propter suam dignitatem magnificis, variis ac multis praemiis afficit et ornat, sed gratis eo, quod ea sibi placent et probantur. Haec praemia non sunt condigna merita, ut docent papistici Pharisaei, sed sunt gratuita divinae benignitatis munera, quae juxta pietatis qualitatem, sed tamen gratis propter Christum donantur hominibus justificatis.* Et postea: *Deus obligat se ex fide bene operantibus et voluntaria ac gratuita pactione fecit se eis debitorem promittendo; illi non obstringunt eum sibi merendo, imo ille potius gratias suas nobis jam collatas retributionibus ornans nos sibi magis devincit et obnoxios reddit sua beneficentia, quia in nobis coronat sua dona, non nostra merita, ut in nobis in aeternum exstet materia glorificandi nomen ipsius* etc. Eodem sensu scribit Chemnicius in exam. concil. Trident. c. de meritis operum: *Remissio peccatorum, reconciliatio cum Deo, adoptio, salus et vita aeterna non pendent ex nostris meritis, sed donantur gratis propter meritum et obedientiam Filii Dei et fide accipiuntur. Sed in reconciliatis postea bona opera, cum placeant fide propter mediatorem, habent praemia spiritualia et corporalia in hac vita et post hanc vitam, idque ex gratuita promissione divina, non quod Deus propter perfectionem et dignitatem nostrorum operum sit debitor, sed quia ex misericordia et paterna liberalitate propter Christum promisit se praemiis ornaturum, quamvis inchoatam, languidam, imperfectam et immundam filiorum suorum in hac vita obedientiam. Et illae promissiones debent in renatis excitare studium bene operandi, inde enim intelligimus, quam grata Patri coelesti sit filiorum qualiscunque illa, quam Spiritu s. deducente in hac vita sub hoc corruptibili onere carnis inchoant obedientiam, ut quam praemiis spiritualibus et corporalibus, quae sua dignitate non meretur, ex gratia et misericordia propter Filium ornare velit. Et in hanc sententiam nostri etiam a vocabulo meriti non abhorrent, sicut etiam patribus usitatum fuit. Praemia enim promittuntur ex gratia et misericordia, non tamen dantur otiosis vel male agentibus, sed laborantibus in vinea Domini. Atque ita in apologia confessionis Augustanae, in confessione Wittenbergensi et in aliis nostrorum scriptis usurpatur vocabulum meriti.* Haec D. Chemnicius.

Argumenta nostrae sententiae.

89. Ex his sententia nostra de praemiis bonorum operum satis est perspicua, nimirum retributionem illam accidentalium praemiorum, quam bonis renatorum operibus sive in hac, sive in altera vita fieri concedimus, gratuitam esse asserimus, ita ut renatis illa praemia obtingant non ob dignitatem, perfectionem et meritum aliquod operum, sed ex gratuita Dei misericordia, cui cum bona piorum opera per et propter Christum, in cujus fide facta sunt, quamvis imperfecta et immunda sint, placeant ac probentur, ipse praemiis se ea remuneraturum ex gratia promisit, quam promissionem re ipsa etiam compro- VIII. 82.
bat. Hanc sententiam meritis operum proprie sic dictis oppositam confirmant argumenta omnia, quae superius contra perfectionem operum sunt allata, quibus secuti vestigia Bellarmini addimus sequentia Scripturae testimonia, quae ab elusionibus ejusdem vindicabimus.

1. David misericordiae divinae adscribit coronam gloriae. Ps. 103.

1. Propheta regius Psalm. 103, v. 4. in dialogismo cum anima sua instituta sic loquitur: *Redimit Dominus de fovea vitam tuam, coronat te misericordia et miserationibus.* David erat *vir secundum cor Dei*, Act. 13, v. 22. ac opera ipsius vere Deo placebant, idem tamen non operum suorum meritis ac dignitati, sed misericordiae et miserationi divinae in solidum adscribit, quod a

Deo coronetur, hoc est multiplici benedictione corporali et spirituali, temporali et aeterna cumuletur. Hui affine est illud Christi Matth. 5, v. 7: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordia afficientur*, hoc est Deus misericordiam ipsorum in hac et futura vita ex gratuita misericordia compensabit. Quod ex misericordia datur, illud non contingit ex meritis. At praemia bonorum operum dantur ex gratia. Ergo non propter nostra merita. Excipit Bellarminus lib. 5. de justif. c. 5. Augustinum epist. 105. et lib. de corrept. et gratia c. 13. duas indicare locorum istorum expositiones: *1. quod beatitudo tribuatur misericordiae, non quia non sit vera merces meriti, sed quia merita ipsa ex gratia data sunt, non enim potest homo meritoria opera facere, nisi prius justificatus, justificatur autem ex gratia et misericordia Dei. 2. Quod in ipsa coronatione, quae merces est meriti, sit etiam misericordia necessaria, quae peccata venialia remittit, sine quibus nulli vivunt, hanc autem misericordiam debitam esse meritis sanctorum, ut non tam donari, quam reddi sit dicenda.* 3. Bellarminus addit ex suo, *etiamsi ista misericordia non redderetur meritis, sed esset pura misericordia, non tamen impediret rationem meriti in bonis operibus hominum justorum, nam comitatur misericordia coronam gloriae, sed non est ipsa corona gloriae. Corona respicit bona merita, misericordia respicit peccata venialia. Sicut ex parte hominis sunt duo, bona scilicet merita et peccata venialia, quorum unum non destruit alterum; ita ex parte Dei duo sunt, corona gloriae tanquam merces meriti et misericordia tanquam medicina peccati et horum etiam duorum unum non impedit aliud. Nam si remissio illa nullo modo esset debita, sed omnino gratuita, posset quidem Deus remittere peccata illa venialia, sed tamen nec punire posset nisi temporaria poena, cum illa peccata majorem poenam justo judicio non mereantur, soluta vero in igne purgatorio illa poena, bona merita justo judicio coronam nulla re jam impediente perciperent.* Haec Bellarminus, quae adscribere voluimus omnia, ut pharisaicum hominis supercilium ex illis liquidius conspici posset, respondemus autem: 1. Augustinus nequaquam sibi suisque scriptis authenticam auctoritatem tribuit, sed omnia sua dicta Scripturae judicio submittit. Sic enim scribit lib. de bono persev. c. 21. *Quamvis neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in his, in quibus me non errare perspexerit; nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec me ipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem;* et addit: *arrogantius loquor quam verius, si vel nunc dico, me ad perfectionem sine ullo errore scribendi jam in ista aetate venisse.* lib. 4. de Origen. anim. c. 1: *Non negare possum nec debeo, sicut in ipsis majoribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quae possunt justo judicio et nulla temeritate culpari.* In hanc sententiam plura alibi occurrunt. Ergo si prior Augustini expositio hunc habet sensum (quo Bellarminus eam accipit), quod vita aeterna dicatur gratia, quia bona opera gratiam justificationis secuta tantae sint perfectionis tantique meriti, ut vita aeterna jure et ex debito eis reddatur, tunc salva honorificentia, quae Augustino debetur eidemque a nobis defertur, expositionem eam deserimus, quia gratia in articulo justificationis et negotio salutis omnia omnino operum merita excludit, ut alibi luculente ostendimus et manifeste id confirmatur ex classico illo loco apostoli Rom. 11, v. 6: *Si ex gratia, jam non ex operibus, alioqui gratia non erit gratia. Si ex operibus, jam non est gratia, alioqui opus non erit opus.* VIII. 88. 3. Sed bene habet; hanc gratiae et operum oppositionem confirmat ipse Augustinus lib. 2. de peccat. Origen. c. 24: *Gratia non est gratia ullo modo, nisi sit gratuita omni modo.* in Psalm. 144: *Ubi audis gratiam, gratis intellige. Si ergo gratis, nihil tu attulisti, nihil meruisti, nam si meritis aliquid redditum est, merces est, non gratia.* tract. 3. in Johann.: *Quid est gratia? gratis data. Quid est gratia? gratis donata, non reddita. Si tibi debebatur, merces reddita est, non gratia donata.* serm. 15. de verb. apost.: *pro nihilo salvos facies eos. Quid est, pro nihilo salvos facies? nihil in eis invenis, unde salves, et tamen salvas. Gratis das, gratis salvas. Omnia merita praecedis, ut dona tua consequantur merita nostra. Prorsus gratis das, gratis salvas, quia nihil invenis, unde salves, et multum invenis, unde damnes.* c. gratia 1. q. 1: *Gratia non est gratia, nisi gratis detur et accipiatur.* 4. Unde colligimus, quando Augustinus bonis operibus ex gratia factis vitam aeternam reddi pronuntiat, ipsum nequaquam hoc eo sensu asserere, quem Bellarminus ipsi tribuit, quod bona opera in se ac per se tantae sint dignitatis ejusque meriti, ut vita aeterna illis ex jure ac debito sit reddenda, sicut peccatis mors aeterna debetur, sed ordinem beneficiorum divinorum exponit, quod Deus in hac vita nos justificet, renovet ac per Spiritum sanctum ad omnis generis bona opera nos impellat, in futura demum vita glorificet, idque omne et totum ex gratia et sic gratiam pro gratia reddat, per merita intelligit bona opera, per mercedem gratuitum illud donum, quod Deus bene operantibus reddit. Hanc esse genuinam Augustini sententiam, patet ex aliis locis, in ench. ad Laurent. c. 107: *Ipsam vitam aeternam, quae certe merces est bonorum operum, gratiam Dei appellat apostolus. Stipendium enim, inquit, peccati mors, gratia Dei vita aeterna in Christo Jesu Domino nostro. Stipendium pro opere militiae debitum redditur, non donatur; ideo dixit stipendium peccati mors, ut mortem peccato non immerito illatam, sed debitam demonstraret, gratia vero nisi gratis sit, gratia non est, intelligendum est igitur etiam ipsa hominis bona merita esse Dei munera, quibus cum vita aeterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur.* de grat. et lib. arbitrio c. 8: *Vita bona nostra nihil aliud est quam Dei gratia, sine dubio et vita aeterna, quae*

bonae vitae redditur, Dei gratia est, et ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illi, cui datur etc. c. 9: *Apostolus cum potuisset dicere stipendium justitiae vita aeterna, maluit dicere gratia autem Dei vita aeterna, ut hinc intelligeremus, non pro meritis nostris Deum nos ad aeternam vitam, sed pro sua miseratione perducere, de quo in psalmo dicit homo animae suae, Qui coronat te in misericordia et miseratione. Numquid non corona bonis operibus redditur? sed quia ipsa bona opera ille in nobis operatur, ideo dixit psalmus: coronat te in miseratione et misericordia, quia ejus miseratione bona operamur, quibus corona detur.* serm. 2. de verb. apost.: *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioqui gratia non est gratia. Nam ei, qui operatur, merces non imputabitur secundum gratiam, sed secundum debitum* etc. *te autem coronat Deus in misericordia et miseratione, et si tua merita praecesserunt, dicit tibi: discute bona merita tua et videbis, quia bona sunt mea* etc. 5. Ex his manifestum est, quamvis Augustinus asserat, bonis operibus dari vitam aeternam, ipsum tamen nequaquam introducere meritum aliquod vere et proprie sic dictum. Quamvis enim meriti appellatione sensu generaliori et improprio (ut suo loco demonstrabimus) cum aliis veteribus utatur, tamen vitam aeternam gratis, non ex debito, non pro meritis nostris, sed pro miseratione Dei nobis dari evidenter asserit, illud adhuc clarius patet ex illo ipso, quem Bellarminus allegat, loco lib. de corrept. et grat. c. 13: *Sanctis* (inquit) *adhaeret Dei misericordia sive cum convertuntur, sive cum proeliantur, sive cum coronantur. Nam et tunc esse illis Dei misericordiam necessariam sancta Scriptura testatur, ubi sanctus David de Domino Deo suo dicit animae suae, Qui*
VIII. 84. *coronat te in miseratione et misericordia. Dicit etiam Jacobus apostolus, judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam, ubi ostendit etiam in illo judicio, in quo justi coronantur injustique damnantur, alios cum misericordia, alios sine misericordia judicandos. Propter quod etiam mater Maccabaeorum filio suo dicit, ut in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam. Cum enim rex justus, sicut scriptum est, sederit in throno, non adversabitur ante eum omne malum. Quis gloriabitur, castum se habere cor, aut quis gloriabitur, mundum se esse a peccato? ac per hoc etiam ibi* (in judicio) *Dei misericordia necessaria est, qua fiet beatus, cui non imputavit Dominus peccatum.* Haec Augustinus, ex cujus verbis sic concludimus: Si in ipso judicio et coronatione necessaria est misericordia, quae remittat peccata, utique bonis operibus non redditur vita aeterna ex merito. Item: Si illa Davidis sententia usque ad illud ibi novissimi judicii est extendenda, utique hujus ejusdem sententiae apostolica interpretatio de illo ipso judicio est intelligenda. At prius ex sententia Augustini. Ergo et posterius, et per consequens in illo judicio absque operibus (absque meritis operum) fiemus beati, sic enim apostolus Rom. 4, v. 6: *Quemadmodum et David explicat beatificationem hominis, cui DEUS imputat justitiam absque operibus.* 6. Regerit Bellarminus, *Augustinum ibidem addere, quod ista misericordia debita sit bonis operibus renatorum ac proinde in judicio non tam donetur, quam reddatur.* **Respondemus**: imo vero ex debito mercedem meriti reddere ad justitiam pertinet, misericordiae proprium est gratis donare. Ergo si est debita, non erit misericordia gratuita, et si est misericordia gratuita, non erit debita. Ideo apostolus Rom. 4, v. 4. distinguit inter *mercedem secundum debitum et mercedem secundum gratiam.* In coronatione piorum opus est misericordia non tantum propter quotidianos lapsus, sed propter ipsa bona opera, quae sunt imperfecta et immunda, illa igitur coronatio non est merces meriti proprie sic dicti, sed est gratia et misericordia, sive gratuita retributio; quibus enim operibus deberetur misericordia remittens peccata venialia, cum ipsa opera indigeant misericordia propter adhaerentem imperfectionem? si possent sancti operibus suis misericordiam illam peccata tegentem et remittentem promereri, peccatorum remissio non amplius foret gratuita, quod enim ex debito redditur, illud non donatur ex gratia, quod nostris operibus promeremur, illud non contingit gratis, si misericordia illa debetur nostris operibus, non continget gratis propter Christum mediatorem. Rectius Hilarius in enarr. Psalm. 66. sub initium: *Peccatorum remissio non probitatis est meritum, sed spontaneae indulgentiae voluntas ex bonitatis divitiis ad miserandi munus exuberans.* Sed quid de Augustino fiet? is clare testatur, *misericordiam illam Dei, qua operibus redduntur praemia, esse debitam.* **Respondemus:** Non intelligit debitum justitiae, quod in quadam meritoria operum dignitate, sed debitum promissionis, quod in gratuita Dei bonitate fundatur, *debitorem se fecit Deus gratis nobis promittendo, nos eum non obstringimus merendo.* Vide enarrat. ejus in Psalm. 109. stat. in princ. 7. Tertia Bellarmini responsio non uno laborat vitio. Praesupponit enim peccata venialia esse sua natura venialia, eadem nihil derogare perfectioni actualis justitiae, non posse justo Dei judicio nisi temporaria tantum poena puniri, in igne purgatorio pro illis satisfieri posse etc. de quibus hypothesibus alibi copiose fuit actum. Si ullius sancti peccata essent sua natura venialia, ita ut non possint nisi temporaria poena puniri, is certe fuisset D. Paulus, *qui omni conscientia bona conversatus est coram DEO,* Act. 23, v. 1. *qui studuit sine offendiculo conscientiam habere erga Deum et erga homines semper,* Act. 24, v. 16. *qui potuit gloriari, sese nullius criminis conscium esse,* 1. Cor. 4, v. 4. At ne is quidem peccata sua tam parvi aestimat, ut ea sua natura venialia, hoc est venia digna, quamque Deus non nisi temporaria poena punire possit, profiteri ausit, quin potius miserabiliter et flebiliter admodum conqueritur Rom. 7, v. 24: *Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio?* per hanc

mortem non intelligi temporalem vel ex eo patet, quod propter illam nequaquam sese miserum pro- VIII. 85. nuntiaverit, sed potius eam sibi *lucro esse* et propter eam se gaudere statuerit Philipp. 1, v. 23. c. 2, v. 17. Item ex eo, quod apostolus subjicit, *se gratias agere Deo per Christum*, innuens ab illa morte se per Dei gratiam in Christo nobis propositam liberatum ac liberum esse. Relinquitur igitur, quod Paulus jamdum renatus fuerit in corpore morti aeternae obnoxio propter peccatum in carne adhuc haerens, nisi gratuita ejusdem remissio per et propter Christum contigisset. Quod si peccata tanti apostoli non fuerunt sua natura venialia, sed quae aeternae mortis nexibus ipsum illaqueare potuissent, nisi per Christum ab iisdem liberatus fuisset, quanto minus aliorum renatorum peccata erunt venia et non nisi temporaria poena digna? Adde quod omnes renati ex institutione Christi quotidianas illas infirmitates vocant *debita* Math. 6, v. 12. at quicquid Deo debetur, illud quantulumcunque sit per se et sua natura aeternae poenae nos obnoxios reddit, nisi gratis propter Christum condonetur. 8. Denique in ἐργασίᾳ hujus argumenti Bellarminus sibi ipsi fortissime contradicit, hoc enim loco disputat, *vitam aeternam dari ex gratia et tamen esse meritum justitiae ex condigno et debito;* sed lib. 2. de poenitent. c. 12. sub finem contrarium habet: *Meritum ex justitia* (inquit) *opponitur gratiae, non autem meritum ex congruo, quod non in justitia, sed in liberalitate fundatur.*

2. Esa. 55: Omnes sitientes venite ad aquas, emite gratis.

90. 2. Esa. 55, v. 1. Deus per prophetam sic alloquitur populum Israëliticum: *Omnes sitientes venite ad aquas, et quibus non est argentum, venite, emite et comedite, emite absque argento et absque pretio vinum et lac*, ubi proponit Deus se ipsum quasi inexhaustum omnis gratiae ac benedictionis fontem, invitat omnes sitientes, hoc est agnoscentes suam egestatem ac proinde *esurientes et sitientes justitiam*, ut exponitur Matth. 5, v. 6. promittit denique *vinum et lac*, hoc est omnis generis corporalia et spiritualia, temporalia et aeterna bona animam nostram nutrientia et laetificantia, promittit autem *gratis*, sine argento et pretio, hoc est non ob aliquod nostrum meritum, sed ex sola gratia se ea collaturum; ex quo ita colligimus: Quicquid gratis nobis confertur, non propter merita nostra nobis redditur. At bona spiritualia gratis conferuntur, illud enim per emptionem lactis et vini absque argento et pretio parabolice intelligitur. Ergo bona spiritualia non propter merita nostra nobis redduntur et per consequens vita aeterna, quae inter spiritualia bona est non postremum, gratuitum est donum, non operum nostrorum meritum. Huic argumento addenda est formula orationis, qua utitur propheta Daniel c. 9, v. 18: *Non in justitiis nostris prosternimus preces nostras coram te, sed in miserationibus tuis multis. Domine exaudi, Domine parce propter temet ipsum* etc. Si exauditio precum non contingit nobis propter nostras justitias, sed ex sola Dei miseratione, quanto incomparabiliter minus vitae aeternae felicitas propter nostras justitias nobis continget. Sed verum prius. Ergo et posterius. Bellarminus excipit: *1. Vinum et lac apud Esaiam juxta Hieronymi interpretationem non gloriam sempiternam, sed gratiam hujus temporis significare. 2. Concedere se quod gratia illa non acquiratur per merita, sed gratis detur, quamvis non absque labore et opere nostro, venire enim atque emere laborem nostrum, absque argento et absque commutatione reconciliationem non debitam, sed gratuitam plane demonstrat. 3. Danielem eo loco non petere coronam, sed liberationem a captivitate.* Respondemus: 1. Bellarminus sibi ipsi contradicit. Quomodo enim cum merito de congruo consistit, quod hoc loco scribit: *Fatemur, gratiam Dei non acquiri per merita, sed gratis dari?* confer cum his ea, quae scribit lib. 2. de poenit. c. 12: *Posterior sententia* (quod actus poenitentiae, fidei et dilectionis sint non solum dispositiones justificationis, sed etiam merita de congruo) *verior est ac Scripturis conformior.* lib. 1. de justific. c. 21: *Justificatio gratuita non excludit opera, quae dicuntur ad justificationem concurrere ut dispositiones vel ut merita de congruo.* Si dispositiones ad infusionem gratiae justificantis sicut merita de congruo, utique per aliqua merita Dei gratia acquiritur. 2. In eo, VIII. 86. quod Bellarminus hoc loco negat intercedere quandam commutationem inter gratiam justificationis et hominis dispositiones, itidem contradicit Scholasticis, quorum pronuntiatum perpetuum est, *facienti homini quod in se est Deum infundere gratiam, aequum et congruum esse, ut homini ad ultimum virtutis suae agenti Deus secundum divitias bonitatis suae plus rependat.* etc. qua de re postea, ubi Helenam illam meritorum in proscenium adducemus. 3. In eo etiam sibi ipsi Bellarminus contradicit, quod hoc loco negat, reconciliationem esse debitam, eandem autem mere gratuitam agnoscit. At ubicunque est meritum aliquod, ibi cessat ratio gratuiti. In reconciliatione sive justificatione intercedit aliquod meritum, videlicet meritum de congruo. Ergo ibi cessat ratio gratuiti. Adde quod Bellarminus lib. 1. de justif. c. 20. col. 1014. expresse scribat, *meritum de congruo potius fundari in aliqua dignitate operis quam in promissione.* Si meritum de congruo, quod in justificatione intercedit, fundatur in ipsius operis dignitate, non in sola Dei promissione, quomodo justificatio erit amplius gratuita? 4. Ad rem ipsam quod attinet, dicimus in in Esaiae testimonio per *vinum* et *lac* non solum hujus temporis gratiam, sed omnis generis bona ac dona intelligi, cujus interpretationis testem habemus ipsum Christum, qui Apoc. 21, v. 6. dicit: *Ego sitienti dabo de fonte aquae vivae gratis*, quibus verbis procul dubio ad propheticum hoc testimonium respicit. Prov. 9, v. 1: *Sapientia* (per quam Filium Dei intelligendum esse ex antecedentis capitis v. 24. patet) *aedificavit suam domum* etc.; v. 2: *immolavit victimam, miscuit vinum suum et disposuit mensam suam;* v. 5: *ad quam invitavit simplices dicens: Venite, comedite panem meum et*

bibite vinum, quod miscui vobis. Joh. 4, v. 14: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum, sed aqua, quam ego ei dabo, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* Ex his et similibus locis manifestum est, per fontem ipsum Christum, per aquam, vinum et lac omnia Christi beneficia, quae sunt fides, remissio peccatorum, justitia, donatio Spiritus sancti, sanctificatio, salus et vita aeterna intelligenda esse, quo referri potest usitata illa Scripturae phrasis, quod promissa terra Canaan dicitur *melle et lacte fluere*, jam vero constat terram Canaan coelestis hereditatis typum fuisse. Ergo per lac et vinum non solum hujus vitae gratia, sed etiam futurae gloriae intelligenda est. 5. Hanc interpretationem nostram ipse Hieronymus confirmat, sic enim commentatur in illum locum: *Provocat Dominus credentes ad fluvium Dei, qui repletus est aquis, et cujus impletus laetificat civitatem Dei* (de hoc fluvio ipse Bellarminus scribit lib. 5. de justif. c. 17. §. 2: *Vita aeterna est flumen laetificans civitatem Dei*, Psalm. 45.). Deinde addit Hieronymus: *Non timeant sitientes eloquii paupertatem, si argentum forte non habeant, sed audiant apostolum dicentem: gratia salvi facti estis* (audis de gratuita salute locum propheticum ab Hieronymo exponi). Quando in eodem loco v. 3. propheta sub persona Dei in eadem invitatione progressus dicit: *audite, et vivet anima vestra*, id Hieronymus sic explicat: *Omnium bonorum promissio vita est sempiterna. Quodsi volueritis audire, et anima vestra vixerit in aeternum* etc. Qua igitur fronte Hieronymi interpretationem Bellarminus nobis exponit? 6. Quodsi vel maxime tantum de gratia justificationis dictum Esaiae loqueretur, nihilominus tamen recte ex eo inferri posset, ex gratia nos salvari, cum justificationis et salvationis eaedem sint causae docente apostolo Rom. 4. Ephes. 2. ut paulo post plenius demonstrabitur. 7. Verbum *emendi* translatitie in hoc dicto usurpatur et significat sibi aliquid comparare, invitantur enim illi, *quibus non est argentum*, et graviter reprehenduntur, *qui appendunt pecuniam*, hoc est qui operum suorum merita ad stateram divini judicii appendere cupiunt, ideoque paulo post additur: *ego sitienti dabo gratis.* Responsio ad locum Danielis data vera quidem est, sed vim argumenti nostri nulla ex parte infringit. Si enim nostris justitiis ne quidem temporale aliquod beneficium, quale fuit liberatio ex captivitate, adscribi potest, quanto incomparabi-
VIII. 87. liter minus aeternae vitae pondus nostrorum operum meritis obtineri potest?

3. Luc. 17: Cum omnia feceritis, dicite: servi inutiles sumus.

91. 3. Luc. 17, v. 7. dicit Christus discipulis suis: *Quis vestrum habens servum arantem aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi, statim transi et accumbe;* v. 8: *et non potius dicit ei, para quod coenem et praecinge te ac ministra mihi, donec manducem et bibam, et post haec tu manducabis et bibes;* v. 9: *numquid gratiam habet servo illi, quia fecit, quae ei imperata fuerunt? non puto;* v. 10: *sic et vos, cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Ex hoc loco largissima argumentorum seges nobis nascitur. 1. Si opera nostra Deo jam ante jure dominii sunt debita, non poterimus quippiam illis mereri, consequentiae ratio dabitur postea. At verum illud. Ergo et hoc. 2. Si conferimur servo, cui imperata Domini sui sedulo facienti nulla debetur gratia, quae erunt nostra erga Deum merita? 3. Si jubemur nos inutiles servos profiteri, cum omnia, quae mandata nobis sunt, fecerimus (non cum tentaverimus vel inceperimus tantum facere, nec cum quaedam tantum fecerimus), quae poterit esse de nostris meritis opinio? 4. *Si inutilis servus est, qui fecit omnia, quid de eo dicendum, qui explere non potuit?* (verba sunt Hieronymi in epistol. ad Ctesiph.) Atqui nemo nostrorum gloriari potest, se fecisse illa omnia, quae facere debuit. Vide tract. de evangelio §. 87. ubi late de hoc dicto Christi egimus. Excipit Bellarminus, *multis modis hunc locum a patribus exponi, non tamen ullam eorum explicationem contra merita bonorum operum pugnare.* Respondemus: ex ipsis visceribus textus petita sunt argumenta illa, quae contra merita bonorum operum ex hoc loco produximus, nec destituuntur ea suffragio patrum, ut constare poterit ex testimoniis Hieronymi, Ambrosii, Bedae et Bernhardi in tract. de evangel. dicta §. allegatis. Videamus autem, quas ex veteribus Bellarminus proferat interpretationes. Primo inquit: *Juxta Ambrosium lib. 8. in Luc. jubet Dominus, ut agnoscamus id, quod sumus ex nobis; agnoscenda est gratia, sed non ignoranda natura* etc. *itaque ex nobis sumus servi inutiles, inepti prorsus ad ea implenda, quae Deus praecipit, sed per ipsius gratiam utiles efficimur.* Respondemus: Ambrosius ibidem addit: *Si tu non solum non dicis servo aranti aut oves pascenti: transi, recumbe, sed exigis ab eo aliud ministerium et gratias ei non agis; ita nec in te patitur Dominus unius usum esse operis aut laboris, quia dum vivimus, debemus semper operari. Ergo agnosce, te esse servum plurimis obsequiis defoeneratum, non te praeferas, quia filius Dei diceris, agnoscenda gratia, non ignoranda natura, neque te jactes, quod bene servisti, quod facere debuisti* etc. Haec Ambrosii interpretatio non stabilit, sed evertit operum merita. Si enim ita sumus Deo ad perpetua servitia obstricti, ut ne gratia quidem nobis debeatur, quanto minus merces meriti nobis debebitur? Quod si agnoscenda quidem gratia (per quam bene operamur), non ignoranda autem natura (quae nondum penitus in hac vita renovata est, sed ex parte adhuc carnalis), aliud inde contra operum merita nascitur argumentum. Porro quamvis haec Ambrosii expositio vera quidem sit, tamen prout a Bellarmino applicatur, non est textui accommodata, alloquitur enim Christus discipulos suos renatos eosque, si vel maxime omnia praecepta fecerint, humili corde agnoscere jubet nullam sibi deberi gratiam, sed se esse servos inutiles, utpote quia id solum fecerint, quod facere

debuerint, ideo Ambrosius ibidem Christi verba ad Paulum accommodat, qui cum nullius criminis sese conscium dicat, in hoc tamen se justificatum negat. 2. *Juxta Bedam Christus jubet agnoscere, nihil nos Deo utilitatis afferre, sed quicquid boni facimus, id nobis utile esse, non Deo, qui bonorum nostrorum non eget.* Respondemus: haec interpretatio itidem vera quidem est, sed nondum satisfacit scopo hujus loci, Christus enim parabola servi ex agro reversi docet, Deum non obstringi nobis ad mercedem propter nostra servitia. Praeterea ex hac ipsa interpretatione itidem vertuntur operum merita. Si
VIII. 88. enim ex obsequio nostro nihil utilitatis ad Deum redit, utique quae ex illo ad nos redit utilitas, non merito operis, sed benignitati remunerantis accepta erit ferenda; ideo ipse Beda subjungit: *Si inutilis est, qui fecit omnia, quid de illo dicendum, qui explere, quae praecepta sunt, vel infirmitate non potuit, vel, quod pejus est, superbia despexit* etc. *Haec est igitur in hominibus sola fidei perfectio, si omnibus, quae praecepta sunt, impletis, imperfectos esse sese noverint et quamdiu peregrinantur a Domino, semper inesse sibi mala quae defleant, semper meminerint deesse bona, ad quae gratia ejus juvante proficiant. 3. Juxta Augustinum serm. 3. de verb. Dom. servi inutiles dici possumus, cum omnia mandata divina fecerimus, quia nihil facimus ultra id quod debemus, et nihil inde justae mercedis petere possemus, nisi Deus liberali pacto nobiscum convenire voluisset.* Respondemus: Augustinus eo in loco non exponit dictum Christi, sed in genere pronuntiat: *O magna bonitas Dei, cui cum pro conditione reddere debeamus obsequium, utpote servi Domino, amicitiarum nobis praemia repromittit, ut a nobis obsequia debitae servitutis extorqueat.* Hoc Augustini pronuntiatum nobis nequaquam adversatur, quin potius sententiam nostram confirmat. Si enim bonitati divinae et liberali ejusdem promissioni deputandum, quod bona opera nostra remuneratur, consequens est, non ob dignitatem aliquam ac meritum, quod ipsis operibus inhaeret, ex debito justitiae retributionem fieri, sed potius ex liberali gratia, quae ideo vocatur debitum, quia Deus promittendo se veluti debitorem fecit. Hanc esse genuinam Augustini sententiam, patet ex eo, quod alibi diserte exponit, quomodo mandata Dei in hac vita a nobis impleantur, non perfectione quadam operum, quibus hoc nomine merces meriti debeatur, sed adjuncta remissione peccatorum. lib. 1. retract. c. 19: *In divinis mandatis est etiam id quod jubemur orare: dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, quam orationem usque in finem seculi tota dicit ecclesia, omnia ergo mandata facta deputantur, quando quicquid non fit, ignoscitur.* 4. *Juxta Chrysostomum non dicit Dominus: cum feceritis haec omnia, servi inutiles estis, sed ait: dicite, quia servi inutiles sumus, ubi vult nos de nobis post benefacta humiliter sentire, ne superbia corrumpat opera, quae fecimus; sed cum nos dicemus: servus inutilis sum, dicet ille: Euge serve bone et fidelis, quia in pauco fuisti fidelis, super multa te constituam.* Eandem responsionem Bellarminus repetit lib. 2. de monachis c. 13. et lib. 2. de indulgentiis c. 10. Hosius fol. 147. fac. b. *modestiae duntaxat praeceptum nobis sic inculcari* disputat. Tiletanus in refut. Antwerp. confess. dicit, *in his Christi verbis proponi admonitionem humilitatis.* Respondemus: imo vero continent haec Christi verba non solum admonitionem humilitatis, sed etiam solidam doctrinam veritatis, quod manifeste comprobat adjuncta parabola servi ex agro reversi, cui Christus discipulos suos comparat et de eo pronuntiat: *Num gratiam habet dominus terrenus servo illi, quia fecit quae imperata fuerunt ei? non puto.* Quodsi collatio constare debet, statuendum, in ἀποδόσει non proponi humilitatem quandam fictam et hypocriticam, cui in re ipsa nihil veritatis subsit, sed potius revera sese rem sic habere, ut renati ore jubentur confiteri. Recognoscat Bellarminus sua verba lib. 3. de justif. c. 5. §. Ad hunc locum: *Sancti humiles esse debent, sed non mendaces,* quod pronuntiatum opponit Ambrosio Catharino, qui dixerat, *sanctum Jobum non ignorasse, se justum esse, sed noluisse jactare suam justitiam nec sibi aliquid superbe arrogare.* Idem sibi ipsi respondeat hoc loco. Concedimus ergo, quod Chrysostomus dicit, renatos ex vera humilitate sese inutiles servos profiteri debere, **(verba Chrysostomi sunt homil. 7. in c. 3. Rom.: *Quaecunque fecerimus, debitum, si quid fecerimus, exsolvimus. Propterea et ipse Christus dicit: Quando omnia feceritis, dicite, servi inutiles sumus, quae enim debebamus facere, fecimus. Cum igitur dilectionem exhibemus, cum pecuniam damus egenis, debitum implemus, non solum ideo, quod Deus prius nos beneficiis suis sibi fecerit obnoxios, sed ob id, quod quae sua sunt, distribuimus, quodcunque et quicquid tandem dederimus)*** sed
negamus, quod Bellarminus attexit, huic humilitati VIII. 89.
non subesse veritatem, cui depravationi prorsus pelagianae opponimus can. 8. Milevitani concilii: *Placuit, ut quicunque verba ipsa Dominicae orationis: dimitte nobis debita nostra, ita volunt a sanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur, anathema sit, quis enim ferat orantem et non hominibus, sed ipsi Domino mentientem?* atque illud Bernhardi sermon. de tripl. custod. col. 356: *Cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus* etc. *Sed hoc, inquies, propter humilitatem monuit esse dicendum, plane propter humilitatem, sed numquid contra veritatem?* Absit igitur a piis mentibus haec hypocrisis, qua ore quidem profiteantur, se esse servos inutiles, interim in corde statuunt, se operibus suis vitam aeternam ex condigno promeritos esse; imo etiam supererogationis opera fecisse. Adde quod Bellarminus confictam hanc glossam ipsemet refellat, sic enim scribit lib. 2. de indulg. c. 10: *Non dicit Dominus* Luc. 17: *cum feceritis omnia, dicite servi inutiles sumus, sed ait: cum feceritis haec omnia, quae praecepta sunt*

vobis, dicite: servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Itaque illi dicuntur inutiles, qui nihil faciunt, nisi quod eis praeceptum est et quod facere debent, ex quo sequitur, ut qui faciunt aliquid amplius quam teneantur, ut qui se castrant propter regnum coelorum et qui dant omnia pauperibus, vel alia id genus imperata faciunt, servi inutiles dici debent. Ex his Bellarmini verbis sic concludimus: Aut uterque qui scilicet tantum imperata fecit et qui (ex hypothesi Pontificia) supererogat aliquid, revera est servus inutilis, et sic habemus quod volumus; aut uterque tantum per humilitatem dicitur servus inutilis, et sic Bellarminus distinguendo non distingueret; aut alter revera est servus inutilis, alter tantum dicitur servus inutilis. Jam vero ex his duobus, non qui supererogationis opera praestitit, servus est inutilis, dici enim debet utilis (juxta Bellarmini hypothesin); relinquitur ergo, quod is, qui imperata tantum fecit, revera sit servus inutilis. Nec obstat, quod renati a Christo fideles et boni servi vocantur, illud enim fit diverso respectu. Quia enim non omnia, quae mandata nobis sunt et ad quae Deo ut servi obstricti sumus, praestamus ac quae praestamus, non eo perfectionis et puritatis gradu, qui in lege praescribitur, praestamus, ideo non solum servos, sed etiam inutiles servos nos agnoscere et profiteri debemus, quibuscum si Deus in judicium vellet intrare et peccata nostra nobis imputare, non possemus certe consistere; quando autem in vera poenitentia hoc agnoscimus, fide in Christum mediatorem nos erigimus et ex fide bene operamur, tunc Deus non imputabit nobis peccata, sed ex gratia propter Christum eadem remittet et opera nostra, licet sint imperfecta et immunda, tamen quia in fide facta sunt, temporalibus et aeternis praemiis ex eadem gratia remunerabitur bonos ac fideles servos nos vocando. Quod Christus nos loqui docet, juris est ac veritatis; quod ipse piis aliquando locuturus est, id gratiae est ac misericordiae, scribit D. Mylius in expl. August confess. art. 6. p. 107. ** Augustinus lib. de perfect. justit.: *Ipsi filii Dei comparati sibi ipsis, quales in illa perfectione aeterna futuri sunt, ita boni sunt, ut adhuc et mali sint, quod de illis dicere non auderem, quis enim audeat dicere, malos esse, quorum pater est Deus, nisi ipse Dominus diceret, Si ergo vos, cum sitis mali, nostis dare bona, cùm ait utique pater vester, filios DEI esse jam monstravit, quos tamen malos esse non tacuit* etc. *Secundum id quod ex Deo nati sumus, in eo, qui apparuit, ut peccata tolleret, id est in Christo, manemus et non peccamus, hoc est autem quod interior homo renovatur de die in diem. Secundum autem quod de homine illo nati sumus, per quem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors et ita in omnes homines pertransiit, sine peccato non sumus, quia sine illius infirmitate nondum sumus, donec illa renovatione, quae fit de die in diem, quoniam secundum ipsam ex Deo nati sumus, infirmitas tota sanetur, in qua ex primo homine nati sumus et in qua sine peccato non sumus, cujus reliquiis in homine manentibus interiore, quamvis de die in diem minuantur in proficientibus, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* 1. Petr. 3, v. 7. mulieres dicuntur *συγκληρονόμοι χάριτος ζωῆς, gratiae vitae*, id est vitae, quae ex gratuita misericordia credentibus in Christum datur. 1. Tim. 6, v. 2. credentes dicuntur *τῆς εὐεργεσίας ἀντιλαμβανόμενοι*, ubi per *beneficentiam* utique gratuitam intelligitur vitae aeternae hereditas. **

92. 4. Rom. 6, v. 23: *Stipendium peccati mors est, at χάρισμα, donum Dei gratuitum, est vita aeterna in Christo Jesu Domino nostro;* ubi observa antithesin mortis et vitae aeternae, illa vocatur peccati stipendium, quia ex merito peccatis redditur; haec vero dicitur gratia sive gratuitum Dei donum in Christo. Si vita aeterna datur ex gratia, utique non ex meritis, nam ut idem apostolus ait Rom. 4, v. 4: *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Excipit Bellarminus, *Augustinum concedere, quod apostolus recte dicere potuerit, stipendium justitiae esse vitam aeternam, ideo autem vitam aeternam vocasse gratiam, non quia non est merces meriti, sed quia ipsa merita habemus ex gratia. Locum Rom. 4. accipiendum esse de operibus, quae sine gratia Dei solis liberi arbitrii viribus fieri posse credebant illi, contra quos apostolus disputat.* Respondemus: 1. de sententia Augustini in explicatione primi argumenti late diximus, hoc loco jubemus notare, quod Augustinus in lib. de grat. et lib. arb. c. 8. modeste scribat: *Illa quaestio* (quo scilicet sensu vita aeterna dicatur gratia ac nihilominus unicuique secundum opera dicatur esse reddendum) *nullo modo mihi videtur posse dissolvi* etc. neminem igitur adstringit, ut hanc locorum Scripturae conciliationem sequatur, multo vero minus bonis operibus vitam aeternam tanquam mercedem meriti ex condigno reddi statuit. 2. Textus apostolicus satis est perspicuus. Quae enim causa, quod mors vocatur peccati stipendium, vita aeterna non stipendium bonorum operum, sed gratuitum Dei donum, nisi ut significetur, esse disparem rationem inter peccata et mortem, et inter bona opera et vitam aeternam. In praecedenti v. 22. dixerat apostolus, *liberatos a peccato ac servos Dei factos habere fructum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam*, id ne quis eo sensu acciperet ac si nostrae sanctificationis merito vita aeterna obtineatur, notanter subjungit, *τὸ χάρισμα τοῦ θεοῦ ζωὴ αἰώνιος.* 3. Quin etiam notanter addit apostolus, vitam aeternam esse gratiam Dei *in Christo Jesu Domino meo*, clarissime igitur ostendit, donum illud Dei nobis dari non per operum nostrorum merita, sed in Christo fide apprehenso, quo referenda sunt similia Scripturae effata Joh. 3, v. 36: *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam.* 1. Joh. 5, v. 11: *Vitam aeternam dedit nobis Deus, et haec vita in Filio ejus est;* v. 12: *qui habet Filium, habet vitam.* Act. 4, v. 12: *Non est in alio quoquam salus, nec enim aliud nomen sub coelo datum*

VIII. 4. Ro[m.] Donu[m] Dei [e]vita [ae]terna

est hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. 4. Hanc emphasin dicti apostolici diligentius expenderunt alii ex veteribus. Origenes in hunc locum: *Deo non erat dignum militibus suis stipendia quasi debitum aliquod dare, sed donum et gratiam, quae est vita aeterna in Christo Jesu Domino nostro.* **Theodoretus in illum locum: *Cum loquitur de vita aeterna, quae redditur justitiae, non dixit, eam esse mercedem, sed gratiam, est enim donum Dei vita aeterna.* Augustinus de grat. et lib. arb. c. 9: *Cum posset dicere et recte dicere, stipendium autem justitiae vita aeterna, maluit dicere, gratia autem Dei vita aeterna, ut hinc intelligeremus, non meritis nostris Deum nos ad aeternam vitam, sed pro sua misericordia perducere.*** Chrysostomus hom. 12. in epist. Rom.: *Peccati stipendia cum nominasset, de bonis verba faciens non eundem servavit ordinem, neque enim dixit, merces recte factorum vestrorum, sed gratia Dei, ostendens, illos suo marte liberatos non esse, neque quod debitum esset accepisse, nec id quod datum illis est, esse aut retributionem aut remunerationem laborum, sed omnia gratia obvenisse et quod ea per filium dederit.* Hieronymus tom. 1. epist. 8: *Ubi gratia, non operum retributio, sed donantis est largitas.* Theodoretus in c. 6. Rom.: *Hic*
II. 91. *non dicit mercedem, sed gratiam, est enim Dei donum vita aeterna. Etsi enim quis summam vel absolutam justitiam praestiterit, temporalibus laboribus aeterna in aequilibrio non respondent.* Fulgentius lib. 1. ad Monimum p. 21: *Ex gratia datur non solum justificatis vita bona, sed etiam glorificatis vita aeterna. Cur autem mors stipendium, vita autem aeterna gratia dicitur, nisi quia illa redditur, haec donatur?* **Cajetanus in c. 6. Rom.: *Non dicit* propter stipendia justitiae vita aeterna, *sed* donum Dei vita aeterna, *ut intelligamus, non ex operum meritis, sed ex gratuito Dei dono assequi nos pro fine vitam aeternam, propter quod subdit in Christo Domino nostro. Ecce meritum, ecce justitiam, cujus stipendium est vita aeterna, nobis autem donum ratione ipsius Jesu Christi.*** 5. Rom. 4. non agi de operibus sine gratia ex solis liberi arbitrii viribus factis, suo loco demonstratum fuit. Contextus liquidissime ostendit, apostolum de Abrahamo in medio pietatis et bonorum operum cursu constituto agere, quem fide sine operibus justificatum, nequaquam vero merito operum ad justitiam pervenisse, ibidem luculente probat. Ut autem justificamur, ita quoque salvamur, quia justificationem et μακαρισμόν sive beatificationem apostolus ibidem conjungit.

93. 5. Rom. 8, v. 18: *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur erga nos.* Si passiones non sunt dignae futura gloria, multo minus opera ex condigno erunt vitae aeternae meritoria. Ratio connexionis est evidens, quia pati est majus quid quam agere, unde martyres reliquis sanctis praeferuntur. Bellarminus excipit, *apostolum loqui de substantia ipsorum operum, non de proportione absoluta. Nam passiones hujus temporis* (inquit) *breves sunt, gloria illa aeterna est, tamen proportio est inter has passiones et illam gloriam propter caritatis dignitatem, unde procedunt. Nam et Christi passio multo brevior fuit poenis damnatorum sempiternis et tamen propter dignitatem personae patientis dignissima fuit, quae pro illis poenis justissime satisfaceret. Et deliciae peccatorum incomparabiliter minores sunt tormentis gehennae et tamen propter contemtum Dei dignissimae sunt, quae illis suppliciis puniantur. Et semen multo est minus, quod ad dignitatem attinet, ipsa arbore, et tamen proportio est inter semen et arborem tanta, ut semini rite sato naturali quadam justitia arbor debeatur, ideo Paulus dicit 2. Cor. 4. passiones nostras momentaneas esse et tamen aeternum pondus gloriae operari.* Respondemus: 1. Bellarminus discedit a Dominico Soto, qui lib. 3. de natura et gratia c. 9. dignitatem operum accersit non ex gratia caritatis, e qua procedunt, sed ex pacto divino. Verba ejus haec sunt: *Opera et passiones ut ex parte objecti, hoc est secundum substantiam considerantur, ut pati sitim, famem, elargiri stipem pauperi, etiam qua ratione procedunt ex gratia, non sunt aequabilia acervo illi aeternorum bonorum, qui nos manet in patria; at ex lege statuta Dei convenientis cum cultoribus vineae suae ex denario diurno dignitatem induunt et justitiam ad aeternum praemium.* 2. Ταῖν ἀμφοῖν amplectimur, quod Bellarminus concedit, opera et passiones sanctorum, quod ad ipsorum substantiam attinet, non esse digna sive aequabilia gloriae futurae, ex eo vero immediate sequitur, quoad substantiam vel operum vel passionum nullam inter ipsa et vitae aeternae gloriam esse proportionem ac proinde eadem non esse ex condigno et ex debito justitiae meritoria. 3. Quod Bellarminus addit, *meritoria et condigna esse ex caritate*, id dicimus non solum Scripturae testimonio destitui, sed etiam eidem contradicere, quia apostolus absolute et ἀποτόμως negat, passiones nostras esse dignas futura gloria; et ostendit cohaerentia textus, de illorum passionibus apostolum agere, qui sunt filii Dei et heredes vitae aeternae; quodsi jamdum sunt heredes Dei et coheredes Christi, quando passiones sustinent, quomodo passionum meritis vitam aeternam ex condigno demum obtinent? 4. Illa ipsa caritas, e qua bona opera piorum procedunt, ita intrinseca est VIII. 92.
bonis operibus, ut non immerito substantiam bonorum operum ingredi dicatur, quicquid enim fit sine caritate, quantumcunque opus sit, non est pro vero bono opere judicandum, ut expresse docet apostolus 1. Cor. 13, v. 2. si ergo bona opera quoad substantiam non sunt condigna aeternae gloriae, utique etiam respectu caritatis eidem non erunt condigna. 5. Caritatem illam et quae ex ea faciunt ac patiuntur pii, jamdum Deo debent, siquidem in lege divina ab omnibus exigitur; si ergo locum habebit in operibus nostris parabola Christi Luc. 17. proposita et superius late exposita, nulla hoc nomine ipsis ex debito justitiae debetur gratia, nedum meriti quae-

dam merces proprie sic dicta. 6. Caritas illa in hac vita est imperfecta, quicquid autem ei deficit, id ex vitio est, docente Augustino epistol. 29. nunquam assurgimus ad perfectionis gradum in lege divina praescriptum, quomodo ergo caritas imperfecta dignitatem meriti operibus nostris conciliare poterit? 7. Eadem caritas nostra a peccato in carne adhuc habitante adeoque ex lucta carnis contra spiritum commaculatur, quomodo ergo operibus vel passionibus nostris dignitatem talem conciliare poterit, propter quam DEUS ex justitiae debito vitam aeternam infinitum illud donum illis reddere teneatur? 8. Nemo sincere diligit Deum, nisi prius Deo reconciliatus sit ac fide in Christum justificatus. At quisquis fide justificatus est, is habet vitam aeternam, *qui enim credit in Filium, habet vitam aeternam*, ut paulo ante ostendimus. Ergo vita aeterna gratis ipsi datur propter Christum, non propter operum dignitatem meritoriam. 9. Bona opera non solum ex caritate, sed etiam ex fide debent proficisci, quippe *sine qua quicquid fit, peccatum est*, Rom. 14, v. ult. At quid est bona opera ex fide facere? num statuere, quod Deus propter merita operum nos in vitam aeternam recipiat? atqui id fidei salvificae, quae in solo Christo gratiam Dei, justitiam et vitam aeternam quaerit, manifeste repugnat. 10. Impertinenter huc accommodat Bellarminus passionem Christi, ea enim vim suam meritoriam primario ac principaliter non ex caritate, sed ex personae dignitate atque infinitate obtinet. Sic enim scribit ipse Bellarminus lib. 2. de justif. c. 5: *Obedientia, passio et mors Filii Dei, quamvis in se et essentialiter fuerit creata et finita, tamen ratione personae obedientis, patientis et morientis fuit infinita et ex vero justitiae rigore propitiatio fuit pro peccatis nostris* etc. Interim non negamus, secundario et ex parte etiam ex caritate vim meriti Christi dependere; at qualis est illa caritas? perfectissima certe et numeris omnibus absolutissima, nulla ne minima quidem peccati labecula contaminata, huic perfectissimae et mundissimae caritati conferre nostram arrogantiae est non tolerandae. 11. Sic et peccatorum deliciae, quae apud impios exigui temporis sunt et tantum aeternis poenis juste vindicantur, huic proposito non quadrant, occurrit enim simile vitium, quod in vulgari illo enthymemate: *Mala opera merentur aeternam damnationem. Ergo bona opera merentur aeternam salutem;* imo vero bonorum et malorum operum non est par ratio: illa sunt imperfecte bona, sunt jam ante debita, sunt peccatorum naevis contaminata. Ergo non merentur salutem; haec vero in se ac sua natura sunt perfectissime mala. 12. Comparationem bonorum operum cum semine paulo post explicabimus, uti etiam dictum apostolicum 2. Cor. 4. superius exposuimus §. 54. 13. Relinquitur igitur, quod haec Bellarmini responsio non satisfaciat argumento ex dicto apostolico contra merita operum et passionum petito. Apostolus agit de passionum indignitate; Bellarminus locum exponit de earundem brevitate. Apostolus ex brevitate passionum colligit indignitatem; quia *momentaneae ac leves sunt tribulationes nostrae* 2. Cor. 4, v. 17. ideo *non sunt condignae ad futuram gloriam* Rom. 8, v. 18; Bellarminus contrario modo procedit, breves quidem passiones piorum esse concedit, sed ex brevitate indignitatem colligendam esse negat. Apostolus et indignitatem et brevitatem passionum diserte ponit; Bellarminus alterutrum tantum, videlicet brevitatem, agnoscit. 14. Ipse Bellarminus huic solutioni suae (quod textus apostolicus intelligatur de operibus ratione substantiae, non autem respectu caritatis) VIII. 93.
non adeo multum tribuit. Cum enim in hoc ipso lib. 5. c. 17. probare voluisset, *opera bona justorum meritoria esse ex condigno non solum ratione pacti, sed etiam ratione operum, ita ut in opere bono ex gratia praecedente sit quaedam proportio et aequalitas ad praemium vitae aeternae*, et c. 18. in principio sibi ipsi hunc Pauli locum objecisset; ad eum sic respondet: *intelliguntur illa omnia loca de meritis secundum substantiam operum, non ut a Spiritu sancto et gratia Dei proficiscuntur;* sed mox subjicit: *Quod si velimus locum universaliter intelligere de bonis operibus omnibus, etiam ut a Spiritu s. et gratia Dei proficiscuntur, ut sanctus Fulgentius intellexit lib. 1. ad Monim., promtum erit respondere, non requiri ad meritum ex condigno absolutam aequalitatem inter meritum et praemium, sed satis esse proportionabilem.* Et postea c. 19. probaturus, *deum remunerare opera bona supra condignum*, inter alia sic scribit: *fortasse etiam huc pertinet illud apostoli Rom. 8: Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quamvis et aliter hoc testimonium exponi possit.* Quid vero cum illo agas, qui diversas sibique contradictorias Scripturae explicationes pro lubitu fingit ac pingit, saltem ut veritatis luci quovis modo obducantur nebulae.

6. Phil. 3: Existimo omnia detrimenta esse propter eminentem scientiam Christi.

94. 6. Phil. 3, v. 8: *Existimo, omnia detrimenta esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam;* v. 9: *ut et inveniar in illo non habens meam justitiam, quae ex lege est, sed illam, quae est ex fide Christi, quae ex Deo est, justitiam in fide.* Ephes. 2, v. 8: *Gratia salvati estis per fidem (et hoc non ex vobis, Dei enim donum est);* v. 9: *non ex operibus, ne quis glorietur.* Tit. 3, v. 5: *Non ex operibus, quae fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti.* Si salus est ex gratia et fide, non ex operibus, utique etiam opera non erunt vitae aeternae meritoria. Excipit Bellarminus, *1. apostolum loqui de salute inchoata, quae in hac vita habetur per gratiam justificationis et renovationis, non de salute perfecta, quae in coelis est reposita; 2. haec loca agere de operibus, quae fidem et gratiam Dei praecedunt, id quod vel ex eo conspicuum sit, quia opera illa fidei et gratiae opponuntur; illam vero*

justitiam et opera se quoque despicere et merita vitae aeternae esse non concedere; 3. ne unum quidem ex tota vetustate proferri posse, qui locum Phil. 3. accipiat de operibus in fide factis; verbum praesens eo in loco ab apostolo usurpatum respicere non opera praesentia, sed praesens judicium de operibus praeteritis in judaismo factis. Respondemus: 1. non aliae sunt justificationis, aliae salvationis causae, sed ut gratia Dei propter Christum fide apprehensum justificamur, ita quoque eadem Dei gratia, eodem Christi merito, eadem fide salvamur, ut jam ante §. 90 docuimus et paulo post plenius demonstrabitur. Fatemur sane, quin et urgemus, justificatis in operibus bonis ambulandum esse ac per multas tribulationes ingrediendum in regnum coelorum, sed illa opera, illae passiones non sunt merita salutis, quippe quam gratis Deus donat credentibus in Christum, in quo est vita aeterna. 2. Ut opera bona ante justificationem facta excluduntur a merito justificationis, ita quoque opera bona post justificationem facta excluduntur a merito salutis, id quod in tractatu de justificatione clarissime ostendimus, videlicet per bona opera, quae gratiae et fidei opponuntur atque ex justificationis et salutis merito excluduntur, omnia omnino bona opera intelligenda esse. 3. Locum ad Phil. 3. de operibus fidem et gratiam Dei subsecutis certo respectu (scilicet si meritum salutis eis asscribatur, si fiducia in eo collocetur, si cum justitia fidei, quam in Christo habemus, conferantur) intelligendum esse, ex ipso textu evincitur. Postquam enim apostolus vers. praeced. 7. opera in lege facta repudiasset hisce verbis: *quae mihi erant lucra, ea arbitratus sum propter Christum damnum esse*, v. 8. ulterius
VIII 94. progreditur: ἀλλά, *sed* (quae vocula, cum sit adversativa, diversum quid a praecedentibus inferri significat) μενοῦνγε, *profecto* (quia magnum aliquid dicturus erat apostolus, ideo majoris fidei causa hanc asseverationem addit) καὶ, *etiam* (prioribus aliud quid conjungitur) *existimo, omnia* (quaecunque illa tandem sint, si in negotio justificationis et salutis considerentur) *damnum esse propter excellentiam cognitionis Christi Jesu Domini mei, propter quem omnia pro damnis duxi* etc. At quid diversum, quid majus, quidve copulatum pharisaicae justitiae Paulum intelligere existimabimus, quod omne pro damnis duxerit, si non justitiam et opera fidem secuta intellexerit? Addit postea apostolus, quae tunc temporis, cum illam epistolam ex vinculis scriberet, fuerit justitia sua coram Deo ad vitam aeternam, imo quae futura sit justitia sua, quando occursurus est ad resurrectionem mortuorum; *ut Christum* (inquit) *lucrifaciam;* v. 9: *et ut inveniar in illo non habens meam justitiam, quae ex lege est, sed quae per fidem est Christi, quae ex Deo est justitia in vita;* v. 10: *ad cognoscendum illum et virtutem resurrectionis ejus et societatem passionis illius configuratus morti ejus;* v. 11: *si quo modo occurram ad resurrectionem mortuorum.* Haec certe exponunt praesens judicium non solum de praeterita justitia ante conversionem, sed etiam de praesenti justitia, quam non operibus, sed fidei tribuit, perinde ut 1. Cor. 4, v. 4. dicit, *nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum justificatus.* Neque destituitur haec interpretatatio omni consensu veterum. Basilius in 9. cap. de humilitate postquam dixerat: *Qui gloriatur, in Domino glorietur, quod Christus nobis factus sit a Deo justitia, sapientia, justificatio, redemtio; haec est perfecta et integra gloriatio in Deo, quando neque ob justitiam suam quis se jactat, sed novit quidem, se ipsum verae justitiae indigum esse, sola autem fide in Christum justificatum;* postea adducit exemplum Pauli, qui in hoc ipso loco Phil. 3. suam justitiam contemnat. Augustinus postquam libr. 2. de peccat. merit. et remiss. c. 13. demonstraverat, Zachariam et Elisabet propter illud encomium justitiae, quod Lucae 1, v. 6. ipsis datur, non fuisse sine peccato, cum apostolus sine querella in lege conversatus propter eminentem scientiam Christi omnia damnum esse arbitretur, tandem subjungit et ex prioribus infert: *Tantum ergo longe est, ut propter illa verba Zachariam et Elisabeth sine ullo peccato credamus perfectam habuisse justitiam, ut nec ipsum apostolum ejusdem regulae summitatem arbitremur fuisse perfectum, non solum* (notandum hoc) *in illa legis justitia, quam similem istis habuit, quam inter stercora et damna deputat, in comparatione eminentissimae justitiae, quae in fide Christi est, verum etiam in ipso quoque evangelio, ubi et tanti apostolatus meruit principatum, quod dicere non auderem, nisi ei credere nefas ducerem.* Bernhardus serm. 50. in Cant. locum hunc Paulinum, in quo negat, se esse perfectum et jamdum comprehendisse v. 13. ad statum gratiae post conversionem diserte refert: *Si placet tibi* (inquit) *magis de affectuali caritate datum fuisse mandatum, non inde contendo, dum modo acquiescas et tu mihi, quod minime in vita ista ab aliquo hominum possit vel poterit adimpleri. Quis enim sibi arrogare id audeat, quod se Paulus ipse fatetur non comprehendisse?* Oecumenius in c. 3. Philipp. per mutationem illam temporum in textu apostolico itidem observare jubet. Origenes, Bernhardus et Gerson locum propheticum Esaiae, in quo justitia nostra confertur panno mulieris menstruatae, ad bona opera renatorum referunt, ut suo loco ostendimus, cur dubitarent eadem vocare damna et stercora, non quidem si per se et simpliciter considerentur, sed si fiducia justitiae et meriti coram Deo ad vitam aeternam illi assuatur, non habita imperfectionis eorundem et adhaerentis peccati ratione? 4. Dictum Eph. 2. sua luce splendet, quam sophisticis nebulis nunquam ita obscurare poterit Bellarminus, quin veritatis lux erumpat: *Cum essemus mortui peccatis* (ait apostolus v. 5.), *convivificavit nos Deus Christo, gratia salvati estis* (ergo et vivificatio et salvatio ex gratia propter Christum contingunt); v. 6: *et conresuscitavit et consedere fecit in coelestibus in Christo Jesu* (ergo non solum inchoata, sed et per-
fecta salus in Christo et propter Christum ex gratia VIII. 95.

contingunt, ac qui fide in Christum justificati, jamdum consederunt, hoc est una cum Christo collocati sunt in coelestibus); v. 7: *ut ostenderet in seculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae in bonitate super nos in Christo Jesu;* v. 8: *gratia enim estis salvati* (ergo non ex operibus Rom. 11, v. 6.) per *fidem* (sine operibus Rom. 3, v. 28.) *et hoc non ex vobis, Dei enim donum est;* v. 9: *non ex operibus, ne quis glorietur* (quot verba, tot argumenta contra merita operum audis); v. 10: *ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus* (ubi vides, renatorum seu conditorum in Christo bona opera non constitui merita salutis, sed viam, in qua ambulent, qui gratia salvati sunt; Bernhardus tract. de lib. arbit. sub finem vocat *viam regni, non causam regnandi.* Observa etiam, hunc v. 10. αἰτιολογικῶς per particulam *enim* connecti cum priore, ideo non servamur ex operibus, *quia sumus Dei opus, conditi in Christo ad bona opera, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus,* hoc est Deus omnia nobis donat in Christo, justitiam, vitam aeternam et Spiritum sanctum, qui ad opera bona nos impellit, praeparat nos ad opera per suam gratiam, nequaquam ergo per opera gratiam Dei vel vitam aeternam meremur). 5. Tit. 3, 5. opera fidem et gratiam praecedentia a salutis merito excluduntur, interim tamen sequentia non includuntur, dicimur enim justificati et salvati *Dei gratia* (ergo non ex operibus), dicimur *heredes vitae aeternae constituti* (ergo id non assequimur mercenaria operum obedientia), *opera justitiae* a salutis merito excluduntur (atqui opera ex fide et gratia facta proprie sunt opera justitiae, ea ergo itidem exclusa intelliguntur, id quod vel ex c. 4. Rom. manifestissimum, ubi Abrahae renati opera a justificatione et salvatione excluduntur); inde Bernhardus serm. 50. in Cant. generaliter de omnibus operibus dictum apostolicum recte accipit: *Deus* (inquit) *mandando impossibilia* (in lege) *non praevaricatores homines fecit, sed humiles, ut omne os obstruatur et subditus fiat omnis mundus Deo, quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo. Accipientes quippe mandatum et sentientes defectum clamavimus in coelum et miserebitur nostri Deus, et sciemus in illa die, quia non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit* etc. Repetenda sunt hoc loco quae contra necessitatem operum ad salutem superius disputavimus.

7. Rom. 3: Exclusa est gloriatio per legem fidei.

95. 7. Rom. 3, v. 27: *Exclusa est gloriatio non per legem operum, sed per legem fidei.* Si fides excludit omnem gloriationem, quae ex operibus nascitur, utique etiam excludit meritum operum; qui enim vera merita habet, de illis jure gloriari potest. Vicissim si ex operum nostrorum meritis salus contingeret, nondum omnis gloriatio exclusa esset. Bellarminus excipit, *fidem excludere gloriationem eorum, qui in se gloriantur, quod suis viribus justitiam facere possint et a se habeant, si quid boni habent; non autem excludere gloriationem illorum, qui in Domino gloriantur, id est qui justitiam et merita Deo juvante habere se posse confidunt, alioqui non diceret apostolus, qui gloriatur, in Domino glorietur.* Respondemus: de hoc argumento nostro, uti et de Bellarmini effugio late egimus in tractatu de justificatione, ubi ostendimus, apostolum etiam de renatorum operibus loqui et gloriationem de ipsorum meritis per legem fidei exclusam esse docere, hac vice breviter monemus: 1. Apostolum suam illam de exclusa per legem fidei gloriatione sententiam ad ipsum Abrahamum renatum accommodare, quem vel ex operibus justificatum, vel gloriam apud Deum habere praecise negat. Rom. 4, v. 2: *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* 2. Gloriatio dicitur exclusa *per legem fidei*, hoc est per doctrinam evangelii. Jam vero haec est propria et perpetua evangelii doctrina, quod gratis propter Christum fide, non ex operibus justificemur et salvemur. Ergo etiam illa gloriatio exclusa est, quae oritur ex operibus in fide factis. 3. Renati in bonis operibus sunt θεοῦ σύνεργοι. Ergo si renati ex merito suorum operum salvarentur, haberent adhuc quandam gloriationem, qua VIII. 96.
partim in Deo, partim in se ipsis gloriarentur. Jam vero *in solo Domino*, non in nobis vel nostris operibus gloriandum. Jer. 9, v. 24. 2. Cor. 10, v. 17. nimirum *quod ipsi soli debeatur justitia, nobis autem confusio faciei*, Dan. 9, v. 7. quod ipse sit *solus justus et sanctus, justificans eum, qui est ex fide Christi.* Rom. 3, v. 26. quod ipse sit Dominus noster, *nos vero servi inutiles*, Luc. 17, v. 10. Proinde gloriari in Deo excludit omnem ex operibus gloriationem, omnem meritorum persuasionem. 4. Pharisaeus Luc. 18, v. 11. non est in se gloriatus, quod suis viribus justitiam fecerit et a se habuerit, si quid boni habeat (gratias enim agit Deo, quod ex ipsius dono eam obtineat), nihilo tamen minus gloriatio illius ex operibus repudiata est, cum *in suam domum justificatus descendisse* negetur, v. 14. Nimirum qui *justitiam suam coram Deo quaerunt statuere, justitiae Dei non sunt subjecti*, Rom. 10, v. 3. 5. Quid sit in Domino gloriari, apostolus eo in loco diserte exposuit, videlicet grato corde et vera fide agnoscere, quod *Christus nobis factus sit a Deo sapientia, justitia, sanctificatio et redemtio*, 1. Cor. 1, v. 30. Ergo in Domino gloriari non est in operum nostrorum meritis, sed in solo Christo gloriari, juxta vetus illud: *Glorior in solo sanguine, Christe, tuo.* Basilius in homil. de humil. ex apostoli dicto sic infert: *Haec est perfecta et integra gloriatio in Deo, quando neque ob justitiam suam quis se jactat, sed novit se ipsum verae justitiae indigum esse* (ἐνδεῆ ὄντα), *sola autem fide in Christum justificatum.* 6. An per doctrinam meritorum excludatur gloriatio, id apparebit ex illis, quae paulo post ex scriptis et praxi adversariorum proferemus. Certe Bellarminus lib. 5. de justif. c. 3. non veretur affirmare, *quod sit magis honorificum habere aliquid ex merito quam ex sola donatione.*

c. 5. quod *salvemur per Christi gratiam modo nobilissimo honorificentissimoque;* c. 6. quod *spectare in opere et labore mercedem eminentissimam sit nobilissimum ac regium;* c. 7. quod *nihil sit facilius in hoc loco tentationis quam superbiam ex consideratione bonorum operum gigni.*

8. Stante merito Christi concidunt merita nostrorum operum.

96. 8. Stante merito Christi concidunt operum nostrorum merita. Si enim Christus sua obedientia promeruit nobis vitam aeternam, nullus locus erit nostrorum operum meritis. Vicissim si nostris meritis esset locus, Christi meritum non foret perfectum. Jam vero Christi meritum est infinitae personae infinitum pretium, sanctissimae personae sanctissimum remedium. Huic Christi merito nostra merita addere est vesti pulcherrimae sordidos panniculos assuere ac debitam gloriam Christo detrahere. Excipit Bellarminus, *1. merita justorum non opponi meritis Christi, sed ab istis nasci et quicquid ipsa justorum merita laudis habent, id totum redundare in laudem meritorum Christi. Ipse* (inquit) *vitis, nos palmites; sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite, sic et nos nihil possumus sine Christo facere. Et sicut nemo unquam ita desipuit, ut diceret, detrahi de gloria vitis, si palmites ipsius multum fructum afferunt; ita nemo nisi plane stultus, dicere potest detrahi de gloria Christi, si servi ejus per gratiam ejus, per spiritum ejus, per fidem et caritatem ab ipso inspiratam bona opera faciant, quae ita vere sint justa, ut eis debeatur a justo judice corona justitiae. 2. Merita hominum non requiri propter insufficientiam meritorum Christi, sed propter maximam eorum efficaciam. Meruerunt enim Christi opera apud Deum, non solum ut salutem consequeremur, sed etiam ut eam per propria merita consequeremur, sive quod idem est, non solum aeternam salutem, sed etiam vim merendi in nobis meruerunt, sicut quod Deus utitur sole ad mundum illustrandum, igne ad calefaciendum, aura et pluviis ad refrigerandum, non est in causa imbecillitas Dei, quasi non possit ipse per se absque sole, igne, aura mundum illustrare, calefacere, refrigerare, sed omnipotentia ejus, qua potuit non solum ista facere, sed etiam rebus creatis vim faciendi tribuere. 3. Nec dividi gloriam inter Deum*

VIII. 8. *et hominem, si non solis Christi meritis, sed etiam nostris salutem consequamur, quia merita nostra sunt dona Christi et ratio, cur opus sit dignum vita aeterna, tota pendet ex gratia. 4. Non minus nos Christo obstrictos esse, nec minus salutem nostram totam atque integram illi acceptam ferre, cum meritis nostris illam acquirimus, quam si absque ullis meritis nostris eam acciperemus, imo multo magis nunc illi nos debitores esse, quandoquidem non solum per ejus gratiam salvemur, sed etiam per eandem modo nobilissimo honorificentissimoque salvemur.* Haec omnia Bellarminus, ex quo Pistorius in scripto German. contra Hunnium p. 18. disputat, *Christi meritum solum, solum, solum nos efficienter et meritorie justificare et salvare et mereri omne id, quod nobis ad salutem est necessarium,* ac nihilominus disput. de justificat. th. 262. statuit, *opera caritatis et justitiae mereri vitam aeternam.* Leonhard. Lessius in consultat. de relig. p. 19. scribit, *meritis operum Christi meritum extolli, quia illud adeo statuatur efficax, ut nobis etiam facultatem merendi contulerit, sicut omnipotentia Dei commendatur, quando rebus creatis vis una operandi non denegatur.* Respondemus: non obstantibus his effugiis et praestigiis diserte pronuntiamus et gloriam et perfectionem merito Christi debitam per pontificiam meritorum doctrinam labefactari, quod ut liquidius constet, hoc modo procedimus: 1. Si meritum Christi eo solum modo vitam aeternam nobis promeruit, ut primam gratiam ac infusionem nobis promeruerit, ut ex gratia et justitia infusa bene operantes ipsimet postea vitam aeternam nobis mereamur, per immotam et infallibilem consequentiam ex eo deducitur, quod sublime officium salvationis inter Christum et nos secundum distinctas partes eo modo distribuatur, ut Christus quidem sua passione nobis mereatur, id quod minus est, veram infusionem virtutum et salutem inchoatam, nos autem merito immediato et propinquo mereamur, id quod incomparabiliter majus et augustius est, videlicet vitam aeternam et salutem perfectam. Sed ex hypothesi Bellarmini prius verum est. Ergo et posterius; judicet vero quilibet, an per hoc non detrahatur gloriae meriti Christi. (** Gloria meriti Christi vel *in se* consideratur et significat perfectionem ipsius, tum quoad vim promerendi infinitam, tum quoad ipsam obedientiam legi Dei abunde satisfacientem, tum quoad liberationem a maledicto legis; vel spectatur *quoad agnitionem et celebrationem istius* perfecti meriti et gratiae divinae in piis. Priore augeri non potest meriti Christi gloria, multo minus per opera piorum, cum gratia non esset gratia, Rom. 11, v. 6. posteriore modo augeri potest, sed non ratione Christi, qui bonorum nostrorum non eget, Psalm. 16, v. 2. verum ratione nostri Deum per bona opera gratitudinis ergo glorificantium, Matth. 5, v. 16.**) 2. Si ad salutis efficientiam in ordine causae meritoriae ad meritum Christi oportet accedere nostra merita, consequens est, Christum in sua passione ac morte nondum plene et perfecte salutem nobis promeruisse. Connexio est manifesta, si enim Christus in ipso opere passionis et mortis suae justitiam et salutem nobis exuberantissime et plenissime promeritus esset, quid opus foret nostrorum meritorum additamento? Non est, quod dicatur, gratiam Dei et fidem non excludi per meritum Christi, ergo nec nostra merita, quilibet enim videt, esse rationem longe disparem. Gratia Dei et fides ad justitiam et vitam aeternam requiruntur, non in genere causae meritoriae, sed in alio genere causae, gratia Dei in ordine causae efficientis principalis, fides in ordine causae instrumentalis. Sed si nostra merita in ordine causae meritoriae ad salutem requiruntur, quilibet videt, Christi meritum nondum esse perfectum, *ad quamcunque enim causam in eodem causandi genere aliud quippiam adhuc requiritur, ea non-*

dum est ad effectum producendum satis perfecta. Nec est, quod dicatur, applicationem meriti a Christo praestiti per nostra merita fieri, praeterquam enim quod hoc sine Scripturae testimonio asseritur, quae ubique solam fidem statuit illud medium atque or-
VIII. 98. ganum, per quod beneficiorum Christi participes reddimur, accedit insuper et hoc, quod hac ratione opera nostra non essent ad classem causae meritoriae, sed ad classem causae instrumentalis recipientis referenda. Atqui Bellarminus et reliqui pontificii scriptores statuunt, ad salutis efficientiam in ordine causae meritoriae ad meritum Christi oportere accedere nostra merita. Ergo statuunt, Christum in sua passione ac morte nondum plene et perfecte salutem nobis promeruisse; judicet vero quilibet, an per hoc non detrahatur perfectioni meriti Christi. Referantur ad hunc locum ea, quae in tractatu de justificat. §. 50. in medium produximus. 3. Spiritus s. in Scripturis plane contrario modo procedit ac Bellarminus hoc loco. Quia justificamur et salvamur *Dei gratia*, ergo *non ex operibus*, Rom. 4, v. 5. c. 11, v. 6. Ephes. 2, v. 9. Quia justificamur et salvamur propter *Christum*, ergo non *ex operibus*, Gal. 2, v. ult. Quia justificamur et salvamur *fide*, ergo *non ex operibus*, Rom. 3, v. 28. Nec Deus justificationis et salvationis opera eo modo distribuit, ut per Christi meritum quidem justificemur, per operum autem nostrorum merita justificationis finem, salutem aeternam, consequamur; sed ut gratis nullo intercedente nostro merito propter solum Christum fide nos justificat, ita quoque gratis nullo intercedente nostro merito propter solum Christum fide nos salvat; hinc dicimur *gratia, non ex operibus salvati*, Ephes. 2, v. 8. et *vita aeterna dicitur Dei donum*, Rom. 6, v. ult. ac *finis fidei nostrae*, 1. Petr. 1, v. 9. proinde non habet hic locum distinctio inter salutem inchoatam et perfectam, ac si illa quidem propter Christum gratis, haec vero ex meritis operum nostrorum nobis contingeret; qui enim fide justificatur, is eo ipso adoptatur in filium Dei et heres vitae aeternae scribitur. *Omnes sumus filii Dei per fidem*, Gal. 3, v. 26; *quodsi filii, utique et heredes*, Rom. 8, v. 17; *qui credit in Filium, habet vitam aeternam*, Joh. 3, v. 36. ac vita aeterna non est salus inchoata tantum, sed perfecta. Id ipsum etiam manifestum est exemplo infantum baptizatorum, uti etiam eorum, quibus non suppetit tempus post conversionem externa bona opera faciendi, illis per justificationem non solum inchoata, sed etiam perfecta salus contingit. Et quid multis? *Vitam aeternam dedit nobis Deus et haec vita in Filio ejus est*, 1. Joh. 5, v. 11; *qui habet Filium, habet vitam aeternam*, v. 12. Quomodo ergo salutem perfectam operum meritis prius ut acquirat, necesse habet? Non negamus, fide justificatos et salvatos bene operari debere, sed quod per operum merita salutem consequantur, id negamus, in solo enim Christo salus nobis reposita est. 4. Scriptura sacra causam meritoriam justificationis et salvationis nostrae describens ubique addit exclusivam, proinde merito Christi non subordinantur merita nostra, sed per illud fortissime excluduntur. Esa. 43, v. 24: *Me fecisti servire in peccatis tuis, me fecisti laborare in iniquitatibus tuis;* v. 25: *ego, ego ipse delens praevaricationes tuas propter me et peccatorum tuorum non recordabor.* Esa. 63, v. 3: *Torcular calcavi solus ego* (לְבַדִּי Symmachus vertit μονώτατος, unicus et solus, quam versionem allegat et sequitur Justinus in dial. cum Tryph. p. 188.) *et de populis non fuit vir mecum.* Act. 4, v. 12: *Non est in alio aliquo salus*, (ne quis vero existimet, aliam tantum personam salvatoris excludi, subjicitur) *nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (excluditur ergo a salutis merito quicquid nominari potest, quod non est Christus). Hebr. 10, v. 14: *Una oblatione in aeternum consummavit sanctificatos* (ergo oblationi et passioni Christi non solum inchoata, sed et consummata salus adscribenda). Ex his et similibus pronuntiatis innumeris, in quibus Christus dicitur salvator noster, sic concludimus: Quod in ordine causae meritoriae solum et unicum reliquis omnibus exclusis ponitur, illi non est aliud quidquam in eo causae genere addendum. Sed Christi opera et passiones in ordine causae meritoriae exclusis omnibus aliis rebus unicae ac solae ponuntur. Ergo nec opera nostra, nec aliud quidquam in eo genere causae ipsis addendum. 5. Hypothesis illa, quod
meritum Christi nostris operibus vim merendi tri- VIII. 9
buat, ne unico quidem manifesto Scripturae testimonio comprobari potest. Nuspiam enim operibus, sed ubique soli Christo λύτρον, redemtio, satisfactio et meritum adscribitur; nec Christus dicitur passus pro bonis nostris operibus, ut illis vim merendi et salvandi conciliaret, sed pro peccatis nostris dicitur passus, ut ea expiando ac justitiam nobis promerendo causa salutis in ipsum credentibus esset. Nec Christus agnus ille Dei oblatus seu mactatus pronuntiatur, ut accedente illius merito bona opera nostra peccata tollerent et salutem aeternam afferrent, sed ut ipse unica oblatione tollendo peccata mundi ac consummatos nos reddendo, solus honore propitiationis ac nomine salvatoris celebraretur. Nec eo fine Christus dicitur passus, ut per opera nostra purgatione peccatorum facta nos ex operum illorum merito salvaret, sed purgationem peccatorum nostrorum δι' ἑαυτοῦ, per *se ipsum*, Hebr. 1, v. 3. (quod tamen in vulgata versione vitiose omissum est) fecisse dicitur. Si Christi meritum nostris operibus vim merendi et salvandi daret, si sanguis Christi ita tingeret opera nostra, ut ex eo meritum aliquod proprie dictum acquirerent, tunc essent tot Christi et salvatores, quot sunt bene operantes. Placent Deo opera nostra, sed quod Christi proprium est ac perpetuo manet, videlicet peccatum tollere, iram Dei placare, vitam mereri, illud operibus nostris non communicatur. 6. Quin imo nostris operibus vis merendi et salvandi non potest conferri, cum ad illam requiratur infinita virtus merentis, absolutissima operis perfectio et proportio quaedam corre-

spondens ei, cujus meritum statuitur. Atqui hae conditiones in solo Christo ejusque operibus et passionibus, non autem in nobis aut nostris operibus et passionibus locum habent. 7. Quare longe dispar ratio est salvationis nostrae et gubernationis mundi. In gubernatione mundi juxta communem naturae cursum locum habet illa causarum naturalium subordinatio, nimirum quia effectus non excedit vires causae, sed reparatio ac salus nostra est effectus plane supernaturalis, omnes omnium creaturarum vires excedens, ergo in ea non habet locum illa subordinatio. Lyra in c. 3. Tit.: *Salus aeterna excedit totaliter facultatem humanae naturae, propter quod non potest attingere eam quis, nisi ex largitate divinae misericordiae.* Proinde ut Scholastici plerique statuunt, potentiam creandi non posse communicari creaturae, ita quoque vim merendi et salvandi nobis nostrisque operibus non posse communicari concedere cogentur. Brentius in apol. conf. Wirtenb. cap. de bonis operibus Tom. 1. p. 378: *Infinitae est potentiae creare coelum et terram, nec potest nec debet haec potentia in alterum praeterquam in ipsum creatorem conferri. Non est autem minoris potentiae et majestatis, iram Dei placare et vitam aeternam mereri, quam coelum et terram creare. Sicut ergo majestas creandi coeli et terrae non potest nec debet alteri praeterquam uni soli Deo creatori attribui; ita majestas expiandi peccati, placandae irae Dei et promerendae vitae aeternae non potest nec debet alio transferri, sed in una sola illa persona, quae est deus et homo, relinqui.* Praeterea in gubernatione mundi Deus est causa prima, universalis et remota, cui causae naturales suo quodam modo subordinantur; sed Christus est causa proxima, singularis, immediata atque unica redemtionis et salutis nostrae; ergo operum nostrorum merita illi non subordinantur. Si nostra opera in merito salutis Christi merito subordinarentur, tunc salus magis assignari deberet operibus nostris, quam merito Christi, quia in causis subordinatis effectus magis competit causae particulari, proximae et immediatae, quam universali et remotae. 8. Similitudo, quam Bellarminus ex c. 15. Joh. de vite et palmitibus affert, modo recte applicetur, nostrae non adversatur sententiae. *Sicut nemo unquam ita desipuit* (ait Bellarminus), *ut diceret, detrahi de gloria vitis, si palmites ipsius multum fructum afferant; ita nemo nisi plane stultus dicere potest, detrahi de gloria Christi, si servi ejus per gratiam ejus, per spiritum ejus, per fidem et caritatem ab ipso inspiratam bona opera faciant.* Haetenus recte, nec quisquam nostrum huic comparationi ex verbis Christi deductae refragatur, sed quod Bellarminus de suo attexit, *bona illa opera ita vere esse justa, ut eis debeatur a justo judicio corona justitiae, hoc est ex condigno vitae aeternae meritoria esse,* id nec ex proposita similitudine inferri, nec ex aliis Scripturae dictis probari potest. Invertimus igitur hanc similitudinem. Quemadmodum palmites ex vite succum trahunt et fructum ferunt, interim tamen non sunt nec fiunt ipsa vitis; ita quoque vere credentes Christo tanquam verae viti inserti vitam spiritualem ex ipso hauriunt et copiosos bonorum operum fructus proferunt, interim quod eo modo est et manet proprium Christi, ut nec nobis communicetur, nec communicari possit, videlicet ipsum esse salvatorem ac redemtorem, ipsius opera et passiones esse pro peccatis satisfactorias et vitae aeternae meritorias, illud non participant, sed Christo in solidum hoc acceptum relinquunt.

Alia argumenta contra operum merita. 1. Electio est ex gratia, non ex operibus.

97. Atque haec sunt octo illa argumenta, quae Bellarminus sibi exagitanda sumsit, addimus autem sequentia, quae ipse non attigit. 1. Electio ad vitam aeternam est ex gratia, non ex operibus. Ergo etiam vita aeterna datur ex gratia, non ex operibus. Connexio est manifesta. Nam propter quod Deus ab aeterno constituit homines salvare, propter illud in tempore eosdem salvat, nec enim aliud nec aliter in tempore agit, quam quod et qualiter agere ab aeterno constituit propter immutabilitatem suae voluntatis. Electio et justificatio se mutuo respiciunt, ut propositum et exsecutio propositi. Atqui non elegit, sive quod idem est non constituit Deus homines salvare propter opera. Ergo nec in tempore eos salvat propter opera. Viderunt hujus argumenti nervum Scholastici, meritorum patroni, ideo pelagianum errorem de praevisione meritorum, propter quam facta sit electio, plerique cupide amplectuntur. Bellarminus crassum illum pelagianismum declinans lib. 2. de grat. et lib. arbit. c. 9. speciose disputat, *praedestinationis divinae nullam rationem ex parte nostra assignari posse, per nomen rationis dicit se excludere non solum merita proprie dicta, sed etiam bonum usum liberi arbitrii aut gratiae aut utriusque simul a Deo praevisum.* Quomodo ergo conatur vim argumenti nostri effugere? Responsio: Electionem sumit pro *nuda intentione dandi vitam aeternam,* quod non possit dari ratio alia, cur Deus post lapsum quibusdam voluerit vitam aeternam dare, quam mera ejus gratia, atque eo spectant omnia illa, quae de exclusa meritorum praevisione satis speciose profert; postea autem addit c. 14. *electionem quidem esse mere gratuitam, ut sumitur pro intentione dandi gloriam, eandem vero praeexigere operum praevisionem, ut accipitur pro dispositione exsecutionis et quasi exsecutione in mente divina;* in qua sententia quae lateant insidiae Scripturis sacris e diametro adversae, ostendimus in tract. de elect. et reprob. §. 198.

2. Justificatio est ex gratia, non ex operibus.

98. 2. Justificatio est ex gratia, non ex operibus. Ergo glorificatio sive vita aeterna itidem est ex gratia, non ex operibus. Connexio ex Scripturis est manifesta. Ubique enim eaedem statuuntur causae justificationis et salvationis, ut ex propria sede hujus doctrinae, Rom. 4. et Ephes. 2. cumprimis est manifestum. Neque est, quod confugiatur ad distinctionem inter salutem inchoatam et consummatam, quasi illa contingat gratis, haec vero ex operum meritis, nam inchoata illa salus complectitur

gratiam Dei, remissionem peccatorum, υἱοθεσίαν adeoque ipsam vitae aeternae hereditatem, ac qui per fidem in Christum participes facti inchoatae illius salutis si decedant ex hac vita, actu participes fiunt salutis consummatae. Qua igitur veritatis specie aliae statuuntur inchoatae, aliae vero consummatae salutis causae? *Qui credit in Filium Dei, habet vitam aeternam*, Joh. 3, v. 36. Ergo vita aeterna sive salus consummata fide obtinetur, revelatio tantum ejusdem suo tempore sequitur. Col. 3, v. 3: *Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo;* v. 4:
VIII. 101. *cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.* 1. Joh. 3, v. 2: *Nunc filii Dei sumus et nondum apparuit, quid erimus.* Si inchoata tantummodo salus sive justificatio gratis propter Christum nobis contingeret, consummata autem sive glorificatio ex meritis operum nostrorum, tum Christus esset quidem unica causa meritoria nostrae justificationis, nequaquam vero unica causa meritoria nostrae salutis, esset unicus noster redemtor, non autem unicus salvator.

3. Terra Canaan fuit ex gratuita benignitate Israëlitis data.

99. 3. Terra Canaan lacte et melle fluens typus fuit coelestis hereditatis spiritualis Israëlitis promissae, quod neminem arbitror negaturum. Quemadmodum enim terra Canaan sorte fuit distributa, ita procul dubio vocabulum κληρονομεῖν ex sortibus in terrae Cananaeae et cujusvis hereditatis divisione usitatis deductum ad vitae aeternae hereditatem denotandam est translatum. Atqui terra Canaan non propter operum merita, sed ex gratuita Dei benignitate Israëlitis fuit data. Ergo etiam vita aeterna non ex operum meritis, sed ex gratuita Dei benignitate spiritualibus Israëlitis datur. Argumentum non solum ductum est ex loco similium, sed etiam continet comparationem minoris ad majus. Si terra Canaan non est data propter merita, quanto minus vita aeterna propter merita dabitur. Assumtio ex sequentibus manifesta est. Deut. 9, v. 4: *Ne dicas in corde tuo, cum propulsaverit Deus hostes tuos a facie tua: in justitia mea* (sive propter justitiam meam) *introduxit me Dominus ad possidendum terram istam et in impietate gentium istarum expulit eas;* v. 5: *non in justitia tua* (propter justitiam tuam) *et in rectitudine cordis tui ingrederis ad possidendum terram earum* etc.; v. 6: *sed ut Dominus confirmet verbum, quod juravit patribus tuis Abraham, Isaac et Jacob;* v. 7: *et scito, quod non justitia tua Dominus Deus tuus dans tibi terram bonam istam ad possidendam eam* etc. Non potest, uti vides, Deus ferre, ut Israëlitae confidant in sua justitia et glorientur, se in regnum Canaan propter justitiam suam introductos esse; quomodo igitur ferret, si gloriaremur, quod propter justitiam nostram in regnum coelorum nos introducat? Brentius apolog. confess. Wirteberg. tom. 1. pag. 323. **Nota, quod tribus distinctis vicibus repetatur et inculcetur, quod non propter justitiam suam Israëlitae occupaverint terram Canaan.**

4. Vita aeterna datur credentibus ut hereditas.

100. 4. Vita aeterna datur credentibus ut hereditas filiis. Ergo non obtinetur ex operum meritis. Consequentiae ratio est manifesta. Quemadmodum enim filius nascitur heres ac particeps fit hereditatis non propter servitia sua, sed respectu filiationis ac nativitatis; ita quoque per fidem renascimur, ideoque respectu illius υἱοθεσίας, non autem propter operum nostrorum merita hereditas coelestis nobis contingit. Antecedens patet ex omnibus illis Scripturae dictis, quae credentes vocant Dei filios, Joh. 1, v. 12. Rom. 8, v. 16. Gal. 3, v. 26. 1. Joh. 3, v. 1. etc. ac vitam aeternam *hereditatem*, Rom. 8, v. 17. Col. 3, v. 24. etc. *Hoc ipso* (scribit Bellarminus lib. 5. de justificat. c. 14. sub finem), *quod incipimus esse filii Dei, incipimus jus habere ad hereditatem felicitatis aeternae. Nam si filii et heredes* Rom. 8, v. 17; *incipimus autem esse filii Dei, antequam incipiamus bene operari, imo etiam baptizati infantes per solam eam gratiam ante omnia opera bona salvantur* etc. Excipit idem lib. 5. de justificat. c. 3: *Habet vita aeterna conditionem mercedis et hereditatis. Datur enim ex promissione laborantibus, quod est mercedis proprium, et non datur nisi filiis, quod est proprium hereditatis. Tametsi parvulis, qui mox a baptismo decedunt, vita aeterna donetur solo jure hereditatis, tamen voluit Deus filios suos, qui usum rationis habent, propriis laboribus et meritis illam acquirere, ut duplici titulo illis vita aeterna deberetur, titulo videlicet hereditatis et jure mercedis. Quoniam* VIII. 102.
enim magis honorificum est habere aliquid ex merito, quam ex sola donatione, ideo Deus ut filios suos magis honoraret, id praestitit, ut vitam aeternam per merita sibi pararent. At haec responsio Bellarmini petit principium et ex oppositis facit subordinata. Principium in hac responsione peti manifestum est; unde etiam probat Bellarminus, duplici jure ac titulo vitam aeternam credentibus deberi? **Marc. 10, v. 15. Luc. 18, v. 17: *Quisquis non receperit regnum Dei, ut parvulus, non intrabit in illud.* Jam vero parvuli non jure mercedis, sed solo jure hereditatis vitam aeternam accipiunt, ut Bellarminus concedit. Ergo nisi quis solo jure hereditatis vitam aeternam accipiat, sicut parvulus, non intrabit in eam.** Unde probat, operum meritis ac propriis laboribus eam acquiri? Non audis hic Scripturae fundamenta, sed rationis humanae somnia. *Magis honorificum est* (ait) *habere aliquid ex merito, quam ex sola donatione, ideo Deus, ut filios suos magis honoraret, id praestitit, ut vitam aeternam propter merita sibi pararent.* Sit sane magis honorificum ex merito aliquid quam ex gratia obtinere, at unde probatur, hujus honoris credentes participes factos? Veterum sententia haec est: *Quod de Christo non dicitur, ut est, etiamsi honor videatur, injuria est;* quanto magis quod de Christianis non dicitur, ut est, etiamsi honor videatur, injuria erit. Ex meritis vitam aeternam obtinere post lapsum protoplastorum nulli unquam homini praeterquam soli Christo competit; is unicus et solus est, *qui duplici nomine regnum coelorum obtinet, hereditate scilicet patris et merito*

passionis; altero ipse contentus est, alterum nobis donat; nos autem nec digni sumus, nec propriis meritis regnum coelorum obtinere possumus, ut Bernhardus pie dixisse commemoratur in ipsius vita lib. 1, c. 13. Quod eadem Bellarmini responsio ex oppositis faciat subordinata, itidem manifestum est. Quamvis enim in Christo haec sint subordinata, tamen in credentibus propter maximam disparitatem sunt opposita. Christus est Filius Dei unigenitus et naturalis; nos autem sumus adoptivi. Christi obedientia non erat debita, cum etiam secundum humanam naturam personaliter Λόγῳ unitam fuerit dominus sabbathi ac totius legis; nostra autem obedientia multis nominibus jam ante Deo debetur. Christi obedientia erat perfectissima, carens omni labe peccati; nostra est imperfecta et naevis peccatorum contaminata. Ergo Christi obedientia potuit esse meritum, nostrae vero obedientiae illud non potest competere. Christus non sibi, sed aliis sua obedientia vitam aeternam promeruit; at si nostra opera ac nostrae passiones essent meritoriae, nobis ipsis vitam aeternam promererentur. Ex quo iterum apparet, in Christo haec esse subordinata, obtinere vitam aeternam jure hereditatis atque aliis eam sua obedientia mereri; in nobis autem haec sunt opposita, obtinere vitam aeternam titulo adoptionis ac suorum operum meritis eandem sibi ipsi acquirere. Quemadmodum Christus jure hereditatis regnum coelorum obtinens eodem contentus fuit, nec suis passionibus et operibus illud sibi ipsi promeritus demum est, sed aliis; ita quoque sufficit nobis ad vitam aeternam obtinendam, quod titulo υἱοθεσίας ut hereditas nobis donatur: si passiones et opera nostra essent merita, non nobis ipsis, sed aliis regnum coelorum acquirerent, hoc est honorem Christo proprium obtinerent. Extra controversiam est, credentes in filios Dei et heredes vitae aeternae adoptatos, in bonis operibus ambulare debere, sed quod per illa bona opera novum jus ad vitam aeternam acquirant, illud negamus; quin potius cum parvulis mox a baptismo decedentibus vitae aeternae hereditas ex gratia detur, ex eo immote colligimus, adultis credentibus et in vinea Domini laborantibus itidem ex gratia, non ex operum meritis eandem obtingere, siquidem una atque eadem est justificationis et salvationis ratio, ut paulo post plenius docebimus. Repetimus igitur argumentum nostrum verbis apostoli Gal. 3, v. 18: *Si ex lege hereditas, non jam ex promissione.* Atqui Abrahae per promissionem donavit Deus, ubi manifesta oppositio est inter legem et promissionem; jam vero opera pertinent ad legem, ut patet ex v. 12: *Lex non est ex fide, sed qui fecerit ea homo, vivet in ipsis.* Ergo si ex operibus est hereditas, utique erit ex lege; si ex lege, non erit ex promissione. Accurate autem observa ad Galatas, qui baptizati erant, v. 27. atque ex praedicatione fidei Spiritum sanctum acceperant, haec dici, ut Bellarminianum illud effugium de discrimine inter parvulos, mox a baptismo decedentes et inter adultos usum rationis habentes, penitus exclusum intelligatur; quis enim sibi persuadebit, Galatas, quibus haec epistola est inscripta et quibus solo jure hereditatis vitam aeternam ex promissione dari apostolus scribit, omnes fuisse parvulos, qui mox a baptismo decesserint, nec ad usum rationis venerint?

5. Quotidie peccamus et debita contrahimus.

101. 5. Quotidie peccamus et debita contrahimus. Ergo operibus nostris non meremur vitam aeternam. Connexio est manifesta, cum enim in oratione Dominica ex Christi institutione agnoscamus et fateamur, nos esse *Dei debitores*, Matth. 6, v. 12. nos *bona nostra dilapidasse*, Luc. 16, v. 1. ac praeterquam quod *decem milia talentorum debemus*, Matth. 18, v. 24. debitum quotidie augere; quomodo possumus ullum Dei beneficium promereri? Cum *peccata nostra capillos capitis nostri numero suo superent ac velut onus grave pondere suo nos premant*, Psalm. 38, v. 5. adeoque incomparabiliter plura sint, quam bona opera nostra; quomodo opera bona erunt vitae aeternae ex condigno meritoria? Quid magis contradictorium, quam mendicum supplicem misericordiam opemque Dei implorare, ut sibi indigentissimo et indignissimo debita remittat, ac simul statuere, se illa mendicatione magno beneficio Deum in omnes divitem afficere? An non extremae est stultitiae existimare, eos qui solvendo non sunt, imo qui debitum quotidie augent, aliquid mereri, aut acquirere sibi posse beneficium quoddam aut condonationem debiti a suo creditore, cujus si quis favor est, is mere est gratuitus?

6. Bonis operibus non competunt proprietates meriti.

102. 6. Cui non competunt proprietates meriti, illud non potest esse meritorium. Atqui bonis operibus nostris non competunt proprietates meriti. Ergo non possunt esse meritoria. Assumtum probatur hoc modo: Meriti natura ac ratio postulat haec quatuor. 1. Ut opus illud, quo meremur, sit nostrum. Quod enim non afferimus ex nostrarum virium fano ac luco, sed alterius liberalitate obtinemus, per illud non possumus dona ejus mereri, sed debitum obsequium tantummodo reddimus. 2. Ut sit opus indebitum. Quod enim jam ante debitum est, illud non obstringit ad nova beneficia eum, cui ex debito praestatur. Contradictoria haec sunt, opus debitum alicui exhibere et opere illo jam ante debito aliquid mereri. Admodum impudens sit oportet, qui quasi bene meritus praemium sibi ob id poscit, quod debita solvit. ** *Meritum* est proprium et civiliter indebitum opus bonum in alterius commodum libere praestitum jure mercede adaequate proportionata recompensandum. Sicut enim debito operi nullam impertiri constat remunerationem, sed nonnunquam gratuitum duntaxat donum et beneficium; ita necesse est, ut merito fiat recompensatio juxta quendam modum aequalitatis et justitiae, si non commutativae, mediante rei ad rem sive dati et accepti proportione; attamen distributivae proportione meriti et laboris personae ad praemium et mercedem, ut docet Thom. 2. 2. quaest. 61. art. 4. unde ipse Becanus part. 2. theolog. scholastic. pag. 491: *Rigor*, inquit, *justitiae requirit talem*

contractum, ut inter contrahentes nulla intercedat liberalitas et gratia; et Costerus in enchirid. controversiarum c. 7: *Meritum est actio libera, cui merces debetur ex justitia, cui innititur propter aequalitatem.*** 3. Ut sit utile atque commodum illi, cui praestatur; si enim ex opere nostro nulla accedit alteri utilitas, nunquam id pro merito agno-
VIII. 104. scet. 4. Ut sit et pretio et dignitate aequale illi, quod pro opere nostro redditur. ** 1. Ubicunque est obedientia par mercedi, ibi demum meritum est. Quia vero nulla piorum obedientia mercedi, quam Deus daturum se promisit, par est, non possunt homines dici aliquid mereri. 2. Qui aliquid meretur apud aliquem, is eum cogit, ut det, quod meritus est, nec porro habet, pro quo gratias agat. Sed nos posse Deum cogere, ut det, quod meriti sumus, est longe absurdissimum.** Si itaque inaequalitas quaedam est inter laborem et mercedem, inter opus et praemium, tunc meritum ex condigno non habet locum. Minister principis nomine distribuens eleemosynam, non meretur ea re quippiam, quia non dat de suo; qui solvit mercedem laboranti, non meretur quippiam apud eum, quia nihil dat, nisi quod debet; qui regi sitienti dat phialam aquae, si ab eo donaretur civitate, non posset dici liberalitate sua tantum donum meruisse, cum inter datum et acceptum nulla sit proportio. Jam vero opera bona 1. non sunt nostra, sed Dei per spiritum suum in nobis efficaciter agentis opera. Deus est, *qui inclinat cor nostrum ad sua testimonia* Psalm. 119, v. 36; *sanctificat nos in via sua* v. 37; *operatur in nobis velle et perficere pro suo beneplacito* Phil. 2, v. 13; *donat nobis pro Christo, ut non solum in eum credamus, sed etiam pro eo patiamur* Phil. 1, v. 29; *sine ipso nihil possumus facere* Joh. 15, v. 5; *ex nobis non sumus sufficientes cogitare aliquid, sed sufficientia nostra ex Deo est* 2. Cor. 3, v. 5. Id sancti agnoscunt, Esa. 26, v. 12: *Domine omnia opera nostra tu operatus es in nobis.* **Si in statu innocentiae homines ex dono Dei accepissent vitam corporalem, multo magis ex dono Dei aeternam se accepturos per fidem in promissionem Trinitatis confessi fuissent, inde apposite Lyra scribit super illa verba Gen. 2, v. 15. posuit eum in horto: *Per hoc ostenditur, quod Adam fuit formatus extra paradisum ad ostendendum, quod ille locus debebatur sibi non ex natura, sed ex gratia, sicut et immortalitas praedicta.* Itaque ante lapsum quoque non solum nulla fuit aequalis proportio obedientiae hominis etiamsi perfectissimae ad vitam aeternam, verum etiam et tunc vi legis omnis obedientia fuit debita et nihil habuit homo, quod non a Deo acceperat, ita ut et tunc locum habuerit illud Christi Luc. 17, v. 10: *Cum omnia feceritis* nec non illud apostoli 1. Cor. 4, v. 7: *Quid habes homo, quod non accepisti*; quae tria omne meritum proprie sic dictum penitus excludunt.** Ex eo, quod Deus in nobis ex mera gratia operatur, ex bonis, inquam, operibus, an Deus nobis obstrictus, an non multo magis nos Deo? quin potius dicamus cum propheta Hosea 13, v. 9: *Ex nobis perditio nostra, tantummodo in Deo salus nostra.* Agapetus in expositione paraen. ad Justin. imperat. tom. 1. orthodoxog. pag. 190: *Aequalia numero sideribus etsi edideris bona opera, non tamen ob id superabis Dei bonitatem, quaecunque enim quisquam obtulerit Deo, sua ipsi offeret ex suis, et sicut transsilire vel anteire nulli datur suam in sole umbram, praevenientem semper vel nimis properantem, ita insuperabilem Dei bonitatem* (ἀνυπέρβλητον ἀγαθότητα) *nullis bonis operibus homines accedent.* Augustinus lib. 2. contra duas epist. Pelagian. c. 8: *Multa facit Deus in homine bona, quae non facit homo, nulla vero facit homo, quae non facit Deus, ut faciat homo.* in Psalm. 58: *Attendens David omnia bona, quaecunque habere possumus, sive in natura, sive in instituto, sive in ipsa conversione, in fide, in spe, in caritate, in bonis moribus, in justitia, in timore Dei, totum non esse nisi ex illius donis, ita conclusit: Deus meus misericordia mea.* Bernhardus serm. 32. in Cant.: *Cum mala in corde nostro versamus, nostra cogitatio est; si bona, sermo Dei est. Itaque pacem, pietatem, justitiam Deus in nobis loquitur, nec talia nos cogitamus ex nobis, sed in nobis audimus. Ceterum homicidia, adulteria, furta, blasphemiae et his similia de corde exeunt, nec audimus ea, sed dicimus etc. Est ubi periculose, imo damnabiliter erratur, atque ibi merito nobis certa praefigitur regula, ne quod Dei est in nobis, demus nobis putantes, verbi visitationem nostram esse cogitationem* etc. *Et satis dictum esse credo,*
quid Dei, quid nostrum in corde nostro sit, nec VIII. 105
superflue, ut arbitror, sed ut sciant inimici gratiae absque gratia nec ad cogitandum bonum sufficere cor humanum, sed sufficientiam ipsius ex Deo esse, Dei vocem bonum, quod cogitatur, non cordis prolem exsistere. serm. 1. in annuntiat: *Ut taceam, quod merita omnia Dei dona sunt et ita homo magis propter ista Deo debitor est, quam Deus homini, quid sunt merita omnia ad tantam gloriam?* Dionysius Carthus. in cap. 8. Eccles.: *Mala opera pure mala sunt et nostra sunt, bona autem nec pure bona, nec nostra sunt.* Aegidius Romanus in hexaëm. lib. 2. c. 22: *Omnia opera bona sunt, opera ipsius Dei juxta illud: omnia opera nostra operatus es, Domine, Esa. 26. Nam secundum apostolum non sufficientes sumus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra a Deo est. Opera itaque nostra bona non debent appropriari nobis et non sunt propria nobis, sed magis ipsius Dei.* Bellarminus excipit lib. 5. de justif. c. 5: *Merita nostra esse quidem Dei dona, et quamvis in opere bono, quod nos Deo juvante facimus, nihil sit nostrum, quod non sit Dei, neque aliquid sit Dei, quod non sit nostrum, sed totum faciat Deus et totum faciat homo; tamen rationem, an id opus sit dignum vita aeterna, totam pendere a gratia.* Costerus in enchir. c. 7. solut. 2. object. sic procedit: *Sicut si quis vir dives cuipiam pauperi exiguo pretio insignem et amplam domum vendat eidemque*

ad solutionem donet gratis pecuniam, vere dici potest, domum donasse, cujus pretium dedit atque etiam vendidit, quia propter pretium dedit; ita Deus vitam aeternam reddit in mercedem bonorum operum, quia dat propter bona opera, et donat gratis, quia dat ipsi bona opera. Respondemus: Acceptamus, quod concedunt, bona opera esse Dei per Spiritum sanctum in nobis operantis dona, ex eo enim immota consequentia infertur, quod non possint esse merita proprie sic dicta. Quod enim additur, vitam aeternam ex gratia dari, quia opera, quae sunt merita vitae aeternae, ex gratia oriuntur; itemque vitam aeternam esse simul gratuitum donum et meritum bonorum operum, id superius discussum fuit. Certe nemo sanae mentis dixerit, eam esse venditionem proprie sic dictam, quando exiguo pretio ab ipso divite pauperi donata domus quaedam emitur, sed est donatio domus non quidem immediata, tamen mediata; ac si vel maxime detur, intercedere quandam emtionem καταχρηστικῶς sic dictam, nondum tamen evictum est, eandem esse rationem vitae aeternae, eam enim propter opera nostra nobis dari ex Scripturis demonstrari nequit. Quod Bellarminus scribit, *bonum opus totum esse Dei ac totum nostrum*, id quo sensu asserat, ex tractatu de libero arbitrio discendum. 2. Opera nostra bona jam ante multis nominibus Deo sunt debita jure creationis, conservationis, dominii, redemtionis, sanctificationis etc. Imo quicquid agimus, non est totum id, quod debemus, sed nostri erga Deum officii pars duntaxat quaedam; proinde *si vel maxime omnia, quae praecepta nobis sunt, faceremus, tamen dicendum nobis foret, quod simus servi inutiles*, Luc 17, v. 10. Ergo cum opera nostra sint jam ante Deo debita, merces non redditur illis ex debito. Si opera sunt debita, merces est indebita. Si merces est debita, opera sunt indebita. 3. Opera nostra nullam utilitatem Deo afferunt, Job. 22, v. 2: *Numquid Deo proderit vir? Sed proderit sibi ipsi intelligens?* v. 3: *numquid voluntas omnipotentis* לְשַׁדַּי, id est Dei ad omnia sibi ipsi sufficientis), *quod justificeris, et numquid utilitas ei, quod perficias vias tuas?* **Job. 35, v. 7: *Si juste egeris, quid donabis ei aut quid de manu tua accipiet?*** Psalm. 50, v. 12: *Si esuriero, non dicam tibi, quia orbis meus est et plenitudo ejus* (non indiget Deus sacrificiis populi sui; ergo nec aliis operibus nostris). Irenaeus lib. 4. c. 28. in principio: *Non nostro indigens ministerio jussit, ut eum sequeremur, sed ut nobis ipsis attribueret salutem. Sequi enim salvatorem participare est salutem et sequi lumen participare est lumen; qui autem in lumine sunt, non sibi ipsi lumen illuminant, sed illuminantur et illustrantur ab eo, ipsi quidem ei nihil praestantes, beneficium autem percipientes illuminantur a lumine.* Prosper in sent. August.: *Nihil Deus jubet, quod sibi prosit, sed illi, cui jubet, ideo verus est Dominus, quia servo non indiget, sed quo servus indiget.* Ludov. Vives in 19. August. de civ. Dei c. 23: *Nihil nos Deo damus, cum recte vivimus, neque ipse major aut beatior fit, si bene nobiscum agitur; ita non nobis debetur gratia, quod boni sumus, sed eam nos potius Deo debemus, cujus beneficio sumus boni.* 4. Nulla est aequalitas inter opera nostra et vitam aeternam, quae est bonum infinitum: *Passiones non sunt condignae* (τὰ παθήματα οὐκ ἔστιν ἄξια) *ad futuram gloriam*, Rom. 8, v. 18. Ergo nec opera sunt condigna. Excipient fortassis, *bona opera esse quidem debita, nec Deo afferre quoddam commodum, nihilo tamen minus esse meritoria, quia Deus propter opera vitam aeternam reddere promisit;* sed si vel maxime daretur, vitam aeternam propter opera reddi (quod ipsum μέγα λίαν αἴτημα), nondum tamen posset dici, bona opera esse vitae aeternae ex condigno meritoria propter defectum proprietatum, quae ad merita proprie sic dicta requiruntur. Primo homini pro sancto erga Deum obsequio et pro perseverantia in operibus bonis vitae aeternae possessio esset reddita, interim tamen si proprie et accurate loqui velimus, illa primi hominis obedientia non fuisset vitae aeternae meritoria, cum fuerit jam ante debita, cum nihil commodi ex ea Deo accesserit, cum nulla inter obedientiam temporalem et aeternam beatitudinem proportio intercedat. Quae ergo praesumptuosa audacia est, homini post lapsum, qui renovatus quidem Dei Spiritu, interim tamen ex parte adhuc carnalis est et sub peccatum venundatus, hoc adscribere, quod ne quidem in statu integritatis ipsi competeret?

103. 7. Non possumus sufficientes Deo referre gratias pro beneficiis acceptis. Ergo non possumus nova beneficia nostris operibus promereri. Ratio consequentiae est manifesta, quomodo enim ad nova beneficia obstringeretur, cui praecedentia non sunt compensata? Antecedens Scripturae et omnium piorum testimonium est verissimum. Psalm. 116, v. 12: *Quid retribuam Domino pro omnibus retributionibus ejus super me?* v. 13: *calicem salutaris accipiam et in nomine Domini invocabo* (non possum condigna reddere obsequia pro beneficiis mihi praestitis, interim tamen voluntati ejus ex grato corde me subjiciam, impositam crucem patienter feram et constanter ipsi adhaerebo). Dedit nobis Deus animam, dedit corpus, dedit omnes animae et corporis vires, quicquid ergo possumus, quicquid agimus, illud ad reddendas Deo gratias obstrictum atque obaeratum. Rom. 11, v. 35: *Quis prior ipsi* (Deo) *dedit et retribuetur illi?* v. 36: *quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia* (nihil quicquam ab homine proficisci potest, quod ad debitam retributionem Deum obliget, quia omnia sunt ab ipso). **Ezechias propter ostentatas opes terrenas reprehenditur et Deum credamus ferre posse, ut spirituales operum divitias jactitemus?**

7. Non possumus sufficientes gratias Deo reddere pro beneficiis acceptis.

104. 8. Non possumus nostris operibus promereri panem quotidianum. Ergo multo minus vitam aeternam. Antecedens patet ex oratione Dominica, in qua ex Christi institutione petimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, Matth. 6, v. 11. qui-

8. Non possumus nostris operibus promereri panem quotidianum.

bus verbis fatemur, unamquamque panis buccellam esse purum putum Dei donum precibus ab ipso emendicandum; quae ergo insania est dicere, nos operibus nostris regnum coelorum mereri, quibus ne frustulum quidem panis debetur? Cumque panis quotidiani nomine omnis generis corporalia beneficia ad hanc vitam necessaria intelligantur, ideo huc referendum est, quod patriarcha Jacobus in consideratione beneficiorum corporalium sibi a Deo abundantissime praestitorum exclamat Genes. 32, v. 10: *Minor sum cunctis miserationibus tuis et omni veritate, quam fecisti cum servo tuo Domine, quia in baculo meo transivi hunc Jordanem, et nunc habeo*
VIII. 107. *duas turmas.* Item quod regius propheta accipiens promissum de Messia praeteritis beneficiis sibi jamdum praestitis se indignum esse agnoscit. 2. Sam. 7, v. 18: *Quis ego, Domine Deus, et quae est domus mea, quia adduxisti me usque huc?* v. 19: *et parum fuit adhuc istud in oculis tuis, Domine Deus, et locutus es etiam ad domum servi tui in longinquum.* Denique quod Daniel liberationem ex captivitate orans dicit c. 9, v. 18: *Non in justificationibus nostris prosternimus preces nostras, sed in miserationibus tuis magnis.*

9. Electi non agnoscunt opera sua esse meritoria.

105. 9. Electorum de bonis suis operibus judicium est verissimum ac certissimum. At illi in novissimo die ad vitae aeternae possessionem vocati nolunt agnoscere opera sua, quasi ob ea vel in vitam aeternam intromittendi, vel gloria illius vitae aeternae coronandi sint. Matth. 25, v. 37: *Tunc respondebunt justi dicentes: quando te vidimus esurientem et pavimus? sitientem et potum tibi dedimus?* etc. Quod Christus subjicit v. 40: *Amen dico vobis, quicquid fecistis uni de fratribus meis minimis, id mihi fecistis*, nequaquam hunc habet sensum, quod bona opera piorum sint ex condigno vitae aeternae meritoria, sed quod Christus sibi ipsi praestitum esse reputabit, quicquid ex vera fide et caritate indigenti proximo praestitum, atque illud temporalibus et aeternis praemiis ex gratia remuneraturus est. Apoc. 4, v. 10: *Procidunt viginti quatuor seniores coram sedente in throno, adorant viventem in secula ac mittunt coronas suas ante thronum dicentes;* v. 11: *dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam et honorem et virtutem* etc. Agnoscunt ergo non sua dignitate, sed Dei dignatione et donatione coronam gloriae sibi obtigisse.

10. Bona opera non sunt intentione mercedis facienda.

106. 10. Si bona opera essent vitae aeternae meritoria ex condigno, fiducia cordis in ea collocari, atque intentione vitam aeternam per eam promerendi fieri possent. Consequens adversatur Scripturis, quae in solum Deum et Filium ejus Jesum Christum omnem cordis fiduciam collocare jubent ac veram caritatem non esse mercenariam testantur. Ergo et antecedens. Sed enim cum peculiaribus duobus capitibus de hoc argumento Bellarminus agat, ideo tantum attingere illud hoc loco voluimus, paulo post uberius de eo tractaturi. Accedimus igitur ad testimonia veterum, etsi enim nomen meriti in scriptis eorum saepius occurrit, tamen longe alio sensu id usurpant, quam Scholastici et scriptores Pontificii, ut suo loco manifestum fiet. Porro praeter illa veterum testimonia, quibus negant operum perfectionem et perfectam legis impletionem, contra vero nos sola fide justificari et concupiscentiam in renatis adhuc reliquam peccatum esse asserunt, peculiariter huc referenda sunt sequentia dicta. In fragmentis apostolorum editis a St. Praetorio Petro tribuitur, quod *dulcissimis lacrimis et altis suspiriis amantissimum suum Jesum prosecutus ad Nicetam quendam dixerit: Non vi, nec munere hominum, nec merito operum, sed sola Dei liberalitate salus acquiritur per fidem Jesu.* Justinus in dial. cum Tryphone p. 257. et 258: *Illud quod dixit, Deus meus es tu, ne desciscas a me, docentis est verbum, in Deo, qui omnia condidit, ab omnibus spem collocandam et apud illum solum salutem et opem quaerendam, neque opinionem eam concipiendam, propter genus, aut opes, aut potentiam, aut sapientiam salutem contingere posse* etc. *Nam si Filius Dei, neque eo, quod filius est, neque quia fortis, neque quia sapiens et praeterea neque eo, quod immunis a peccato est, absque Deo se sal-* VIII. 108.
vari posse manifeste dicit, quonam modo vos, aut alii et salutem citra spem ejusmodi exspectantes, non existimemini, vos ipsos seducere? Auctor epistolae ad Diognetum p. 386: *Cum manifestum fecissemus, non posse ex eo, quod in nobis situm, in regnum Dei ingredi, per potentiam Dei id nobis datum* ἐλεγχθέντες ἐκ τῶν ἰδίων ἔργων ἀνάξιοι ζωῆς νῦν ὑπὸ τῆς τοῦ θεοῦ χρηστότητος ἀξιωθῶμεν. Irenaeus lib. 2. c. 64. p. 164. edit. Gall.: *Propheticus spiritus de salvando homine sic ait: Vitam petiit a te, et tribuisti ei longitudinem dierum in seculum seculi, tanquam patre omnium donante et in seculum seculi perseverantiam his qui salvi fiunt. Non enim ex nobis, neque ex nostra natura vita est, sed secundum gratiam Dei datur et ideo qui servaverit datum vitae et gratias egerit ei, qui praestitit, accipiet et in seculum seculi longitudinem dierum. Qui autem abjecerit eam et ingratus exstiterit factori ob hoc, quod factus est, et non cognoverit eum, qui praestat, ipse se privat in seculum seculi perseverantia.* lib. 3. c. 22. p. 214: *Paulus infirmitatem hominis annuntians ait: scio enim, quoniam non habitat in carne mea bonum, significans quoniam non a nobis, sed a Deo est bonum salutis nostrae; et iterum: miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? deinde infert liberatorem, gratia Domini nostri Jesu Christi.* lib. 5. c. 4. p. 319: *Deus huic mortali immortalitatem circumdat et corruptibili incorruptibilitatem gratuito donat, quoniam virtus Dei in infirmitate perficitur, ut non quasi ex nobis ipsis habentes vitam inflemur aliquando et extollamur adversus Deum ingratam mentem accipientes, experimento autem dicentes, quoniam ex illius magnitudine et non ex nostra natura habemus in aeternum perseverantiam.* Origenes tr. 8. in Matth. part. 2. p. 71: *Forsan et propter eum, qui dixit: Quid boni faciam, ut habeam*

vitam aeternam, *hoc Christus respondit ad eum: Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi unus Deus*, *ut illud confirmet*, *quod alibi dicit: cum omnia feceritis*, *quae praecepta sunt vobis*, *debetis dicere*, *servi inutiles sumus*, *quod debuimus facere*, *fecimus. Nam etsi omnia fecerimus*, *quae praecepta sunt nobis*, *nec sic*, *quantum ad haec verba*, *bonum aliquid fecimus. Nec enim si vere bona essent*, *quae facimus*, *scriptum fuisset*, *ut facientes ea dicamus*, *nos esse inutiles servos*, *si proprie conveniret hominibus appellatio bonitatis* etc. (si in comparatione ad vitam aeternam bonum nostrum non est vere bonum, quanto minus erit ejusdem meritorium). l. 3. in epist. Rom. c. 3. p. 505: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini Jesu Christi* etc. *Vides apostolum gloriantem non super justitia sua*, *neque super castitate*, *neque super sapientia*, *neque super ceteris virtutibus vel actibus suis*, *sed apertissime pronuntiantem et dicentem: Qui gloriatur*, *in Domino glorietur. Et sic exclusa est judaica gloriatio*, *non per legem operum*, *sed per legem fidei*, *quae est in Christo Jesu*, *in cujus cruce gloriatur apostolus. Quis enim recte gloriabitur vel super castitate sua*, *cum scriptum legat: quia si quis adspexerit mulierem ad concupiscendam eam*, *jam moechatus est eam in corde suo? unde et propheta dicit: Quis gloriabitur*, *castum se habere cor? aut quis gloriabitur super sapientia sua*, *cum scriptum videat: quia mundus per sapientiam non cognovit Deum* etc. *Quis autem vel super justitia sua gloriabitur*, *cum audiat Deum super prophetam dicentem: quae omnis justitia vestra sicut pannus mulieris menstruatae! sola igitur justa gloriatio est in fide crucis Christi*, *quae excludit omnem illam gloriationem*, *quae descendit ex operibus legis.* l. 4. in c. 4. Rom. p. 509. exponens locum: *Ei qui operatur*, *merces non imputatur secundum gratiam*, *sed secundum debitum: Ego* (inquit) *cum considero sermonis eminentiam*, *quod dicit operanti debitum reddi*, *vix mihi suadeo*, *quod possit ullum opus esse*, *quod ex debito remunerationem Dei deposcat*, *cum etiam hoc ipsum*, *cum agere aliquid possumus vel cogitare vel proloqui*, *ipsius dono et largitione faciamus. Quod ergo erit debitum illius*, *cujus gratia nos praecessit? Et ideo videndum magis est*, *ne forte*, *quod dixit: ei autem qui operatur*, *merces secundum debitum reputatur*, *sinistri magis operis intelligendum sit debitum. Debita enim peccata dici in divinis voluminibus frequenter invenies* etc. *Unde apostolus alio in loco: Stipendia*, inquit, *peccati mors*, *et non addit*, *ut similiter diceret*, *stipendia justitiae vita aeterna*, *sed ait: gratia autem Dei vita aeterna*, *ut stipendium*, *quod utique debito et mercedi simile est*, *retributionem poenae esse doceret et mortis*, *vitam autem aeternam soli gratiae consignaret.* Cyprianus epist. 99: *Remunerat in nobis Deus*, *quod ipse praestitit*, *et honorat*, *quod ipse perfecit.* Hilarius enarr. in Ps. 51. circa fin. p. 367: *Spes in misericordia Dei in seculum et in seculum seculi est. Non enim ipsa illa justitiae opera sufficient ad perfectae beatitudinis meritum*, *nisi misericordia Dei etiam in hac justitiae voluntate humanarum demunerationum et motuum vitia non reputet. Hinc illud prophetae dictum est: melior est misericordia tua super vitam*, *quia quamvis probabilis per* justitiae *operationem vita justorum sit*, *tamen per misericordiam Dei plus meriti consequetur. Ex hac enim vita in vitam proficit aeternam et operationum justitiae voluntatem in tantum misericordia Dei muneratur*, *ut miserans aeternitatis quoque suae justum quemque tribuat esse participem. Idcirco in seculum et in seculum seculi misericordiae spes est.* (Bellarminus lib. 5. de justif. c. 6. excipit: *Hilarium hoc solum velle*, *quod bonis meritis peccata venialia*, *quae misericordia et remissione indigent*, *admisceantur.* Respondemus: bene est, ergo propter peccata illa venialia admixta non erunt merita proprie sic dicta, nec vita aeterna operibus dabitur tanquam merces ex justitiae debito, sed ex gratuito promissionis dono.) Idem in Psalm. 66. in princ. p. 424: *Secundum doctrinae ordinem primum misericordia Dei poscitur. Ex copia enim bonitatis suae misericordiam in peccatorum remissionem largitur*, *et remissio peccatorum non probitatis est meritum*, *sed spontaneae indulgentiae voluntas ex bonitatis divitiis ad miserandi munus exuberans.* (Notet hoc Bellarminus, qui praecedente capite disputat, misericordiam Dei, qua peccata venialia remittuntur, deberi bonis meritis sanctorum.) in Psalm. 129. p. 564: *Mercedem non operis*, *sed misericordiae undecimae horae operarii consequentur* etc. *Beatus quidem*, *qui a mane usque in noctem laborans pactum denarium tanquam debitum postulat*, *sed quia bonus est Dominus*, *quia misericors est*, *speremus in eum*, *ut undecimae licet horae operarii diurni laboris denarium consequamur*, *per Dominum nostrum Jesum Christum;* in Psalm. 143. super verba: *Domine*, *quid est homo*, *quia innotuisti ei? aut filius hominis*, *quod deputas eum? Confessio ista pulcherrima est*, *ut indignum se tanto munere homo arbitretur; et cum se indignum confitetur*, *gratiam ejus*, *qui sibi haec largiatur*, *extollat. Quid enim est meritum hominis*, *ut ei se cognoscibilem Deus praestet? ut cognoscibilis natura cognitioni nostrae se submittat? aut quae dignitas est filii hominis*, *ut deputetur? deputatur autem*, *quicquid de eo*, *in quo est*, *in aliud destinatur.* Can. 20. in Matth. p. 305: *Debitum erat per orbem terrarum evangelium praedicari et gentes fidei justificatione salvari. Hi igitur mittuntur ad vineam*, *et cum sero esse coepisset*, *donum constitutae in totius diei labore mercedis primi operarii hora vesperis consequuntur. Merces quidem ex dono nulla est*, *quia debetur ex opere*, *sed gratuitam Deus omnibus ex fidei justificatione donavit* etc. Macarius hom. 15. p. 212: *Signum Christianismi est*, *si vel universos thesauros regis possideat*, *eos occultare ac ubique dicere: thesaurus non est meus*, *sed alius eum apud me deposuit*, *ego enim mendicus sum*, *et quando ei placuerit*, *repetet eum a me;* p. 213: *qui ejusmodi sunt*, *quanto*

majorem adhibuerint operam proficiendi et crescendi, tanto se pauperiores reputant, tanquam egentes et nihil possidentes; hoc enim dicunt: non sum dignus, ut sol radiis suis me illuminet. homil. 37. p. 448: *Non proprium opus salvat hominem, sed qui operandi facultatem largitur; si ergo quis stigmata Domini perfert, ne existimet aliquid esse, licet quidvis fecerit, vel etiam quod summo amore atque animi conatu operi producendo incubuerit. Ne igitur existimes, te in virtute praevenisse Dominum secundum*
VIII 110. *eum, qui dicit: ipse est, qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate.* p. 206: *De munere, quod Christiani hereditario jure possessuri sunt, recte hoc quis dicere possit, si quisque ex quo creatus est Adam, usque ad consummationem mundi dimicaret contra Satanam et sustineret afflictiones, nihil magni perageret respectu gloriae, quam consecuturus est, regnabit enim in infinita secula una cum Christo.* Basilius in Psalm. 32. tom. 1. p. 254: *Is sperat in Dei misericordia, qui non propriis virtutibus aut propriae fortitudini confidit, neque ex operibus se justificari existimat, sed tantum in ejus misericordia spem collocans, illud propheticum tenet: Ecce Dominus et merces ejus parata, reddere unicuique secundum opera ejus et perpendit opera sua mala adeoque et supplicium timet et minas Dei horret. Ad hoc vero ne absorbeatur a tristitia, spe bona est ad miserationes et benevolentiam Dei respiciens* etc. in Psalm. 114. circa medium p. 299: *Manet requies sempiterna illos, qui in hac vita legitime certaverint, non tanquam debitum operibus redditum, sed ob munificentissimi Dei gratiam, in quo speraverunt exhibita.* (Bellarminus excipit: 1. in Graeco sic haberi: *οὐ κατ' ὀφείλημα τῶν ἔργων ἀποδεδομένα, ἀλλὰ κατὰ τοῦ μεγαλοδώρου θεοῦ*, ut sit sensus, *vitam aeternam dari non secundum debitum operum, sed secundum debitum Dei munificentissimi.* Respondemus: bene est, si vita aeterna non datur secundum debitum operum, quomodo opera erunt ex condigno vitae aeternae meritoria, idque non solum ratione pacti, sed etiam ratione operum, ita ut in opere bono ex gratia procedente sit quaedam proportio et aequalitas ad praemium vitae aeternae? Per debitum Dei non intelligitur debitum justitiae in aequalitate, sed debitum promissionis in bonitate fundatum. 2. *A Basilio excludi ea solum merita, quae sint homini a se.* Respondemus: hoc figmentum apertissimus textus clarissime refellit, loquitur enim de factis legitime certantium, quorum certe facta sive opera non sine gratia facta sunt. 3. *Praedicari illa merita, quae sunt ex gratia, cum requies aeterna manere dicatur legitime certantes.* Respondemus: continent haec verba descriptionem subjecti, quibus scilicet detur vita aeterna, non autem causae meritoriae, propter quam detur.) Elias Cretensis in Nazianz. orat. de elect. Eulal.: *Debemus per misericordiam mercedem illam intelligere, quam Deus nobis rependit. Nos enim tanquam servi virtutem debemus, ut optima quaeque et Deo grata tanquam debitum quoddam exsolvamus et offeramus, quippe cum nihil habeamus, quod non ab ipso acceperimus, Deus autem velut Dominus et herus noster miseretur nobisque potius donat quam rependit.* Ambrosius lib. 9. epistolar. epist. 71. ad Irenaeum circa fin. tom. 3. p. 180: *Ex praescripto legis omnes convincuntur et ex operibus legis nemo justificatur, id est quia per legem peccatum cognoscitur, sed culpa non relaxatur, videbatur lex nocuisse, quae omnes fecerat peccatores, sed veniens Dominus Jesus peccatum omnibus, quod nemo poterat evitare, donavit et chirographum nostrum sui sanguinis effusione delevit* etc. *Ideo nemo glorietur in operibus, quia nemo factis suis justificatur, sed qui justus est, donatum habet, quia per lavacrum justificatus est. Fides ergo est, quae liberat per sanguinem Christi, quia beatus ille, cui peccatum remittitur et venia donatur.* (Si operibus legis nemo justificatur, multo minus coelum promerebitur; ostendimus autem suo loco, per opera legis in universum omnia opera intelligenda esse, quibus in universum omnibus justificationem hoc loco detrahi ex oppositione fidei et operum, uti etiam ex definitione justificationis per remissionem peccatorum manifestum est.) lib. 1. de Jacob. et vita beata c. 6. in principio tom. 4. p. 290: *Sed et illud mihi prodest, quod non justificamur ex operibus legis. Non habeo igitur, unde gloriari ex operibus meis possim, non habeo, unde me jactem, et ideo gloriabor in Christo. Non gloriabor, quia justus sum, sed gloriabor, quia redemtus sum. Gloriabor, non quia vacuus peccati sum, sed quia remissa mihi sunt peccata. Non gloriabor, quia profui, neque quia profuit mihi quisquam, sed quia pro me advocatus apud Patrem Christus est, sed quia pro me sanguis Christi effusus est.* lib.
de bono mortis c. 2. de Davide verba faciens ait: VIII. 11
Quod tanquam peregrinus ad illam sanctorum communem omnium patriam festinabat petens, pro hujus commorationis inquinamento remitti sibi peccata, priusquam discederet vita. Qui enim hic non accepit remissionem peccatorum, illic non erit; non erit autem, quia ad vitam aeternam non potuerit pervenire, quia vita aeterna remissio peccatorum est. (Si David per remissionem peccatorum consecutus est vitam aeternam, utique non per merita operum suorum.) Hieronymus lib. 1. adv. Pelag.: *In Deuteronomio perspicue demonstratur, non in operibus nostris atque justitia, sed Dei misericordia nos conservari, dicente Domino per Moysen: ne dicas in corde tuo, cum subverterit eos Dominus Deus a facie tua, in justitia mea introduxit me Dominus, ut possideam terram hanc* etc. in c. 5. Rom.: *Nemo suo merito, sed omnes aequaliter Dei gratia sunt salvati.* in epist. ad Philem.: *Gratia est, qua nullo merito aut opere servamini.* Epist. 8: *Ubi gratia, non operum retributio, sed donantis est largitas.* Augustinus lib. de gratia et libero arbitrio c. 9. in Psalm. 70. conc. 2. serm. 15. de verbis apost. atque alibi passim *merita* excludit. Bellarminus excipit, *ea solum merita ab Augustino*

excludi, quae sint in nobis, ex nobis, id est sine Dei gratia, cum alibi merita commendet. Respondemus: Quamvis Augustinus, ut et alii ex veteribus, bona opera renatorum καταχρηστικῶς appellet merita, quibus Deus vitam aeternam ex gratia reddat, nequaquam tamen hoc vult, quod bona renatorum opera sint merita vere et proprie sic dicta ex condigno et ex justitiae debito vitae aeternae meritoria, id quod ex locis compluribus manifeste patet, illis puta, in quibus nos gratis salvari pronuntiat, justitiam nostram imperfectionis arguit, in solo Christo justitiam et salutem quaerere docet etc. lib. 1. ad Bonifacium c. 21: *Quantalibet virtute praeditos antiquos praedices, non eos salvos fecit, nisi fides salvatoris, qui in remissionem peccatorum sanguinem suum fudit.* lib. 2. adv. duas epist. Pelagian. c. 5: *Omnium piorum sub hoc onere corruptibilis carnis et istius infirmae vitae gementium una spes est, quod advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum et pium, et ipse est exoratio peccatorum nostrorum.* lib. 5. de civ. Dei c. 18. ostendit, *non esse magnum, quod pro dilectione aeternae patriae Christiani faciunt, cum tanta gesserint Romani pro humana gloria et civitate terrena.* ** Idem libr. de gratia Christi contra Pelag. lib. 2. qui est de peccato orig. c. 24: *Et ipsorum enim* (piorum in V. T.) *corda eadem mundabantur mediatoris fide et diffundebatur in eis caritas per Spiritum sanctum, qui ubi vult, spirat, non merita sequens, sed etiam ipsa merita faciens. Non enim Dei gratia gratia erit ullo modo, nisi gratuita fuerit omni modo.* (Nomine *meritorum* non intelligit meritum proprie dictum ad meritum ex gratia, id est mercedem gratiae sive indebitam, ut apparet ex annexa ratione.) ** in Psalm. 43: *Si merita nostra aliquid facerent, ad damnationem nostram venirent, ergo quia bonus est Deus, non quia meruimus, gratis salvi facti sumus.* in Psalm. 62: *Deus unus vitam promittit et non illam dat nobis quasi propter merita nostra, sed propter misericordiam suam.* in Psalm. 109. (non longe a principio: *Fidelis Deus, qui se nostrum debitorem fecit, non aliquid a nobis accipiendo, sed tanta nobis promittendo* etc. *Promisit Deus hominibus divinitatem, mortalibus immortalitatem, peccatoribus justificationem, abjectis glorificationem. Quicquid promisit, indignis promisit, ut non quasi operibus merces promitteretur, sed gratia a nomine suo gratis daretur, quia et hoc ipsum, quod juste vivit, in quantum homo potest juste vivere, non meriti humani, sed beneficii est divini* etc. in Psalm. 139. circa finem: *Justi confitebuntur nomini tuo; meritis suis nihil tribuunt, non tribuent totum nisi misericordiae tuae.* serm. 3. de verb. Dom.: *O magna bonitas Dei, cui cum pro conditione debeamus reddere obsequia, ut servi domino, famuli Deo, subjecti potenti, mancipia redemtori, amicitiarum nobis praemia repromittit.* serm. 2. de verbis apost. circa finem: *Post redemtionem ab omni corruptione quid restat nisi corona justitiae? ipsa certe restat, sed etiam in ipsa vel sub ipsa non sit caput turgidum, ut recipiat coronam. Audi, attende psalmum, quam nolit corona illa turgidum caput. Cum dixisset, qui redimet de corruptione vitam tuam, qui coronat te, inquit: Jam hic dicturus eras, coronat te, merita mea fatentur, virtus mea fecit hoc, debitum redditur, non donatur. Audi potius psalmum, audi, Deus quid dicat: qui coronat te in miseratione et misericordia. De misericordia te coronat, de miseratione te coronat. Non enim dignus fuisti, quem vocaret, et vocatum justificaret et justificatum glorificaret. Reliquae per electionem gratiae salvae factae sunt. Si autem gratia, non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia. Nam ei qui operatur, merces non imputabitur secundum gratiam, sed secundum debitum. Apostolus loquitur non secundum gratiam, sed secundum debitum. Te autem coronat in misericordia et miseratione, et si tua merita praecesserunt, dicit tibi Deus: discute bona merita tua et videbis, quia dona sunt mea.* serm. 15. de verb. apost.: *Si gratia ex merito, emisti, non gratis accepisti. Pro nihilo inquit, salvos facies eos, quid est, pro nihilo salvos facies? nihil in eis invenis, unde salvas et tamen salvas. Gratis das, gratis salvas, omnia merita praecedis, ut dona tua consequantur merita tua. Prorsus gratis das, gratis salvas, qui nihil invenis, unde salves, et multum invenis, unde damnes.* In manual. c. 22: *Tota spes mea est in morte Domini mei. Mors ejus meritum meum, refugium meum, salus, vita et resurrectio mea, meritum meum miseratio Domini, non sum meriti inops, quamdiu ille miserationum Dominus non defuerit, et si misericordiae Domini multae, multus ego sum in meritis!* ** Petrus Chrysologus serm. 43. 83. et 116: *Salutem, veniam et vitam nos per solam speramus gratiam.* serm. 114: *Christus quicquid suarum virtutum est, refert ad gloriam Patris, et homo, cujus suum nihil est, sibi vendicare, quod per Christum resurrexit, elaborat.* ** Chrysostomus in c. 1. Rom. hom. 2: *Non sudoribus et laboribus illam* (vitam aeternam) *comparabis, sed ex divino gratiae dono, quod ex supernis est, gratis ut accipias oportet, unum hoc solum de tuo afferens, ut credas.* in c. 4. Rom.: *Quod aliquis destitutus operibus justificetur per fidem, fortasse videri potest bene haberi, quod autem ornatus aliquis virtutibus et bonis operibus, non tamen illis justificetur, sed sola fide, hoc certe est admirabile.* Eusebius Emisenus hom. 3. ad monachos: *Totis licet animae et corporis laboribus desudemus, totis licet obedientiae viribus exerceamur, nihil tamen condignum merito pro coelestibus bonis compensare et offerre valeamus.* Prosper lib. 1. de vocat. gentium cap. 5. tom. 2. oper. Ambr. p. 13: *Vilesceret redemtio sanguinis Christi nec misericordiae Dei humanorum operum praerogativa succumberet, si justificatio, quae fit per gratiam, meritis praecedentibus deberetur, ut non munus largientis, sed merces esset operantis.* (Ne existimes, tantummodo meritum de congruo, non autem meritum de condigno excludi, attende illis quae sequuntur.) *Deus*

multimodae vocationis veritatem ad unam gratiam pertinentem etiam illa regula evangelicae comparationis adstruxit, qua ostendit, patremfamilias diverso tempore conducentem operarios vineae sub pactione denarii, quo vitae aeternae significatur aequalitas, ubi sine dubio hora undecima intromissi in vineam, totius diei operariis exaequati, istorum praeferunt sortem, quos ad commendandam gratiae excellentiam in defectu diei et conclusione vitae divina indulgentia numeravit, non labori pretium solvens, sed divitias bonitatis suae in eos, quos sine operibus eligit, effundens, ut etiam ii, qui in multo labore sudarunt, nec amplius quam novissimi acceperunt, intelligant, donum se gratiae, non operum accepisse mercedem etc. (Bellarminus excipit, *excludi merita, quae sunt nobis a nobis, non autem*
VIII. 113. *merita, quae sunt nobis a gratia Dei;* at de laborantibus in vinea Domini diserte agitur, quos negat Prosper operum mercedem accipere, cum denarius vitae aeternae omnibus credentibus et in vinea laborantibus ex aequo detur, sive parum sive multum laboraverint.) lib. 2. c. 8: *Manifestum est, eos, qui salvi fiunt, non merito, sed gratia liberari.* Idem in carm.:

Coelestem ad patriam tendens cognosce vocantem,
Cujus proveheris, si bene curris, ope.
Nam si tu virtute tua ad coelestia credis
Scandere, de superis pulsus ad ima cades.

Fulgentius lib. ad Monim. p. 21: *Ex gratia datur non solum justificatis vita bona, sed etiam glorificatis vita aeterna. Cur autem mors stipendium, vita aeterna vero gratia dicitur, nisi quia illa redditur, haec donatur?* p. 24: *gratia est et illa justa retributio, qua bonis suis meliora retribuens Deus glorificaturus est justos. Et hic enim gratia opus erit, quia ut hoc mereantur, ipse praeveniendo misericorditer incipit, ipse subsequendo custodit.* Ibidem: *Gratia etiam ipsa* (vita aeterna) *non injuste dicitur, quia non solum donis suis Deus dona sua reddit, sed quia tantum etiam ibi gratia divinae retributionis exuberat, ut incomparabiliter atque ineffabiliter omne meritum quantumvis bonae et ex Deo datae humanae voluntatis atque operationis excedat.* Gregorius lib. 9. moral. c. 14: *Si opus virtutis exercuero, ad vitam non ex meritis, sed ex venia convalesco.* (Repetit Bellarminus, *intelligendum hoc esse de meritis, quae propriis viribus acquisita sunt;* atqui de renato Gregorius loquitur ac negat, se in medio licet cursu bonorum operum constitutum ex meritis ad vitam convalescere; indigere autem venia, perinde ut apostolus Abrahamum etiam renatum operibus justificatum esse negat, quin potius remissione peccatorum indiguisse.) hom. 7. in Ezech.: *Justus advocatus noster justos nos defendet in judicio, quia et nos ipsos cognoscimus et accusamus injustos; non ergo in fletibus nostris, non in actibus nostris, sed in advocati nostri allegatione confidamus.* Beda in Psalm. 23: *Accipiet benedictionem, id est multiplicationem a Domino, hanc scilicet, ut in praesenti bene promereatur et in futuro bene remuneretur, et hoc non ex meritis, sed ex sola gratia.* in Psalm. 31: *Instruit* (psalmista), *ut nemo vel libertatem arbitrii, vel merita sua sufficere sibi ad beatitudinem credat, sed sola Dei gratia se salvari posse intelligat.* in Psalm. 77: *Tantum sperent in justitia Dei, quia per justitiam factorum nullus salvabitur, sed per solam justitiam fidei.* Haymo in Psalm. 131: *Nullus de meritis suis praesumat, sed omnem salvationem ex Christi meritis exspectet.* in c. 6. Mich.: *Nos agentes poenitentiam sciamus, nihil nos dignum dare posse ad placandum Deum, sed solummodo in sanguine immaculati et singularis agni nos posse salvari.* in c. 20. Matth.: *Vita aeterna nulli per debitum redditur, sed per gratuitam misericordiam.* Carolus Magnus lib. 1. de imaginibus c. 15: *Propitiatorium superponitur, quia scilicet legalibus sive evangelicis praeceptis, quae in eo fundata sunt, supereminet misericordia ejusdem mediatoris, per quam non ex operibus legis, quae fecimus nos, neque volentes neque currentes, sed ejus miseratione salvamur.* Anselmus in lib. de mensur. crucis lit. B: *Si homo mille annis serviret Deo etiam ferventissime, non meretur ex condigno dimidium diem esse in regno coelorum.* in libro meditat.: *Domine, me, cui propria merita letabilem minantur sententiam, pretiosae ad dextram tuam sedentis prolis interpellatione restaura placatus ad vitam. Quem alium enim dirigam pro me intercessorem tibi nescio nisi hunc, qui est pro peccatis nostris propitiatio, qui sedet ad dextram tuam* etc. in lib. de miseria hominis: *Terret me vita mea, namque diligenter discussa apparet mihi aut peccatum, aut sterilitas tota, et si quis fructus in ea videtur, sic est aut simulatum, aut imperfectum, aut aliquo modo corruptum, ut possit aut non placere, aut displicere Deo. Certe tota aut in peccato et damnabilis, aut infructuosa et contemtibilis. Sed quid separo infructuosum a damnabili, utique si est infructuosa, damnabilis est, omnis enim arbor, quae non facit fructum bonum, excindetur et in ignem mittetur; taedet ani-* VIII. 11
mam meam vitae meae, vivere erubesco, mori pertimesco etc. *O lignum aridum et inutile aeternis ignibus dignum, quid respondebis in illa die, cum exigetur a te usque ad ictum oculi omne tempus vivendi tibi impensum, qualiter fuerit expensum? O angustiae, hinc erunt peccata accusantia, inde terrens justitia* etc. Vide ibidem reliqua dulcissimis sententiis reperta. Rupertus in Soph. lib. 2. c. 3: *Magniloqui veraciter dicuntur et sunt, qui semet ipsis tanquam justis confidunt et de operibus legis praesumunt; ita pauperes et egeni recte dicuntur et sunt, qui se peccatores esse cognoscunt et non nisi per fidem Jesu Christi justificari se sentiunt.* Idem in Johannem lib. 1. c. 1: *Accepimus gratiam pro gratia, scilicet gratiam aeternae salutis pro gratia fidei praesentis, ad quam nos gratis, id est nullis praecedentibus meritis, per praedicatores suos ipse vocavit et gratuita peccatorum remissione justificavit.* Ibidem: *Per gratiam solam ad regnum coelorum ducimur, quod nullis operum*

nostrorum meritis comparare possumus. Honorius Augustod. in Psalm. 5: *Fideles sunt misericordia tua, id est non eorum merito, sed tua gratia salvati.* in dial. de praedest. et lib. arbit.: *Regnum coelorum non secundum merita, sed secundum gratiam datur. Quid enim meretur, nisi malum vel pro merito exspectat quis a Deo praemium?* Bernhardus serm. 1. de annunt. col. 106: *Non talia sunt hominum merita, ut propter ea vita aeterna debeatur ex jure, aut Deus injuriam alicui faceret, nisi eam donaret. Nam ut taceam, quod merita omnia Dei dona sunt et ita homo magis propter ista Deo debitor est, quam Deus homini, quid sunt merita omnia ad tantam gloriam?* serm. 15. in Psalm. Qui habitat: *Totum hominis meritum est, si totam spem suam ponat in eo, qui totum hominem salvum facit.* serm. 61. in Cant.: *Meritum meum miseratio Domini.* lib. 1. ipsius vitae c. 13: *Fateor, non sum dignus ego, nec propriis meritis possum regnum obtinere coelorum; ceterum Dominus meus duplici jure illud possidet, hereditate Patris et merito passionis, altero ipse contentus, alterum mihi donat.* (Excipit Bellarminus, Bernhardum hoc tantum velle *1. quod vita aeterna non debeatur meritis ex jure absolute, quia merita praesupponunt et gratiam et promissionem, praesupposita autem gratia et promissione deberi ex jure; 2. quod merita nostra non sint ex nobis, sed ex Dei misericordia; 3. quod fortassis tum ex humilitate, quae propria merita ignorat, tum ex incertitudine propriae gratiae prudenter non confisus fuerit in meritis suis, sed in sola misericordia Domini.* At haec omnia nondum satisfaciunt Bernhardi dictis; allegat sane hanc unam causam, quod meritis non debeatur vita aeterna ex jure, quia scilicet ipsa merita nascuntur ex gratia; sed praeterea etiam hanc allegat, quod meritorum ad gloriam vitae aeternae nulla sit proportio. Loquitur etiam de se renato, proinde non de operibus ex solis liberi arbitrii viribus, sed ex gratia factis intelligenda ipsius dicta. Loquitur ex vera humilitate merita ignorante, sed non solum ex humilitate, sed etiam ex veritate; nec de misericordia Dei in Christo nobis proposita dubitat, sed abjecta omni in merita propria et dignitatem suam fiducia in unico Christi merito fide firma acquiescit, id quod ex aliis locis est clarissimum.) serm. 1. in annunt. col. 106: *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae, non quidem tale testimonium, quale superbus ille Pharisaeus habebat, qui seducta et seductrice cogitatione testimonium de se ipso perhibebat, et testimonium ejus non erat verum, sed cum spiritus ipse testimonium perhibet spiritui nostro. Porro hoc testimonium in tribus consistere credo: necesse est enim primo omnium credere, quod remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei; deinde quod nihil prorsus habere queas operis boni, nisi et hoc dederit ipse; postremo quod aeternam vitam nullis potes operibus promereri, nisi gratis detur et illa. Quis enim potest facere mundum de immundo conceptum semine* etc. *de vita aeterna scimus, quod non sint condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, nec si unus omnes sustineat.* serm. de nativit. Mariae col. 213: *Quaeramus gratiam, sed gratiam apud Deum* etc. *quaerant alii meritum, nos invenire gratiam studeamus. Consulite con-* VIII. 115.
scientias vestras et videte, ubi abundavit delictum, superabundat et gratia. Maria non praetendit meritum, sed gratiam quaerit. in festo omnium sanctorum serm. 1. col. 224: *Quid potest esse omnis nostra justitia coram Deo? nonne juxta prophetam velut pannus menstruatae reputabitur? et si districte judicetur, injusta invenietur omnis justitia nostra et minus habens. Quid ergo de peccatis erit, quando ne ipsa quidem pro se poterit respondere justitia? Propterea obnixe cum propheta clamantes: Non intres in judicium cum servo tuo, Domine! tota humilitate ad misericordiam recurramus, quae sola potest salvare animas nostras.* in Psalm. Qui habitat serm. 9. col. 303: *Tu, Domine, es spes mea, haec una mihi omnium promissionum causa, haec tota ratio meae exspectationis. Praetendat alter meritum, sustinere se jactet pondus diei et aestus, jejunare bis in sabbatho dicat, postremo non esse sicut ceteros homines glorietur; mihi autem adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Sperent in aliis alii* etc. *propter te omnia detrimenta feci et ut stercora arbitror, quoniam tu, Domine, es spes mea* etc. *plane non derelinquit sperantes in se, adjuvabit eos et eruet a peccatoribus et salvabit eos; quare? quibus meritis? audi quod sequitur: quia speraverunt in eo, dulcis causa, attamen efficax, attamen irrefragabilis, nimirum haec est justitia, sed quae ex fide est, non quae ex lege.* serm. 10. col. 305: *Dicit fides: parata sunt magna et inexcogitabilia bona a Deo fidelibus suis; dicit spes: mihi illa servantur, nam tertia quidem caritas, curro, ait, ad illa.* serm. 15. col. 321: *Hoc totum hominis meritum, si totam spem suam ponat in eo, qui totum hominem salvum facit.* serm. 14. in Cant. col. 528: *Exaggera quantumvis merita et extolle sudores, melior est misericordia Domini super vitas. Fateor, non sustinui pondus diei et aestus, sed jugum suave et onus leve pro beneplacito patrisfamilias porto. Opus meum vix unius est horae et si plus, prae amore non sentio. Judaeus proprias exercitet vires, mihi probare licet, quae sit voluntas Domini bona et beneplacens et perfecta, ex ea sane operis ac temporis damna mihi resarcio; ille pacto conventionis, ego placito voluntatis inito credo* etc. serm. 22. in Cant. col. 555: *Passio tua, Domine, ultimum refugium, singulare remedium, deficiente sapientia, justitia non sufficiente, sanctitatis succumbentibus meritis illa succurrit. Quis enim de sua vel sapientia, vel justitia, vel sanctitate praesumat sufficientiam ad salutem* etc. *nisi interpellet sanguis tuus pro me, salvus non sum.* serm. 61. in Cant. col. 675: *Non pertinebat ad eum* (Cainum) *de Christi merito ut suum praesumeret, suum diceret, quod illius esset, tanquam*

rem capitis membrum; ego vero fidenter quod ex me mihi deest, usurpo ex visceribus Domini etc. *Meum proinde meritum miseratio Domini. Non plane sum meriti inops, quamdiu ille miserationum non fuerit. Quodsi misericordiae Domini multae, multus nihilominus ego sum in meritis* etc. *Et si misericordiae Domini ab aeterno et usque in aeternum, ego quoque misericordias Domini in aeternum cantabo. Numquid justitias meas? Domine, memorabor justitiae tuae solius; ipsa enim et mea.* serm. 67. in Cant. col. 696: *Ego dilecto meo et dilectus meus mihi. Cur ita? nempe ut tunc magis gratia plena se probet, cum totum gratiae dederit et primas scilicet illi partes adscribens et ultimas, alioquin quomodo gratia plena, si quid habuerit, quod non sit ex gratia? non est, quo gratia intret, ubi jam meritum occupavit. Ergo jam plena confessio gratiae ipsius gratiae plenitudinem significat in anima confitentis; deest gratiae, quicquid meritis deputas, nolo meritum, quod gratiam excludat* etc. *gratia reddit me mihi justificatum gratis et sic liberatum a servitute peccati.* serm. 68. in Cant. col. 698: *Nam et de meritis quid sollicita sit* (ecclesia), *cui de proposito DEI firmior suppetit securiorque gloriandi ratio* etc. *sic non est quod jam quaeras, quibus meritis speremus bona, praesertim cum audias apud prophetam, non propter vos, sed propter me ego faciam, dicit DOMINUS. Sufficit ad meritum scire, quod non sufficiant merita. Sed ut ad meritum satis de meritis non prae-*
VIII. 116. *sumere, sic carere meritis* (operibus bonis) *satis ad judicium est. Porro infantium renatorum neminem carere meritis, sed CHRISTI habere merita, quibus se tamen indignos reddunt, si sua jungere non nequiverint, sed neglexerint, quod quidem periculum jam adultae aetatis est.* serm. 73. in Cant.: *Audi sanctum et electum, quid dicat Deo: tu, inquit, remisisti impietatem peccati mei, pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Opus igitur habent et sancti pro peccatis exorare, ut de misericordia salvi fiant propriae justitiae non fidentes.* serm. 4. de verbis Esaiae: *Vidi Dominum. Initium meum solius gratiae est* etc. *porro consummatio quidem et ipsa solius gratiae est, nec est mihi in hac parte vel cum ea, sive in ea gloriari, quasi coadjutor videar aut cooperator.* Tractatus de grat. et lib. arbit. col 1053. in princ.: *Loquente me coram aliquando et Dei in me gratiam commendante, quod scilicet ab ipsa me in bono et praeventum agnoscerem, provehi sentirem et sperarem perficiendum. Quid tu ergo (ait unus ex circumstantibus) operaris, aut quid mercedis speras vel praemii, si totum facit Deus? quid enim, inquam, tu consulis? da gloriam Deo, qui gratis te praevenit, excitavit, initiavit, et vive digne de cetero, quo te probes et perceptis beneficiis non ingratum et percipiendis idoneum. Et ego, Bonum, inquam, das consilium, sed etsi dederis, posse teneri* etc. *ubi ergo, ait, sunt merita nostra, aut ubi est spes nostra? audi, inquam, non ex operibus justitiae, quas fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit* etc. *Quid igitur, ait, agit liberum arbitrium? breviter respondeo: Salvatur. Tolle liberum arbitrium, non erit quod salvetur; tolle gratiam, non erit, unde salvetur. Opus hoc sine duobus effici non potest, uno a quo fit, altero cui vel in quo fit* etc. sub finem hujus tract. col. 1069: *Si proprie appellentur ea, quas dicimus nostra merita, spei quaedam sunt seminaria, caritatis incentiva, occultae praedestinationis indicia, futurae felicitatis praesagia, via regni, non causa regnandi. Denique quos justificavit, non quos justos invenit, hos et magnificavit.* Remigius in Psalm. 10: *Tota fides mea est in Christo, per illum solum credo me justificari et salvari, ille est mihi mons, ille refugium.* in Psalm. 27: *Revera isti soli beati, isti salvi, qui per gratiam et non ex meritis.* Radulphus in Levit. lib. 1. c. 1: *Vix bonum opus compleri potest sine peccati alicujus admixtione, metuendum itaque est, ne dum completae devotionis remuneratio exspectatur, a nobis etiam reatus admixti poenae exigatur.* ** Brigitta lib. 6. c. 69: *Non in bonis operibus nostris debemus confidere, quae quantumcunque magna sunt, quasi nulla reputare debemus, licet necessaria sint, sed cum humilitate sperare debemus in sola misericordia Dei.* lib. 4. c. 20: *Sunt quidam, qui meritis suis obtinere credunt coelum, quibus Deus parcit a diaboli tentationibus ex occulta dispensatione sua. Alii sunt, qui operibus suis satisfacere DEO putant pro excessibus suis, quorum omnium error omnino damnabilis est, quia etiamsi quilibet homo centies corpus suum occideret, non posset DEO unum pro mille respondere.* lib. 1. c. 53. queritur Christus: *Sic homines per superbiam suam volunt adscendere in coelum et non confidunt in me, sed in se, facientes voluntatem suam et meam relinquentes.* Theologia Germanica c. 42: *Magna est stultitia, quod homo aut creatura opinatur, se scire vel posse ipsam, et praesertim si opinatur, se scire aut posse aliquid bonum, quo plurimum mereri aut impetrare valeat apud Deum, Deo fit hac ratione contumelia juxta eum, qui haec recte intelligit.* Lyranus in exposit. Tit. 3, v. 5: *Salus aeterna excedit totaliter facultatem humanae naturae, propter quod non potest eam attingere, nisi ex largitate divinae misericordiae.* Honorius Augustodunensis presbyter in Psalm. 5: *Fideles sunt misericordia tua, id est non suo merito, sed tua salvati gratia.* Dial. de praedest. et lib. arbit.: *Regnum coelorum non secundum merita, sed secundum gratiam datur. Quid enim meretur homo nisi malum? vel pro quo merito exspectat quis a Deo praemium?* Lyranus in c. 10. Joh.: *Gloria coelestis non proprie dicitur merces, sed tantummodo large, in quantum omne, quod redditur in praemium laboris, dicitur merces. Ratio autem hujus est, quia hereditas distinguitur a mercede proprie dicta, sicut filius, cui debetur hereditas, distinguitur ab operario conductitio, cui debetur merces; gloria autem coelestis redditur fide-*

*libus, sicut hereditas liberis, propter quod non habet rationem mercedis.***

VIII. 117. Scholasticorum et Pontificiorum quorundam sensus.

107. Quid quod ipsi Scholastici et pontificii scriptores alicubi satis modeste loquuntur, quodque in ipsis papatus tenebris lux coelestis hujus veritatis quibusdam, praesertim in agone mortis constitutis, affulserit. Thomas in c. 3. Gal.: *Quicunque ex operibus legis sunt, maledictioni obnoxii sunt, esse in operibus legis est, in eis confidere et spem ponere.* in c. 2. Ephes. in haec verba: *Gratia salvati estis, non ex operibus scilicet praecedentibus hoc donum meruimus aliquando, quod salvati sumus, quoniam hoc ex gratia, secundum illud: si gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia; subdit autem rationem, quare Deus salvet homines per fidem absque meritis praecedentibus: ut ne quis glorietur in se ipso, sed tota gloria in Deum referatur.* lect. 1. in c. 3. Tit.: *Cum dicit non ex operibus, ponit rationem salvandi et primo excluditur ratio praesumta, secundo ostenditur ratio vera. Ratio praesumpta est, quod propter merita nostra sumus salvati, quod excludit, cum dicit: non ex operibus justitiae, quae fecimus nos.* Deuter. 9: *Non propter justitias tuas et aequitates cordis tui ingredieris, ut possideas terram, sed vera ratio est misericordia Dei.* Durandus de S. Portiano lib. 2. sent. dist. 28. qu. 2: *Patet, quod reddere praemium pro merito non pertinet ad justitiam distributivam, sed commutativam, quae respicit aequalitatem quantitatis, quae nullo modo est inter opus nostrum quantumcunque gratia informatum et gloriam, propter quod nondum apparet, qualiter possimus gloriam mereri de condigno.* Item: *Tale meritum de condigno invenitur inter homines, sed non hominis ad Deum. Nullus potest reddere Deo aequivalens, dicente philosopho 8. Ethic. Et sentire seu dicere oppositum est temerarium et blasphemum, propter quod si decedenti in gratia Deus non redderet gloriam, nihil injustum faceret, et si habenti gloriam auferret eam, non esset injustus; quin imo si quis conquereretur de hoc, possit ei dicere Deus illud evangelium: an non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? et ille, qui hoc pateretur, deberet dicere illud Jobi: Dominus dedit, Dominus abstulit, quia cum omne bonum sit ex gratuito Dei dono, ex hoc, quod dat Deus quaedam, non obligatur ad dandum alia.* In canone missae sub finem ita orat sacerdos: *Intra quorum* (sanctorum) *consortium non aestimator meriti, sed veniae largitor nos admitte per Christum* etc. in quae verba sic commentatur Jodoc. Clichteveus Lutet.: *Quid meriti apud Deum poterimus obtendere, cui debemus omnia? cum feceritis, inquit, omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus. Quid nobis de bonis operibus poterimus applaudere, cum universae nostrae justitiae sint quasi pannus menstruatae ante Dominum? Nulla igitur sunt nostra in Deum merita, cui debita sunt omnia, quae praestamus, cum non ex nobis, sed sua sola bonitate, si qua bona sunt opera nostra, accepta sunt et grata, a quo ut praecipuo auctore profecta sunt.* Casp. Ulenbergius in lib. de causis apostasiae Colon. 1589. edito, causa 14: *Invenio librum quendam in sacrario parochiali ecclesiae nostrae* (Coloniensis) *scriptum anno salutis 1475, quo semper ab eo tempore in visitandis et ad mortem praeparandis usi sumus; in eo quaestiones aliquot reperiuntur in linguam Germanicam conversae etc. morituris proponendae. Postrema inter eas haec est. Credis, te non posse salvari, nisi per mortem Christi? Respondet infirmus, etiam tum illi dicitur: Age ergo dum superest in te anima, in hac sola morte fiduciam tuam constitue, in nulla alia re fiduciam habe, huic morti te totum committe, hac sola te totum contege, totum immisce te in hac morte, in hac morte totum te involve. Et si Dominus Deus tuus voluerit te judicare, dic: Domine, mortem Domini nostri Jesu Christi objicio inter me et tuum judicium* etc. *si dixerit tibi, quod meruisti damnationem, dic: Domine, mortem Domini nostri Jesu Christi obtendo inter me et mala merita mea ipsiusque meritum offero pro merito, quod ego debuissem habere, nec habeo* etc. Gerson in hortulo animae recenset hanc precationem morituris recitandam: *Deus meus, piissime Pater, miserere mei* etc. *Domine, paradisum* VIII. 118.
tuum postulo non ob valorem meorum meritorum, sed in virtute et efficacia benedictissimae tuae passionis, per quam me miserum redimere voluisti et mihi paradisum pretio tui sanguinis emere dignatus es. In officio defunctorum pro agonizantibus talis habetur precandi formula: *Domine, quando veneris judicare terram, ubi me abscondam a vultu irae tuae? quia peccavi nimis in vita mea. Commissa mea pavesco et ante te erubesco; dum veneris judicare, noli me condemnare, sed secundum magnam misericordiam tuam miserere mei, Deus.* In monasterio Francisci apud Marituanos exstat sequens monumentum referente Nath. Chytraeo in hodoepor.: *Quaeso anima fidelis, Ah quid respondere velis, Christo venturo de coelis, Cum a te poscet rationem, Ob boni omissionem Et mali commissionem. Dies illa, dies irae, Quam conemur praevenire obviamque Deo ire, seria contritione, Gratiae apprehensione, vitae emendatione.*

Dies irae, dies illa,
Solvet saeclum in favilla,
Teste David cum Sibylla.

Quantus tremor est futurus,
Quando judex est venturus,
Cuncta stricte discussurus.

Tuba mirum spargens sonum
Per sepulchra regionum,
Coget omnes ante thronum.

Mors stupebit et natura,
Cum resurget creatura
Judicanti responsura.

Liber scriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Unde mundus judicetur.

Judex ergo cum sedebit,
Quicquid latet apparebit,
Nil inultum remanebit.
Quid sum miser tum dicturus,
Quem patronum rogaturus,
Cum vix justus sit securus?
Rex tremendae majestatis,
Qui salvandos salvas gratis,
Salva me, fons pietatis.
Recordare, Jesu pie,
Quod sum causa tuae viae,
Ne me perdas illa die.
Quaerens me sedisti lassus,
Redemisti crucem passus,
Tantus labor ne sit cassus.
Juste judex ultionis,
Donum fac remissionis,
Ante diem rationis.
Ingemisco tanquam reus,
Culpa rubet vultus meus,
Supplicanti parce Deus.
Qui Mariam absolvisti,
Et latronem exaudisti,
Mihi quoque spem dedisti.
Preces meae non sunt dignae,
Sed tu bone fac benigne,
Ne perenni cremer igne.
Inter oves locum praesta,
Et ab hoedis me sequestra,
Statuens me parte dextra.
Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.
Consors ut beatitatis,
Vivam cum justificatis,
In aevum aeternitatis.

Gratuitam justificationem et salvationem contra operum merita docuerunt Waldenses, Wicleffus, Hussus, Hieronymus Pragensis, Marsilius Patavinus, Henricus de Heuta, Wandelinus, Johannes de Vesalia, aliive complures. Georgius Cassander in consult. art. 6: *Quod subjicitur, propter Dei voluntatem, non vero ut confidamus per ea justificationem coram Deo mereri, bona opera ex fide facienda, id recte et ecclesiasticae doctrinae consentanee dicitur*, ac dicit, *exempla suppetere, ubi quoque justificatio post regenerationem sola fide constare dicitur;* postea addit: *nulla in*
VIII. 119. *Deum sunt merita nostra, cui debita sunt omnia, quae praestamus* etc. dicit etiam, *Protestantium doctrinam* (non posse hominem justificari coram Deo propriis viribus, meritis aut operibus, sed gratis per fidem) *semper in ecclesia fuisse probatam et retentam.* Ex Adriano de Trajecto in lib. 4. sent. hoc allegat.: *Sunt merita nostra velut baculus arundineus, cui dum quis innixus fuerit, perforat manum innitentis* etc. *Quae igitur poterit ex illis esse fiducia apud Deum, qui neminem diligit nisi ex toto corde conversum?* Vega opusc. de merit. qu. 4. p. 782: *Thomas Waldensis sic scribit: Ille est senior theologus, fidelior catholicus et sacris Scripturis magis consentiens, qui merita simpliciter abnegat et cum modificatione apostoli et Scripturarum agnoscit, quod simpliciter nemo meretur regnum coelorum, sed ex gratia Dei et voluntate largitoris. Loquitur autem Waldensis de* operibus justificatorum. Haec Vega. Johannem Ferum minoritam Dominicus a Soto Hispanus sexaginta septem locis virgula censoria notat, praecipue quod praeter aliorum sensum in suis commentariis de justificatione et meritis operum locutus sit, eum Michael Medina minorita Hispanus libro in hanc rem scripto tutari non est veritus. Sic autem scribit Ferus in Matth. lib. 3. c. 20, v. 8: *Quodsi aliquando mercedem audimus polliceri, scire debemus, non ob aliud potissimum esse debitam, quam ex promissione divina. Gratis promisit, gratis et ex justitia reddit. Si igitur Dei gratiam et favorem conservare cupis, nullam meritorum fac mentionem.* Idem super verba Johannis Baptistae Cujus non sum dignus, ut solvam corrigiam calceamentorum etc.: *Omnem gloriam operum nostrorum hoc verbo damnat. Si enim Johannes se indignum fatetur, quid tu gloriaris de meritis tuis? mera igitur gratia, mera misericordia est accepisse, ut servias.* **Idem in exegesi in epistolam ad Rom. (de cujus enarrationibus Sixtus Senens. lib. 4. biblioth. tit. *Joh. Ferus* scribit, *quod sint piae et eruditae juxta catholicam doctrinam lucubrationes et in quibus tam veterum quam recentium expositorum labores velut in compendium redegerit ut ab omnibus fere concionatoribus studiose legantur.)* in c. 16: *Sola fide in Christum et nullis meritis nostris justificamur.* in c. 3. Rom.: *Blasphemia est eligere opera hac specie et opinione, ut per ea justificemur.* in c. 1. Rom.: *Paulus negat, per opera nos mereri remissionem peccatorum, alioqui si operibus meremur, jam non est gratia, gratia excludit merita.* in c. 3. Rom.: *Gratiae Dei detrahunt et Christum abjiciunt adeoque se ipsos perdunt, qui fiduciam in opera ponunt.*** Vide indic. expurgat. Hispanicum a fol. 123. usque ad fol. 135. ubi plurimas ejus generis sententias ex Fero expungere jubent. Idem cum Fero docet Jacobus Faber Stapulensis, de cujus commentariis in Johannem dicit index expurgat. Hispanicus: *Quoniam commode expurgari non possunt, omnino expungantur.* De Gasparo Contareno, patricio Veneto, cardinali ac pontificis ad Comitia Ratisbonensia anno 1541. legato, refert Flacius in praefat. libri de diss. pontif. ad senatum Venetum p. 44. quod in pluribus capitibus veram Christi doctrinam agnoverit, inter quae etiam admiserit, *vitam aeternam esse merum donum Dei ac ex sola gratia favoreque coelestis Patris peccatoribus propter Christum contingere, nec ullo modo ulla nostra bona opera vere esse aut dici posse meritoria vitae aeternae*, id quod ex impressa ejus epistola ad Alexandrum Farnesium, cardinalem et nepotem papae, cum ipso ea de re expostulantem anno 1563. Basiliae edita manifeste pateat. Maximilianus II. imperator laudatissimus cum in agone mortis constitutus esset atque ad ipsum episcopus Neapolitanus D. Lambertus Gruterus 12. Octobr. anno 1576. accederet, noluit eum

ad se intromitti, nisi prius polliceretur, *se de nulla alia re verba facturum*, *quam de Christi merito et sanguineo sudore*. Praestitit illud episcopus et de Christi beneficiis elegantem et plenam consolatione habuit orationem, cumque Maximilianus interrogaretur, an in hac fide et consolatione velit ex hac vita discedere? respondit: *Non aliter faciam*. Bucholzius in chron. p. 648. August. Thuanus lib. 21.
VII. 120. historiarum anno 1558. p. 428. col. 2. de Carolo V. imperatore laudatissimo referunt, quod circa vitae finem D. Bernhardi lectione delectatus et toto pectore in Deum revolutus sic fuerit ratiocinatus: *se quidem indignum esse*, *qui propriis meritis regnum coelorum obtineret*, *sed Dominum Deum suum*, *qui illud duplici jure obtineat*, *et patris hereditate et passionis merito*, *altero contentum esse*, *alterum sibi donare* etc. *propriis meritis fidere non fidei*, *sed perfidiae esse* etc. *imaginem Christi cruci affixi identidem in oculis*, *ulnis*, *ore et tota mente complexum*, *in eo solo se omnem salutis suae spem collocare declarasse sumptoque viatico dixisse: In me mane*, *dulcissime servator*, *ut ego in te maneam*. Vide tract. de justif. §. 161. sub finem. **Ernestus, archiepiscopus Magdeburgensis Saxoniae dux, jam morti vicinus, duobus monachis Franciscanis ad lectum adstantibus in salinis Saxonicis, cum alter diceret: *Bono animo esto*, *inclyte princeps*, *nos omnia non tantum nostra*, *sed et omnia totius Minoritarum ordinis bona opera tuae Celsitudini communicabimus*, *non est dubium*, *quin illis acceptis coram Dei consistas tribunali justus et beatus;* respondit princeps: *Nullo modo nec meis nec vestris operibus ego confidam*, *sed solius Christi opera mihi sufficiunt* (Nein, ich traue, ich begehre eure Werke nirgend zu, meines Herrn Christi Werke müssen's allein thun, darauf verlaß ich mich).** Georgius Fabricius in supplem. chronici Misnensis refert: *Praepositum quendam Afranum*, *vocato ad se suae societatis canonico*, *juvene erudito et bono*, *eum rogasse*, *ut sibi tria grata faceret*, *si forte contingeret*, *ut in agone sibi adesset*. *Quod cum submisse polliceretur se facturum; primum est*, *inquit*, *ut me admoneas sudoris Christi*, *quem in angustia sui pectoris copiose effudit*, *ne videlicet peccatorum multitudine in meo angore obruar; alterum*, *ut me admoneas omnium dolorum et acerbitatum*, *quas Christus in cruce sustinuit*, *ne rigorem et poenas delictorum in mea infirmitate sentiam; ultimum*, *ut verborum me admoneas*, *quae locutus est Christus*, *quibus pro crucifigentibus se oravit et latroni promisit paradisum*, *ne ipse extremo spiritu deficiam*, *sed ut Christus sua caritate me recipere in manum et coelos aperire mihi dignetur*, *qui meis meritis servare nequeo et coeleste regnum obtinere*. Addit Fabricius, juvenem illum haec multis hominibus retulisse, cum alacritate praeceptorem suum mori vidisse et in pluribus postea locis inolevisse, ut is consolandi modus apud morientes servaretur. De pio quodam, quamvis illiterato monacho Martino Threnzin. scribitur, quod cum in Paulino Lipsiensi anno 1473. letaliter decumberet et ab abbate suo interrogaretur, quanam in re cordis sui fiduciam in ultimo agone ponere vellet, responderit, *se quidem* ἀναλφάβητον *esse nec literas nosse*, *sed quando fratres ceteri horas suas cantillant aut psalterium legunt*, *se interim partem aliquam ex historia passionis Dominicae meditari*, *Christo redemtori gratias agere et cum Davide dicere ex Psalm. 71: Non cognovi literaturam*, *introibo in potentia Domini*, *Domine*, *memorabor justitiae tuae solius*. D. Bald. in praefat. post. **Jacobus Sadoletus lib. 1. comment. in epist. ad Rom. p. 11: *Spero immortalitatem consequi*, *quam Deus fidelibus suis proposuit*, *nec id tamen meritorum meorum fiducia*, *sed ipsius Dei clementia et bonitate adductus*. Fridericus Nausea, episcopus Viennensis, cent. 2. homil. pag 373. et 374: *A misericordia Dei nobis est quicquid sumus et habemus*, *et quicquid agimus est perinde atque signum gratitudinis*. Meinzische agenda anno 1551. fol. 71: Es sind nicht allein deine, lieber Bruder, sondern auch aller Menschen Verdienste viel zu klein und zu gering dazu, daß ein Mensch sich der Seligkeit auf seine Werke vertrösten möchte. Enchir. Colon. anno 1549. edit. fol. 138. distinguit inter justitiam perfectam et imperfectam. Ludolphus Carthusiensis in medit. vitae Christi prolog. col. 3: *Caveat prudenter fidelis peccator*, *ut nunquam*, *in quocunque statu fuerit*, *confidentiam in meritis suis habeat*, *sed tanquam mendicus pauperculus omnino nudissimus ad eleemosynam Dominicam mendicandam semper vacuus accedat*, *haec autem faciat*, *non quasi ex humilitate ficta merita sua abscondens*, *sed certissime sciens*, *quod non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens*.** D. Menius in literis ad Lutherum datis commemorat, priorem quendam in coenobio Reinhardsbronnensi letaliter aegrotantem reliquis fratribus dixisse: *Ah premit et angu-* VIII. 121.
stat me totus mundus, *omnes creaturae mihi sunt adversae*. Quaerentibus autem illis, quid hoc rei sit, cum arctiore vitae instituto reliquos superant omnes, respondit: *horum nihil coram Dei judicio subsistit*, *sed Christus crucifixus est testamentum et justitia mea*. Id convenit cum responso Agathonis eremitae Aegyptii: *Alia Dei*, *alia hominum judicia*, cujus meminit Ludovicus Granatensis domin. 1. post Pentec. con. 2. D. Creutzenach. multas legerat missas, plurimum jejunaverat, aedes sacras exstruxerat; in agone mortis constitutus singula bonorum genera in memoriam sibi revocabat, animadvertens autem, nullo horum conscientiam pacatam et quietam reddi posse, tandem subjiciebat: *Si nihil quicquam horum auxilio mihi esse potest*, *auxilietur illud: Miserere mei*, *Domine*, *propter dilectum Filium tuum*, *mediatorem meum*. Landspergius in enchir. mil. Christ.: *Non cogites*, *te poenitentiae opera facturum pro peccatis tuis; haec enim opera tua*, *quantula*, *putas*, *sunt ad tot peccatorum acervos*, *omnia opera tua cogita minora*, *quam ut satisfaciant pro peccatis tuis*. Sed quid multis? Bellarminus ipse lib. 5. de justificat. c. 6. sub finem

scribit, *quod vera humilitas merita propria ignoret.* Gnaviter igitur arrogantes esse oportet, qui merita propria non solum noverunt, sed etiam propugnant, quibus non immerito occinitur illud: Patroni meritorum sunt inimici gratiae. **Idem lib. 2. de grat. et lib. arbit. c. 13. §. 18. dicit, *opera esse viam perveniendi ad gloriam.* (At per viam, non ut per meritum, sed ut per medium sine quo non terminus viae acquiritur.) lib. 2. de poenit. c. 12. *meritum ex condigno sive ex justitia gratiae opponi,* recte asserit. At tota Scriptura clamat, vitam aeternam dari ex gratia, quod Bellarminus negare nequit, nisi velit negare, solem lucere in meridie. Ergo agnoscat, bona opera non esse meritoria ex condigno vitae aeternae.**

Antitheses adversariorum. 108. Ceterum ut adversariorum quae sit de meritis opinio manifestius appareat, primum ex Scholasticis, deinde ex scriptoribus Pontificiis quaedam huc referemus. Meriti nomine utuntur alias de ipsis bonis operibus, alias de operum praemiis. Meritum pro operibus acceptum definit Summa Angelica tit. de merito, *quod sit actio, quae fit, ut ei, qui agit, sit justum aliquid dari.* Tale meritum plerique statuunt duplex, *de congruo et condigno.* Sed Bonaventura 1. sent. dist. 41. qu. 1. et 3. sent dist. 4. art. 2. qu. 2. triplex agnoscit: *Primum est meritum congrui, quando quis ex actione non habet debitum recipiendi, sed tamen illi, cui fit, decet dare; sicut cum homo atteritur de peccato suo, licet non mereatur gratiam, tamen convenit Deo, ut facienti, quod in se est, ex sua bonitate det. Secundum est meritum digni, quando justus rogat pro aliqua persona, quae est in peccato; dignum quippe est, quod justus exaudiatur. Tertium est meritum condigni, quando agens habet debitum recipiendi;* vel brevius: *Meritum congrui est, quando peccator facit quod in se est et pro se; meritum digni, quando justus operatur pro alio; meritum condigni, quando justus operatur pro se ipso.* Reliqui vero meritum digni referunt ad meritum congrui, sic enim scribit Biel 2. sent. dist. 27. qu. un. art. 3: *Nemo potest aliis directe beatitudinem mereri, haec enim respondet propriis operibus; potest tamen alteri mereri primam gratiam de congruo.* Ex quo apparet, quaenam inter meritum de congruo et meritum de condigno differentia ab illis constituatur; illud est opus bonum ante gratiam, hoc vero est opus bonum consequens gratiam; illud procedit ex virtute liberi arbitrii, hoc vero ex vi motionis divinae; illud valet ad impetrandam primam gratiam, hoc vero ad augmentum gratiae et justitiae, adeoque ipsam vitam aeternam; illud nititur liberalitate acceptantis, hoc vero in debito praemiantis; utrique vero commune esse statuitur, quod sit actus libere elicitus, quod ad retributionem praemii acceptetur et quod inter laborem et praemium quaedam sit
VIII. 122. aequalitas. Quando autem quaeritur, an vitam aeternam quis possit mereri de congruo vel de condigno, quidam modestiores respondent *de congruo,* plerique vero *de condigno* vitam aeternam nos promereri posse respondent. Thomas 2. sent. dist. 27. qu. 3: *Quidam dicunt, quod aliquis vitam aeternam non potest mereri ex condigno, sed ex congruo; alii vero dicunt, quod quis etiam ex condigno vitam aeternam possit mereri per actus virtutum; illi tamen, qui dicunt, nos ex condigno vitam aeternam mereri posse, verius dicere videntur; id confirmo tali argumento: Sicut se habet culpa ad poenam, ita opus virtutis ad praemium. Sed culpa ex condigno meretur poenam aeternam. Ergo actus virtutis ex condigno meretur vitam aeternam.* Eodem modo ratiocinatur Bernhardus de Bustis parte 2. Rosarii serm. 20. Guilielmus Altisiodorensis in summa aurea lib. 3. tract. 12. arctius constringit argumenti nervum: *Homo ex condigno malis operibus meretur mortem aeternam, aliter ageret Deus injuste infligendo eam. At opera bona magis sunt bona, quam mala opera sunt mala. Ergo multo fortius bonis operibus meretur vitam aeternam ex condigno.* Ibidem: *Servitium gratis impensum obligat recipientem, et haec est communis animi receptio, quoniam contrarium ejus non recipit liberalitas; aliter enim facere est ingratitudo. Sed servitium impensum Deo ex caritate est gratis impensum. Ergo obligat Deum ad remunerationem, tenetur enim reddere praemium, aliter esset ingratus et injuste faceret cum tali, nisi redderet.* Bonaventura 2. sent. dist. 27: *Sicut aliquis non esset contentus, si de semine non reciperet decuplum; sic nullus esse posset contentus ex operibus meritoriis factis, nisi pro eis reciperet praemium perfectum, quod complet et terminat totum desiderium.* Ibid.: *Si consideratur operis arduitas, quia tale opus sic est in voluntate facientis, ut sit supra vires, ut homo elevetur in faciendo ipsum supra se et bono proprio praeponat bonum aeternum, hinc est, quod tale genus operis aeterna remuneratione est dignum, et sic per ipsum mereri contigit merito condigni;* ubi Bonaventura rationem meriti deducit ab operis arduitate ac hominis voluntate, sed reliqui deducunt rationem meriti de condigno a caritate. Thomas 1. 2. qu. 114. art. 6: *Opus nostrum habet rationem meriti ex duobus: primo ex vi motionis divinae, et sic meretur aliquis de condigno; deinde secundum quod procedit ex libero arbitrio, et hinc meritum congrui.* art. 4: *Actus habet merendi rationem primo ex divina ordinatione; deinde ex parte liberi arbitrii, quantum ad utrumque principalitas meriti penes caritatem consistit; nam vita aeterna consistit in Dei fruitione; motus autem humanae mentis ad fruitionem divini boni est proprius actus caritatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, secundum quod aliae virtutes imperantur a caritate.* Biel 2. sent. dist. 27. qu. un. art. 3. dub. quaerens, an liberum arbitrium, an vero gratia principalior sit causa meriti, respondet *rationem meriti principalissime convenire actui ex acceptatione divina; illa enim exsistente* (inquit) *semotis omnibus actus est meritorius.* Et paulo ante: *Non requiritur, quod actus meriti secundum intrinsecam bonitatem sit condignus seu proportionatus praemio, alias nullus actus temporalis esset aeterno condignus; sed condignitas attenditur in*

praeposito ex divina acceptatione. Proinde debitum justitiae in praemiando. actum non nititur bonitati actus, quam habet ex natura intrinseca, sed divinae ordinationi. Apostolum, quando negat passiones esse condignas futurae gloriae, intelligendum esse dicit de *bonitate intrinseca operum, non de ea, quam habent ex gratia cooperante et libera Dei acceptatione.* lect. 59. in can. missae: *Passiones non sunt condignas ad futuram gloriam, in quantum sunt passiones; sunt autem condignae, in quantum fiunt ex caritate.* Guilielmus Antisiodorensis lib. 3. tract. 12. cap. 1. qu. 2. statuit contrarium, videlicet quod *meritum per prius et principalius a fide, quam a caritate pendeat.* Sic Thomas 1. 2. qu. 5. art. 7. disputat, *habere perfectum bonum sine motu proprio, esse proprium Dei; habere illud uno motu esse angeli proprium; habere illud multis motibus meritoriis esse proprium hominis;* nihilo tamen minus diserte scribit 1. 2. qu. 114.
VII. 22. art. 7. resp. ad 3. quod *omnis actus caritatis absolute mereatur vitam aeternam.* Cum quo consentit illud Francisci Mayronis lib. 4. sent. dist. 12. qu. 3: *Ille actus est sufficiens dispositio ad delendum peccatum, qui de se est sufficiens ad vitam aeternam de condigno; sed quilibet actus contritionis est hujusmodi.* At si quilibet actus caritatis et contritionis absolute mereatur vitam aeternam, quomodo angeli proprium erit uno actu meritorio summum bonum obtinere?

Praxis doctrinae de meritis.

109. In papatu superiorum temporum gloriosum meriti nomen non solum ad opera Deo mandata, sed etiam ad ἐθελοθρησκείας vanas ac varias accommodatum esse constat; nec solum ad opera humanitus excogitata, sed etiam absurda et ab honestate abhorrentia. In libro conformitatum Francisci p. 110. legitur, *quod Franciscus cuidam fratri mandarit, ut nudus concionaretur, cumque frater de mercede quaereret, quam inde esset habiturus, respondisse Franciscum, quod pro eo vitam aeternam sit habiturus.* Quin imo religiosi (quos ita vocant) tanto meritorum cumulo sese affluere somniabant, ut non modo sibi ad salutem abunde ea suppetere, sed etiam de copiis meritorum suorum aliorum inopiae prospicere sese posse confingerent; hinc nundinationes illae meritorum monachalium, quibus non solum vivis, sed et mortuis pecuniae interventu missae, jejunia, psalmodiae, vigiliae, imo et contemplationes monachorum applicabantur, confectis hac de re more civilium contractuum publicis instrumentis et certarum obligationum formulis, ut non immerito in taxa poenitentiaria curiae Romanae dicatur: *Pauperes quia non habent, ideo non possunt consolari;* et Albertus Magnus de officio missae c. 16. tract. 3. *hoc solo divitis conditionem sorti pauperum praestare* scribat, *quod ille habeat, unde suffragia sanctorum sibi comparet, ut his in momento captivus liberetur ex purgatorio.* Tandem eo res devenit, ut per induitionem cucullae monasticae meritorum istorum monachalium fieri crederetur applicatio; unde Mantuae marchio Fridericus II., Lutetiae Albertus Pius Carporum princeps, Patavii Christophorus Longolius Belga, Rudolphus Agricola Heidelbergae (vide resp. civ. Venet. ad paraen. Baron. p. 62.), Baldus jurisconsultus atque alii etiam principes viri in tali cuculla sepeliri voluerunt.

110. Nostro seculo luce evangelii ex papatus tenebris emergente novis coloribus portentosa illa de meritis somnia pinguntur, ipsis errorum fundamentis retentis. Sic enim concil. Trident. sess. 9. can. 32. intonat: *Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse Dei dona, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cujus membrum vivum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia discesserit, consecutionem atque etiam gloriae augmentum, anathema sit.* **Colon. cens. p. 183: *Vita aeterna et merces est et retributio operum nostrorum. Si merces, igitur meritum praecessisse necessarium est.* Ibid. p. 176. 177: *Hisce iisdem operibus* (secundae justificationis) *aeterna vita tanquam justa debetur merces,* p. 185: *Cedo nonne aeternos cruciatus pro malitia quemque mereri fateris, cur non igitur pari jure regni coelestis praemia pios mereri concedis?* Vasquez tom. 1. disput. 86. c. 4. p. 593: *In homine justo et sancto apud Deum omnia etiam minima opera virtutum acquisitarum sunt meritoria vitae aeternae.*** Bellarminus concilii Tridentini interpres in judicio de lib. Concordiae mendac. 8. col. 1547: *Istis enim operibus, quae fiunt ex fide et auxilio Dei, non tale tribuimus meritum, ut ei respondeat ex justitia merces, sed meritum solum impetrationis, ut Augustinus loquitur, quod Scholastici meritum de congruo, non de condigno nominare solent. Neque in hoc ulla est inter Catholicos dissensio.* Haec ibi Bellarminus, sed longe alium Bellarminum audimus aliis in locis. lib. 5. de justif. c. 1. scribit, *communem esse Catholicorum* VIII. 124.
omnium sententiam, quod opera bona justorum sint vere et proprie merita, et merita non cujusque praemii, sed ipsius vitae aeternae; c. 7. *aliquam in meritis fiduciam poni posse* docet; c. 14. disputat, *substantiam divini judicii fore secundum justitiam distributivam, quia Deus ut summus judex pro meritis praemia distribuit; modum ejusdem judicii fore secundum justitiam commutativam, quia Deus constituet absolutam aequalitatem inter opera et mercedes, ut unusquisque non minorem mercedem habeat, quam justo judicio mereatur.* c. 8. concludit, *licitum esse operari bona opera intuitu mercedis aeternae.* c. 16. ex professo contendit, *opera justorum ex caritate facta meritoria esse vitae aeternae ex condigno;* hunc etiam titulum facit ejus capitis et recitatis diversis Pontificiorum opinionibus mox suam subjicit, quam communem esse dicit theologorum sententiam: *Communis* (inquit) *theologorum sententia admittit simpliciter meritum de condigno.* Et paulo post: *Durandi sententia si nihil aliud vellet, nisi merita nostra non esse ex condigno sive*

ex justitia absolute, sed tantum ex hypothesi, id est posita liberali Dei promissione, non esset reprobanda; ceterum videtur omnino velle, merita nostra ex gratia Dei praecedentia et posita promissione adhuc esse talia, ut eis non ex justitia debeatur merces, sed ex sola Dei liberalitate, in quo sensu refellitur a theologis communi fere omnium consensu et merito. c. 17. pugnat, *opera bona justorum esse meritoria ex condigno, non solum ratione pacti, sed etiam ratione operis; ita ut in opere bono ex gratia praecedente sit quaedam proportio et aequalitas ad praemium vitae aeternae.* Vides Bellarminum alibi asserere, bona opera esse meritoria vitae aeternae ex condigno, alibi vero, quod sint meritoria ex congruo; quin etiam utramque sententiam vocat communem, nec ullam hac de re inter Catholicos dissensionem esse, cum tamen non solum ab aliis, sed etiam a se ipso dissentiat. Sic lib. 2. de poenit. c. 12. sub finem scribit: *Meritum ex condigno sive ex justitia opponitur gratiae*, sed lib. 5. de justif. c. 5. resp. ad 1. dicit, *beatitudinem tribui misericordiae ac nihilominus esse veram mercedem meriti.* lib. 5. c. 14. §. *Modum* sic scribit: *Deus non solum proportionalem, sed etiam absolutam aequalitatem inter opera et mercedem constituet;* sed c. 19. statuit, *Deum remunerare opera ultra condignum.* Praetermittimus alias de meritis dissensiones, quas ipse Bellarminus attingit, utpote: 1. quod Robertus Olchot senserit: *libertatem arbitrii non esse necessariam ad merendum;* cujus contrarium statuunt reliqui. 2. Quod quidam recentior disputarit, *opera vere meritoria vitae aeternae fieri posse ab homine nondum renato vel reconciliato;* item *ad meritum non requiri gratuitam Dei promissionem;* cujus contrarium statuunt reliqui. 3. Quod Altisiodorensis opinatus fuerit, *meritum prius et principalius pendere a fide;* quem sequi videtur Pistorius in hodeg. p. 165. scribens, *fidem esse radicem et fundamentum totius insequentis beatitudinis;* sed contrarium statuunt reliqui. 4. Quod quidam censeant abstinendum ab hac phrasi, *bona opera esse meritoria ex condigno;* quidam vero liberaliter ea utantur. 5. Quod Dominicus a Soto lib. 3. de natura et gratia c. 7. disputat, *bona opera justorum esse meritoria vitae aeternae ex condigno ratione operis, etiamsi nulla exstet divina conventio;* Andreas Vega in opusc. de justif. quaest. 5. contrarium propugnat, videlicet *bona opera ex gratia praecedentia non esse meritoria ex condigno ratione operis, sed tantum ratione pacti et acceptationis divinae.* Bellarminus lib. 5. de justif. c. 17. et alii mediam sententiam amplectuntur, *opera* scilicet *bona justorum esse meritoria vitae aeternae ex condigno ratione pacti et operis simul.* 6. Quod idem Vega statuit, *bona opera non accipere in die judicii ampliorem mercedem, quam justo Dei judicio mereantur;* contrarium statuunt reliqui, videlicet Deum remunerari opera bona supra condignum. 7. Quidam disputant, *vitam aeternam, sive primum ejus gradum, non cadere sub meritum, cum debeatur filiis Dei jure hereditatis;* sed Bellarminus c. 20. vitam aeternam, tum quoad primum gradum, tum quoad ceteros bonis meritis filiorum Dei reddi propugnat; quidam statuunt, quod *reparatio post lapsum non cadat sub meritum;* sed VIII. 125. Bellarminus c. 22. disputat, bonis operibus apud Deum obtineri posse, ut, etiam cum quis peccat, a Deo non deseratur.

111. Nobis res erit cum Bellarmino, is lib. 5. de justificatione c. 2. probare conatur, *nomen meriti in Scripturis fundari*, quo fine producit sequentia Scripturae dicta: 1. Eccl. 16: *Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum.* Sed enim cum in Graeco non habeatur nomen meriti, sed solum *κατὰ ἔργα*, ideo Bellarminus addit, illud *κατὰ ἔργα* recte verti secundum meritum operum vel pro merito et dignitate operum. *Quid enim* (inquit) *est reddere secundum opera nisi reddere, sicut opera merentur?* Respondemus: 1. Ecclesiasticus non est in canone. 2. Graeca sic habent v. 14: *πάσῃ ἐλεημοσύνῃ ποίησον τόπον· ἕκαστος γὰρ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ εὑρήσει.* Bened. Arias: *Omni eleemosynae fac locum, unusquisque enim secundum opera sua inveniet*, ubi nulla fit meriti mentio. *3. Aliud est secundum opera reddere, aliud secundum merita operum sive propter opera reddere. In eo enim, quod secundum opera dicitur, ipsa operum qualitas intelligitur, ut cujus apparuerunt bona opera, ejus sit et retributio gloriosa. Illi namque beatae vitae, in qua cum Deo et de Deo vivitur, nullus potest aequari labor, nulla opera comparari, praesertim cum apostolus dicat: non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.* Quam responsionem verbis Gregorii in Ps. 7. poenit. conceptam non potest Bellarminus improbare, cum ipsomet teste *omnibus ecclesiae* (Romanae) *filiis satis abunde sufficiat pontificis maximi auctoritas*, lib. 5. de justif. c. 14. §. 3. et *ipsa infallibilitas* (tum interpretationum tum decisionum) *sit in solo pontifice* lib. 4. de pontif. Rom. c. 2. 4. Proinde quod vetus interpres illud *κατὰ ἔργα* vertit secundum operum meritum, ex eo non potest nec debet colligi, quod meriti proprie sic dicti nomen in Scripturis contineatur, sed quod *καταχρηστικῶς* et in sensu latiori tum vetus interpres, tum reliqui Patres nomine meriti utantur.

An nomen meriti in Scripturis fundetur. 1. Eccl. 16. Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum.

112. 2. Hebr. 13: *Beneficentiae et communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus.* Sed cum in Graeco sit *εὐαρεστεῖται*, delectatur etc. ideo Bellarminus subjungit, *perinde esse sive dicatur Deus placari talibus hostiis, sive Deo iisdem placeri. Propriissime enim* (ait) *dicimus latine, unum apud alterum mereri, et eum sibi obstringere, qui facit aliquid, quod ei placeat eumque delectet; addit* etiam, *verbum illud conjunctum cum vocabulo hostiarum non solum significare Deum delectari bonis operibus, sed etiam conciliari et induci ad benefaciendum iis, qui bene operantur, atque hoc ipsum esse, quod bona opera dicantur meritoria.* Respondemus: 1. Bona renatorum opera

2. Hebr. 13. Talibus hostiis promeretur Deus.

εὐαρεστεῖν placere Deo, sive, quod idem est, τὸν θεὸν εὐαρεστεῖσθαι bonis operibus, extra controversiam est; sed bona opera esse ex condigno meritoria, id vero ex eo inferri posse negamus. 2. Plura enim ad meritum requiruntur, quam ut officium alicui praestitum eidem placeat eundemque delectet, uti ostendimus superius §. 102. Nimirum requiritur, ut opus illud, quo mereri velimus, sit nostrum, ut sit opus indebitum, ut sit utile atque commodum illi, cui praestatur, ut sit et pretio et dignitate aequale illi, quod pro opere nostro redditur. 3. Filialis obedientia parenti grata est eundemque mirifice afficit; eadem vero non est hereditatis meritoria cum sit jam ante debita, cumque hereditas alio obtingat titulo, quam obedientiae merito. 4. Agnoscit hoc ipse Bellarminus, ideo ad argumentum nostrum, quod vita aeterna detur credentibus ut hereditas filiis ac proinde non ex operum merito, respondet hoc modo lib. 5. de justif. c. 3: *Vita aeterna habet*
VIII. IX. *conditionem mercedis et hereditatis, datur enim ex promissione laborantibus, quod est mercedis proprium, et non datur nisi filiis, quod est proprium hereditatis.* Et paulo post: *Tametsi parvulis, qui mox a baptismo decedunt, vita aeterna detur solo jure hereditatis; tamen voluit Deus, filios suos, qui usum rationis habent, propriis laboribus et meritis eam acquirere, ut duplici titulo illis vita aeterna deberetur, titulo videlicet hereditatis et jure mercedis.* At si omne, quod alteri placet, eundem ad mercedem proprie sic dictam obstringit et est proprie meritorium, utique etiam obedientia filialis esset meritoria et per consequens titulus hereditatis a jure mercedis non differret, cujus contrarium statuit Bellarminus. 5. Quod alteri placet eumque delectat, non obstringit eum merendo, nisi simul sit opus indebitum, si enim jam ante debitum est, quomodo eum, cui debetur, obstringere potest? ubicunque ergo deest conditio indebiti, obstrictio illa sive meritum non potest habere locum. Jam vero quotquot et quanta bona opera renati praestant, ea jam ante Deo debentur et multis quidem nominibus, videlicet jure creationis, conservationis, dominii, redemtionis, sanctificationis etc. Ergo non possunt Deum obstringere, utut eidem placeant. 6. Explicandum etiam hoc loco, quomodo et quo respectu placeant Deo bona renatorum opera, nimirum non quia sunt omnibus numeris perfecta et omni labe carentia, sed quia proficiscuntur ex fide, a persona reconciliata, unde epist. ad Hebr. 11, v. 6. *sine fide impossibile esse εὐαρεστῆσαι, placere Deo*, in Christo igitur vera fide apprehenso placent Deo opera nostra. Proinde non nos obstringimus Deum nostris operibus, sed ipsi potius propter opera obstringimur, videlicet quia spiritu suo ea in nobis efficit atque in Christo grata habet, licet imperfectionis labe non careant. 7. Verbum εὐαρεστέω et εὐαρεστέομαι in eadem epistola ad Hebr. c. 11, v. 5. et 6. ab interprete Latino redditum est per τὸ placere, εὐάρεστος per τὸ acceptum, placens, beneplacens, beneplacitum etc. Rom. 12, v. 1. et 2. c. 14, v. 18. 2. Corinth. 5, v. 9. Ephes. 5, v. 10. Phil. 4, v. 18. Coloss. 3, v. 20. Tit. 2, v. 9. Hebr. 13, v. 21. nuspiam vero per τὸ mereri aut meritum; ex quo apparet, in hoc etiam loco Hebr. 13, v. 16. non intelligi meritum proprie sic dictum, sed illud quod Deo placens est et acceptum. Unde Bened. Arias vertit: *talibus hostiis beneplacet sibi Deus.* Ludovicus Vives in libr. 10. August. de civ. Dei c. 5: *Graeca vox revera significat delectatur Deus aut placetur Deo, utrumque melius, quam quemadmodum vulgo habemus promeretur Deus.* In V. T. phrasis Hebraica *ambulare cum Domino vel coram Domino* redditur a LXX interpretibus εὐαρεστῆσαι τῷ θεῷ Gen. 5, v. 22. c. 6, v. 9. c. 17, v. 1. etc. Exod. 21, v. 8: *Si fuerit* רָעָה בְּעֵינֵי *mala in oculis* LXX ἐὰν μὴ εὐαρεστῇ ἐν ὀφθαλμοῖς, si non placuerit in oculis. Num. 22, v. 34. sic exprimitur εἰ μή σοι ἀρέσκει. Gen. 39, v. 4: *Invenit Joseph gratiam in oculis ejus* וַיְשָׁרֶת *et ministravit* (verbum Hebraeum שֵׁרֵת usurpatur proprie de liberorum ministerio, sicut עָבַד de duriore servitio) LXX καὶ εὐηρέστει αὐτῷ; ex quo apparet, quod εὐαρεστῆσαι τῷ θεῷ non sit meritis suis Deum obstringere, sed filiali obedientia ipsi grata et accepta eidem servire. 8. Neque est, quod in voce θυσιῶν fundamentum aliquod meriti Bellarminus quaerat, cum sacrificia non placuerint Deo ex opere operato, sed ex fide in Christum, cumque bona renatorum opera non sint sacrificium ἱλαστικόν (quale est unicum illud in ara crucis a Christo oblatum), sed εὐχαριστικὰ sacrificia, ὀσμὴ εὐωδίας, ut loquitur apostolus Phil. 4, v. 18.

113. Quae de vocabulis dignitatis et mercedis Bellarminus annectit, ut ex illis probet, meriti nomen ex Scripturis optima ratione deduci, suum inferius habebunt locum. Videamus igitur, quomodo rem ipsam, hoc est bona justorum opera esse vere et proprie ex condigno vitae aeternae meritoria Bellarminus probet! Aggreditur hoc cap. 3. ubi septem argumentorum classes producit: *Primum argumentum* (inquit) *ducitur ab iis locis, ubi vita aeterna nominatur merces. Nam si ipsa est merces, bona opera, quibus illa redditur, sine dubitatione sunt merita.* Matth. 5, v. 12: *Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis; quid autem sit haec merces, paulo ante explicaverat Dominus: Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum. Dicitur igitur, gaudendum et exsultandum in persecutionibus, quoniam copiosa nos manet merces in coelo, cum regnum coelorum iis paratum sit, qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Item Matth. 20, v. 8: *Voca operarios et redde illis mercedem; hujus autem mercedis nomine intelligi denarium diurnum ex ipsa eadem parabola perspicuum. Per denarium vero diurnum significari vitam aeternam, communi consensu patres docent.* Respondemus: 1. Ipsam vitam aeternam in promissionibus evangelicis dici mercedem, neque ex his neque aliis Scripturae dictis probaverit Bellarminus; quin imo in priore dicto notanter distingui-

Septem classes argumentorum pro meritis operum.

1. Vita aeterna vocatur merces. VIII. 127.

tur inter coelum ipsum sive vitam aeternam et inter mercedem in coelo. Neque enim dicit Christus, merces vestra erit coelum, sed *ὁ μισθὸς ὑμῶν πολὺς ἐν τοῖς οὐρανοῖς*, *merces vestra copiosa erit in coelo*. Matth. 5, v. 12. Luc. 6, v. 23. sicut et de pietate pronuntiat apostolus 1. Tim. 4, v. 8. quod *habeat promissiones praesentis et futurae vitae*, hoc est praemiorum in praesente et futura vita. Vita aeterna non est operum nostrorum meritum, sed *χάρισμα*, *gratuitum Dei donum in Christo Jesu*. Rom. 6, v. 23. **(Pererius disput. 4. in cap. 6. Rom.: *vita aeterna a Paulo vocatur τέλος*, id est *vectigal seu merces*. Respondemus: 1 *τέλος* ibi non ethice, sed physice ponitur, id est non pro praemio, mercede vel tributo, sed pro ultimo rei exitu, quemadmodum clausula finalis in peccato est mors et interitus, ita opera justitiae subsequetur tandem velut ultima et exoptata clausula, vita scilicet aeterna; 2. quodsi vel maxime pro mercede poneretur, ut Erasmus statuit, tamen non accipietur in sensu strictiore, ubi proportio est inter mercedem et meritum, qualem proportionem inter nostra opera in se considerata et vitam aeternam non esse, concedit Pererius disput. 11. in c. 6. Rom. num. 54. sed in significatione lata notat gratuitam compensationem profectam a promissione Dei, quo sensu merces hereditatis vocatur Col. 3, v. 24.)** Eam ergo non possumus vel operibus, vel passionibus nostris ex condigno mereri; interim tamen merces piorum copiosa est in coelo, quippe in quo excellentiori gloria ex Dei benignissima remuneratione coronabitur, qui plura laboravit ac plus contumeliarum pro Christo sustinuit. Unde significanter de mercede *copiosa*, vel, ut Graecus textus proprie reddendus, multa, et sic de gradibus gloriae in vita aeterna, non autem de ipsa vita aeterna dictum Christi loquitur. Non negamus, regnum coelorum ibidem promitti illis, qui persecutionem patientur propter justitiam; sed ex eo nondum sequitur, quod ipsa persecutionum tolerantia sit meritum regni coelorum; aliud enim est quaerere, quibus detur regnum coelorum, aliud vero propter quid detur; illud describit subjectum, hoc vero causam meritoriam. 2. Quando praemia bonorum operum, quae in hac et futura vita iis dantur, mercedis nomine veniunt, non intelligitur stipendium debitum ex justitia propter meritum sive dignitatem operibus et passionibus justorum inhaerentem; sed gratuita compensatio ex liberali et gratuita promissione orta, qua Deus obedientiam et passiones piorum se largissime remuneraturum pollicitus est. Merces in genere dicitur, quicquid alicui datur post praestitum laborem, sive gratis id fiat, sive ex debito; sive multum id sit, sive exiguum; sive labori respondeat, sive minus, ac proinde non est perpetua relatio inter meritum et mercedem (ut in praecedente capite Bellarminus statuit), cum merces alicubi habeat locum, ubi non datur meritum; sane ubicunque est meritum, ibi etiam merces exigitur; nequaquam vero ubi merces datur, ibi meritum proprie sic dictum praecessisse intelligitur. Neve id gratis dicere videamur, producimus haec fundamenta. Apostolus Rom. 4, v. 4. VIII. 12
distinguit *inter imputationem secundum gratiam et secundum debitum*, inter mercedem debitam et gratuitam. *Ei*, *qui operatur* (inquit), *merces non imputatur secundum gratiam*, *sed secundum debitum*. Alia est igitur merces ex gratia data, alia vero ex debito. (Observa, debitum hic considerari respectu justitiae, illud enim proprie opponitur mercedi gratiae et proprie vocatur debitum; est autem aliud quoddam debitum *καταχρηστικῶς* sic dictum, videlicet debitum promissionis gratuitae, quod gratiam non excludit, nec eidem opponitur; ex quo apparet, mercedem bonorum operum et debitum et indebitum esse diverso respectu; debita dici potest ratione promissionis, sed cum promissio illa sit mere gratuita, *quis enim dedit Deo prior*, *ut retribuatur ei* Esa. 40, v. 23. Rom. 11, v. 35? ideo improprie vocatur debitum; nec uspiam in Scripturis sacris vox *debiti* de praemiis gratuitis bonorum operum usurpatur, sed tantummodo in scriptis Patrum; gratuita vero est et indebita, si respectus habeatur ad justitiam meritis operum respondentem.) Quando ergo bonis operibus renatorum promittitur merces, intelligenda est merces secundum gratiam, non autem secundum debitum justitiae. **1. Genes. 15, v. 1. Deus ad Abrahamum dicit: *Ego sum protector tuus et merces tua magna nimis*, quae verba ipso Pererio teste super hunc locum tom. 3. p. 727. *tam causaliter quam substantialiter possunt intelligi*. Causaliter hoc sensu, ego tuos labores et merita cumulatissime remunerabor; substantialiter vero hac ratione, ego ipse futurus sum merces tua; ex quo sic concludimus: Si inter opera nostra et Deum nulla est proportio, Deus non est merces ex debito, sed prius verum. Ergo. 2. Psalm. 127, v. 3. liberi vocantur *hereditas et fructus ventris*, *merces* שָׂכָר, cum tamen sint gratuitum donum, ut ex Psalmi scopo et ex voce *hereditatis* meritum proprii laboris excludente colligitur. 3. In sermone quotidiano vox *mercedis* eodem sensu usurpatur. Pater dicit filio suo, hoc vel istud facito, referes egregiam a me mercedem, novam vestem vel aliud quiddam, ubi vestis appellatur quidem merces, quae tamen non ex merito, sed libero patris dono obtingit filio.** Ne vero ulla restet de mercede gratiae dubitatio, notandum Matth. 6, v. 1. et c. 5, v. 46. vocari *μισθὸν* sive *mercedem*, quod Luc. 6, v. 32. vocatur *gratia*, itemque Psalm. 127, v. 3. *fructum ventris* sive liberos vocari שָׂכָר, *mercedem*, cum tamen sint gratuitum donum. Ambrosius lib. 1. epist. 1. circa medium: *Alia est merces liberalitatis et gratiae*, *aliud virtutis stipendium*, *alia laboris remuneratio*. Lutherus in lib. de servo arbit. tom. 3. Latino p. 192: *In merito vel mercede agitur vel de dignitate*, *vel de sequela*. *Verbum mercedis de praemiis bonorum operum usurpatum respicit sequelam*, *non autem dignitatem meriti* etc. 3. Certum igitur esto, aliam esse mercedem gratiae, aliam mercedem debiti; meritum proprie sic dictum non

illam gratiae, sed hanc debiti mercedem respicit. Quando ergo Bellarminus disputat, *mercedem et meritum esse relativa, mercedem reddi meritis, sicut gratia gratis datur*, tunc procedit a proprietate unius speciei ad proprietatem generis, quod est *ἀσυλλόγιστον*. Neque enim sequitur: quaedam merces respicit meritum; ergo omnis merces respicit meritum; perinde ut non licet inferre; quoddam animal est rationale. Ergo omne animal est rationale. 4. Probandum vero fuerit, mercedem gratiae intelligendam esse, quando bonis operibus renatorum merces promittitur vel datur; id vero probamus ex analogia fidei, quae docet, bona renatorum opera esse jam ante multis nominibus debita, esse imperfecta et labe peccati in carne peccatorum adhuc haerentis contaminata, ac proinde non posse Deum obstringere ad mercedem ex debito justitiae reddendam. Item nullam esse proportionem atque aequalitatem inter opera et illorum praemia, ac proinde non posse dici meritoria; ex gratuita promissione dari bonis operibus praemia. Ergo non propter dignitatem aliquam ac meritum eorum. Col. 3, v. 24. praemia bonorum operum vocantur *ἀνταπόδοσις τῆς κληρονομίας, retributio hereditatis*. Quem-
VIII. 129. admodum filius nascitur heres, nec operibus id demum promereri necesse habet; sic pii ex Deo nati sunt in Christo dilecti Dei filii; quodsi filii, utique etiam heredes; interim tamen quemadmodum larga hereditas simul est praemium filialis obedientiae; ita quoque coelestis vitae praemia largissime et longe ultra condignum piorum opera et afflictiones recompensant. Luc. 6, v. 32. cum Christus de praemiis bonorum operum loqueretur, subjungit: *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quae vobis gratia est*, hoc est quae merces ex gratia? Basilius in Psalmos septend. homil. 2. quae est in Psalm. 7. pag. 68. docet, *Scripturae consuetudinem esse, ut ἀνταπόδοσιν* dicat pro *δόσει* et *ἀνταποδοῦναι* pro *δοῦναι*, retributionem pro dono et retribuere pro dare. Augustinus in Psalm. 109: *Fidelis Deus, qui se nostrum debitorem fecit, non aliquid a nobis accipiendo, sed tanta nobis promittendo* etc. *quicquid promisit, indignis promisit, ut non quasi operibus merces promitteretur, sed gratia a suo nomine gratis daretur.* Chrysostomus in c. 24. Matth.: *Non debendo, sed promittendo Deus se debitorem fecit.* Prosper lib. 1. de vocat. gentium c. 17: *Ideo in parabola de his, qui laborant in vinea, datur idem praemium eademque merces omnibus operariis, sive multum sive parum laboraverint, ut ii, qui multo labore sudarunt, nec amplius quam novissimi acceperunt, intelligant, donum se gratiae, non operum accepisse mercedem.* Lyranus in c. 10. Joh.: *Gloria coelestis non proprie dicitur merces, sed tantummodo large, in quantum omne, quod redditur in praemium laboris, dicitur merces. Ratio autem hujus est, quia hereditas distinguitur a mercede proprie dicta, sicut filius, cui debetur hereditas, distinguitur ab operario conductitio, cui debetur merces; gloria autem coelestis redditur fidelibus, sicut hereditas liberis, propter quod non habet rationem mercedis.* Quid quod ipse Stapletonus in antidot. Matth. 5. p. 45. quodammodo agnoscit mercedem, quae bonis renatorum redditur, esse gratuitam, nec nisi promissionis respectu debitam dici posse. *Est quidem* (inquit) *promissio Dei gratuita, promissione autem semel facta retributio non est gratuita, sed debitoria, non quia Deus nobis aliquid debet, sed quia ejus, quod gratuito promisit, debitor factus est et se ipsum negare non potest.*

114. Ceterum cum in parabola Christi Matth. 20. Parabola de operariis in vinea Matth. 20.
de operariis in vinea magnum argumenti sui robur constitutum existimet Bellarminus, opponimus ei haec fundamenta: 1. Ex parabolis non est judicandum de articulis fidei, sed contra potius ex articulis fidei (ex analogia fidei propriis et perspicuis verbis in Scripturis proposita) judicandum est de parabolis. Irenaeus lib. 2. adversus haeres. c. 46: *Quia parabolae multas recipere possunt absolutiones ex ipsis, de inquisitione Dei affirmare derelinquentes quod certum, indubitatum et verum est, valde praecipitantium se in periculum et irrationabilium esse, quis non amantium veritatem confitebitur?* Chemnicius in locis cap. de lib. arbit. p. 509. allegat ex Hieronymo: *Nunquam parabolae vel dubia dogmatum intelligentia potest ad auctoritatem dogmatum proficere. 2. In parabolis nec possunt, nec debent singula membra urgeri, sed sufficit, principalem earum teneri scopum*, quae est regula Chrysostomi homil. 65. in c. 20. Matth. quam repetit Theophylactus in c. 16. Luc. his verbis: *Omnis parabola oblique et figurato modo rerum quarundam naturam repraesentat, non per omnia illis assimilata, propter quas assumpta est; idcirco non oportet omnes parabolarum partes curiosius scrutari, sed quatenus apparent proposito utiles, reliquae enim sinendae sunt quasi parabolam contexentes et nihil ad propositum conducentes.* **Salmeron tract. 33. sect. 1: *Similitudines corporum et comparationes non possunt praecise repraesentare rerum spiritualium proprietates et si in parte aliqua serviunt, in multis sunt dissimiles.*** 3. Intuendus igitur principalis parabolae scopus, qui ex antecedentibus et consequentibus satis perspicue elucescit. Praecedenti c. 19. accedit ad Christum juvenis quidam in scholis Pharisaeorum institutus, opinione justitiae
propriae et perfectae impletionis legis inflatus; VIII. 130.
omnia haec praecepta, inquit, *custodivi a juventute mea, quid adhuc mihi deest?* v. 20. illi Christus speciale mandatum de relinquendis bonis omnibus proponit, ut hac ratione ipsum convincat, quod nondum diligat Deum super omnia; v. 21. *juvenis haec audiens discedit tristis.* v. 22. qua occasione Christus ad discipulos conversus de divitiis disserit, quod illis abundantes difficulter intrent in regnum coelorum v. 23. Petrus vero se et discipulos eo pervenisse ratus, quo hic juvenis vocabatur, sic infert: *Ecce, nos reliquimus omnia et secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* v. 27. nimirum sollicitus erat de mercede, ne non amplam et copiosam satis olim

obtineret; Christus apostolis in specie, mox omnibus illis, qui propter doctrinam evangelii in persecutionibus quidquam relinquunt, in genere largissimam promittit retributionem v. 28. et 29. sed per ἐπανόρθωσιν statim subjicit: *multi autem primi erunt novissimi et novissimi primi* v. 30. admonens ad seriam humilitatem, ne quis se in corde suo aestimet primum, cui prae aliis propter pietatis opera ex jure debeatur merces, fore enim, ut tales primi fiant novissimi ac propter superbiam suam rejiciantur. Huic admonitioni immediate Christus subjicit parabolam eandemque per particulam αἰτιολογικὴν cum praecedentibus connectit: *Nam simile est regnum coelorum patrifamilias* etc. Neve ulla superesset dubitatio, hanc parabolam respicere ad praecedens caput 19. ideo illa ipsa verba capite praecedenti praemissa epiphonematis loco sub finem ejusdem repetuntur: *Sic novissimi erunt primi et primi novissimi*, v. 16. Scopus igitur parabolae ostendit, illos, qui sese existimant primos, qui confidunt se perfecte implevisse legem ac suis operibus vitam aeternam promereri posse, coram Dei judicio esse novissimos; ac proinde hanc parabolam meritis operum directe oppositam esse, tantum abest, ut eadem stabilire judicanda sit. 4. Id ipsum docet ἐργασία parabolae. Qui enim unam tantum horam in vinea laboraverant, sicque denarium diurnum (non nisi totius diei labori debitum) promeriti haudquaquam erant, nec de operibus suis praesumere vel debitam aliquam mercedem exigere poterant, illis non minus datur integer denarius, quam qui diei pondus et aestum pertulerant; ex quo manifeste apparet, ex gratia, non autem propter laboris dignitatem operariis mercedem fuisse datam. Ita nos colligere docuit Prosper lib. 1. de vocatione gentium c. 17: *Ideo in parabola de his, qui laborant in vinea, datur idem praemium eademque merces omnibus operariis, sive multum, sive parum laboraverint, ut ii, qui multo labore sudarunt, nec amplius quam novissimi acceperunt, intelligant, donum se gratiae, non operum accepisse mercedem.* Agnoscit hoc quodammodo ipse Bellarminus, sic enim scribit lib. 3. de justificat. c. 16. §. 7: *Non facit Deus injuriam ei, cui debitam mercedem reddidit, si parem vel majorem alteri ex benignitate donaverit.* lib. 5. de justificat. c. 19. §. 5: *Ad haec Matth. 20. in parabola vineae manifeste videmus, multis dari integrum denarium diurnum, cum tamen non integrum diem in opere fuissent. Atqui id non ex justitia, sed ex liberalitate factum esse indicat Dominus his verbis: Volo huic dare, sicut et tibi* etc. lib. 2. de gratia et lib. arbit. c. 3. §. 6: *Acceptio personarum vitium est contra justitiam, et ideo locum non habet in donis gratiae.* Et postea: *Imo in ipso judicio quamvis acceptio personarum esset alicui minus praemium dare, quam justo judicio mereatur, vel majori supplicio afficere, quam dignus sit reus; tamen si alicui majus praemium aut minorem poenam dare voluerit, non erit acceptor personarum, etiamsi id non cum omnibus servet, quoniam hoc non est justitiae, sed liberalitatis, juxta illud: Amice, non facio tibi injuriam* etc. Ergo si ex hypothesi Bellarmini per denarium intelligitur vita aeterna, consequens est, si vel maxime primis operariis vita aeterna detur ut merces debita, respectu tamen eorum ad minimum, qui per unam tantummodo horam laboraverant, vitam aeternam esse gratuitum Dei donum, non autem laboris meritum ex justitia debitum. **Granatensis in epit. conc. p. 124: *Tota parabola huc potissimum spectat, ut liberalitatem et libertatem Domini in donorum suorum distributione demonstret.*** 5. Paterfamilias VIII. 131.
ab illis, qui integrum diem laboraverant, interpellatus et liberam de suis disponendi facultatem et gratuitum suum in eos, qui unam tantum horam laboraverant, favorem ac benevolentiam disertis verbis allegat: *An oculus tuus malus* (sive ut vulgata versio habet *nequam*) *est, quod ego bonus sim? Volo autem huic novissimo dare sicut et tibi.* Ergo quae novissimis operariis datur merces, eam gratiae, bonitatis et benignitatis esse non obscure demonstrat. 6. Arcte igitur tenendus est hic parabolae scopus ipsa Christi applicatione satis perspicuus; ultra hunc scopum vel etiam contra eum praesentem parabolam ad operum merita detorquere, nec Bellarmino, nec ulli hominum fas est, alias multa absurda inde nascerentur. Commendat Bellarminus Hieronymi lib. 2. advers. Jovinian. Augustini de virgin. c. 26. sermon. 56. de verb. Domini, Gregorii libr. 4. moralium c. 42. et aliorum Patrum explicationem, qui *per operarios primae horae* Abelem et Sethum, *per operarios horae tertiae* Enochum et Noahum, *per operarios sextae* Abrahamum, Isaacum et Jacobum, *per operarios nonae* Moysen et prophetas, *per operarios horae undecimae* populum gentium; *per denarium* vero vitam aeternam plerique omnes intelligunt. At quam proclive est multas dissimilitudines in hac explicatione ostendere, si quis membra singula scrupulosius velit urgere? si enim per operarios primae horae intelliguntur Abel et Sethus, consequens fuerit, eos in falsa illa opinione haesituros, quod plus sint accepturi quam fideles ex gentibus vocati; eosdem contra patremfamilias sub vesperam diei murmuraturos; vixisse eos ad finem usque mundi; iisdem a patrefamilias tribui, quod habeant oculum nequam etc. Si per denarium intelligitur vita aeterna, consequens fuerit, etiam murmurantibus contra DEUM contingere vitam aeternam; pios per integrum diem laborantes majus aliquod operum suorum praemium postulare, quam est vita aeterna; vitam aeternam dari iis, qui non sunt electi, iidem enim sunt primi, qui non electi in hac parabola, quippe quam Christus concludit his verbis: *Sic novissimi erunt primi et primi novissimi, multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* 7. Concinnius ergo idem Hieronymus in c. 20. Matth. idem Augustinus serm. 59. de temp. idem Gregorius homil. 19. in evangel. et alii ex veteribus ad aetatem hominis parabolam applicant, *per horam primam* intelligunt pueritiam, *per tertiam* adolescentiam, *per sextam*

juventutem, *per nonam* senectutem, *per undecimam* vitae exitum notant; quo sensu latro hora undecima vocatus intelligitur; addendum, quod aliqui solum prima hora vocati murmurent adversus patremfamilias, merita operum suorum jactando, et reliquis, praesertim novissima hora vocatis, sese praeferendo, in illis parabolam salvari sufficit, si vel maxime non omnes prima hora vocati tales sint, ut patet ex Jeremiae et Johannis Baptistae exemplo. Per denarium Irenaeus lib. 4. c. 70. *imaginem et inscriptionem regis*, *agnitionem Filii Dei*, *quae est in corruptela*, intelligit. Ab hac explicatione non longe abit sententia Erythrop. dom. Sept. in epit. conc. p. 265. qui *per vesperam* intelligit tempus N. T. *per denarium* vero Christum cum omnibus beneficiis. **Conf. Bald. dom. Sept. p. 195. Lyseri Harm. lib. 5. c. 132.** Judaei semper singularia quaedam privilegia ex adventu Christi prae gentibus affectarunt; cum ergo viderent, ultimos sibi in ordine praeferri et praemia exaequari, murmurare incipiunt adversus patremfamilias; accipiunt igitur denarium, id est promissio de Christo itidem ad ipsos pertinet, sed non prodest eis, quia fide non amplectuntur Christum. **Prosper lib. 1. de voc. gent. c. 12. Augustinus de S. virgin. et tract. 67. in Joh. *per denarium* intelligunt *vitae aeternae aequalitatem*. Theophylactus *Spiritus s. gratiam*. Aretius p. 130. in Matth. *omne id*, *cujus respectu singuli se conduci patiuntur*.** Optime Hilarius can. 20. in Matth. *per denarium obedientiae praemia in genere* accipit, cui affine est illud Basilii in regulis interrog. 256: *Pacta illa merces potest esse centuplum*, *quod in hac vita Dominus eos assecuturos spopondit*, *qui*
II. 22. *exsequendi causa mandati ipsius quidvis eorum*, *quae in hac vita habentur*, *omisissent; ita ut de hoc intelligatur*, *quod dictum est*, *tolle quod tuum est. Quoniam autem invidiae morbo contacti erant*, *qui priores in opere laborare visi erant et propterea aegre ferebant*, *in mercedis acceptione posteriores illos sibi fuisse exaequatos*, *illis dicitur*, *non esse eos amplius vitae aeternae hereditatem adepturos*, *sed centuplo illo accepto in hac vita*, *in futura propter invidiam damnatum iri.* Duplices enim operarii in hac parabola nobis proponuntur: quidam in operibus suis spectant mercedem, existimant labores suos esse dignos praemio; ideo pro majori labore majorem exigunt mercedem, enumerant Deo merita sua, invident proximo gratiam DEI, extollunt sese supra alios, murmurant contra patremfamilias, accusant eum injustitiae, sua opinione et judicio mundi sunt primi; illi accipiunt denarium, hoc est coguntur esse contenti praemiis hujus vitae. Deus enim tam beneficus est, ut nihil quicquam boni relinquat immune a praemio; sed qui volunt operibus confidere, eadem jactare et reliquis sese propter ea praeferre, illi ablegantur particula praemiorum hujus vitae, coguntur enim abire, nec habent, quod de injuria sibi facta juste conqueri possint. Quidam vero non respiciunt in operibus suis mercedem, contenti sunt gratuita illa promissione patrisfamilias: *Quod justum est, dabo vobis*, obsequuntur vocationi, strenue laborant, serviunt Deo in simplicitate cordis sui et sunt in oculis suis novissimi, judicant se et opera sua non esse digna, quibus merces debeatur, committunt se totos divinae gratiae, agnoscunt opera sua longe imparia esse, quam ut vitae aeternae praemia ipsis debeantur, agnoscunt se longe plura Deo debere, quam praestant, illi fiunt primi, hoc est: Deus sua gratia eos complectitur et pietatem eorum hujus et futurae vitae praemiis ex gratia remuneratur. Illi operarii possunt dici murrende Lastträger, hi vero willige Gnadendiener. Nazianzenus orat. 40. in S. Bapt. p. 651: *Illi non prius crediderunt*, *nec ingressi sunt*, *quam ipsis ex conventu merces constituta fuisset; hi nulla conducta mercede*, *ἀσύμβατοι*, *ad laborem accesserunt*, *quod quidem majoris fidei argumentum est; ad haec illi invidiae et ad murmurandum proclivis naturae esse inventi sunt; his nihil tale objicitur; tum etiam illis merces erat*, *quod dabatur*, *etiamsi improbis et malignis; his gratia. Quare stoliditatis damnati ampliori mercede merito privati sunt.* 8. Ex his facile intelligi potest, quid ad exceptiones Bellarmini respondendum sit. Apologia August. confess. disputat, *mercedem vocari praemium*, *quod Deus reddit*, *non quia debeatur operibus*, *sed quia debetur promissioni*, *qua Deus constituit opera remunerari.* Bellarminus obvertit, *mercedem hanc dari operibus*, *non soli promissioni*, *cum diserte in parabola dicatur*: *Voca operarios et da illis mercedem. Item quod mercedis nomine venit*, *id respectum habere non ad solam promissionem*, *sed etiam ad conditionem operis et conditionis impletionem.* Respondeo: sane merces non solum respicit promissionem, sed etiam opera, datur enim operantibus, sed ex eo nondum sequitur, quod propter meritum et dignitatem operibus inhaerentem detur, cum ex gratuita bonitate et promissione potius contingat; aliud est quaerere, cui detur merces, aliud propter quid detur; operibus mercedem (gratiae) dari concedimus, propter opera eandem dari negamus; conditionem operis ad mercedem requiri concedimus, causalitatem vero operis intercedere negamus. Quod subjungit Bellarminus, *vitam aeternam duplici titulo piis deberi*, *titulo scilicet hereditatis et jure mercedis*, de eo superius §. 100. quantum satis erat, egimus.

115. Alteram classem argumentorum pro stabiliendis operum meritis petit Bellarminus ex illis locis, in quibus dicitur: *Deus redditurus unicuique secundum opera sua.* Psalm. 62, v. 13: *Reddes unicuique secundum opera sua.* Matth. 16, v. 27: *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis et tunc reddet unicuique secundum opera sua.* Luc. 6, v. 38: *Eadem mensura*, *qua mensi fueritis*, *remetientur vobis.* Rom. 2, v. 5: *Thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi judicii;* v. 6: *qui reddet unicuique secundum* VIII. 133.
*opera ejus.*** Pererius disput. 5. in c. 2. Rom. num. 39. p. 279. *secundum opera* sic exponit, *quod Deus propter bona opera seu pro qualitate ac merito dignitateque operum unicuique sit retributurus.* Atqui

2. Deus reddet unicuique secundum opera.

1. nuspiam legitur in Scriptura, *vitam aeternam dari propter bona opera*. 2. In negotio justificationis et salutis semper opponuntur *opera et gratia*. 3. D. apostolus Rom. 8. expresse testatur, nullam esse bonorum operum dignitatem respectu vitae aeternae.** 1. Cor. 3, v. 8: *Unusquisque mercedem accipiet secundum suum laborem*. Galat. 6, v. 8: *Quae seminaverit homo, haec et metet*. Apocal. 22, v. 12: *Ecce venio cito et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua*. Haec dicta Bellarmino hunc videntur habere sensum, quod *praemium coeleste detur hominibus secundum mensuram et proportionem operum et laboris; ex quo ulterius colligit, in praemio illo conferendo non haberi rationem solius promissionis, vel liberalitatis, vel indulgentiae Dei, sed etiam dignitatis et efficaciae ipsorum operum*. Respondemus: 1. Dicta illa non sunt ejusdem generis omnia; proinde ἀπαιδεύτως uni fasciculo includuntur. In genere dicimus, ea, quae pro aequipollentibus habet Bellarminus, videlicet praemia dari secundum opera et praemia reddi secundum mensuram et proportionem operum, esse diversissima; illud notat operum testimonium, hoc vero eorundem meritum; illud disertis Scripturae verbis asseritur, hoc vero iisdem refragatur. Dantur praemia secundum opera, quia Deus ex gratia piorum opera temporalibus et aeternis praemiis remuneratur; nequaquam vero dantur secundum mensuram et proportionem operum; tum quia peccata etiam piorum incomparabiliter plura sunt, quam bona eorum opera; tum quia nulla est inter opera nostra et praemia, in primis coelestia, proportio. 2. Observavit hoc discrimen ipse Gregorius in Psalm. 7. poenitentialem, cujus, utpote Romani episcopi, testimonium non poterit repudiare Bellarminus: *Aliud est* (inquit) *secundum opera reddere et aliud propter ipsa opera reddere; in eo enim quod secundum opera dicitur, ipsa operum qualitas intelligitur, ut cujus apparuerint opera bona, ejus sit et retributio gloriosa. Illi namque beatae vitae, in qua cum Deo et de Deo vivitur, nullus potest aequari labor, nulla opera comparari, praesertim cum apostolus dicat: non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis*. Theodoretus in c. 6. Rom.: *Etsi quis summam et absolutam justitiam praestiterit, temporalibus laboribus aeterna in aequilibrio non respondent*. 3. Huc pertinet observatio phraseos; nuspiam asseritur διὰ τὰ ἔργα, *propter opera*, dari praemia, sed κατὰ τὰ ἔργα, *secundum opera;* prius notat meritum, dignitatem et efficaciam operum; posterius vero eorum qualitatem et testimonium. Qualia opera hominum sunt futura, tale etiam fore judicium ostenditur; si bona, testificantia scilicet de vera in Christum fide, et salute ipsi propter Christum potituri sunt et coelestibus praemiis ipsorum opera ornanda; sin mala, de incredulitate et impoenitentia ipsorum testificantia, non solum ab aeterna salute excludentur, sed etiam aeternis poenis subjicientur. Loquimur autem de qualitate operum, non prout legaliter juxta strictum justitiae divinae rigorem (quem ne ipsa quidem piorum opera sustinere possunt), sed evangelice juxta gratuitam misericordiae divinae promissionem considerantur; etenim si ad exactissimam legis trutinam piorum opera examinentur ac severo Dei judicio discutiantur, tum propter adhaerentem imperfectionem et peccati labem meritissime repudiari possent; sed propter Christum placent Deo renatorum opera ex fide facta, per quam adhaerens immundities tegitur, ne in conspectum et judicium Dei veniat ac gratuitam eorum remunerationem impediat. 4. Neve quis dubitet de sensu phraseos κατὰ τὰ ἔργα, attendat sequentibus Scripturae dictis. 2. Cor. 5, v. 10: *Omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi, ut referat unusquisque τὰ διὰ τοῦ σώματος πρὸς ἃ ἔπραξεν, propria corporis prout gessit, sive bonum sive malum*. Apoc. 22, v. 12: *Ecce venio cito et merces mea* VIII. 134
mecum, reddere unicuique, ὡς τὸ ἔργον αὐτοῦ ἔσται, prout opus ejus erit; ubi manifestissime bonorum operum qualitas et testimonium, nequaquam vero eorundem meritum phrasi illa exprimitur. Qui valet optimo inter multos competitores testimonio, is beneficium consequitur, cum eo agitur secundum testimonium; at nemo interim dicet, quod testimonii merito beneficium sit ei collatum, virtute enim meritus sit oportet, ut beneficium accipiat, cujus judicio illi duntaxat fuerat testimonium, quae est D. Mylii similitudo. 5. Reddere secundum opera Bellarminus (si modo ad scopum controversiae hoc argumentum accommodatum esse debeat) intelligit reddere ex debito justitiae, tanquam mercedem proprie sic dictam meritis ex adverso respondentem; atqui hoc neque ῥητῶς dictis illis asseritur, neque valida consequentia ex eis inferri potest; quin imo non ἀντιδόσεως, sed ἀποδόσεως vocula in illis dictis usurpatur; Matth. 16, v. 27. Rom. 2, v. 6. Apoc. 22, v. 12. Si ἀντιδόσεως vox a Spiritu sancto adhiberetur, specie aliqua debitae mercedis retributio urgeri posset; at τὸ ἀποδοῦναι generale est, ac proinde, quando Deus ex gratia non merita nostra, sed sua in nobis dona coronat, optime locum habere potest. Huc referendum, quod Apoc. 22, v. 17. additur: *qui sitit, veniat et qui vult, accipiat aquam vitae δωρεάν, gratis;* et quod c. 21, v. 6. et 7. praecedit: *Ego sitienti dabo de fonte aquae vivae δωρεάν; qui vicerit, κληρονομήσει πάντα, hereditate consequetur omnia, et ero illi Deus et ipse erit mihi filius*. Proinde per ἀντίδοσιν gratuita donatio, nequaquam vero debitae mercedis retributio intelligitur. 6. Restat, ut in specie ad quaedam dicta respondeamus. Psalm. 62, v. 12. immediate praecedit: *Tibi, Domine, misericordia, quia tu reddes,* תְּשַׁלֵּם, *viro secundum opus suum*. שלם saepius usurpatur pro ἀποδοῦναι, uti etiam hoc ipso in loco verterunt LXX interpretes ἀποδώσεις ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ. Luc. 6, v. 38. proprie non agitur de retributione divina, sed civili et politica; in plurali enim dicitur, *mensuram bonam* etc. *dabunt in sinum vestrum, et eadem mensura, qua mensi fueritis, re-*

metietur vobis. Quodsi vel maxime de divina retributione hoc dictum intelligeretur, probaret potius, Deum supra meritum et supra condignum bona opera remunerari, quam quod bona opera vere et proprie ex condigno sint vitae aeternae meritoria; ideo ipse Bellarminus c. 19. sequente hunc locum eo fine adducit, ut probet, *Deum remunerari opera bona supra condignum.* Dictum Rom. 2, v. 6. plane legale est, ut ex scopo disputationis apostolicae manifestissimum. Id enim apostolo propositum, ut perfectam legis impletionem omnibus hominibus deroget ac proinde ex operibus nullam carnem coram Deo justificari posse demonstret. 1. Cor. 3, v. 8. non de ipsa vita aeterna, sed de aliis praemiis agitur; sic enim habent verba: *unusquisque ἴδιον μισθόν, propriam mercedem, accipiet juxta ἴδιον, proprium, laborem.* Vita aeterna communis erit omnibus beatis; at merces illa, de qua apostolus hic loquitur, erit cujusque propria, non autem communis omnibus. Ergo non est ipsa vita aeterna. Quodsi in hoc dicto apostolico per mercedem intelligeretur vita aeterna, sequeretur, eum, qui non accipit mercedem, nec vitam aeternam accepturum. Posterius est falsum, ut apparet ex v. 14. et 15. Ergo et prius. Unde ipse Bellarminus in hoc capite praesente locum ad differentias graduum diserte accommodat, quando paulo post scribit: *Si vera esset haereticorum sententia, sicut justitia eadem est in omnibus justis, nec major in uno, quam in alio, ita esset eadem beatitudo in omnibus beatis, nec major in uno, quam in alio. At certe longe aliud Scriptura docet, cum ait: Unusquisque mercedem accipiet secundum suum laborem.* De loco Gal. 6. paulo post disseremus; locus Apoc. 22. ex praecedentibus intelligitur.

116. Verissima igitur est nostrorum responsio, quod dictis illis praemia temporalia et aeterna bonis operibus ex gratia danda, adstruantur; nequaquam vero opinio de meritis, qua finguntur bona opera non solum coelestium praemiorum, sed etiam ipsius vitae aeternae vere et proprie ex condigno meritoria esse, stabiliatur. Sed Bellarminus habet, quod regerat lib. 5. de just. c. 3: *1. Apostolus cum dixisset Rom. 2, v. 6. Deum redditurum unicuique secundum opera, subjunxit continuo: his, qui secundum patientiam boni operis gloriam et incorruptionem quaerunt, vitam aeternam. Ergo docuit, vitam aeternam esse illud praemium, quod datur secundum proportionem et mensuram operum.* Respondemus: legis divinae sententiam eo in loco proponit apostolus; lex promittit vitam aeternam perfecte obedientibus. At cum propter infirmitatem carnis nullus perfecte impleat legem; ideo hae promissiones legis redduntur nobis inutiles; fide igitur confugiendum est ad Christum, *qui est finis legis,* Rom. 10, v. 4. *in eo promissiones Dei sunt ναὶ καὶ ἀμήν* 2. Cor. 1, v. 20. quodcunque igitur lex promittit, id fide in Christum, qui nostri loco implevit legem, obtinemus; ex illa fide postea bene operamur ac nos Christo vere insitos esse demonstramus; in iisdem operibus, tanquam in via, ad ultimam vitae aeternae possessionem ambulantes eandem ex gratia per fidem tandem consequimur; quo sensu illud *ζητεῖν τὴν δόξαν καὶ τιμὴν καὶ ἀφθαρσίαν καθ᾽ ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ* accipiendum erit, si ad renatos transferatur, sicque bona opera erunt *via regni, non causa regnandi.* Ut Bernhardus in tract. de grat. et lib. arbit. sub finem loquitur: D. Petrus *salutem animarum finem fidei* vocat 1. Petri 1, v. 9. nimirum quia fides in Christo non solum gratiam Dei, remissionem peccatorum et justitiam, sed ipsam etiam vitam aeternam (quae est donum Dei in Christo Rom. 6, v. 23.) apprehendit; eadem viva et vera fides, postquam in Christo salvatore unico vitam aeternam apprehendit, efficax est per bona opera, quibus tanquam fructibus se declarat et ad propositum finem (vitam aeternam Rom. 6, v. 22.) feliciter decurrit. Proinde nec fides nec opera tanquam causa meritoria ad vitam aeternam concurrunt; sed fides justitiam et salutem in Christo apprehendit et est causa instrumentalis; bona opera sunt velut stadium illud ac via, in qua decurrere debent renati, ut finem fidei salutem aeternam tandem consequantur. *Non est autem idem finis et merces; nam finis relationem habet ad media, sive sint merita, sive non sint; merces* (debita scilicet et proprie sic dicta) *relationem habet ad sola merita,* ut in hoc ipso capite Bellarminus scribit. 2. Gal. 6. cum dixisset apostolus: *Quae seminaverit homo, haec et metet,* adjunxit explicans, *qui enim seminaverit in carne sua, de carne metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam. Ergo vita aeterna datur secundum mensuram et proportionem operum.* Respondemus: ipse Bellarminus in sequentibus verbis hujus capitis dictum apostolicum ad graduum differentias in vita aeterna accommodat, sic enim scribit: *Longe aliud Scriptura docet* (quam quod sit eadem beatitudo in omnibus beatis, nec major in uno, quam in alio), *cum opera comparat semini et vitam aeternam frugibus.* Ergo ex hypothesi Bellarmini non de ipsa vita aeterna, sed de gradibus gloriae in vita aeterna apostolus agit; illos vero diversis operibus diversos ex gratia dari, haud inviti concedimus. At inquit Bellarminus, *vere semen est causa frugum et secundum mensuram sementis messis quoque et frugum mensura respondet. Jam vero bona opera comparantur semini et vita aeterna frugibus. Ergo vere sunt causa majoris beatitudinis.* Respondemus: ex parabolis et similitudinibus non ducuntur argumenta apodictica, nec extendendae sunt comparationes ultra illud tertium, propter quod adhibentur. Apostolus respicit hoc loco non dignitatem vel meritum operum, sed eorum sequelam. Quemadmodum sementem, quae interdum in tempestate et pluviis satis tristis est, gratuita Dei benedictione sequitur messis laetissima; ita pii in hac vita *seminant in lacrimis, sed metent aliquando in exsultatione,* Psalm. 126, v. 5. *Euntes eunt et plorant portantes pretiosum semen, venientes autem venient cum exsultatione portantes manipu-*

los suos v. 6. Invertimus igitur argumentum. Quemadmodum sementis non est causa meritoria messis, sed Dei benedictione illam haec consequitur; ita bona opera non sunt causa meritoria praemiorum coelestium, sed Dei benedictione ad illa haec consequuntur. Si nostro arbitrio similitudinem
VIII. 136. hanc liceret accommodare, varia absurda ex ea possent inferri. Quemadmodum semen non fert fructum, nisi prius non fuerit mortuum Joh. 12, v. 24. ita bona opera non consequuntur praemia, nisi prius fuerint mortua. At contrarium docent Scholastici, videlicet opera viva, non autem mortua vel mortificata praemiis affici. Quemadmodum spem agricolarum saepius *exspectata seges vanis elusit aristis;* ita incerta sunt bonorum operum praemia; at contrarium docet apostolus, *bonum facientes* (inquit) *non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes* v. 9. Atque haec Bellarmino responderi debent, qui locum apostoli de gradibus gloriae interpretatur, sed enim cum diserte dicat apostolus. *eos qui in spiritu seminant, vitam aeternam messuros esse;* ideo dicimus, proponi in hoc dicto descriptionem subjecti, non autem causae meritoriae. Describuntur illi, *qui metent*, hoc est consequentur vitam aeternam, quod *scilicet seminant in spiritu*, id est, quod sint per Spiritum sanctum regeniti et ex fide bene operentur; nequaquam vero propter dignitatem vel meritum operum, sed ex gratia tanquam filii hereditate consequuntur vitam aeternam, quae simul largissima est compensatio omnium laborum atque aerumnarum, quas in hac vita propter Christum sustinuerunt. ** Hieronymus recte monet, *apostolum non dicere, quod ex bonis nostris operibus, sed quod ex spiritu vitam aeternam messuri simus. Illud* (inquit) *pariter observandum, quod qui seminat in carne, cum additamento suae carnis ponitur. Qui autem seminat in spiritu, non dicitur in spiritu suo, sed simpliciter in spiritu. Qui enim bona seminat, non in suo quispiam, sed in Dei spiritu seminat, de quo et vitam est messurus aeternam.*** Quodsi Bellarminus vel alius quispiam ita velit inferre: ut se habet semen ad fruges, ita se habent bona opera ad vitam aeternam. Sed semen est causa frugum. Ergo etiam bona opera sunt causa vitae aeternae; reresponsiones superiores erunt repetendae, quod scilicet similitudines non sint extendendae ultra comparationis tertium, quod non probent, sed tantum illustrent, etc. Possem enim ex hac similitudine etiam sic inferre: quemadmodum quodlibet semen peculiarem profert fructum, ita quodlibet opus veluti misericordiae, patientiae etc. peculiarem mereatur vitam aeternam; quemadmodum semen, si mortuum fuerit, multum fructum affert Joh. 12, v. 24. ita bona opera si fuerint mortua, multam afferent vitam aeternam etc. *3. Explicare debent adversarii* (ait Bellarminus), *quae sint praemia bonis operibus in vita futura reddenda, si ad ea non pertinet vita aeterna.* Respondemus: adeone ignota est Bellarmino distinctio Scholasticorum inter praemia essentialia et accidentalia? illorum nomine intelligunt ipsam vitam aeternam in visione Dei et salute animarum consistentem; horum vero appellatione complectuntur distinctos gloriae et claritatis gradus, de quibus alius erit disserendi locus. Vita aeterna est donum Dei in Christo; gradus gloriae sunt bonorum operum praemia, diversorum scilicet diversa. *4. Malis operibus debetur mors aeterna. Ergo et bonis operibus vita aeterna ex debito erit reddenda.* Respondemus: mala opera sunt perfecte mala, bona vero sunt imperfecte bona; illa igitur vere et proprie sunt aeternarum poenarum meritoria; haec vero ne quidem accidentalium, nedum essentialium vere et proprie ex condigno sunt meritoria. Quid? num et hoc modo argumentabimur: Deus non punit mala opera ultra condignum. Ergo nec bona remuneratur ultra condignum? Negabit ipse Bellarminus. *5. Si vita aeterna non redderetur operibus, nisi ut sint signa fidei, non recte diceret Scriptura, dari praemium illud secundum proportionem laboris et operis uniuscujusque, nec dici possit, dari secundum proportionem majoris vel minoris fidei.* Respondemus: Collectio est verissima, sed demostrandum erat assumtum, quod scilicet vita aeterna reddatur secundum proportionem laboris, id enim nuspiam Scriptura asserit; sed accidentalia praemia, prout quis vel plus, vel minus laboravit, ex gratuita Dei promissione vel majora, vel minora fore ostendit. Nec secundum proportionem majoris vel minoris fidei vitam aeternam dari
dicimus, cum fidem, non ut est qualitas firma vel VIII. 137
infirma, sed ut relative apprehendit Christum, et justificare et salvare doceamus. *6. Scriptura eadem phrasi loquitur de bonis et malis operibus; at si bonis operibus non redditur praemium, nisi quia sunt signa fidei, certe etiam malis operibus non reddetur poena, nisi quia sunt signa perfidiae vel absentiae verae fidei. At quis Christianus id affirmare audeat, homicidio, adulterio, perjurio et aliis id genus sceleribus non deberi supplicium per se, qua talia scelera sunt, sed solum quatenus sunt signa perfidiae vel absentiae verae fidei.* Respondemus: Connexio majoris non est satis firma propter evidentem disparitatem bonorum et malorum operum in comparationis tertio. Bona opera sunt imperfecte bona, mala opera sunt perfecte mala; his ergo inest dignitas ad aeterna supplicia, illis vero non inest dignitas ad aeterna praemia. Quod ad minorem attinet, ostendimus suo loco, Christum satisfecisse pro omnibus omnium hominum peccatis; ex quo immote sequitur, causam immediatam et adaequatam damnationis non esse peccata (alias omnes homines damnarentur), sed incredulitatem, quae satisfactionem a Christo praestitam repudiat; verissime igitur dicitur, quod sola incredulitas damnet, non quod reliqua peccata in se ac per se non sint damnabilia; sed quia fide in Christum omnium peccatorum remissio contingit; neque tamen ex eo inferendum, quod fides cum peccatis contra conscientiam consistat, ut suo loco manifestum fecimus.

3. Ratio, cur detur vita aeterna, ponitur in operibus bonis.

117. Tertiam argumentorum classem complet Bellarminus ex illis dictis, quae ita vitam aeternam reddi testantur operibus bonis, ut ipsam rationem, cur detur vita aeterna, in operibus ponant. Matth. 25, 34 sqq.: *Venite, benedicti, possidete regnum* etc. *esurivi enim, et dedistis manducare.* Ibid. v. 21: *Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Apoc. 7, v. 14 et 15: *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione* etc. *ideo sunt ante thronum Dei; in quibus locis particulae* enim, quia, ideo *sunt omnes causales, ut notum est.* Respondemus: 1. in genere: particulae enim, quia etc. non semper sunt causales, sed saepe numero ratiocinativae. Matth. 16, v. 2. et 3: *Cum coeperit esse vespera, dicitis: serenitas erit, rubet enim coelum; et mane: hodie tempestas, rubet enim coelum triste* (quamvis vero rubor coeli vespertinus serenitatis, matutinus tempestatis quodammodo sit causa; eo tamen in loco non ut causa, sed ut signum a Christo adducitur). 1. Cor. 10, v. 5: *in pluribus eorum non beneplacitum est Deo, prostrati enim sunt in deserto* (certe interitus Israëlitarum non fuit causa reprobationis, sed ejus consequens). Luc. 7, v. 47: *Remissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum* (ostendimus in tract. de poenit. ex ipsis visceribus textus, particulam *quia* non posse hoc loco causaliter accipi). 1. Thess. 2, v. 17. et 18: *Festinavimus faciem vestram videre cum magno desiderio, quia voluimus venire ad vos* (adventus non est causa, sed consequens desiderii; ergo particula *quoniam* non est causalis, sed ratiocinativa). 1. Tim. 1, v. 13: *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci* (ignorantia illa non fuit causa meritoria misericordiae, sed minuit tantummodo delicti gravitatem). Maldonatus in comment. Joh. 8: *Haec vocabula quia et quoniam non causam aliquando significare, innumera vel in solis psalmis exempla sunt.* Ostendendum vero erit in his ipsis dictis non causaliter, sed ratiocinative particulas illas accipiendas esse, hoc est non causam meritoriam salutis, sed notam et qualitatem salvandorum describi. 2. De loco Matth. 25. egimus superius §. 58. atque ostendimus, non de salutis meritis, sed verae fidei testimonio et infallibili piorum signo Christum loqui. Regerit Bellarminus, *non posse brevius et apertius explicari, quod opera misericordiae sint vera causa salutis, quam si dicatur: venite, possidete regnum; esurivi enim, et dedistis mihi edere etc.* Respondemus: causam vitae aeternae in praecedentibus verbis Christus jamdum expresserat, videlicet gratuitam Dei misericordiam, qui in Christo nos elegit ac in filios adoptavit; exponit igitur indubitata illius electionis et *υἱοθεσίας* indicia. Quae ex membro posteriore sententiae dominicae, uti et ex apostolicis dictis 2. Cor. 4. Galat. 6. Phil. 2. regerit Bellarminus, superius exposita sunt universa. 3. Ad locum alterum ex eodem c. 25. Matth. v. 21. et 23. desumtum multa verissime responderi poterant, videlicet parabolam illic proponi v. 14. cujus interpretatio ad fidei analogiam exigenda, nequaquam vero eidem opponenda sit; item de multis Christum loqui, super quae fideles servi non aequaliter (quod fit cum ipsa vita aeterna), sed differenter (quod graduum gloriae et claritatis proprium est) constituendi sint; denique Luc. 19. eandem parabolam paucis immutatis describi, quam ipse Bellarminus c. 19. hujus libri eo accommodat, quod Deus bona opera ultra condignum remuneretur; proinde non posse ex ea inferri, quod bona opera ex condigno sint vitae aeternae meritoria. Haec et plura alia rectissime Bellarmino obverti possunt, sed cum omnem argumenti vim ac robur in particula quia, quam causalem esse statuit, collocet, unicum hoc ad solutionem sufficit, quod particula illa in textu Graeco, qui authenticus est et originalis, non habeatur, sed simpliciter ita legitur: *εὐ δοῦλε ἀγαθὲ καὶ πιστέ, ἐπὶ ὀλίγα ἦς πιστός, ἐπὶ πολλῶν σε καταστήσω.* Adducitur ergo fidelis illius servi industria non ut meritum, sed ut fidei testimonium, juxta quod judicatur; ac collocatio illa super plura non est debita quaedam merces, sed gratuita remuneratio. Si enim *facientes omnia, quae praecepta sunt nobis, nihilominus fateri cogimur, quod simus servi inutiles* Luc. 17, v. 10. utique servus iste fidelitate sua nihil quicquam promereri potuit. 4. Apoc. 7. v. 14. tribulationes electorum adducuntur non ut causa et meritum, sed ut via, per quam ad thronum Dei sunt adducti, non enim propter, sed *per multas tribulationes ingredimur regnum coelorum,* Actor. 14, v. 22. Quia quos Deus in vita aeterna glorificare constituit, eos per crucem *imagini Filii sui* in hac vita *prius conformes facit,* Rom. 8, v. 29. Meritum autem salutis in eo ipso textu non passionibus sanctorum, sed sanguini Filii Dei manifestissime adscribitur. Sic enim unus ex senioribus dicit Johanni: *Hi sunt, qui venerunt ex tribulatione magna et laverunt stolas suas et dealbarunt eas in sanguine agni* v. 14. *ideo sunt ante thronum Dei* v. 15. quo pertinent similia Apocalypseos pronuntiata: c. 1, v. 5 et 6: *Et qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris per sanguinem suum et fecit nos reges et sacerdotes Deo et Patri suo in gloria* etc. c. 5, v. 8. et 9: *Quatuor animalia et viginti quatuor seniores cantant canticum novum, dicentes agno: dignus es accipere librum et aperire signacula ejus, quoniam occisus es et redemisti nos Deo per sanguinem tuum ex omni tribu* etc. ideo illi ipsi seniores c. 4, v. 10: *mittunt coronas suas ante thronum dicentes* v. 11: *dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam* etc. non ergo suo, sed agni merito, non sua dignitate, sed Dei dignitate coronas se accepisse agnoscunt.

4. Praemium bonis operibus redditur ex justitia.

118. Quarta argumentorum classis producit illa testimonia, ubi praemium bonis operibus ex justitia dicitur esse reddendum. 2. Thess. 1, v. 4: *Gloriamur in ecclesia Dei pro patientia vestra et fide in omnibus persecutionibus vestris et tribulationibus, quas sustinetis in exemplum justi judicii Dei.* Et postea v. 6: *Si tamen justum est apud Deum retribuere tribulationem his, qui vos tribulant;* v. 7

et vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum. 2. Tim. 4, v. 7: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi;* v. 8: *in reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in die illa, justus judex.* Hebr. 6, v. 10: *Non est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri.* Jacob. 1, v. 12: *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae.* Apoc. 2, v. 10: *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae.* Prov. 19, v. 17: *Qui miseretur pauperis, foeneratur Domino.* 1. Cor. 9, v. 24: *Nescitis, quod hi, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit brabeum; sic currite, ut comprehendatis.* 2. Tim. 1, v. 12: *Certus sum, quia potens est servare depositum meum in diem illum* (siquidem injuriam faceret, qui mutuum
VIII. 139. non redderet, vel brabeum vincenti non daret, vel depositum non restitueret; haec enim omnia justitiam includunt). Respondemus: in genere. Vita aeterna χάρισμα, gratuitum Dei donum, Rom. 6, v. 23. quod vero dicitur *corona justitiae*, id fit triplici ratione: 1. quia justitia Dei in Scripturis idem quandoque notat quod misericordia. D. Lutherus in enarr. evang. 1. adv.: *Diligenter hoc observa, ubicunque in sacris literis ista verba invenis, justitia Dei, ne ea de essentiali interiori Dei justitia intelligas; sed scias, juxta phrasin Scripturae significare gratiam et misericordiam Dei per Christum in nos effusam, per quam coram Deo reputamur justi et probi. Propter eam vero causam justitia Dei nominatur, quia eam non nos, sed Deus in nobis per gratiam operatur* etc. Hanc Lutheri observationem verissimam esse patet ex compluribus Scripturae dictis, in quibus justitia non potest aliud quam Dei bonitatem et misericordiam significare. Psalm. 51, v. 16: *Libera me de sanguinibus et exaltabit lingua mea justitiam tuam.* Psalm. 143, v. 1: *Exaudi me in justitia tua et ne intres in judicium cum servo tuo.* Dan. 9, v. 16: *Secundum omnes justitias tuas averte iram tuam*, inde etiam interpres Latinus pro justitia interdum substituit misericordiam. Psalm. 103, v. 6: *Faciens misericordias Dominus*, in Hebraeo est: faciens justitias. Sic ergo vita aeterna est corona justitiae, hoc est *qua coronat Deus pios ex gratia et misericordia*, ut exponitur Psalm. 103, v. 4. Hujus loci est observatio illa, quod Deus in Scripturis praedicetur justus, quando ex mera et sola sua misericordia, absque nostrorum operum interventu, nobiscum agit. Rom. 3, v. 25: *Christum proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine ejus ad ostensionem justitiae suae per remissionem praecedentium delictorum* (atqui remissio peccatorum est opus gratuitae Dei misericordiae). 1. Joh. 1, v. 9: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus et justus, ut remittat nobis peccata nostra et emundet nos ab omni iniquitate.* 2. Quia Christus vitam aeternam nobis promeruit. *Duplici jure possidet Christus regnum coelorum* (ut superius ex Bernhardo lib. 1. de vita ipsius c. 13. audivimus), *hereditate scilicet Patris et merito passionis; altero ipse contentus est, alterum nobis donat.* Quamvis igitur respectu nostri gratis nobis donet Deus vitam aeternam; ejusdem tamen acquisitio Christo multis constitit. Bernhardus serm. 14. in Psalm. 91: *Salvus factus es gratis, quod ad te pertinet, et pro nihilo; sed quod illum, plane non gratis, non de nihilo.* Quare cum ipsa Christi justitia per fidem nobis imputetur, Esa. 45, v. 24. Jer. 23, v. 6. 1. Cor. 1, v. 30. 2. Cor. 5, v. 21. ideo etiam jus illud, quod Christus passione sua obtinuit, nobis donatur, quo respectu vita aeterna iterum est corona justitiae, non nostrae, sed justitiae Christi per fidem nobis imputatae. **Blasius de Viega in comm. c. 3. Apoc. p. 196. ad quaest: *Cur episcopo Laodiceno, qui caritatem amiserat, suadeatur, ut emat caritatis aurum, cum prima gratia atque adeo prima caritas non cadat sub nostrum meritum et per consequens emi nequeat?* hoc modo respondet: *Utrumque verum est et gratis dari primam gratiam et simul emi. Etenim si respiciamus ad nostra merita, quae nulla sunt, gratis confertur. Si autem ad merita Christi, qui nobis vel ipsam primam gratiam de justitia meruit, vere eam Christus nobis conferendam emit. Atque in hunc sensum* (inquit) *conciliandа est apud Esaiam illa in speciem contrarietas cum ait, c. 55:* Omnes sitientes venite ad aquas et qui non habétis argentum, properate, emite etc. *Quomodo enim, si ad emendum homines invitantur, sine pretio admittuntur, et qui fieri potest, ut gratuita et liberalis donatio, quippe quae sine pretio et commutatione perficitur, emtio appellari possit? nimirum sine argento modo gratiam emimus, quae tamen ex argento Christi, id est meritorum ejus infinito pretio confertur. Itaque comparatione nostri liberalis est donatio, comparatione Christi vera emtio; quam expositionem affert Ambrosius libr. de Josepho patriarch. c. 7. Emite, inquit, sine argento, neque enim pretium quaesivit a nobis, qui pro nobis sanguinis sui pretium solvit.* Quod Viegas de prima gratia dicit, idem nos de vita aeterna dicimus, quae itidem vocatur χάρισμα Rom. 6, v. ultim respectu nostri datur gratis, respectu Christi datur ex merito.** 3. Quia vita aeterna credentibus in Christum est promissa; jam vero quod promissum, vi promissionis dari aequum VIII.
est et justum, quamvis ipsa promissio sit mere gratuita atque hac ratione gratis detur beneficium. Ambrosius in c. 3. Rom.: *Justitia Dei dicitur, quae videtur misericordia, quia de promissione originem habet, et cum promissum Dei redditur, justitia Dei dicitur; justitia enim Dei est, quia redditum, quod promissum est.* Sic ergo vita aeterna certis respectibus est corona justitiae, quamvis sit donum Dei gratuitum. Porro quando ex justitia passionibus et bonis operibus piorum tum hujus tum aeternae vitae praemia reddi dicuntur, ex illis dictis itidem inferri nequit, vel passiones vel opera piorum esse ex condigno meritoria illorum praemiorum. Justitia enim intelligitur vel stricta vel misericordia temperata. Secundum illam cum operi redditur praemium, tum

illud hujus ex condigno meritorium esse recte infertur; siquidem in illa retributione laboris dignitas et justa ad praemium proportio attenditur. Sed secundum strictum illum justitiae rigorem non retribuitur bonis operibus, cum severum illud Dei judicium ipsa etiam bona opera nequeant sustinere, Job. 9, v. 3. Proverb. 20, v. 9. Psalm. 30, v. 8. Psalm. 143, v. 2. cumque solius Christi obedientia justitiae divinae satisfieri potuerit; retribuitur autem secundum justitiam temperatam misericordia, non ob dignitatem vel meritum aliquod operum, sed quia adhaerens illis imperfectio et immunditiеs merito Christi per fidem tegitur (quod est opus misericordiae divinae) et quia promissionem gratuitam Deus edidit, quod bona opera renatorum temporalibus et aeternis praemiis afficere velit (quod promissum ipso actu praestare est justitiae). Bernhardus libr. de gratia et libr. arbit.: *Promissum ex misericordia, sed tamen ex justitia persolvendum.* Joh. Ferus libr. 3. in Matth. c. 20, v. 8: *Gratis promisit, gratis et ex justitia reddit.* Intellige autem justitiam, quae respicit promissionis veritatem, non autem operum dignitatem. D. Chemnicius part. 3. locorum p. 195: *Vocatur corona justitiae, non quasi ea justitiae nostrae tribuatur; sed intelligitur corona justitiae Dei, qui, quia promisit gratis, pro justitia sua servat.* Breviter, dantur praemia ex justitia fidelitatis respectu promissionis divinae, non autem ex justitia aequalitatis respectu pretii et laboris nostri.

119. Ex his facile intelligitur, quid in specie ad dicta in medium allata respondendum sit. 1. Thessalonicenses sustinebant afflictiones suas in justi judicii exemplum, nequaquam vero in vitae aeternae meritum. Respectu earum persecutionum et afflictionum, quas proprii contribules ipsis inferebant, erant justi et innocentes; neque enim propter malefacta, sed propter confessionem veritatis propter Christum eas perferebant. Deus ergo, cum justus sit, dedit illis requiem (neque *enim in aeternum dat fluctuationem justo*, Psalm. 55, v. 23.), vindicavit eorum innocentiam ab hostibus (quibus dignas irrogavit poenas) ac praemiis aeternis ex gratia promissis omnes ipsorum afflictiones largissime compensavit (quae est justitia promissionis, non operum dignitatem, sed verbi veritatem respiciens; justum enim ac Deo dignum est servare ea, quae promisit). 2. Apostolus 2. Tim. 4. non de suis meritis coram Dei judicio gloriatur, sed de perseverantiae dono, ad quod indubitanter ipsa salus et corona justitiae sequitur, pie exsultat ac sibi ipsi de gravissimo et difficillimo certamine per Dei gratiam superato gratulatur. Cum enim sola perseverantia coronetur Matth. 10, v. 22. et c. 24, v. 13. absque qua *nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur*, Bernhardus epist. 129. et vero Paulus etiam potuerit circa fidem naufragium facere; ideo certamen fidei consummatum, in militia spirituali debellatum, ac coronam justitiae sibi repositam esse merito laetatur. Singulis horis metuendum erat apostolo, ut injustissimo judicio Neronis sisteretur, v. 6: *Ego*, inquit, *jam immolor et tempus resolutionis meae instat;* ideo oculos atque animum attollit ad justum illum judicem in coelis, qui daturus sit ipsi coronam justitiae, atque hoc ipso manifestum facturus, quod injuste fuerit afflictus quodque fideliter in evangelio servierit. In sequentibus verbis non docet apostolus, propter quid, sed quibus detur vita aeterna, iis scilicet, *qui militant bonam militiam retinentes fidem* VIII. 141.
et bonam conscientiam, 1. Tim. 1, v. 19. illis, qui in Christum credunt et ex fide adventum ejus diligunt, 2. Tim. 4, v. 8. Augustinus in libro 50. homiliarum hom. 14: *Si debita redderentur, o Paule, supplicium redderetur. Da veniam, apostole, propria tua non novi nisi mala. Da veniam, apostole; dicimus, quia tu docuisti: audio confitentem, non invenio ingratum. Prorsus tua a te tibi parata non novimus, nisi mala; cum ergo Deus coronat merita tua, nihil coronat nisi dona sua.* Glossa ordin. hoc loco: *Quia fides gratia est et vita aeterna est gratia; per gratiam ergo reddet.* Quaecunque igitur praemia bonis operibus Deus reddit, ex gratuita bonitate reddit; eadem tamen ut justus judex reddit, non quia nobis quidquam debet, sed quia promisit et ex veritate, quae est pars justitiae, id, quod gratis promisit, praestat; non intercedit hic debitum quoddam nostrum, quo DEUM nobis obstringimus, sed debitum quoddam Dei, quo sese gratuita promissione nobis obstrinxit. 3. Auctor epistolae ad Hebraeos c. 6. nequaquam docet, quod bonis operibus vitam aeternam ex condigno mereri possint, sed ad constantiam et perseverantiam in fide hortatur, proposito gravissimo salutis periculo, si per apostasiam prolabantur, id declarat exemplo terrae bonae ac reprobae et postea subjungit: *Ceterum persuasimus nobis de vobis, dilecti, quae his sunt meliora et cum salute conjuncta; non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri* etc. quod dicit: cum semel fidem Christi sitis amplexi, eandemque in persecutionibus constanter hactenus professi, quin et operibus caritatis erga sanctos eam declarastis, ideo persuasum habeo, quod usque ad finem sitis perseveraturi, non prolapsuri aut terra reproba futuri, neque enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri absque culpa vestra vos abjiciendo, *sed dona et vocatio ejus sunt ἀμεταμέλητα*, Rom. 11, v. 29. nec quenquam deserit, nisi prius deseratur. Confidimus igitur, quod is, *qui coepit in vobis opus bonum, perfecturus illud sit usque in diem Jesu Christi* Phil. 1, v. 6, vos modo operam dare convenit, ut eandem *ostendatis sollicitudinem ad plenam spei certitudinem usque in finem*, Hebr. 6, v. 11; *ut non segnes efficiamini, verum imitatores eorum, qui fide et patientia hereditabunt promissiones Dei* v. 12. (atqui si vita aeterna est hereditas promissionis, utique non erit ex operibus legis Gal. 3, v. 18). 4. Jacobus non agit de causa meritoria vitae aeternae, sed qualitatem salvandorum describit; ac vitae corona promissa est Deum diligentibus, non quod dilectio sit ejus meritum, sed quia vere fideles agnoscuntur, qui Deum diligunt.

6. Apocal. 2, v. 10. proponitur liberalis et gratuita Dei promissio, perseverantibus in fide coronam vitae datum iri; ex quo non potest inferri, quod propter perseverantiam tanquam meritum quoddam vita aeterna detur. Regerit Bellarminus, *cohortationes divinas non habere officiosa mendacia, sed veritate esse plenissimas.* Ecquis vero hoc negat? verissimae omnino sunt promissiones, quod credentibus, ex fide bene operantibus et in fide usque ad finem vitae perseverantibus ex gratia propter Christum vita aeterna et omnis generis praemia sint danda; sed qua consequentia ex eo infertur, quod bona opera non solum istorum praemiorum, sed etiam ipsius vitae aeternae ex condigno vere et proprie sint meritoria? Prov. 19, v. 17. non agitur de foenore vitae aeternae, sed de gratuita remuneratione benignitatis erga pauperes. מַלְוֵה יְהוָה חוֹנֵן דָּל, *mutuat Domino miserescens pauperis*; ideo ipse Bellarminus ad praemia hujus vitae beneficentiae erga pauperes promissa locum hunc refert, sic enim scribit lib. 3. de bonis operibus in particulari c. 4: *Eleemosyna saepe causa est majoris abundantiae temporalium bonorum, id enim ut plurimum divina providentia ordinare solet, ut qui sunt eleemosynae studiosi, quo magis erogent, eo magis abundent; id quod affirmat sapiens Prov. 19, v. 17. cum ait: foeneratur Domino, qui miseretur pauperis.* 7. 1. Cor. 9, v. 24. non agit de merito vitae aeternae, sed de introductionis via ac veluti medio. Qui enim Spiritu Dei regenerati et renovati sunt ac per fidem Dei filii et heredes vitae aeternae in coelo adscripti, illi in stadio bonorum operum decurrere debent;
VIII. 142. non otiari, non retrogredi, non extra limites vagari; cavere insuper debent, ne per graviora peccata in illo stadio cadant, v. 12. sed ad propositum brabeum toto cordis desiderio ac cursu incitato contendant et omnino *sic currant, ut comprehendant* c. 9, v. 24. Nec vero a stadio terreno ejusque praemio ad stadium spirituale in omnibus partibus argumentari licet. Cum enim apostolus dixisset: *An nescitis, quod qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit praemium?* continuo subjungit: *Sic currite, ut comprehendatis;* mutatione illa singularis numeri in pluralem ostendens, non esse parem rationem stadii terreni et coelestis; in illo enim unus tantum accipit praemium, in hoc vero decurrentes complures praemium et incorruptibilem coronam accipiunt, videlicet omnes illi, qui sic currunt, ut comprehendant. 8. 2. Tim. 1, v. 12. nulla fit meritorum nostrorum, sed divinae potentiae depositum apostoli custodire valentis mentio. Per *depositum* autem non intelligit apostolus bonorum operum merita (ut Petrus a Soto in conf. c. de bonis operibus accipit), sed doctrinam evangelii, ut apparet ex antecedentibus et consequentibus illius loci; v. 8: *collabora evangelio secundum virtutem Dei;* v. 11: *in quo positus sum praedicator et apostolus et magister gentium;* v. 12: *ob quam causam etiam haec patior, sed non confundor; scio enim, cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare in diem illum;* v. 13: *formam habe sanorum verborum, quae a me audisti in fide et dilectione in Christo Jesu;* v. 14: *bonum depositum custodi per Spiritum s.* c. 2, v. 2: *quae audisti a me per multos testes, παράθου, commenda vel depone, fidelibus hominibus.* Idem depositum intelligitur v. 12. et 14. ut apparet ex contextu. Atqui v. 14. per depositum intelligitur doctrina evangelii. Ergo et v. 12. Quod si vel maxime per depositum intelligeretur *hereditas illa incorruptibilis et incontaminata et immarcessibilis* (apostolo et reliquis electis) *τετηρημένη, conservata, in coelis*, 1. Petr. 1, v. 4. nondum tamen evictum foret, propter operum merita eandem dari; quin imo cum sit hereditas, dabitur titulo hereditatis. Brentius in apol. conf. Wirtenb. tit. de bonis operibus p. 387: *Dicitur Paulus aeternam suam salutem per fidem deposuisse apud Deum, quod etsi tam graves afflictiones ipsi accidunt, ut appareat, nullam ei amplius salutis spem esse relictam; tamen certissime sciat per fidem, Deum se ipsum non negaturum, nec gratuitam suam dilectionem abjecturum, sed firmissime servaturum, quod per Christum promisit.* Hae interpretationes sibi non repugnant, evangelium est depositum illud, quod Deus ecclesiae commendavit; si evangelio fidem adhibemus, salutem aeternam in coelo nobis deposuit.

5. Vita aeterna promissa est operibus bonis.

120. Quinta argumentorum classis in aciem producit illa Scripturae testimonia; quae docent, vitam aeternam promissam esse bonis operibus Matth. 19, v. 17: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Ibidem v. 29: *Qui reliquerit domum vel patrem etc. centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit.* 1. Tim. 4, v. 8: *Pietas ad omnia utilis est habens promissionem praesentis et futurae vitae.* Jac. 1, v. 12: *Accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se. At promissio facta cum conditione operis non solum debitam facit rem promissam, qui enim promisit, ex justitia tenetur stare promissis; sed etiam facit, ut qui opus impleverit, meruisse rem promissam eamque ut mercedem jure suo exigere posse videatur.* Respondemus: Thomas 1., 2. q. 114. art. 7. docet, quod quilibet actus caritatis absolute mereatur vitam aeternam. Ergo qui unicum solum caritatis actum absolvit, is docente Bellarmino coram severo Dei judicio consistens jure exigere potest vitam aeternam tanquam mercedem sibi debitam; ex quo talis precandi formula emerget: *Domine Deus, juste judex, legem tuam perfecte implevi, jure meo exigo, ut vitam aeternam, debitam illam operum meorum mercedem, mihi reddas;* qualem fuisse cujusdam Pontificii Argentinae morituri orationem refert Strigelius parte 2. locorum p. 485. Simile exemplum de monacho quodam Carthusiano commemorat Simon Pauli enarrat. evang. dom. XI. post Trin. quod in agone, meritis suis confisus, a Deo regnum coelorum praecoci insultatione VIII. 14
postularit orans: *Da mihi, quod ego merui et tu mihi debes.* Uni autem ex adstantibus quaerenti, quodnam est illud debitum? superbe respondit. *Vitam aeternam mihi debet.* Quare? rogabat ille. *Propter opera*

mea, dixit monachus, *namque ultra 40 annos in hoc monasterio Deo servii, cilicio asperrimo indutus vigiliis, jejuniis et precibus me afflixi regulasque custodivi, sive velit, sive nolit Aeternus mercedem meritis meis rependere et vitam aeternam reddere tenetur.* Nos precationem illam Bellarmino et ejus asseclis relinquentes cum Davide potius orabimus: *Domine, ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, Psalm. 143, v. 2. Ceterum quod ad Scripturae testimonia hoc loco a Bellarmino adducta attinet: 1. dictum Christi Matth. 19, v. 17. alibi late exposuimus; summa est, obedientiae erga legem, non qualicunque, sed perfectae et numeris omnibus completae, promitti vitam aeternam. At cum nemo perfectam illam obedientiam legi praestet; ideo ex lege atque ex operibus ejus non potest sperari vita aeterna. Galat. 3, v. 21: *Si data esset lex, quae posset vivificare, vere ex lege esset justitia;* v. 22: *sed conclusit Scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.* Plura de hoc loco alibi diximus. 2. In altero ejusdem capitis dicto gemina promissio continetur: altera centupli, altera ipsius vitae aeternae. Per centuplum intelliguntur hujus vitae praemia, uti constat ex eo, quod centuplum illud a vita aeterna manifeste distinguitur; maxime vero ex paraphrasi hujus dicti Marc. 10, v. 30: *Nemo est, qui reliquerit domum aut fratres aut sorores* etc. *propter me et propter evangelium;* v. 30: *qui non accipiet centies tantum, nunc in tempore hoc domos et fratres et sorores et matres et filios et agros cum persecutionibus.* Eodem modo et Luc. 18, v. 29: *Nemo est, qui reliquit domum aut parentes* etc. *propter regnum Dei* v. 30: *et non recipiat multo plura in hoc tempore.* Illud centuplum caritati et patientiae piorum in hac vita a Deo promissum esse et re ipsa dari nemo nostrum negat; sed quod caritas et patientia sint hujus centupli ex condigno meritoria, id vero negamus, cum nulla sit inter laborem et mercedem proportio, cum Deus nemini quicquam debeat; nobis contra fatendum sit, *si vel maxime omnia fecerimus, nos esse servos inutiles*, Luc. 17, v. 10. Multo minus ipsa vita aeterna meritis operum obtineri potest; quin imo Christus ipse in hoc dicto diserte id refellit dicens: *καὶ ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσει, vitam aeternam hereditate possidebit;* at quod hereditatis titulo quis possidet, id meritis suis nequaquam obtinuit. Ideo autem promissioni centupli additur promissio vitae aeternae, quia, quamvis propter Christum fide apprehensum (non autem propter persecutiones) vita aeterna ex gratia detur, Rom. 6, v. 23. tamen simul est largissima compensatio omnium laborum et aerumnarum, quas Christi nomine in hac vita electi sustinuerunt; et quia fructus verae fidei in Christum est sincera illa erga Deum caritas, ex qua tempore persecutionis animo promtissimo omnia relinquuntur. Bernhardus in declamat. de hoc loco: *An quis dubitat, instantis esse temporis centupli promissionem? Manifeste id quidem ipsa verborum consequentia probat, ubi centuplum accepturi et possessuri dicimur vitam aeternam. Ceterum ne quis omnino impudenti remaneat obstinationi locus, mitto vos ad evangelium secundum Marcum, ubi promissio eadem descripta manifestius invenitur* etc. *atque ut vehementius admiretur carnalis anima, non percipiens quae sunt Spiritus, sed stultitiam reputans, addit signanter cum persecutionibus. Forte enim cum audisset, in tempore hoc centuplum promitti, conjectabatur etiam de temporalibus exhiberi; sed praeripit hunc intellectum nomen additum persecutionis* etc. Et postea: *Datum optimum est centuplum hoc, desursum descendit a Patre luminum. An non omnia possidet, cui omnia cooperantur in bonum? an non centuplum habet omnium, qui impletur Spiritu sancto? qui Christum habet in pectore? nisi quod longe plus quam centuplum est visitatio Paracleti et praesentia Christi* etc. *Hoc ergo centuplum adoptio filiorum est, libertas et primitiae spiritus, deliciae caritatis, gloria conscientiae, regnum Dei, quod intra nos est* etc. Euthymius in cap. 19. Matth.: *Quomodo varie multiplicatam* VIII. 144. *accipiet quis hanc retributionem in praesenti seculo? quomodo? sicut acceperunt apostoli et martyres ceterique omnes justi. Vide enim, quod omnium fidelium domos sibi habebant apertas, fratres etiam et sorores paraverunt omnes sanctos et sanctas; patres vero omnes ipsos colentes ipsorumque curam habentes ac erga ipsos compassionis affectu tactos; nam haec sunt propria patris; matres quoque omnes pari modo se habentes; uxores vero omnes ministrantes, subservientes et curantes eos; haec siquidem uxoris sunt opera; filios praeterea omnes discipulos. Ad haec omnes fidelium agros in sua potestate habebant, quodque omnium est maxime admirabile, omnia haec habebant cum persecutionibus, id est a fidei inimicis persecutionem sustinentes.* Ceterum ne largissima illa retributio meritis operum nostrorum obtineri statueretur, Christus ipse addit hoc epiphonema, quod *primi*, hoc est illi, qui se propter opera extollunt, diei pondus et aestum jactitant ac reliquis sese praeferunt, *novissimi sunt futuri.* Vide plura in post. Germ. part. 3. in die conv. Pauli. 3. Locus 1. Tim. 4, v. 8. operum merita nequaquam stabilit, per pietatem enim apostolus non bona duntaxat opera, sed cumprimis veram in Christum fidem omnis verae pietatis radicem ac matrem intelligit, ut apparet ex v. 10: *In hoc enim laboramus et maledicimur, quod speramus in Deum vivum, qui est salvator omnium hominum, maxime vero fidelium.* v. 12. inter alia pietatis officia Timotheo praecipitur, ut sit *forma fidelium in fide;* nec meritoria vitae aeternae pronuntiatur pietas, sed *ad omnia utilis, habens promissionem praesentis et futurae vitae.* Ut ergo non ipsa praesens vita, sed praemia hujus vitae pietati retribuuntur, ita quoque non ipsa vita aeterna, sed praemia futurae vitae eidem retribui intelliguntur. Si quis vero ad ipsam vitam aeternam dictum apo-

stolicum referre velit, manifestum est, quod nobilissimae pietatis parti, fidei scilicet in Christum, ea tribuatur; ac singulariter observandum, retributionis illius, qua pietati hujus et aeternae vitae praemia dantur, fundamentum ab apostolo constitui, non dignitatem vel meritum operum, sed gratuitam Dei promissionem. Ut enim ad ista promittenda non aliqua dignitate operum motus est, sed paterna sua gratia, qua credentes in Christum complectitur; ita quoque promissa praemia re ipsa praestat, non propter dignitatem nostram vel operum nostrorum, sed propter suam misericordiam et veritatem. Bernhardus serm. 68. in Cant.: *De meritis quid sollicita sit ecclesia, cui de proposito Dei firmior suppetit securiorque gloriandi ratio? non potest se ipsum negare Deus neque non facere, quae jam fecit, ut scriptum est: Qui fecit quae futura sunt, faciet; faciet, nec deerit proposito suo Deus. Si non est quod jam quaeras, quibus meritis speremus bona, praesertim cum audias apud prophetam, non propter vos, sed propter me ego faciam, dicit Dominus* etc. 4. Jacobus dicit, eos, qui diligunt Dominum, coronam vitae accepturos; nequaquam vero asserit, sua dilectione coronam vitae promerituros. Promissio illa, qua diligentibus Deum corona vitae reservatur, fundamentum habet non in operum nostrorum dignitate, sed in gratuita Dei bonitate. Promissa est diligentibus Deum vitae corona, non quod dilectio sit meritoria salutis causa, sed quia est infallibilis vere in Christum credentium nota. Diligentibus Deum datur corona vitae, non autem datur propter dilectionem, quippe quae in hac vita languida est et imperfecta, quin et jam ante debita. Jacobus ipse c. 2, v. 5. fidelibus ut hereditatem regnum coelorum obtingere statuit: *Audite, fratres mei dilecti, nonne Deus elegit pauperes mundi hujus, divites in fide et heredes regni, quod promisit iis, a quibus dilectus fuerit?*

6. Pii dicuntur digni vita aeterna.

121. Sextam argumentorum classem complet Bellarminus ex illis locis, in quibus fit mentio dignitatis, dignum enim esse praemio et mereri praemium idem esse probat ex Luc. 10, v. 7: *Dignus est operarius mercede sua.* Producit autem haec dicta Sap. 3: *Deus tentavit eos et invenit eos dignos se.* 2. Thess. 1: *Ut digni habeamini regno Dei, pro quo et patimini.* Luc. 20: *Qui digni habebuntur seculo illo et resurrectione ex mortuis.* Apoc. 3: *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* Respondemus: 1. Vox dignitatis sumitur vel legaliter, vel evangelice. Legaliter nemo dignus est coram Deo vita aeterna, quippe lex accusat et condemnat omnes non praestantes sibi perfectam obedientiam. Evangelice pii dicuntur digni regno Dei, sed haec est dignitas non activa, sed passiva; non inhaerens, sed imputata; non meritoria, sed gratuita; respectus enim habetur ad fidem, quae ut credentes in Christo gratos et acceptos Deo, ita quoque dignos vita aeterna reddit. 2. Quemadmodum enim apostolus fatetur, *se non esse dignum, qui vocetur apostolus, gratia autem Dei id esse quod est*, 1. Cor. 15, v. 9. 10. ita quoque pii in se extra Dei gratiam et Christum considerati non sunt digni ullis praemiis, nedum ipsa vita aeterna, sed relate in Christo spectati digni sunt, vel potius *digni habentur* (ut vulgatus interpres Luc. 20, v. 35. 2. Thess. 1, v. 5. recte vertit) *regno Dei.* Col. 1, v. 12: *Gratias agimus Deo Patri, qui dignos nos fecit*, ἱκανώσαντι ἡμᾶς, *in partem sortis sanctorum in lumine.* Non ergo nostra dignitate, sed Dei dignatione vitae aeternae participes reddimur. 3. Ne vero Bellarminus excipiat, *gratiam Dei nostra opera efficere digna, quibus ipsa vita aeterna tanquam debita merces reddatur;* notandum, quod apostolus Rom. 8, v. 18. de passionibus sanctorum expressissime neget, *eas esse dignas ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.* Quas vero clarissimae huic luci nebulas obfundit Bellarminus, eas superius §. 93. discussimus. 4. Quantum vero ab hac persuasione de dignitate meritoria operum suorum abfuerunt vere sancti? Gen. 32, v. 10. patriarcha sanctissimus ita alloquitur Deum: *Minor sum cunctis miserationibus tuis et omni veritate, quam fecisti cum servo tuo.* Psalm. 115, v. 1: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam propter misericordiam et veritatem tuam.* Dan. 9, v. 7: *Tibi, Domine, justitia, nobis autem confusio faciei.* Matth. 8, v. 8. dicit centurio: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Joh. 1, v. 27. dicit Johannes Baptista, quo major non est inter natos mulierum: *Non sum dignus, ut solvam corrigiam calceamenti ejus* (Christi). Quin imo tota triumphans ecclesia hypocriticam illam persuasionem de dignitate meritoria, ipsis operibus inhaerente, validissime repellit. Apoc. 4, v. 10. procidunt viginti quatuor seniores coram sedente in throno ac mittunt coronas suas ante thronum dicentes v. 11: *Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam et honorem et virtutem* etc. non nostra dignitate, sed tua dignatione coronas illas gestamus. 5. Quod Bellarminus dicit, *dignum esse praemio et mereri praemium, respectu spiritualium beneficiorum, adeoque ipsius vitae aeternae* ἰσοδυναμοῦντα *esse*, id manifeste falsum est. Cum enim Matth. cap. 10. Christus discipulos suos ad perditas oves domus Israël ablegaret, v. 6. inter alia etiam hoc mandatum eis dedit v. 12: *Cum intrabitis domum, salutate eam;* v. 13: *et siquidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super illam.* Cumque Judaei praedicationem apostolorum contradicentes et blasphemantes repudiarent, ita ab apostolo Paulo audiunt Act. 13, v. 46: *Vobis oportebat primum loqui sermonem Dei, sed quoniam repellitis illum et non dignos judicatis vos esse vita aeterna, ecce convertimur ad gentes;* utique ergo si recepissent sermonem Dei, digni fuissent vita aeterna. At quodnam est vel esse potest ovium perditarum ac hominum infidelium meritum? an non ipse Bellarminus scribit lib. 5. de justificat. c. 5: *Istam justitiam et opera, quae fidem et gratiam Dei praecedunt, nos quoque despicimus et merita vitae aeternae non esse concedimus?* 6. Neve ulla

VIII. 145.

restet dubitatio, negari certe nequit, inter eos, *qui digni habebuntur futuro seculo et resurrectione ex mortuis* Luc. 20, v. 35. *et qui cum Christo ambulant in albis* Apoc. 3, v. 4. locum esse concedendum infantibus post baptismum demortuis, antequam ad annos discretionis pervenerint; atqui illos sine meritis propriis salvari Bellarminus concedit; sic enim scribit in hoc ipso cap. §. At si filiis etc. *Tametsi parvulis, qui mox a baptismo decedunt, vita aeterna donetur solo jure hereditatis; tamen voluit Deus, filios suos, qui usum rationis habent, propriis laboribus et meritis illam acquirere* etc.:
II. 146. qua ergo veritatis specie ex voce dignitatis merita propria stabiliri possunt? Salmeron in comm. Coloss. 1. disput. 2: *Digni dicimur, ubi hereditas nullis nostris meritis nobis obvenit.*

122. Ex quibus omnibus manifestissime apparet, quod argumentum Bellarmini pro meritis operum ex voce dignitatis petitum non sit assensu dignum nec uberiorem responsionem mereatur. Excutiamus tamen in specie dicta illa, quae in medium protulit. 1. Luc. 10, v. 7. non agitur de mercede aut dignitate vitae aeternae, sed de victu quotidiano; sic enim habent verba: *In eadem autem domo manete edentes et bibentes, quae dantur ab illis, dignus enim est operarius mercede sua.* Matth. 10, v. 10. ubi eadem sententia habetur, sic redditur: *dignus est operarius cibo suo*, ibidem additur v. 8: *gratis accepistis, gratis date.* Sin eo sensu dictum illud afferatur, quod vita aeterna sit merces bonis operibus debita, sicut in hoc seculo operariis sua debetur merces, quilibet animadvertit, ingentem esse disparitatem inter operarios Dei et operarios hominum, inter mercedem temporalem et inaestimabile bonum vitae aeternae. 2. Sap. 3, v. 5. agitur de dignitate gratiae, non autem meriti; immediate enim sequitur v. 9: *Qui confiderunt in illo, intelligent veritatem et fideles in dilectione acquiescent illi, quoniam gratia et misericordia in sanctis ejus.* Tentat Deus suos, ut eos se dignos inveniat; idem vero suggerit ipsis vires, ut tentationem sufferre possint, et sic non alios invenit dignos, nisi quos ex gratia dignos fecit. 3. 2. Thess. 1, v. 5. Luc. 20, v. 35. *καταξιοῦσθαι* Latinus interpres ipsemet vertit *dignum haberi;* a qua versione Bellarmino recedere non licet, nisi anathema Tridentinum incurrere velit. 2. Thess. 1, v. 11: *In quo etiam semper oramus pro vobis, ut dignetur vos, ἀξιώσῃ, vocatione sua Deus noster* etc. at vocationem per merita operum proprie sic dicta obtineri posse ipse Bellarminus negat. Matth. 22, v. 8: *vocati non erant digni*, id est Deus dignatus ipsos erat vocatione, dignaturus eosdem vita aeterna, sed ipsi reddiderunt se contemtu suo indignos. Actor. 5, v. 41: *Apostoli ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti erant, κατηξιώθησαν pro nomine Jesu contumeliam pati;* id Phil. 1, v. 29. sic exponitur: *vobis donatum est, ἐχαρίσθη, pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini;* ubi vocabulum *χάριτος* et gratuitum fidei donum omnem meriti suspicionem excludunt. 2. Macc. 13, v. 12: *Omnibus idem facientibus, καὶ καταξιωσάντων, et petentibus, misericordem Dominum* etc. ita reddidit vulgata versio.

123. Septimam et ultimam argumentorum classem constituit Bellarminus ex illis locis, in quibus dicitur Deus judex justus et non acceptor personarum. Rom. 2: *Non est acceptio personarum apud Deum*, quod repetitur Actor. 10. Galat. 2. 1. Petr. 1. *At acceptio personarum est vitium contrarium justitiae distributivae, cum videlicet judex dat praemium sine meritis; aut majus praemium minoribus meritis vel contra. Deus igitur in retributione praemiorum merita hominum considerat et pro meritorum diversitate vitae aeternae mansiones assignat.* Respondemus: 1. non negamus, Deum in retributione praemiorum ad opera, passiones et certamina sanctorum respicere et pro diversitate eorum mansiones vitae aeternae assignare, hoc est diversa praemia distribuere (ita enim hanc phrasin ipse Bellarminus accipit lib. 3. de justificat. c. 16. §. Denique, ubi ex dicto Joh. 14: *In domo Patris mei mansiones multae sunt* probat, praemia in coelo non esse paria); proinde conclusio hujus argumenti non est directe sententiae nostrae opposita. 2. Id vero est quod negamus, opera scilicet illa, passiones et certamina illa piorum esse praemiorum illorum, adeoque ipsius vitae aeternae meritoria ex condigno; novit hoc ipse Bellarminus, siquidem ex Augustana confessione ejusque apologia nostram sententiam recitat hoc modo lib. 5. de justificat. c. 1: *Adversarii dicunt, opera bona justorum placere Deo et esse meritoria praemiorum, sed addunt duo temperamenta: quorum unum est, opera bona esse meritoria praemiorum temporalium et* VIII. 147. *spiritualium in hac vita et in futura vita, sed non ipsius salutis aeternae; alterum temperamentum est, opera justorum non esse meritoria ex propria dignitate, quasi revera sint justa et perfecte legi satisfaciant, sed ex fide et indulgentia Dei, quia videlicet Deus iis, qui credunt sibi remissa esse peccata, indulgentia sua tegit operum foeditatem et sic accipit, quasi justa essent.* 3. Contrarium ex allatis dictis nunquam demonstrabit Bellarminus. Dicitur enim Deus *justus judex*, non quia propter merita vitam aeternam distribuit, sed quia ex gratia propter Christi meritum fide apprehensum credentes justificat et salvat ac bona opera, passiones et certamina eorum largissimis praemiis in hac et futura vita remuneratur. Deus non est *προσωπολήπτης*, *quia non respicit sive quis sit Judaeus, sive Graecus*, Rom. 2, v. 10; *sive in lege, sive sine lege*, v. 12; *sed unicuique reddit secundum opus ejus*, v. 6; non est *προσωπολήπτης*, quia *non respicit, quales aliquando* (ante conversionem) *homines fuerint*, Galat. 2, v. 6; non est *προσωπολήπτης*, quia *in quavis gente, qui timet eum et operatur justitiam, is acceptus est illi* Actor. 10, v. 35. 4. Si Deus constituitur acceptor personarum, cum dat praemium sine meritis propriis, consequens fuerit, infantibus, qui mox a baptismo decedunt et

7. Deus est justus judex et non acceptor personarum.

propriis meritis carent, non dari vitam aeternam. Consequens est falsum ipsius Bellarmini judicio. Ergo et antecedens. Atqui antecedens illud est ejusdem Bellarmini, sic enim scribit hoc loco: *Acceptio personarum est vitium contrarium justitiae distributivae, cum videlicet judex dat praemium sine meritis* etc. quae verba nihil ad rem faciunt, nisi ad Deum, quem paulo ante dixerat justum judicem, accommodentur. 5. Si Deus *προσωπολήπτης* est, cum dat majus praemium minoribus meritis, falsum erit, quod Bellarminus disputat c. 19. seq. *Deum remunerari opera bona supra condignum;* falsum etiam illud, quod scribit lib. 2. de gratia et lib. arbit. c. 3: *In ipso judicio quamvis acceptio personarum esset alicui minus praemium dare, quam justo judicio mereatur, vel majori supplicio afficere, quam dignus sit reus; tamen si alicui majus praemium aut minorem poenam dare voluerit, non erit acceptor personarum, etiamsi id non cum omnibus servet* etc. Non dubitat Bellarminus adversus se ipsum dicere, ut specie quadam nobis possit contradicere.

Dicta patrum de meritis operum.

124. Cap. IV. producit Bellarminus, pro stabiliendis operum meritis dicta patrum. Respondemus: *1. Alios praeter canonicos scriptores ita legimus, ut quantalibet sanctitate quantave doctrina praepolleant, non ideo verum putemus, quia illi sic senserunt; sed quia nobis per alios auctores, vel per Scripturas canonicas, vel probabiles rationes, quae a vero non abhorreant, persuadere potuerunt,* Augustinus epistol. 19. ad Hieronym. *2. Quae in ecclesia panegyrice et declamatorie dicuntur, non constituunt dogmatum regulam,* Theodoretus dial. 3. Ipse Bellarminus agnoscit, veteres in commendandis bonorum operum meritis, ut homines ad illorum studium incitarent, interdum fuisse liberiores, sic enim scribit lib. 2. de gratia et lib. arbit. cap. 14. circa medium: *Patres, cum ad populum verba facerent, ea dicebant, quae utiliora videbantur ad excitandos homines ad bona opera* 3. Ex ipsis veteribus perspicua testimonia pro nostra sententia produximus superius. 4. Pleraque dicta, si excutiantur et ex aliis eorundem scriptorum verbis declarentur, nihil nobis adversum continent. Producit Bellarminus primo loco Ignatium, qui in epistola Roman. sic scribat: *Sinite me ferarum escam fieri, per quam possim Deum promereri.* Sed Graeca aliter habent: *ἄφετε μὲ θηρίων εἶναι βρῶμα, δι᾽ ὧν ἔστι θεοῦ ἐπιτυχεῖν, per quas licebit Deum adipisci*, hoc est solutis corporis repagulis in conspectum Dei venire. Idem sanctissimus Martyr paulo post addit: *A Syria Romam usque terra marique cum bestiis depugno, noctu diuque alligatus decem leopardis, ἀλλ᾽ οὐ παρὰ τοῦτο δεδικαίωμαι, verum in hoc non sum justificatus.* Et postea: *Erubesco me unum de illorum numero* (Christianorum in Syria) *dici, nec enim dignus sum, cum novissimus sim eorum et abortivum quiddam; sed per misericordiam Dei obtinui, ut aliquis sim, si Deum con-*
VIII. 140. *sequar.* Haec an opinionem meriti sapiant, quilibet judicet. Justinus, quem secundo loco allegat Bellarminus, apolog. 2. *ἀξίαν τῶν πράξεων* aliquoties adducit, sed quae et qualis sit illa dignitas, ex Scripturis sacris ostendimus superius; ibidem p. 44. sic scribit: *σπεύδομεν ἐπὶ τὸ ὁμολογεῖν πεπεισμένοι καὶ πιστεύοντες τυχεῖν τούτων δύνασθαι τοὺς τὸν θεὸν δι᾽ ἔργων πείσαντας, ὅτι αὐτῷ εἵποντο καὶ τῆς παρ᾽ αὐτῷ διαγωγῆς ἤρων, ἔνθα κακία οὐκ ἀντιτυπεῖ, festinamus ad confessionem Christianam, persuasum habentes atque credentes, consequi hanc eos posse, qui factis ipsis Deo probant, se illum consectari et vitae ejus consuetudinem adamare, in qua nulla adversariam persentire est pravitatem.* Nec in his fit ulla meriti alicujus mentio. Tertio loco producit Bellarminus Irenaeum, qui lib. 4. c. 72. meritis patrocinetur. Verba sic habent: *Bonus agonista* (apostolus Paulus) *ad incorruptelae agonem adhortatur nos, uti coronemur et pretiosam arbitremur coronam, videlicet quae per agonem nobis acquiritur, sed non ultro coalitam. Et quanto per agonem nobis advenit, tanto est pretiosior, quanto autem pretiosior, tanto eam semper diligamus* etc. Non negamus, per agonem contendendum esse ad coronam gloriae, at agonem esse gloriae illius meritum vere et proprie sic dictum, id vero negamus. Reliqua dicta in specie excutere nostri non est instituti. Mercedis, dignitatis etc. nomine improprie utuntur pro compensatione gratuita et dignitate imputata. 5. Sed enim cum potissimum probationis robur in vocabulo meriti toties a veteribus usurpati consistat, observandum erit, quo sensu illud a Latinis scriptoribus fuerit adhibitum. Mereri Latinis proprie significat facere, aut praestare aliquid, quod non debes et propter quod a te praestitum tibi aliquid, ceu merces, debeatur, si non ex pacto singulari, tamen ex lege humanitatis et gratitudinis, quae unumquemque constituit debitorem iis, a quibus beneficium accepit. Cicero lib. 11. ep. fam. epist. 17: *Lamia utor omnium familiarissime, magna ejus in me non dico officia, sed merita.* lib. 12. epist. 14: *Ego me de republica ita puto meritum, ut non provinciae istius beneficium expectare debeam.* lib. 1. de legibus: *Quid liberalitas, gratuitane est an mercenaria? si sine praemio, benigna est et gratuita; si cum mercede, conducta.* Terent.: *Unum hoc scio, hanc meritam esse, ut memor esses sui.* Virgil. 5. Aeneid.: *Primam merui qui laude corollam.* Scriptura sacra nuspiam hoc vocabulum usurpat. Patres *καταχρηστικῶς* eo utuntur, ut mereri sit praestare opera Deo grata; idque ex ipsius gratia et gratuitam eorum remunerationem a Deo accipere; quo sensu eadem voce utuntur Augustana confessio, apologia ejusdem confessionis et confessio Wirtenbergensis. In laxiori illa significatione meriti vocem a veteribus usurpari demonstramus ex sequentibus fundamentis: 1. Graecum *ἀξίαν* Latini verterunt meritum; quod ergo Graecis est *ἀξιοῦσθαι* et *καταξιοῦσθαι* dignum fieri, dignum reputari, id cum Latini uno verbo exprimere vellent, nec satis commode possent, mereri dixerunt; hinc glossarium vetus, *ἀξιοῦσθαι est*

mereri. Non abnuit Bellarminus lib. 5. de justif. c. 2. §. Alia loca sic scribens: *Quod nos dicimus mereri, dicunt Graeci ἀξιοῦσθαι.* Atqui ostendimus superius, aliud esse mereri proprie loquendo, aliud dignum haberi ac reputari; unde etiam vetus interpres, ubicunque in N. T. καταξιοῦσθαι occurrit, nuspiam per τὸ mereri, sed perpetuo per τὸ *dignum haberi* transtulit. Exempla invenies Luc. 20, v. 35. Actor. 5, v. 41. 2. Thess. 1, v. 5. 2. Latinus interpres hoc vocabulo quandoque utitur simpliciter pro consequi aliud, etiamsi id gratis contingat. Genes. 4, v. 13: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear, Hebr.* מִנְּשׂוֹא, τοῦ ἀφεθῆναι, quam ut remittatur (ubi manifestum est gratuitam, non meritoriam remissionem proprie sic dictam intelligi). Eccles. 16, v. 15: *Unusquisque secundum meritum operum suorum inveniet;* in Graeco simpliciter dicitur κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ εὑρήσει. Ostendimus autem superius, diversissima esse secundum opera et secundum meritum operum proprie sic dictum recipere. Hebr. 13, v. 16: *Talibus hostiis promeretur Deus;* in Graeco est εὐαρεστεῖται, bene-
VIII. 149. placet sibi; proinde Latino interpreti hoc loco mereri est facere opus Deo gratum et acceptum; alibi tamen de peccatore poenas justissimas sibi attrahente proprie usurpari non negamus. Jud. 20, v. 10. 2. Paral. 19, v. 2. Hebr. 10, v. 29. etc. 3. Hanc ἀκυρολογίαν secuti sunt interpretes Graecorum scriptorum. Ignatius epist. Rom.: *Per quam possim Deum promereri;* in Graeco est τοῦ θεοῦ καταλαβεῖν. Dionysius de coelest. hierarchia c. 1: *Qui divinitatis participationem promerentur;* in Graeco est ἐδωρήσαντο, quae vox meram gratiam significat. c. 2. rogat baptizandus, *ut Deo divinisque mysteriis frui mereatur;* in Graeco est θεοῦ καὶ τῶν θείων τυχεῖν. Justinus apolog. 2. *meritum operum;* in Graeco est ἀξίαν. Eusebius lib. 8. demonst. evang. p. 240: *Petrus admirans eos, qui ex familia Cornelii Spiritum sanctum accipere meruerant;* in Graeco est τοὺς τοῦ ἁγίου πνεύματος ἠξιουμένους. Macarii interpres pluribus in locis praesertim hom. 9. et 17: *Donum Spiritus sancti, quod fidelis anima meretur accipere.* Item: *Christiani perfecti, qui meruerunt ad gloriam perfectionis pervenire;* ubi in Graeco καταξιοῦται, καταξιωθέντες, digna habetur, digni habiti. Aut ergo interpretes illi criminis falsi convincentur, aut mereri nihil aliud erit quam consequi. 4. Latini patres, qui nomen meriti operibus piorum tribuunt, manifeste addunt, bona opera esse gratiae divinae dona, Deum ex gratia remunerari bona opera, esse eadem imperfecta, ideoque alibi merita omnia (videlicet vere et proprie sic dicta) diserte excludunt; ex quo manifeste apparet, quod vocabulo meriti itidem in sensu laxiori utantur, pro eo, quod est ex fide aliquid gratum Deo facere et gratuitam ejus remunerationem a Deo recipere. 5. Id ipsum patet ex aliis locis, in quibus meriti nomen usurpant. Cyprianus illud quod Paulus dicit 1. Tim. 1, v. 16: *sed misericordiam consecutus sum* ad Jubaianum legit: *sed misericordiam merui.* Idem in epist. ad Fidum de infantibus: *Qui hoc ipso de ope nostra ac de divina misericordia plus merentur, quod in primo statim nativitatis suae ortu plorantes ac flentes nil aliud faciunt, quam deprecantur.* Notum est Gregorii dictum, quod in vigilia nativitatis Dominicae in ecclesia canitur: *O beata culpa, quae talem meruit redemtorem!* apud Augustin. in gestis collat. Carthag. cogn. 1. art. 8. dicit Petilianus Donatista, *qui ista elicere meruerunt* (id est obtinuerunt, de adversariis enim sermonem habet). Emeritus Donatista ibidem cogn. 3. art. 16: *Quis supplicavit? quis legem meruit* (ab imperatore obtinuit), *quis judicium postulavit?* art. 258: *Nam ut omittamus, quantus sanguis Christianus effusus sit per Leontium, Ursatium, Macarium, Paulum ceterosque exsecutores, quos in sanctorum necem a principibus seculi meruerunt* (ex quo apparet, aetate Augustini quo in significatu illa vox usurpata). Ambrosius libr. 10. in Luc. cap. 22. de homine portante amphoram aquae: *O aqua, quae sacramentum Christi esse meruisti, quae lavas omnia nec lavaris.* Idem serm. 6: *Quia divina eloquia audire minime meruistis* (id est voluistis). Eusebius Emisenus dom. 4. adv. fer. VIII. 150.
4. de Maria: *Haec sola mater Domini fieri meruit.* (id Fulgentius de incarn. et grat. cap. 7. sic exponit: *Ipsum Deum hominem factum et concipere et parere non humanis meritis, sed concepti nascentisque ex ea summi Dei dignatione promeruit.* Epiph. haeres. 79: καταξιωθεῖσαν οἰκητήριον τοῦ υἱοῦ γενέσθαι; quin ipse Emissenus ibid: *Magna enim et ineffabilis gratia est, ut una ex tantis millibus eligatur.)* c. Quia corpus dist. 2: *De filio perditionis adoptivus Dei filius fieri meruisti*, ubi gloss. *obtinuisti.* 6. Pertinent huc preces ecclesiasticae, in quibus alio sensu non potest haec vox accipi quam pro eo, quod est gratis consequi. Dom. 1. adv.: *Excita, quaesumus, potentiam tuam et veni, ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis te mereamur protegente eripi et liberante salvari* (mereri, ut potentia et misericordia Dei nobis subveniat, non potest aliter accipi, quam ut potens illa misericordia ac misericors potentia nos hoc beneficio dignetur). Dom. 2. secundum ritum Mediolan. eccles.: *Dona, quaesumus, omnipotens Deus, cunctae familiae tuae, hac voluntate Christo Filio tuo Domino nostro venienti in operibus justis apte occurrere, ut ejus dextrae sociati regnum mereamur possidere coeleste.* Domin. ead. juxta ritum Rom. eccles.: *Concede nobis, ut sicut Jesum Christum per virginis partum in forma nostri corporis meruimus habere participem, et in regno gratiae mereamur ejus esse consortes* (quis vero dixerit incarnationem Filii Dei esse proprie meritum). De circumc. dom.: *Tribue, quaesumus, ut virginem pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitae suscipere.* Vide libellum Germ. Hieronymi Wittichii Erford. ann. 1551. editum, in quo ex missalibus precationes tales collegit complures. 7. Neve ulla restet dubitatio, provocamus ad judicium Georgii

Cassandri viri eruditissimi, qui in hymnis et scholiis Colon. ann. 1556. impressis fol. 48. confitetur, in *hymnis ecclesiasticis vocem merendi sic intelligendam esse*, id quod Index expurg. Belg. p. 36. 37. deleri jussit. Petrus Canisius lib. 2. de virg. deipara c. 16. fatetur, *sanctos patres*, *praesertim Latinos*, *meriti vocem laxius usurpare*, cujus ἀκυρολογίας exempla aliquot ibidem adducit. Vega lib. 8. de justif. c. 8. p. 189: *Non me fugit usurpari apud patres nomen meriti*, *ubi nulla est ratio meriti neque de congruo neque de condigno.* Stapletonus in prompt. fer. 5. post. pass. Dom.: *Si aliquis veterum vocabulo promerendi usus est*, *non aliter intellexit quam consecutionem de facto.* ** Cornelius a Lapide in c. 4. Genes. p. 61: *Major est iniquitas mea quam ut veniam merear*, *id est quam ut ulla poenitentia veniam possim impetrare*, *quo dicit: omnino indignus et incapax sum veniae.***

An fiducia debeat collocari in opera.

125. Cap. V. et VI. conatur Bellarminus argumenta nostra opinioni de meritis opposita subvertere, qua in parte quid praestiterit, superius vidimus. Cap. VII. disputat, *aliquam spem ac fiduciam in meritis poni posse*, quae sententia nititur hac hypothesi, quod bona opera sint vera salutis causa, sic enim in hoc c. §. Posse, Bellarminus scribit: *posse in meritis spem aliquam poni*, *si vera sint merita et sobrie id fiat; probari potest hac ratione: quoniam sicut misericordia Dei*, *ita etiam bona merita sunt vera salutis causa; licet autem confidere in omni vera causa*, *quae ad finem optatum et speratum consequendum cognoscitur idonea.* At cum hypothesis illa sit falsa, ut ex praecedentibus constat, facile apparet, quid de tali fiducia in meritis posita sit judicandum. Petrus a Soto in assert. fid. cathol. contra Wirtemb. confess.: *Bonis operibus ita fidendum esse* scribit, *ut ad expianda peccata*, *iram Dei placandam et vitam aeternam consequendam necessaria sint et utilia.* Et postea: *Propter has virtutes*, *fidem*, *spem et caritatem*, *intrepide catholica fides hominem justum esse coram Deo fatetur et meritis earum in judicio Dei veraciter sibi confidendum esse.* ** Salmeron tom. 7. tract. 40. p. 208. scribit, *opera et merita nostra confidentiam in nobis operari*, *ita ut in illis tanquam Dei donis liceat secundario confidere.* Costerus part. 2. conc. p. 49: *Quando angeli in hora mortis venient ad accersendam animam et hac nos voce compellabunt:* Palatium paratum est in coelis pulcherrimum etc. *Tune es*, *qui illuc venturus es*, *an alium aliquem illud exspectat*, *non volent sibi verba dari*, *operibus ibi transigendum est negotium ac respondendum: nuntiate quae audistis et vidistis*, *haec sunt totius vitae meae opera*, *haec verba hisne brabeum debeatur*, *expendite.* part. 1. concil. p. 522: *Etsi praecipuum fiduciae fundamentum sit promissio*, *tamen sicut bona opera requiruntur ad impetrandum quod Deus promisit; sic eadem multum fovent fiduciam*, *ita ut haec tanto sit major*, *quanto illa meliora. Sicut qui regem offendit*, *nihil ab eo sperat vel petit*, *nisi prius reconcilietur; is vero*, *qui ei multa et magna praestitit officia*, *petit fidenter; sic qui facit voluntatem Dei*, *aliquam experitur in se securitatem*, *ut confidat se exaudiendum.* (Atqui sancti in bona conscientia non posuerunt fiduciae suae fundamentum 1. Cor. 4, v. 4. si in eo quaerendum fiduciae fundamentum, quod Deum non offenderimus, in aeternum ea fiducia erit carendum, Psalm. 130. Luc. 18. Matth. 18.) Vasquez tom. 1. disputat. 213. num. 40: *Non modo in meritis ex gratia nostram spem vitae aeternae collocare debemus sive fiducia universali sive particulari; sed etiam ex meritis jam factis confidere possumus eo modo*, *quo possumus credere*, *nos esse justificatos et recte aliqua egisse in laudem et obsequium Dei. Aliud enim est in meritis spem constituere*, *aliud autem ex meritis sperare. Nam in meritis spem constituere nihil aliud est quam spem habere consequendi vitam aeternam per merita*, *circa quod non licet formidare*, *neque enim formidare debemus de consecutione gloriae*, *si habuerimus merita et gratiam justificantem*, *neque de meritis quod ea simus habituri*, *sed firmiter utrumque a DEO sperare debemus.*** Nos contra strenue ne- VIII. 1
gamus, fiduciam salutis vel ex toto vel ex parte in operibus ponendam esse. 1. Sola Dei gratia est causa efficiens, solum Christi meritum est causa meritoria salutis nostrae; opera nostra nuspiam in Scripturis vel gratiae divinae, vel merito Christi in producendo salutis effecto subordinantur. Ergo in solam Dei gratiam et solum Christi meritum omnis fiducia salutis collocanda est. Galat. 6, v. 14: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* 2. Si fiducia salutis in opera ponitur, committitur idololatria, siquidem deorum alienorum nomine non intelligenda tantum sunt ethnicorum numina, sed omnes bonae Dei creaturae, ex quibus fiunt dii alieni, si divini cultus soli Deo debiti iis tribuuntur, ut suo loco demonstratum fuit. Atqui fiducia salutis est cultus soli Deo debitus, is enim est qui Esa. 45, v. 21. dicit: *Ego Jehova*, *et non est alius salvans praeter me.* Christus est, de quo Actor. 4, v. 12. dicitur: *Non est in alio salus*, *nec est aliud nomen sub coelo datum*, *in quo oporteat homines salvos fieri.* Ergo fiducia salutis non est in opera collocanda. Hoc argumentum late probat et declarat Brentius in Apol. confess. Wirtenb. c. de justif. p. 301. et seqq.: *Apud Lucam* (inquit) *adscendit Pharisaeus in templum et orat: Deus*, *inquiens*, *gratias tibi ago*, *quod non sum sicut ceteri homines*, *raptores*, *injusti* etc. *Quid hic audis*, *quod videatur reprehensione dignum? quid deest Pharisaeo ad justitiam? Hoc nimirum ei deest*, *quod e sua justitia faciebat idolum et adorabat opus manuum suarum*, *hoc est*, *ut Christus dicit*, *quod justitia sua confidebat ac alios prae se fastidiebat.* p. 304: *Hae virtutes (fides*, *spes*, *caritas*,*) sunt quidem bonae Dei creaturae in nobis et habent suum usum*, *sed docere*, *ipsis coram Dei judicio*, *ubi agitur de aeterna nostra salute*, *confidendum*,

hoc demum est ex donis donatorem Deum, ex creaturis creatorem, quantum est in impiis, facere, adeoque coram Deo alienos deos habere etc. *Quo est confidendum, hoc etiam invocandum; fidei enim opus est invocatio; quod autem invocandum, hoc etiam adorandum. Intremus ergo delubra virtutum, instituamus singulis virtutibus statuas, procumbamus ante eas in genua dicentes: O sancta fides, o veneranda spes, o adoranda caritas, o inviolata castitas, o triduanum jejunium, o sacra cucula, defende nos* etc. 3. Fiduciam salutis in opera collocare est ex lege et operibus legis salutem sperare. *Atqui ex operibus legis non justificatur omnis caro*, Rom. 3, v. 20; *qui justitiam suam quaerunt statuere coram Deo, justitiae Dei non sunt subjecti*, Rom. 10, v. 3. *Qui ex operibus legis sunt* (justitiam coram
III. 152. Deo valentem et salutem ex illis quaerunt), *sub maledicto sunt, cum scriptum sit: maledictus qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis, ut faciat ea*, Gal. 3, v. 10. Ergo fiducia salutis non est collocanda in opera. 4. Justitia operum est imperfecta atque in lubrico admodum posita nec potest coram Dei judicio subsistere. Ergo fiducia salutis in eam non est collocanda. Plura argumenta ex superioribus formari possunt. Referenda huc pia veterum dicta. Cyprianus serm. de dupl. martyrio: *Non credit in Deum, qui integrae suae felicitatis spem et fiduciam in hoc solo non ponit.* Hilarius in Psalm. 51: *Ipsa illa justitiae opera non sufficerent ad perfectae beatitudinis meritum, nisi misericordia Dei etiam in hac justitiae voluntate humanorum motuum non reputet vitia. Spes igitur in misericordia Dei in seculum seculi.* Augustinus lib. 15. de civ. Dei c. 18: *Non in se ipso spem ponere debet homo; maledictus enim omnis, qui spem suam ponit in homine, ac per hoc nec in se.* in Psalm. 42: *Da operam, ut sis justus et quantumcunque fueris, confitere, te peccatorem esse, et spera in Domino, non in te.* Idem (referente Posidonio in ipsius vita) laudat verba Ambrosii morituri: *Non sic vixi, ut me vixisse pudeat; nec mori timeo, quia bonum habemus Dominum;* quibus se non suis meritis, sed bonitati Domini unice confidere ostendit. Idem in meditat. c. 14: *Omnis spes et totius meae fiduciae certitudo est in pretioso sanguine Christi, qui effusus est propter nos et nostram salutem, in ipso respiro et in ipso confisus ad te venire desidero.* lib. 3. contra Cresc. c. 8: *Cum contra vestras criminationes intrepidam conscientiam geram; non me tamen sub oculis omnipotentis justificare audeo magisque ab eo effluentem misericordiae largitatem quam judicis summum examen exspecto.* ** Chrysostomus ad Stelech. de compunct. cordis tom. 6. f. 156: *τοῦτο ἄξιον πανταχοῦ σκοπεῖν, πῶς οὐδαμοῦ μέμνηται τῶν οἰκείων κατορθωμάτων, ἀλλ' ἐπὶ τὴν φιλανθρωπίαν τοῦ θεοῦ ῥίπτει τὴν σωτηρίαν τὴν ἑαυτοῦ, ubique hoc dignum observatione, quod* (David) *nuspiam mentionem facit suorum bonorum operum, sed misericordiae Dei salutem suam unice acceptam refert.* Ephraem. Syrus lib. de patient. et consumm. seculi f. 164: *Nihil quod tibi afferam habeo, non opus bonum neque cor mundum, verum miserationibus tuis confisus in eas me ipsum projicio.* Beda homil. in litaniis tom. 7. f. 26: *Nemo sibi blandiatur de innocentia, nullus suis fidens actibus, quasi qui misericordia justi judicis non egeat, a precibus cesset; quin potius etiam, cum se aliquid boni quis egisse cognoverit, quia qua hoc districtione judicetur, ignorat, tremens cum propheta clamet: Ne intres in judicium* etc. ** Gregorius homil. 7. in Ezech.: *Non in fletibus, non in actibus nostris, sed in advocati nostri allegatione confidamus.* Bernhardus serm. 9. in Psalm. Qui habitat: *Praetendat alter meritum, sustinere se jactet pondus diei et aestus, mihi adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino spem meam.* ** Idem serm. 2. in annuntiat. Beat. Mariae fol. 123. expendens dictum Davidicum *Ne intres in judicium* etc. subjungit: *Quid faciant tabulae, si tremunt columnae? aut quomodo virgulta immobilia stabunt, si hujus pavoris turbine etiam cedri quatiuntur?* H. Savonarola in Psalm. 51: *Quot justi, tot miserationes. Nullus gloriari potest in semet ipso. Veniant omnes justi sive in terra sive in coelo et interrogemus eos coram te* (Deus), *an sua virtute salvi facti sint. Certe omnes uno corde, uno ore respondebunt: Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*** Adrianus de Trajecto in 4. sentent. ref. Cass.: *Sunt merita nostra velut baculus arundineus, cui dum quis innixus fuerit, confringitur et perforat manum innitentis.* Barth. Gerh. in conc. de extremo judicio articulo 12. circa finem allegat verba Nonni episcopi Tabermensiotarum, quod circa finem vitae dixerit: *Nudus sum tam in coelo quam in terra, non adimplens praecepta mandatorum tuorum; ergo non est mihi spes ex operibus bonis, sed spes mea in misericordia tua, qua confido salvari.* Schopp. presbyter Colon. conc. 6. in fer. Stephan. pag. 139: *Omnes vere pii id student potissimum, ut quoscunque possunt, instituant eo, quod desinant in creaturas, in externas ceremonias, in sua opera et* VIII. 153.
merita fiduciam collocare ac unius Jesu Christi justitia, operibus, meritis niti. ** Cassander in consultat. artic. de bonis operibus: *Hanc doctrinam summo consensu veteres omnes tradunt, fiduciam remissionis peccatorum etiam eorum, quae post regenerationem admittuntur, et spem veniae ac vitae aeternae in sola Dei misericordia et merito Christi esse collocandam.* Idem art. 25. de monachatu: *Tantummodo removenda est falsa opinio et praepostera fiducia, ne in his operibus fiducia collocetur, quae in solo Christi merito collocanda est.* Ludolphus Carthusius in medit. vitae Christi prol. col. 3: *Caveat prudenter fidelis peccator, ut nunquam, in quocunque statu fuerit, confidentiam in meritis suis habeat, sed tanquam mendicus pauperculus omnino nudissimus ad eleemosynam Dominicam mendicandam semper vacuus accedat. Haec autem faciat, non quasi ex humilitate ficta merita sua abs-*

condens, *sed certissime sciens*, *quod non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens* etc.** Quid quod ipse Bellarminus vi veritatis coactus in hoc ipso capite scribit: *Propter incertitudinem propriae justitiae et periculum inanis gloriae tutissimum est fiduciam totam in sola Dei misericordia et benignitate ponere*, quod probat ex c. 9. Dan.: *Non in justificationibus nostris prosternimus preces nostras ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.* Item Luc. 17: *Cum omnia feceritis, dicite: servi inutiles sumus.* Ex collecta dom. Sexag.: *Deus, qui conspicis*, *quia ex nulla nostra actione confidimus.*

Argumenta pro fiducia in merita propria.

Quae vero in praecedentibus hujus capitis verbis profert, uti probet, aliquam fiduciam in merita collocari posse, facilem habent explicationem. *1. Fiducia* (inquit), *quam sancti in Deo constituunt*, *non ex fide sola*, *sed etiam ex bonis meritis nascitur; atque ideo summo studio merita quaerenda sunt, ut fiduciam apud DEUM habere possim.* Respondemus: fiduciam ex meritis nasci ambigue dicitur; id enim si intelligitur sensu Bellarminiano, quod statuere debeamus, bona opera esse ex condigno vitae aeternae meritoria ac proinde confidere, quod propter illa tanquam merita proprie sic dicta Deus jure teneatur vitam aeternam nobis dare, tunc improbamus illam propositionem; si vero intelligitur hoc modo, quod fides se exserat per bona opera, ac proinde quod zelotae bonorum operum esse debeamus atque ex operum testimonio de vera fide judicare, confidentes, quod Deus, qui coepit in nobis opus bonum, idem etiam perfecturus sit nosque per fidem justificatos et per Spiritum renovatos tandem ex gratia glorificaturus sit, tunc amplectimur illam propositionem. *2. In bonis meritis*, *quae vere talia esse compertum sit*, *fiducia aliqua collocari potest, modo superbia caveatur;* id probat exemplis Nehemiae, Davidis, Ezechiae, Estheris et Pauli, qui opera sua bona enumerant. Respondemus: distinguenda est justitia causae et bonae conscientiae a justitia personae. Sancti quando recensent opera sua, non loquuntur de justitia personae nec confidunt, se suorum operum meritis coram Deo consistere posse, nec meritum salutis sibi tribuunt, nec de operibus suis gloriantur, sed loquuntur de justitia causae et bonae conscientiae, enumerant Dei dona, non sua merita; gratias agunt pro exhibitis, non exigunt tanquam mercedem meriti exhibenda, quippe quae humiliter petunt; nec perfectionem, sed ἀνυπόκριτον sinceritatem obedientiae suae exponunt. Bellarminus dicit, *fiduciam poni posse in merita*, *quae vere talia sunt*; at quae possunt esse vere talia, cum omnes sancti fateri cogantur, *se mente quidem servire legi Dei*, *carne autem legi peccati.* Rom. 7, v. 25. *superbiam in bonis operibus cavendam esse* addit, at quae major superbia quam statuere, quod nostris operibus non solum temporalia et aeterna praemia, sed etiam ipsam vitam aeternam vere et proprie mereamur, idque ex condigno eamque ut mercedem jure nostro exigere possimus? quae omnia sunt Bellarmini verba in hac quaestione. Concludimus igitur hanc quaestionem verbis Lutheri in lib. de votis monast. tom. 2. Jenens. fol. 490: *Haeret fidelis conscientia in solis operibus CHRISTI absolutissime, et est columba illa in foraminibus petrae et in cavernis maceriae sciens certissime, se non* VIII. 15 *posse securam et quietam esse nisi in Christo solo, in omnibus vero operibus propriis non posse nisi ream et pavidam damnatamque manere. Sic ergo discernit inter opera Christi et sua. Christi opera apprehendit et dictat in hunc modum: Per haec ego justificabor et servabor et liberabor ab omnibus peccatis et malis, de quo non dubito, quia in hoc ipsum sunt facta per eum et in baptismo super me effusa, sine his non est salus, non est pax ossibus meis, non est satisfactio peccatorum. Sua vero opera mala videt et damnat, sed in Christi operibus vincit et contemnit, ne sese mordere possint. Potentiora sunt opera CHRISTI ad nos liberandos et pacificandos, quam nostra sunt ad captivandos et terrendos; si tamen hoc credideris: opera vero sua bona apprehendit et dictat ea gratis facienda ad commodum solum proximi et ad exercendum corpus, nequaquam ad justitiam, pacem, satisfactionem peccatorum et remissionem parandas.* Et paulo post: *Qui se ceteris praeferunt propter bona opera, primo personae respectum requirunt in Deo, ut opera et non fidem spectet, hoc est ut homines praeferat Christo, siquidem non curant, quam pretiosa alii ex Christo acceperint, sed quam egregia ipsi prae ceteris obtulerint; deinde fatentur, se laborasse non gratuita et liberali, id est christiana et pia, sed servili et mercenaria, id est judaica et impia voluntate.*

An licitum sit, operari bona intuitu mercedis aeternae.

126. Cap. VIII. et IX. disputat Bellarminus, licitum esse operari bona intuitu mercedis aeternae. ** Idem et Remonstr. Leyd. contra concionem Festi Hominii p. 28. 29: *Qui negat, fidelibus licere facere bona opera ex intuitu mercedis operibus nostris debitae, ille naturam fidei, omnis religionis, legislationis divinae, vitae et mortis aeternae pervertit et negat, sanctorum, imo et Domini nostri Jesu Christi obedientiam proscindit et hominibus persuadet, non esse licitum, ut permoveantur ad obedientiam rationibus atque argumentis iisdem, quibus Deus in verbo suo utitur atque etiam ipsissimum ponit fundamentum Davidianorum et Libertinorum, qui vitam aeternam negant.*** Sed hac de re ut rectius fieri possit judicium, attendenda sunt sequentia. 1. Non est quaestio, an Deus praemiis temporalibus et aeternis remunerari velit et certissime remuneretur opera; id enim utrinque concessum. 2. Neque haec est quaestio, an promissiones illae de praemiis bonorum operum in renatis excitare debeant studium bene operandi. Cum enim *spiritus quidem promtus, caro autem infirma sit*, Matth. 26. v. 41, cum *caro adversus spiritum concupiscat*, Gal. 5, v. 17. ideo torporem illum carnis in nobis atque aliis renatis consideratione praemiorum et poenarum, quorum illa bonis, hae vero malis operibus propositae, excitare atque inflammare debemus. Itemque cum in

adversitatibus et persecutionibus propter carnis infirmitatem animo dejicimur, erigamus nos ipsos piis de gloria vitae aeternae afflictiones secutura meditationibus. 3. Nec hoc in quaestione proprie positum, an solum vel praecipue in operibus mercedem spectare debeamus, ita ut si merces nulla esset, nec Domino serviremus, id enim ipse Bellarminus negat. *Nos* (inquit) *non dicimus, in bonis operibus solam aut praecipue spectandam esse mercedem, sed Deum ejusque gloriam tanquam finem ultimum.* 4. Id ergo proprie quaeritur, an intuitu mercedis aeternae, hoc est ipsius vitae aeternae mercedis loco, per operum merita obtinendae bene operari debeamus? Ibi vero quid respondendum sit, ex superioribus facili negotio apparet. Cum enim bona opera in se non habeant hanc vim ac dignitatem, ut per ac propter merita eorum vitam aeternam obtinere possimus; cum alii in Scripturis fines proponantur, propter quos facienda sint opera bona; denique cum vita aeterna ex sola Dei gratia et propter solum Christum fide apprehensum nobis contingat, unde etiam χάρισμα τοῦ θεοῦ ἐν Χριστῷ vocatur Rom. 6, v. 23. ideo negandum hoc fine et hac intentione operandum esse. 5. Si vero quaeratur non de ipsa vita aeterna, sed de praemiis in hac et futura vita, an intuitu eorum bene operari debeamus, (ita ut
VIII. 155. meritis nostris ea nos obtinere speremus) jubemus considerari sequentia fundamenta. 1. Filius non obtemperat parentibus intuitu mercedis, sed ex corde sincero et filiali. Renati sunt *Dei filii.* Ergo obtemperant coelesti parenti non intuitu mercedis, sed ex corde sincero et filiali. Major est satis manifesta. Si enim intuitu mercedis filialis obedientia praestaretur vel praestari deberet, nulla foret differentia inter filium et servum; item major obedientia deberetur parentibus illis, a quibus amplior speratur merces. Minor clarissimis Scripturae pronuntiatis nititur. Joh. 1, v. 12. Rom. 8, v. 16. etc. Si dicas: *renati non solum sunt filii, sed et servi; utique ergo mercedem in operibus suis spectare debent;* respondemus: quamvis servi sint jure creationis et redemptionis coelesti Domino obstricti, tamen obedientia eorum non debet esse servilis, sed filialis, serviant Deo, non autem serviliter. In libr. פִּרְקֵי אָבוֹת (sententiae Patrum) c. 1. refertur dictum Antigoni inter Hebraeos doctores celeberrimi, qui tempora Esrae proxime secutus, quod scholae suae saepius inculcare consueverit: *Ne sitis sicut servi, qui ministrant domino ob conditionem mercedis, quod accepturi sint praemium.* **Fagius in paraph. Deut. 6. adducit ex Hebraeis talem explicationem legis Deuter. 6: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde Tribus modis admonuit Deus Iraëlitas ad colendum se, timore scilicet juxta id quod dicitur: Dominum Deum tuum timebis; acceptione praemii sicut dicitur: ut bene sit tibi et prolonges dies; et dilectione, ut hic. Differunt autem haec tria tamen per se. Multi enim homines sunt, qui faciunt praecepta regis non propter id quod diligunt regem, neque ut recipiant mercedem, sed quia timent regem, ne noceat eis. Atque his similes sunt hi, qui colunt Deum, ne sibi noceat in praesenti seculo et ne forte etiam post mortem adjudicet ipsos gehennae. Et haec quidem ratio bona est, ut aliquis sibi timeat a DEO, sed non est fundamentum cultus divini, quia praecipua causa, ad quam intendit, est proprium commodum. Multi quoque colunt eum ea conditione, ut benefaciat ipsis in praesenti seculo et in futuro seculo, quae et ipsa bona ratio est, quia creditur, quod Deus sit, qui rependat bonam mercedem. Verum nec haec praecipua causa est colendi Deum. Nam summus gradus colendi Deum creatorem est, ut servias ei ex dilectione et non propterea, ut mercedem sive praemium accipias. Atque hinc est quod dixerunt magistri: Ne sitis similes servis, qui serviunt Domino eo pacto, ut recipiant mercedem. Quin potius diliget Dominum in toto corde tuo et in tota anima tua et in tota substantia tua* etc.** Verba Hebraea vide in notis Tremellii ad paraph. Syriac. Matth. 22. et apud Schindl. in lex. pentagl. in voce צדק. (Hoc dictum Antigoni postea Tsaddokus ejus discipulus aut ignorantia aut improbitate depravavit, hinc perperam colligens, nec benefactis praemia, nec malefactis poenas repositas esse, unde secta Sadducaeorum orta. Gregorius Nazianzenus orat. 40. in S. Bapt. p. 645: *Si servus es, plagas metue; si mercenarius, mercedem duntaxat specta; sin autem supra hos assurgis ac filius es, ut patrem verere ac bonis operibus stude, quia bonum est patri obtemperare, etiamsi ex ea re nihil quaestus ad te rediturum sit.* **Theologia Germanica a B. Luthero laudata c. 36: *Qui Christi vitam ideo habet, ut ea aliquid assequatur aut mereatur, is eam habet ut mercenarius non amore, vel potius omnino non habet. Qui eam non amore habet, is non habet, putet licet eam se habere, sed fallitur. Habuit Christus vitam suam non propter mercedem, sed amore, et amor vitam reddit facilem, non gravem, efficitque, ut libenter habeatur et volenter feratur. Sed qui eam non amore habet, sed propter praemium se habere putat, huic est quam gravissima, ab eaque libenter cito liberaretur, atque hoc est cujusque mercenarii proprium, ut laboris sui finem exoptet; at verus amator neque laborem, aut tempus, aut dolorem aegre fert.* Confer c. 10.** 2. Quicunque spontaneo Spiritu Deo obsequuntur, nec poenas nec praemia hactenus atque hoc respectu intuentur, quod enim comminatione poenarum extorquetur, vel praemiorum promissione elicitur, id eatenus non proficiscitur ex spiritu spontaneo; at renati spontaneo Spiritu DEO obsequuntur, Psalm. 110, v. 3: *Populus tuus spontaneus sacrificabit tibi in splendoribus sanctitatis.* Psalm. 119, v. 108: *Voluntaria oris mei tibi sint grata.* Ergo nec praemia nec poenas hactenus atque hoc respectu intuentur, inde Theolog. German. passim repetit, *si vel* VIII. 156.
maxime nec coelum nec infernus esset, renatos et Dei filios nihilominus tamen bene operaturos. Si dicas, *cur ergo praemia et poenae in Scripturis proponuntur?* Respondemus: propter carnem no-

stram torpidam ac refractariam; nondum enim plene renovati ac toti spirituales sumus, sed ex parte adhuc carnales, ideo etiam opera nostra non proficiscuntur tota ex spiritu spontaneo, sed adhaeret aliquid carnalis infirmitatis, quae semper mercedem quaerit. 3. Saniores philosophi ex lumine naturae agnoverunt, virtutem diligendam esse propter se ipsam, nulla spe mercedis, vitium detestandum et fugiendum esse propter se ipsum, non autem formidine poenae. Platonis hoc est: *Si pulchritudinem virtutis oculis corporeis intueri possemus, nullum fore dubium, quin mirabilem sui amorem in animis nostris sit excitatura.*

Claudian.: *Ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces.*
Juvenal.: *Oderunt peccare mali formidine poenae,*
Oderunt peccare boni virtutis amore.

Quanto igitur magis renati per Spiritum DEI statuere debent, ex solo DEI, summi illius boni, amore bene vivendum esse, nullo autem mercedis intuitu et quaesitu. 4. Matth. 6, vers. 3. haec regula in bonis operibus observanda nobis proponitur: *Te faciente eleemosynam nesciat sinistra tua, quid faciat dextra tua.* Si bonorum operum oblivisci debemus, utique non sunt facienda intuitu mercedis. Sed illud. Ergo et hoc. Quamvis vero eorum nos ipsi obliviscamur, Deus tamen et recordabitur et remunerabitur. Gregorius lib. 9. moral. c. 17: *Si scimus bona, quae agimus, ad elevationem ducimur; si nescimus, minime servamus. Quis enim aut de virtutis suae conscientia non quantulumcunque superbiat? aut quis rursum bonum in se custodiat, quod ignorat? sed contra utraque quid superest, nisi ut recta, quae agimus, sciendo nesciamus, ut haec et recta aestimemus et minima, quatenus et ad custodiam sensificet animam scientia rectitudinis et in tumorem non elevet aestimatio minorationis.* 5. Primae horae operarii in parabola Matth. 20. qui paciscuntur cum patrefamilias de mercede, nolunt prius laborare, quam merces constituta, jactant pondus diei et aestum, existimant, se plus recepturos; ex illis fiunt novissimi et audire coguntur: *tolle quod tuum est et abi;* sed undecimae horae operarii, qui non respiciunt mercedem in suis operibus, sed contenti sunt gratuita promissione patrisfamilias, obsequuntur vocationi et serviunt in simplicitate cordis etc. illi fiunt primi et mercedem omni opinione ac spe majorem ex gratia consequuntur. 6. Electi, cum audiunt Matth. 25, v. 34: *Venite, possidete regum, esurivi enim et dedistis mihi edere* etc. immensam praemiantis largitatem et munificentiam mirantur atque eo ipso declarant, quod simplici corde, non autem mercedis intuitu benefecerint; si bona opera sua intentione consequendi mercedem fecissent, nequaquam in illam admirationem prorumperent. 7. 1. Cor. 13, v. 5: *Caritas non quaerit, quae sua sunt,* non quaerit in suis operibus mercedem, sed libere obsequitur; ideo dilectio etiam inimicos amat, a quibus tamen nulla remuneratio speranda est. Jam vero bona opera piorum proficiscuntur ex caritate. Ergo non debent in illis spectare mercedem. Bernhardus tract. de dilig. Deo: *Non sine praemio diligitur Deus, etsi absque praemii intuitu diligendus est. Vera caritas mercenaria non est, quamvis merces eam sequatur.* Ex his argumentis nostris ne unum quidem Bellarminus attigit, ideo etiam facile apparet, quid de ipsius exceptionibus judicandum sit, videlicet, *id solum prohiberi, ne mercedem solam aut praecipue intueamur;* item: *ne temporalem mercedem spectemus* etc. Vere quidem haec dicuntur, sed nondum satisfaciunt quaestioni.

Argu- mentı quibu proba licitui esse b opera VIII. intuitı merce 1. Chri et Jo nes a missi merc praed tionei suam exors

127. Sed format Bellarminus quaedam argumenta, quibus probet, *licitum esse operari bona opera intuitu mercedis aeternae.* Prima classis petita est ex dictis Scripturae. 1. Christus et Johannes Baptista a promissione mercedis praedicationem suam sunt exorsi, Matth. 3. et 4: *Agite poenitentiam, appropinquavit enim regnum coelorum.* Respondemus: nervus argumenti ex c. 3. et 4. Matth. deducti consistit in voce appropinquavit; at in Graeco est perf. ἤγγικε, appropinquavit, ut vulgatus etiam interpres reddidit. Nomine regni coelorum intelligitur adventus et regnum Messiae ejusdemque beneficia; uterque igitur, et Christus et Johannes, invitant ad poenitentiam, addita ratione, quod Messias cum coelesti suo regno appropinquaverit ac salvare venerit non eos, qui pharisaica justitiae propriae opinione turgidi, vel epicurea securitate in peccatis perseverent praefracti; sed eos, qui veram et sinceram agunt poenitentiam, qui peccata agnoscunt, confitentur, iram Dei fugiunt, agnum Dei vera fide respiciunt et fructus poenitentia dignos faciunt. Hanc suavissimam sententiam eo detorqueri, quod opera intuitu mercedis aeternae atque opinione meriti facienda sint, vere dolendum est. Matth. 5. paupertas spiritus nequaquam ponitur tanquam meritum quoddam regni coelorum, sed ostenditur, qui sint capaces doctrinae evangelicae de regno coelorum, videlicet illi, qui agnitione peccatorum suorum et sensu irae divinae humiliati de suis viribus, virtutibus et operibus, hoc est de propria justitia desperant ac nihil, quod judicio Dei opponere possint, in se inveniunt; item proponitur consolatio illis qui in hac vita rebus necessariis et ope omni destituti sunt, quod ipsorum sit (non demum erit) regnum coelorum, quod bona spiritualia regni coelorum jam sint ipsorum et fide jam sint heredes vitae aeternae; modo sint spiritu pauperes, hoc est modo non desperent ex diffidentia, nec fremant ex impatientia, sed miseriis subacti vere coram Deo se humilient ac fide et patientia se Deo subjiciant. Vide Chemnicium c. 51. harmon. evangel. p. 298. Invertimus ergo Bellarmini argumentum; ubi commendatur paupertas spiritus, ibi evertitur opinio de meritis, siquidem illi demum vere sunt spiritu pauperes, qui sese meritorum coram Deo inopes esse agnoscunt. At Christus commendat hoc loco paupertatem spiritus. Ergo evertit opinionem de meri-

tis. Item quorum jam est regnum coelorum, illi non necesse habent suis meritis illud demum acquirere. Sed eorum, qui sunt pauperes spiritu, est regnum coelorum. Ergo non necesse habent suis meritis id demum acquirere.

2. Chri- [illegible] praecepta [illegible] [illegible] operum. 128. Secundo: *Habemus* (inquit Bellarminus) *Christi non solum exhortationem, sed etiam praeceptum Matth. 6: primum quaerite regnum Dei et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis. Luc. 16: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula. Simile est apostoli praeceptum 1. Cor. 9: debet in spe, qui arat, arare et qui triturat, in spe fructus percipiendi.* Respondemus: 1. Matth. 6. nequaquam exhortatur Christus, ut opinione meriti bona operemur, sed dehortatur a cura victus, regnum Dei et justitiam ejus primo omnium quaerere jubens, addita promissione, quod ea, quae ad hanc vitam necessaria, nobis adjicienda sint. Ergo non agit de vita aeterna, sed de necessariis in hac vita, nec dicit reddentur, quasi temporalia sint merces debita et proprie sic dicta quaerentium regnum Dei, sed utitur verbo προστεθήσεται, apponentur, quod peculiariter de benedictione DEI usurpatur. Psalm. 115, v. 14. Deut. 1, v. 14. Prov. 11, v. 24. 2. Luc. 16, v. 9. docetur de vero usu temporalium, ut apparet ex parabola, cui epiphonematis loco illud subjicitur: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.* Recipiunt autem nos sancti in vitae aeternae societatem, non ut auctores ac datores salutis (hic enim honor soli CHRISTO competit, qui est *omnibus obedientibus sibi causa salutis*, Hebr. 5, v. 9; *in quo uno est salus*, Act. 4, v. 12; qui solus *aeterna tabernacula nobis paravit*, Joh. 14, v. 2.); sed quia
VII. 128. precibus suis in hac vita nos Deo commendant, maxime vero quia in die judicii erunt testes beneficentiae nostrae erga se ex vera in Christum fide praestita; recipiunt igitur nos in aeterna tabernacula testimonio suo, quam explicationem comprobat processus judicii Matth. 25. descriptus, ubi Christus ostendit, se ad electos dicturum: *Venite, possidete regnum, esurivi enim et dedistis mihi edere.* Nimirum bona opera, praesertim vero opera misericordiae pauperibus exhibita, proferet Christus tanquam indubitata verae fidei testimonia in visibili illo omnium populorum judicio. Quamvis igitur eleemosynis nostris vel aliis operibus vitam aeternam promereri haudquaquam possimus; tamen tot testes verae fidei nostrae in die novissimo Christus producet, quot homines nostris officiis ex fide et caritate non simulata adjuvimus. Carni nostrae videntur officia ac beneficia pauperibus exhibita sine fructu abire ac nobis perire, inde benefaciendo saepius defatigamur; sed Christus oculos cordis nostri ad diem judicii extollendos esse praecipit docens, quamvis pauperes in hac vita nobis nihil prodesse aut vicissim praestare videantur; tamen in extremo universalis judicii die illud nobis praestituros esse, ut suo testimonio nos ornent atque adjuvent apud judicem Christum, qui in aeterna tabernacula nos recipiet, et bona opera ex fide praestita, praesertim vero beneficentiam nostram largissime remunerabitur. Potest etiam huc referri, quod Christus sibi praestitum esse testatur, pauperibus quod factum bene Matth. 25, v. 40. Sic ergo pauperes nos recipient in aeterna tabernacula, hoc est Christus, cui in pauperibus benefecimus, nos recipiet. 3. 1. Cor. 9. agitur de stipendiis ministrorum ecclesiae, quae jure ipsis deberi ex lege Mosaica apostolus probat: *Non alligabis os bovi trituranti* v. 9. hoc apostolus ad suum institutum sic accommodat v. 10: *Propter nos haec scripta sunt; quoniam debet in spe qui arat arare et qui triturat, in spe fructus percipiendi.* v. 11: *Si nos vobis spiritualia seminamus, an magnum est, si nos carnalia vestra metamus?*

129. Tertio *habemus*, inquit Bellarminus, *exempla sanctorum*, Psalm. 118: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem.* 3. Idem probant exempla sanctorum.
Hebr. 11: *Moyses grandis factus negavit, se esse filium filiae Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias aestimans thesauro Aegyptiorum improperia Christi; adspiciebat enim in remunerationem.* Phil. 3: *Ad destinatum persequor, ad brabeum supernae vocationis in Christo Jesu.* Respondemus: 1. Psalm. 119, v. 112. in Hebraeo sic legitur: *Inclinavi cor meum ad faciendum statuta tua,* לְעוֹלָם עֵקֶב, *in seculum usque in finem*, loquitur propheta regius de proposito cordis sui, quo se observantiae mandatorum divinorum obstrinxerat, ac propositi sui constantiam exprimit. Bellarminus Hebraea ita vertit: in aeternum finis, cujus paraphraseos hunc vult esse sensum, quia merces, quam exspecto, erit sempiterna, quo accommodat illud Eccles. 18: *Ne verearis usque ad mortem justificari, quoniam merces Dei manet in aeternum:* sed discedit a Pagnino, Benedicto Aria aliisve interpretibus, qui subintellecto לְ vertunt in finem, Thargum עַד סוֹפָא. Imo discedit a se ipso, sic enim scribit lib. 5. de justif. c. 3. §. Quod vero: *Non est idem merces et finis.* Quodsi vel maxime versionem illam recipiamus, qua per עֵקֶב intelligitur merces, ex eo nihil accedit sententiae Bellarmini, neque enim negamus, custodiae mandatorum divinorum promissam esse mercedem aeternam, sed tanquam meritum quoddam proprie sic dictum promissam esse negamus. Eccles. 18, v. 22. in Graeco sic habetur: μὴ μείνῃς ἕως θανάτου δικαιωθῆναι, *ne exspectes usque ad mortem justificari.* 2. Hebr. 11, v. 26. Moyses in retributionem respexisse dicitur, sed ex eo nondum potest inferri, quod obedientia ipsius fuerit mercenaria, multo minus quod opinione meriti cujusdam Deo obedierit. Concedimus et nos, VIII. 159.
meditatione promissionum divinarum studium bene operandi excitandum; atque omnes carnis ac mundi illecebras ac Satanae tentationes fide promissiones Dei respiciente superandas esse, sed opinione meriti cujusdam Deo serviendum esse negamus. 3. Id ipsum respondemus ad locum apostolicum Phil. 3,

v. 14. Paulus *verus athleta Christi, doctus ab illo, unctus de illo, crucifixus cum illo, gloriosus in illo in theatro hujus mundi, cui spectaculum factus erat et angelis et hominibus, legitime magno agone certare, palmam supernae vocationis in anteriora sectari* (Augustini haec sunt 14. de civit. Dei c. 9.) ac propositum brabeum velut scopum quendam sese intueri testatur, de merito autem ac spe mercedis debitae proprie sic dictae verbum nullum addit, quin potius diserte asserit v. 8. *omnia sese detrimentum arbitrari propter eminentem scientiam Christi;* v. 9: *ut inveniatur in Christo non habens suam justitiam, quae ex lege est; sed eam, quae est ex fide Christi;* v. 12. sese perfectum esse negat, v. 13. *non arbitratur, se comprehendisse.*

4. Et cohortationes apostolicae. 130. Quarto *habemus* (ait Bellarminus) *cohortationes apostoli plurimas.* 1. Cor. 9: *Sic currite, ut comprehendatis.* Gal. 6: *Bonum facientes non deficiamus.* Col. 3: *Quodcunque facitis ex animo, operamini sicut Domino et non hominibus scientes, quod a Domino accipietis retributionem.* Respondemus: promissiones de largissima bonorum operum remuneratione piis proponendas esse, ad easdem in studio bonorum operum pios et posse et (superandae carnis ergo) debere respicere non negamus, sed intuitu mercedis cujusdam proprie sic dictae bona opera facienda esse negamus. Neque id probant dicta apostoli vel sanctorum patrum hoc loco a Bellarmino allata, sed tantummodo fidem ac spem nostram promissionibus divinis excitandam, roborandam ac confirmandam esse asserunt. Idem judicium est de rationibus, quas Bellarminus format: *1. Vita aeterna est finis fidei et operum justorum* Rom. 6. 1. Petr. 1. *Ergo licet vitam aeternam intueri et ad eam dirigere bona opera, cum certo constet, finem spectandum esse inter operandum.* Respondemus: recognoscat Bellarminus sua verba lib. 5. de justif. c. 3. §. Quod vero: *Sanctus Petrus non dicit, vitam aeternam esse mercedem, sed finem fidei, non est autem idem finis et merces. Nam finis relationem habet ad media, sive sint merita, sive non sint; merces relationem habet ad sola merita, proinde omnis merces est finis, non omnis finis est merces.* Haec Bellarminus sibi contrarius. Proinde si vel maxime daretur, bona opera esse media vitae aeternae, nondum tamen sequeretur esse merita. Quomodo autem se habeant bona opera ad vitam aeternam, superius expositum est; fides, quae in Christo apprehendit vitam aeternam, in stadio bonorum operum decurrere debet, ut, quod fide in Christo obtinemus, illud in fide perseverantes sartum tectum conservemus, eandem bonorum operum fructibus et testimonio comprobantes. *2. Si licet propter metum gehennae continere manum, oculos et cor a peccato, utique etiam licebit idem facere propter spem felicitatis aeternae.* Respondemus: Oderunt peccare mali formidine poenae; servilis ergo hic timor est, quem caritas expellit; non tamen diffitemur, propter carnem adhuc nobis adhaerentem poenas temporales et aeternas peccatorum vindices in serio Dei timore considerandas esse; quatenus vero ex spiritu spontaneo et corde filiali bona opera procedunt, nequaquam metum poenae vel spem mercedis includunt. *3. Non vitiatur poenitentia et sacramentorum perceptio, cum ista fiunt causa obtinendae gratiae; cur ergo vitiabuntur bona opera, si fiant causa obtinendae beatitudinis?* Respondemus: Invertimus argumentum; ut poenitentia et sacramentorum perceptio se habet ad gratiam, ita bona opera se habent ad vitam aeternam (ex hypothesi Bellarmini). Atqui poenitentia et sacramentorum perceptio non sunt merita gratiae. Ergo nec bona opera sunt merita vitae aeternae. Si dicas: *media tamen gratiae sunt poenitentia et sacramenta. Ergo et vitae aeternae obtinendae media erunt bona opera.* Respondemus: Poenitentia est ac dicitur medium gratiae respectu partis primariae, quae est vera in Christum fides, nec sacramenta conferunt gratiam ex opere operato, sed quando fide accipiuntur; proprie igitur loquendo fides est medium gratiae, fidei praevia VIII.
est contritio verae poenitentiae pars prior; sacramenta sunt media ex parte Dei, quibus offertur et credentibus confertur divina gratia fidei confirmandae ergo instituta; ita quoque fides est medium vitae aeternae eam enim in Christo apprehendit et in studio bonorum operum postea sese exserit. *4. In operibus temporalibus licet spectare finem temporalem, ut pharmacum sumere gratia sanitatis, arare et serere spe fructus percipiendi, currere in stadio causa victoriae. Ergo in opere spirituali in cursu et certamine ab ipso Deo proposito licet ad brabeum supernae vocationis attendere.* Respondemus: Conclusio argumenti nostrae sententiae non adversatur; si vero latius extendatur, quod opera sint causa vitae aeternae, sicut pharmacum sanitatis, semen fructuum, cursus victoriae, apparet ex superioribus, quid ad has similitudines ultra scopum apostolicum extensas sit respondendum.

Quae conditione ad meritum requirant. 131. Cap. X. et seq. quinque capp. disputat Bellarminus de conditionibus, quae ad meritum vitae aeternae vere et proprie sic dictum requiruntur, quas septenario numero includit; requiri enim scribit: *1. ut sit opus bonum; 2. ut fiat in Dei obsequium; 3. ut qui meretur, sit viator; 4. ut sit opus liberum; 5. ut qui meretur, sit amicus et gratus Deo; 6. ut intercedat promissio; 7. ut opus ex virtute caritatis procedat.* Fatetur autem, hasce conditiones, praesertim quatuor posteriores, in controversia apud fidei suae homines adhuc positas esse, quod est argumentum consensus tantopere depraedicati. Quid de his conditionibus statuendum sit, patere potest ex superioribus; plura omnino requiruntur ad meritum proprie sic dictum, ut ostendimus §. 102. quae cum in bonis operibus renatorum non deprehendantur etc. frustra de glorioso meriti proprie sic dicti nomine ipsis vendicando laboratur.

Ex qualitate meriti. Cap. XVI. de qualitate meriti agere incipit ac disputat, *opera bona justorum esse meritoria vitae aeternae ex condigno* (ubi refellere conatur Durandum, qui recte statuit, *merita nostra ex gratia Dei procedentia et posita promissione adhuc non esse*

talia, ut eis ex justitia debeatur merces, sed ex sola Dei liberalitate). Cap. XVII. et XVIII. probare conatur, *opera bona justorum esse meritoria ex condigno, non solum ratione pacti, sed etiam ratione operum* (fatetur autem, non solum veteres, puta Scholasticos, sed et recentiores scriptores pontificios in eo non convenire). Cap. XIX. statuit, *Deum remunerari opera bona supra condignum,* ubi refellit Andream Vegam (at si DEUS remuneratur bona opera supra condignum, quomodo erunt meritoria ex condigno? Si gradibus gloriae in vita aeterna bona opera ultra condignum compensantur, quomodo ipsa vita aeterna ex condigno operum meritis debetur?). Cap. XX. XXI. XXII. disputat de eis, quae cadunt sub merito, et statuit: *1. Vitam aeternam etiam quoad primum ejus gradum reddi bonorum operum meritis* (fatetur autem, quosdam ex ipsis Pontificiis statuere vitam aeternam non cadere sub meritum, cum debeatur jure hereditatis omnibus DEI filiis, hoc ipso quod sunt Dei filii, quae est etiam nostra sententia). *2. Gratiam justificationis non posse obtineri neque ex condigno, neque ex congruo meritis operum solis liberi arbitrii viribus effectorum,* (at quidam Scholastici meritum de congruo talibus operibus diserte tribuunt, quos secutus est Ruard. Tapperus magni nominis Pontificius, Lovaniensis cancellarius, quem Caspar Casalius episcopus Leirinensis pelagianismi propterea accusat), *eandem gratiam non obtineri meritis consequentibus, sed solum ex congruo meritis operum ex fide et auxilio DEI speciali procedentium* (qua de re quid statuendum sit, exposuimus suo loco). *3. Non posse unum alteri ex condigno gratiam promereri, sed tamen ex congruo. 4. Hominem justum mereri ex condigno augmentum justitiae. 5. Reparationem post lapsum et perseverantiam usque in finem non cadere sub meritum de condigno, bene tamen ex congruo reparationem post lapsum mereri et donum perseverantiae precibus impetrari posse* (at cur non et mereri, cum ex hypothesi Bellarmini oratio sit actus omnino meritorius?); in quibus omnibus quid probemus, vel improbemus, ex praecedentium consideratione nullo negotio perspici potest.

132. Haec sunt, quae pro stabilienda justitia et meritis operum adduxit Bellarminus, si quae ab aliis afferuntur Scripturae dicta, ea facile explicari possunt, si attendantur generales illae responsionum classes, quas D. Chemnicius part. 3. loc. cap. de argum. adv. p. 180. et seqq. constituit, quarum diligentem et sedulam repetitionem cuique veritatis studioso valde commendamus. Ut autem concinna istarum solutionum applicatio exemplis quibusdam demonstretur, percurremus brevibus, quae ex V. et N. T. pro stabilienda operum justitia et meritis ab aliis Pontificiis scriptoribus afferuntur. Ex V. T. proferuntur haec dicta: 1. Gen. 7, v. 1. dicit Deus ad Noachum: *Ingredere tu et tota domus tua in arcam, quia te vidi justum coram me in generatione ista;* quibus verbis videtur causa assignari, propter quam Noachus in diluvio servatus et per consequens coram Deo justificatus. Respondemus: Gen. 6, v. 8. dicitur Noachus *invenisse gratiam coram Deo.* Ergo non operum suorum merito, sed misericordia Dei ad vitam aeternam fuit acceptatus et Deus ex misericordia gratuita ad ipsum respexit. Noachus non minus quam reliqui sancti remissionem peccatorum humiliter petere necesse habuit Psalm. 32, v. 6. Proinde si Deus in judicium cum ipso intrare voluisset, coram eo haudquaquam consistere potuisset, Psalm. 130, v. 3. Psalm. 143, v. 2. sed amplexus est vera fide promissionem evangelicam de semine mulieris contrituro caput serpentis; ideo *justitiae, quae est per fidem, heres factus* scribitur, Hebr. 11, v. 7. Hanc fidem publice ac solenniter testificatus est, cum egressus ex arca afferret Domino holocausta, quae Christum adumbrabant et quibus sancti V. T. de expiatione per sacrificium Christi futura admonebantur, Gen. 8, v. 20. Quod ergo de patribus V. T. in genere affirmatur, eos per gratiam Christi justificatos et salvatos esse, Gen. 15, v. 6. Act. 15, v. 11. Rom. 4, v. 6. idem etiam de Noaho statuendum. Ac si vel maxime in verbis ex Moyse citatis justitia inhaerens intelligatur, nondum tamen sequitur, quod per eam Noë acceptatus a Deo ad vitam aeternam, sed quod fide justificatus in exstruenda arca Deo obedierit, quam obedientiam Deus gratam habuerit ac beneficio illo temporali remuneratus fuerit. 2. Gen. 22, v. 16. dicit angelus Domini ad Abrahamum: *Quia fecisti hanc rem* (hoc est quia voluisti immolare filium), *per me ipsum juravi, quod benedicendo benedicam tibi.* Ergo obedientia Abrahae fuit meritum benedictionis ac promissionis de Messia. Respondemus: Apostolus Rom. 4, v. 2. et seqq. diserte negat, *Abrahamum ex operibus coram Deo justificatum,* quod ipsum ex textu Mosaico evidenter comprobat: *Credidit enim Abraham Deo, et imputatum est illi ad justitiam,* Gen. 15, v. 6. Haec ergo dicuntur ad Abrahamum non justificandum, sed justificatum. Promissio illa Abrahamo repetita duo complectitur: multiplicationem seminis et missionem Christi ex eo nascendi; promissio de Messia fuit plane gratuita, data enim erat, antequam Isaacus nasceretur, Gen. 12, v. 3. et c. 18, v. 18. ea igitur tantum hoc loco repetitur et confirmatur, nec data fuit propter obedientiam vel bona opera Abrahae, sed ex gratia et misericordia DEI ab aeterno fuit decreta. Postquam igitur promissionem spiritualem de Messia ex semine suo nascituro Abrahamus fide accepit et coram DEO justificatus est, accepit etiam hanc promissionem de praemio bonorum operum ac simul audivit repetitionem promissionis de Messia. 3. Lev. 18, v. 5: *Faciens leges meas vivet in eis,* quo pertinent dicta omnia, quae de justitia legis agunt. Respondemus per concessionem: Justitia, quae in lege praescribitur, omnino talis est, ut si illam ea perfectione, quae in lege praescribitur, in hac vita praestaremus, per eam justificaremur et viveremus; sed Christus et apostoli testantur, ad perfectionem

2. Gen. 22. Quia fecisti hanc rem.

3. Lev. 18. Faciens leges meas vivet in eis. VIII. 162.

illam in lege praescriptam neminem in hac vita adspirare, ideoque ex lege nec justitiam nec vitam sperari posse, qua de re in tractatu de lege plenius dictum fuit.

4. Ps. 1: Beatus, qui non ambulat in consilio impiorum.

4. Psalm. 1, v. 1: *Beatus qui non ambulat in consilio impiorum;* Psalm. 41, v. 1: *Qui intelligit super egenum;* Psalm. 112, v. 5: *Qui miseretur et mutuo dat* etc. Cujusmodi dicta in psalmis et alibi occurrunt plura. Respondemus: sunt hae descriptiones justificatorum, non autem ipsius justificationis; describitur in his dictis non causa vel meritum nostrae coram Deo justificationis, vel medium applicationis, vel forma, in qua consistat justificatio; sed ingenium et qualitas eorum, qui vere sunt justificati. Formale justificationis est gratuita peccatorum remissio et justitiae Christi imputatio; quia vero ex fide justificatorum bona opera tanquam fructus exsistunt misericordia erga pauperes, declinatio a malo et a conversatione impiorum etc. ideo in his et similibus dictis beati sive justificati et beatificati describuntur ex suis effectis et proprietatibus. Ita alibi beati dicuntur, *qui lugent, qui persecutionem patiuntur propter justitiam*, Matth. 5, v. 4. 10. etc. non quasi formaliter in luctu et persecutionibus consistat beatitudo, sed quia haec est perpetua sors piorum in hoc mundo lugere, persecutionem pati, odio haberi etc. Vide classem quartam resp. D. Chemnicii.

5. Ps. 106: Opus Pineae reputatum est illi ad justitiam.

5. Psalm. 106, v. 31: *Opus Pineae laudabili zelo interficientis adulterum reputatum est ei ad justitiam.* Ergo operibus coram Deo fuit justus. Respondemus: distinguenda est justitia causae a justitia personae. Quando igitur Pineae opus illud dicitur imputatum ad justitiam, non intelligitur justitia personae justificandae, quasi Pineas hoc opere coram Deo fuerit justificatus (quia ad justitiam personae non unum aliquod justum opus, sed perfecta totius legis obedientia vel operibus praestita vel fide imputata requiritur), sed justitia causae sive boni operis in persona jamdum justificata, quod scilicet factum illud Pineae fuerit a Deo approbatum et pro justo opere habitum. Multa erant, quae huic facto, si judicia hominum ac rationis nostrae spectentur, detrahere poterant, utpote quod Pineas non erat ordinarius judex aut magistratus in populo Israëlitico; quod Samri non erat persona privata, quod factum ipsum videbatur crudele et perditioni aeternae interfectorum causam dedisse, quod ex affectu quodam privati odii profectum videri poterat etc. ideo Spiritus s. affirmat, hoc opus justum ac Deo gratum fuisse, utpote a pio zelo profectum. Huc pertinet distinctio duplicis imputationis tradita superius in tractatione de justificatione. Quando Abrahae dicitur fides imputata ad justitiam, Gen. 15, v. 6. intelligitur justitia personae, quod scilicet Abrahamus fide in Messiam promissum acceperit remissionem peccatorum, justitiam et vitam aeternam. Quando Pineae hoc loco dicitur opus reputatum ad justitiam, intelligitur justitia boni operis, quod Deus heroicum illud opus habuerit gratum ac praemiis ornaverit, quemadmodum Num. 25, v. 12. et 13. duplex praemium Pineas reportasse dicitur; prius est publicum et ad totum populum spectat, quod plaga corporalis fuerit repressa ac cohibita; posterius est privatum, quod laudem sempiternam ac sacerdotium non solum pro se, sed etiam pro posteris reportaverit. Imputatio justitiae Christi facta personae credenti fit ad vitam aeternam; per eam enim homo redditur Dei filius et acceptus ad vitam aeternam; sed quando opus ad justitiam reputatur, hoc est justum habetur et approbatur, id non fit ad vitam aeternam, sed ad alia praemia.

6. Prov. 10: Dilectio operit multitudinem peccatorum.

6. Prov. 10, v. 12: *Dilectio operit multitudinem peccatorum.* Ergo dilectio est causa et meritum remissionis peccatorum, adeoque ipsius justitiae coram Deo et vitae aeternae. Respondemus: dictum Salomonis, quod allegat Petrus 1. epist. 4, v. 8. non agit de remissione peccatorum in judicio Dei, coram quo solus Christus est nostrum ἱλαστήριον, Rom. 3, v. 25; cujus *solius sanguis nos mundat ab omnibus peccatis*, 1. Joh. 1, v. 7; propter quem ex gratia Deus *tegit peccata*, Psalm. 32, v. 1. sed de fraterna delictorum inter homines condonatione, sic enim habet integer versiculus: *Odium suscitabit contentiones et super omnes praevaricanes operiet caritas;* opponuntur igitur effecta odii et caritatis, odium accurate observat naevos proximi, eos traducit, sugillat et insectatur; sed caritas eos tegit, condonat et excusat, quantum salva conscientia et officii ratione fieri potest. 1. Cor. 13, v. 7: *Caritas omnia suffert, omnia sperat, omnia credit, omnia sustinet.* Galat. 6, v. 2: *Alter alterius onera portate.* LXX interpretes: *μῖσος ἐγείρει νεῖκος, πάντας δὲ τοὺς μὴ φιλονεικοῦντας καλύψει φιλία.* Lyranus: *Sicut odium per iram manifestat defectus aliorum, sic caritas celat, nisi quantum correctio fraterna requirit.* VIII. 163.

7. Dan. 6: Coram Deo inventa est justitia mea.

7. Dan. 6, v. 22. de se dicit propheta: *Coram Deo inventa est justitia mea et coram te, rex, corruptelam non feci.* Ergo de sua justitia gloriatur coram Deo. Respondemus: loquitur de justitia causae, non personae; *DEUS misit angelum suum, qui conclusit ora leonum* etc. *Quia coram eo inventa est* זָכוּ־לִי, *puritas mihi*, ut reddidit Benedictus Arias, hoc est Deus hoc miraculo publice testatum fecit, me nihil in eo peccasse, quod posthabito edicto regis eum non adoraverim. De justitia personae idem propheta dicit c. 9, v. 7: *Tibi, Domine, justitia, nobis autem confusio faciei;* v. 18: *non in justitiis nostris prosternimus preces nostras ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.*

Ex N. T. 1. Matth. 5: Nisi abundaverit justitia vestra.

133. Ex N. T. praeter illa, quae superius exposuimus, proferunt haec dicta: 1. Matth. 5, v. 20: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Pharisaeorum et Scribarum, non intrabitis in regnum coelorum.* At illorum justitia fuit habitualis et actualis. Ergo talis etiam nostra est. Respondemus: Contrarium potius ex eo sequitur. Ergo justitia habitualis et actualis non est illa, propter quam datur regnum coelorum. Pharisaei externam tantum speciem justitiae sectabantur, externa qualicunque disciplina legi divinae satisfieri et justitiam co-

ram Deo consistentem parari posse somniabant; sed Christus hanc imperfectam et hypocriticam justitiam repudiat ac abundantiorem ab ingressuris in regnum coelorum requirit. Eam vero non nisi fide obtinere possunt, per quam redduntur participes justitiae Christi numeris omnibus perfectae et absolutae; ex hac fide oritur perfectior etiam operum justitia, quam Pharisaeorum fuit; renati enim ex corde sincero, non simulate; ex spiritu spontaneo, non coacte, nec propter commodum Deo obediunt, uti haec late a nobis exposita in post. eccles. dom. 6. post Trinitat. 2. Matth. 6, v. 14: *Si remiseritis hominibus offensas illorum, etiam Pater coelestis remittet vobis;* v. 15: *si non remiseritis, nec vobis remittetur.* Luc. 6, v. 37: *Remittite et remittetur vobis.* Ergo remissio nostra est causa et meritum remissionis peccatorum, justitiae et vitae aeternae. Respondemus: Si condonatio injuriarum esset causa et meritum remissionis nostrorum peccatorum, tunc remissio non amplius esset remissio, sed meriti nostri debita quaedam merces; postquam semel solvisti pretium, nihil est quod remitti possit; tunc demum remissioni locus est, quando pretium non persolvitur, nec solvi potest. At peccata nostra vere nobis remittuntur, quod non solum vox ἀφέσεως, sed et cumprimis parabolae Christi Matth. 18, v. 23. et Luc. 7, v. 41. luculenter ostendunt; ibi enim haec duo expresse continentur: primo quod nobis miseris debitoribus Deus ex mera gratia debitum nostrum remittat; deinde quod nostra remissio sit effectus et signum, non autem causa et meritum reconciliationis cum Deo faciendae. Adde quod incerta fieret reconciliatio cum Deo et rémissio peccatorum nostrorum, si penderet ex conditione nostrorum meritorum; nunquam tam perfecte proximo condonamus, quin in carne nostra residuae quaedam scintillae simultatum perdurent, contra quas spiritu pugnandum. Quare autem Christus sic loquitur: *Remittite, et remittetur vobis?* Item: *Si remiseritis, etiam vobis remittetur?* Respondemus: Remissio nostra non est causa, sed nota remissionis coram Deo. Si offensas fratribus remittimus, ex eo de remissione peccatorum coram Deo certi esse possumus; siquidem remissio illa est opus dilectionis, dilectio est fructus fidei; fides in Christo remissionem peccatorum quaerit et invenit. Deinde promissio de remissione peccatorum est quidem plane gratuita; interim tamen non est facta impoenitentibus, implacabilibus et securis, sed illis, qui peccata agnoscunt, fide Christum amplectuntur et ex fide bene operantes proximo injurias condonant. Remittentibus igitur proximo remissurum sese pollicetur Deus, non tamen propter remissionem proximo factam, sed ex gratia remittit. Proinde quando proximo remittimus, tunc removetur obstaculum, quod plurimos impedit, quominus remissionem peccatorum suorum consequantur. Denique qui non remittit proximo, is eo ipso testatur, se vel veram fidem nunquam habuisse, vel eam iterum amisisse; vera enim *fides est efficax per dilectionem* Gal. 5, v. 6. idem ostenditur in parabola servi, qui impetrata debiti condonatione postea egressus remittere conservo noluit, is amittit rursus condonationem debiti. 3. Luc. 11, v. 41: *Date eleemosynam et ecce omnia munda erunt vobis.* Ergo eleemosynae merentur remissionem peccatorum. Respondemus: Variae exstant hujus loci expositiones. Hieronymus accipit sententiam ironice, quasi Pharisaeos increpando Christus diceret: Vos cum sitis pleni iniquitate et rapina, exteriorem mundiciem tantum curatis et in eleemosynam erogatis, quae aliis injuste eripuistis, stolide persuasi, omnia tunc esse munda et pura. Erasmus in annot. hoc loco *δότε* accipit in forma indicativi, ut Hieronymianam illam interpretationem stabiliat, affert etiam argumentum ex contextu: Existimatis, vos data eleemosyna liberari ab omni rapina, si paululum ex ea contuleritis in pauperes; ea quae praecedunt et sequuntur magis exprobrationem, quam admonitionem continent, nec videtur conveniens, ut, quos modo fecerit tam scelerosos, subito data eleemosyna velit undiquaque videri mundos. Stante hac interpretatione evertitur potius opinio meriti hoc Christi dicto, quam stabilitur. Sed si vel maxime accipiatur in forma imperativi, ut sit exhortatio ad dandam eleemosynam, nihil tamen lucri ex eo accedit causae pontificiae. Proponitur enim doctrina de externo bonorum temporalium usu, quomodo nobis purificentur et quasi licita reddantur, particula enim *πάντα* ad illa, quae forinsecus sunt, referenda est; ea purificantur, si eleemosyna de illis detur, ad illa vero, quae intus sunt, *πρὸς τὰ ἔσωθεν*, alia omnino requiritur purificatio, videlicet *per sanguinem Christi*, 1. Joh. 1, v. 7. *fide nobis adspersum,* Act. 15, v. 9. 1. Petr. 1, v. 2. Vide Harm. evangel. D. Polyc. Lyseri c. 109. p. 297. Christus igitur reprehendens Pharisaeorum superstitionem in externa lotione poculorum, patinarum etc. occupatam opponit ei duplicem mundiciem internam et externam, admonens, cor intus purgandum et foris proximo ex caritate serviendum esse, ut hac ratione omnia sint munda. De interna mundicie loquitur in antithesi, quando dicit: *quod intra vos est, plenum est rapina et iniquitate,* quasi dicat, stolide mundiciei externae studetis, cum corda interius non sint fide purificata; ab interiori illa purgatione faciendum erat initium; de externa mundicie dicit, *quin imo ea, quae adsunt, date in eleemosynam et ecce omnia erunt munda vobis*, quasi dicat, si intus vos purgaveritis vera fide et foris eleemosynam dederitis, tunc omnia erunt munda, si vel maxime illa poculorum, patinarum etc. mundicies non accedit. Revocat enim Christus Pharisaeos a ceremoniis ad opera moralia, in his, non in illis mundiciem Deo placentem consistere docens. Quidam *τὸ erunt* exponunt pro agnoscentur, ut hac ratione non causa, sed declaratio mundiciei internae exprimatur; *date eleemosynam, et ecce erunt vobis omnia munda,* hoc est tunc apparebit, vos esse mundos; nam ex illis operibus caritatis, non autem ex lotionibus externis et cèremonialibus de fide et mundicie interna judicari potest. Quo pertinet re-

[illegible] Matth. 6: Si re-miseritis [illegible] etc.

3. Luc. 11: Date eleemosynam et ecce omnia munda vobis.

gula theologica: *Multa tunc fieri dicuntur, quando*
VIII. 165. *facta esse cognoscuntur.* Sic Matth. 5, v. 9: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Matth. 5, v. 44: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos;* v. 45: *ut sitis filii Patris vestri;* id Joh. 13, v. 35. sic exponitur: *In hoc cognoscent omnes, quod sitis discipuli mei, si dilectionem habueritis ad invicem.*

4. Joh. 8: Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit.

4. Joh. 8, v. 51: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.* Ergo observatio mandatorum est causa vitae aeternae. Respondemus: non de Moysis, sed de suo sermone Christus loquitur; dictum igitur hoc non est legale, sed evangelicum; servare sermonem Christi est in Christum credere, evangelium Christi firma fide amplecti, ex qua fide postea oritur dilectio et studium bonorum operum. Hanc interpretationem confirmat non solum analogia fidei, sed etiam evidens Christi explicatio Joh. 5, v. 24: *Qui audit sermonem meum et credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam.*

5. Joh. 14: Qui tenet praecepta mea et ea servat, is diligit me.

5. Joh. 14, v. 21: *Qui tenet praecepta mea et ea servat, is est, qui me diligit;* v. 23: *si quis diligit me, sermonem meum servabit et Pater meus diliget eum.* Ergo dilectio nostra est causa dilectionis divinae. Respondemus: non agitur in his dictis de causa vel merito dilectionis divinae, cum diserte neget Johannes, dilectionem nostram esse causam dilectionis divinae. 1. epist. 4, v. 10: *In hoc est caritas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos et misit filium suum;* v. 11: *si sic dilexit nos Deus, et nos debemus invicem diligere;* v. 19: *nos diligamus Deum, quoniam ipse prius nos dilexit.* v. 7. ubi caritas proponitur tanquam consequens, effectum et signum regenerationis: *Omnis qui diligit, ex Deo natus est et cognoscit Deum.* Sed docet Christus his verbis, quinam sint illi, qui a Deo diligantur, nimirum qui ipsum diligunt ac praecepta ejus servant, non quod tum demum eos diligere incipiat, sed quod ipsi in cordibus suis de paterno Dei amore, cujus testimonium habent in semet ipsis, magis magisque confirmentur. Quando igitur Christus dicit: *veniemus ad eum et mansionem apud eum faciemus*, non agit de forma, sed de consequente justificationis; non de primis initiis, sed de incremento donorum. Quando enim pii fide in Christum justificati DEUM diligunt et ex dilectione mandatis ejus obsequuntur, tunc Deus venit ad eos majoribus donis et gratia ampliori eos cumulans. Quo sensu etiam accipiendum illud: *Et manifestabo ei me ipsum*, hoc est dabo illi, ut in cognitione et fide in dies proficiat.

6. Rom. 2: Factores legis justificabuntur.

6. Rom. 2, v. 13: *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Ergo obedientia legis est nostra coram Deo justitia. **Bellarminus lib. 2. de justif. c. 16. tres hujus loci affert interpretationes: *1. Quidam intelligunt de augmento justitiae, id est de justificatione secunda, ut loquuntur; ut sit sensus, factores legis augmentum justitiae merebuntur.* Stapletonus in antid. hujus loci. Atqui opera renatorum nihil mereri possunt, quia sunt imperfecta et ipsa justificantur, ut loquitur Lutherus in artic. Schmalcald., id est, opus habent, ut tegantur merito Christi, unde Pererius disp. 7. in c. 2. Rom. hanc interpretationem ut ἀπροσδιόνυσον rejicit. 2. Quidam exponunt de nota eorum, *qui legi obedire possunt, hoc sensu qui cupiunt vere legis esse factores, dent operam, ut justificentur.* Augustinus de Spiritu et lit. c. 26. Haec sententia vera quidem est, sed ad contextum hujus loci non satis accommodata. 3. Quidam exponunt *de declaratione justitiae*, ut sit sensus, *in judicio divino justi judicabuntur.* Simplicissime respondetur, quod sit *dictum legale* promittens justificationem et vitam, sed *cum conditione perfectae obedientiae*, sed cum talis ποιητὴς legis non detur, inde etiam non est data lex, quae posset vivificare.** *Facere igitur legem* illi demum dicuntur, qui *permanent in omnibus, quae scripta sunt in libro legis*, interprete Moyse Deut. 28, v. 58. et Paulo Gal. 3, v. 10. tales factores omnino justi sunt non solum coram hominibus, sed etiam apud VIII. 1
Deum, ac per legis obedientiam vitam consequuntur, Levit. 18, v. 5: *Qui fecerit ea homo, vivet in eis;* Luc. 10, v. 28: *Fac hoc et vives.* Sed probandum erat, reperiri inter homines vel unum aliquem, qui sit talis ποιητὴς τοῦ νόμου, si a Christo discessum fuerit. Certe apostolus ibidem testatur diserte, Judaeos non esse justos ex lege, quia non satisfaciant legi, Rom. 8, v. 3. in genere pronuntiat, propter infirmitatem carnis ἀδύνατον nobis esse perfectam legis impletionem. Invertimus igitur argumentum: Non auditores, sed factores legis justificabuntur. Jam vero nemo est factor legis. Ergo ex lege et operibus legis nemo justificatur apud Deum; quae conclusio disertis verbis exstat Rom. 3, v. 20. Gal. 2, v. 16. Glossa ordinaria secuta Augustinum *per factores legis* intelligendos esse statuit credentes in Christum, quem lex promisit; per τὸ justificari intelligendum esse justum deputari, *ut sciamus nos non aliter esse factores legis, nisi justificemur, ut non justificatio factoribus accedat, sed factores legis justificatio praecedat.* Augustinus de Spiritu et lit. c. 26.

7. Rom. Spe sa facti s mus.

7. Rom. 8, v. 24: *Spe salvi facti sumus.* Spes est opus. Ergo operibus justificamur. Respondemus: Origenes per spem hoc loco intelligit fidem, ut spe salvari idem sit quod fide salvari. Sed textui magis convenit per salutem hic intelligere non justificationem, reconciliationem cum Deo et apprehensionem vitae aeternae in Christo, quam sola fide contingere apostolus evidenter docet; sed revelationem gloriae et finalem liberationem ab omnibus calamitatibus, quam in extremo die adhuc speramus. Sumus in hac vita Dei filii et heredes vitae aeternae Rom. 8, v. 17. 1. Joh. 3, v. 2. siquidem *dedit nobis Deus vitam aeternam in Christo Filio suo.* 1. Joh. 5, v. 12: *Qui habet Filium, habet vitam;* v. 11: *sed haec vita adhuc abscondita est cum Christo in Deo.* Col. 3, v. 3: *Sumus quidem Dei filii, sed non apparuit, quid futuri simus; scimus autem, cum apparuerit, quod tunc similes ei erimus.* 1. Joh. 3, v. 2. in hac vita laboramus ad-

hac sub cruce; speranda igitur adhuc est integra et plena liberatio ab omnibus miseriis. Hanc interpretationem series antecedentium et consequentium in textu apostolico manifeste confirmat, siquidem inter argumenta consolationum crucis scandalo opponendarum etiam hoc recenset apostolus: *Spe salvi facti sumus, spes autem, quae videtur, non est spes*, v. 24; *si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus*, v. 25. 8. 2. Cor. 5, v. 2: *Superinduemur, siquidem induti, non nudi reperiemur.* Ergo non bona opera sunt glorificationis causa. Respondemus: ostendimus suo loco, vestem illam nuptialem, qua in hac vita sumus induendi, ut Deo placeamus, esse justitiam Christi fide apprehensam. Indicatur ergo in his verbis apostoli duplex vestitus, quo nos Deus induit, videlicet justitia Christi in hac vita Gal. 3, v. 26. 27. et post hanc vitam gloria et immortalitas. Quodsi vel maxime de bonis operibus, quae cum vera fide perpetuo quodam nexu conjuncta sunt, locus intelligatur; nondum tamen evictum, quod causa ac meritum vel justificationis vel glorificationis exprimatur; sed docetur solum, quales esse oporteat eos, qui glorificandi sunt, videlicet fide et bonis operibus rutilantes, ut loquitur Cyrillus in ultim. cap. Johannis. Non absurde statuitur, phrasin apostolicam desumtam esse ex V. T. ut enim quondam sacerdotes V. T. induebantur primum tunica stricta seu linea; deinde vestiebantur tunica talari; postea accedebat summum ornamentum, ephod dictum: ita omnes vere pii sunt *sacerdotes*, 1. Petr. 2. v. 5. Apoc. 1, v. 6. in vita aeterna ornabimur ephod, id est, immortalitate, gloria et perfectissima justitia, sed in hac vita oportet nos prius indui justitia Christi per fidem et accipere primitias Spiritus. Ambrosius in hunc locum: *Hoc desiderantes insistunt precibus, ne resurgentes recepto utique corpore nudi, id est, alieni a promissa gloria, inveniantur. Hoc enim opus est, ut induta anima corpore Dei judicio superinduatur et gloria, quae est immutatio in claritatem* etc. Alii codices sic habent: *siquidem exspoliati, non nudi inveniamur, hoc est, si exeuntes de corpore Christum vestiti fuerimus; quia quicunque in Christo baptizantur, Christum induunt. Itaque si in forma baptismi et traditione manserimus, exspoliati corpore non nudi invenimur, quia in interiore homine habitat Christus, quem cum induti sive Spiritu s. dato nobis videbimur, erimus digni superindui coelesti gloria; in illum enim decidet promissa claritas, quem viderit signum adoptionis habere.* 9. 1. Tim. 6, v. 17: *Divitibus denuntia non superbe sapere, non sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo;* v. 18: *bene agere, divites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare;* v. 19: *thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam aeternam.* Ergo operibus apprehendimus vitam aeternam. Respondemus: possessio vitae aeternae non proponitur tanquam meritum bonorum operum, sed tanquam ultimus ille finis, ad quem in stadio bonorum operum decurrentes tandem pertingimus. Rom. 6, v. 22: *Finis sanctificationis est vita aeterna;* non tamen ut stipendium, sed ut gratuitum Dei donum in Christo v. 23. siquidem vita aeterna offertur ac donatur nobis in Christo, 1. Joh. 5, v. 11. ut autem sola fide non operibus apprehendimus Christum, ita quoque sola fide non operibus apprehendimus vitam aeternam; hinc dicimur *virtute Dei custodiri ad salutem per fidem*, 1. Petr. 1, v. 5. *ac salus animarum* dicitur *finis fidei nostrae*, v. 9. Interim fides illa se exserit per bona opera, ac vere in Christum credentes in stadio pietatis, ad promissam et a Christo promeritam vitae coronam decurrunt. Adde quod pietatis pars primaria et quasi nucleus sit fides in Christum, cujus non obscuram mentionem facit apostolus, quando *divites in DEO vivo sperare jubet.* Pertinet igitur ad hunc locum observatio illa D. Lutheri, quod Spiritus sanctus varie loquatur de fide; jam de abstracta seu absoluta; jam de fide concreta, composita seu incarnata: Quidam respondent, postrema verba continere peculiare et a ceteris distinctum praeceptum: si omnino cum superioribus connecti debeant, tum vis illa apprehendendi vitam aeternam non potest liberalitati vel ullis operibus tribui, ut docent fundamenta superius proposita; sed referenda haec sunt ad ultimam exhortationis partem, in qua nomen spei pro fide ponitur. 10. 2. Petr. 1, v. 10: *Studete fratres vocationem et electionem vestram firmam facere per bona opera.* Ergo bona opera sunt causa justitiae et salutis. Respondemus: in plerisque Graecis exemplaribus non est additum διὰ τῶν καλῶν ἔργων: sed si vel maxime subintelligatur, ut in vulgata versione additur: nihil tamen roboris ex eo accedit justitiae et merito operum coram Deo. Non enim de causa vel merito, sed testimonio vocationis et electionis apostolus loquitur; ex operibus tanquam fructibus, signis et testimoniis ipsi fideles confirmantur a posteriori, quod vere sint adoptati in filios Dei, justificati, regenerati et olim glorificandi, quin etiam apud alios vocatio et electio nostra confirmatur, si in studio bonorum operum sedulos atque industrios nos esse animadvertunt. 11. Apoc. 19, v. 8: *Datum est sponsae Christi, ut amiciatur byssino puro ac splendido, byssinum enim sunt justificationes sanctorum.* Ergo bona opera sunt nostra coram Deo justitia. Respondemus: Inhaerens justitia in hac vita est imperfecta et immunda; ideo non potest esse illud purum ac splendidum byssinum, sed justitia Christi est fulgens ac nitida illa vestis, in qua coram Deo consistere ac ipsi placere possumus. Matth. 22, v. 11. Rom. 13, v. 14. Galat. 3, v. 27. dicuntur autem *justificationes* numero multitudinis, non quod sint plures justitiae, vel plures justificandi modi coram Deo; sed respectu fidelium, qui justificantur; quia scilicet plures sunt fideles, qui vestem illam justitiae per fidem induunt. Rom. 5, v. 16: *Judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis εἰς δικαίωμα.* Rom. 8, v. 3: *Quod legi erat impossibile, hoc praestitit Deus misso Filio suo etc.*; v. 4: *ἵνα τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου πληρωθῇ ἐν ἡμῖν.* Ergo obedien-

8. 2. Cor. 5. Superinduemur. si non nudi reperiemur.

9. 1. Tim. 6. Divitibus denuntia ... spe... ...

10. 2. Petr. 1: Studete vocationem et electionem firmam facere.

11. Apoc. 19: Byssinum sunt justificationes sanctorum.

tia et satisfactio Christi est illud δικαίωμα, quo sponsa ejusdem in hac vita ornatur ac induitur.
VIII. 168. Quodsi vel maxime ad inhaerentem justitiam locus accommodetur, ex eo tamen non efficitur, nos in hac vita inhaerente quadam justitia coram Deo perfecte justos esse; agitur enim ibi non de justificatione sponsae in hac vita, sed de ejusdem glorificatione in vita altera, in qua justitiam inhaerentem numeris omnibus perfectam fore non negamus.

An per peccata contra conscientiam excutiatur fides.

134. Atque haec de justitia et meritis operum dicta sufficiant. Ceterum cum superius §. 26. inter causas, propter quas bona opera necessaria sint, etiam hanc connumeraverimus: ideo bene operandum esse, ne per peccata excutiamus fidem, contristemus Spiritum sanctum et amittamus Dei gratiam; inde nascitur quaestio, an per peccata contra conscientiam fides, gratia Dei, Spiritus sanctus et vita aeterna a renatis amittantur? Augustana confessio art. 12. diserte *damnat anabaptistas, qui negant, semel justificatos posse amittere Spiritum sanctum.* Philipp. Melanthon in examine ordin.: *Horribilis error est in secta anabaptistica, quod tollit discrimen inter peccata, quae haerent in sanctis non contra conscientiam et inter lapsus contra conscientiam, et fingit, ruentes contra conscientiam tamen esse justos et retinere Spiritum sanctum; hic furor antinomorum longe vagatus est etiam apud alios, sed manifeste damnatur illustribus testimoniis divinis.* Proinde in nostris ecclesiis contra anabaptistas et omnes directe vel oblique anabaptisticum hunc errorem propugnantes statuimus, renatos per peccata contra conscientiam fidem et Spiritum sanctum amittere. **Argumenta pro nostra sententia ducuntur: 1. a natura et voluntate Dei; 2. a natura et voluntate hominis. Ad primam classem pertinent haec argumenta: 1. A veracis Dei natura et voluntate non ficta. Psalm. 5, v. 5: *Deus non est volens iniquitatem neque malum apud ipsum commorabitur.* Zach. 8, v. 17: *Odit malum.* Ezech. 17, v. 15: *An eripiet se, qui facit illud?* Rom. 1, v. 32: *Qui talia faciunt, digni sunt morte.* 1. Thess. 4, v. 6: *Vindex Deus horum omnium.* Hebr. 10, v. 38: *Si quis se subduxerit, non probat eum animus meus.* Unde sic concludimus: Omnes peccatis regnantibus se polluentes a Deo habentur odio ac morti adjudicantur. Quidam renati talibus peccatis se polluunt. Ergo major probatur. Cujus justitia et veritas sunt immutabilia, ille omnes contra legem nefarie peccantes oderit, quia semper sibi similis est et constans. 2. Ex perspicuis Scripturae dictis. Ea in duas classes dividi possunt: quaedam verbis propriis sunt prolata, quaedam impropriis, sed tamen satis perspicuis. In priore classe sunt quatuor membra: 1. Perspicua asseveratio, vel iisdem vocibus, de quibus controvertitur, proposita, quod renati a gratia excidere et fidem excutere possint. Gal. 5, v. 4: *A gratia excidistis.* Apoc. 2, v. 7: *Memor esto, unde excideris.* 1. Tim. 1, v. 19: *Expellere fidem et bonam conscientiam*; vel συνωνύμοις vocabulis exposita. Dicuntur enim renati se *a Deo avertere* Esa. 1, v. 4; *Deo obvertere cervicem* Jer. 2, v. 27; *retroagi a sequendo Jehovah* Zeph. 1, v. 6; *derelinquere Deum* Jer. 2, v. 13; *recedere a via* Exod. 32, v. 8; *abnegare Dominum* 2. Petr. 2, v. 1; *Spiritui sancto resistere* Act. 7, v. 51; *fidem primam irritam facere* 1. Tim. 5, v. 12; *fiduciam abjicere* Hebr. 10, v. 35; *aberrare a fide* 1. Tim. 1, v. 6. 2. Severa exhortatio, ne quid committant renati, quo gratia Dei excidant, cum propria malitia possint, denuntiatur ipsis amissio gratiae, fidei et Spiritus sancti si in peccata atrocia prociderint. Rom. 11, v. 22: *Alioquin excideris.* 1. Cor. 6, v. 9: *Ne errate* etc. c. 10, v. 7: *Ne idololatrae estote* etc. 1. Thess. 5, v. 19: *Spiritum ne exstinguite.* Hebr. 3, v. 12: *Videte fratres, ne sit in ullo vestrum cor malum incredulum desciscendo a Deo vivo.* c. 10, v. 35: *Ne abjicite fiduciam vestram.* c. 12, v. 25: *Videte ne aversemini eum, qui loquitur.* Apoc. 3, v. 11: *Retine quod habes.* 3. Devota oratio, cum aliorum ut doctorum pro suis auditoribus, tum propria ipsorum renatorum quotidiana, ut stare possint. Sic Christus rogat pro suis Joh. 17, v. 17. Paulus in epistolis suis passim. Pii quotidie suspirant Matth. 6, v. 13: VIII.
Ne nos inducas in tentationem. Confer 1. Cor. 10, v. 12. 4. Certa vaticinatio, quod quidam, cum possint, perstare nolint. Act. 20, v. 30: *Scio ex vobis exorituros* 1. Tim. 4, v. 1: *Quidam desciscent a fide.* In posteriore classe sunt tria membra. In primo continentur similitudines a Spiritu sancto huic instituto applicatae: 1. de cursu, 1. Cor. 9, v. 24. 26. Gal. 5, v. 7. Hebr. 12, v. 1; 2. de militia, Job. 7, v. 1. est perpetua lucta carnis et spiritus Gal. 5, v. 16. Jac. 4, v. 1. 1. Petr. 2, v. 11. pugnandum contra diabolum, mundum, carnem Ephes. 6, v. 12. unde Christianus confertur militi 1. Tim. 1, v. 18. 2. Tim. 2, v. 3. pugili 1. Cor. 9, v. 26. cursori v. 24. *Si quis autem certat, non coronatur, nisi legitime certaverit*, id est victor secundum leges declaratus sit 2. Tim. 2, v. 5. *Si quis vero non tenet, quod habet, alius accipit coronam* Apoc. 3, v. 11. At renati quidam possunt subsistere ante metam et cadere ante victoriam; 3. de nuptiis. Ut arctissimum conjugii vinculum solvitur commisso adulterio, sic spiritualis hujus conjugii foedus non nisi sub conditione servandae fidei conjugalis. In secundo sunt parabolae: 1. Similitudo de nuptiis parabolice saepius tractatur et explicatur Ezech. 16. Cant. Cant. Hos. 2. Matth. 22. In N. T. habentur parabolae satis perspicuae; 2. de servo debente decem talenta Matth. 18. qui vere absolutus primum, sed postea ob immisericordiam in carcerem conjicitur; 3. de domo prius purgata et mundata, a spiritu immundo postmodum iterum occupata, Luc. 11, v. 24; 4. triplex parabola de ove perdita, drachma perdita et filio perdito Luc. 15. idem probat. In tertio sunt metaphorae seu allegoriae explicatae. In genere: 1. de vinea, quae potest degenerare, ut ex bona, qualis erat plantata, fiat mala, Esa. 5; 2. de arbore omni in horto Dei consita, quae ex bona potest

fieri mala, ex frugifera infrugifera, Matth. 3, v. 8. c. 7, v. 17. c. 12, v. 33. In specie 3. de palmite, qui nisi in Christo vera vite manserit, exarescit et in ignem conjectus ardet, Joh. 15; 4. de oleastro Rom. 11, v. 17. qui insitus et factus particeps radicis et pinguedinis oleae, si non manserit in benignitate, potest defringi et excindi v. 20. 22. Jer. 11, v. 16; 5. de ficu Luc. 13, v. 6. quae cum non ferebat speratos fructus, quos omni studio culta ferre poterat, excinditur; 6. de semine bono Luc. 8, v. 5. ne credentes salventur; 7. de sale, qui potest fieri insulsus ac inutilis et projici, ut conculcetur, Marc. 9, v. 50; 8. de argento; ut illud ab aurifabro corruptum et adulteratum non amplius est probum, licet ante tale fuerit aeri nondum permixtum, sic pii sunt purum aurum, quamdiu habent fidei ἀνυποκρίτου thesaurum, sed si ad aeramenta rationis deficiant, audiunt Esa. 1, v. 21. *argentum tuum abiit in scorias.* Ezech. 22, v. 18. Jerem. 6, v. 30; 9. de aqua, quae ex fervente potest fieri tepida Apoc. 3, v. 16; 10. de visu; ut is, qui visu praeditus est, potest fieri coecus, sic vera fide illuminatus Joh. 1, v. 9. Hebr. 6, v. 4. potest fieri coecus 2. Petr. 1, v. 9. oblitus se a veteribus peccatis fuisse purificatum; 11. de farina; quemadmodum illa modica fermenti massa fermentatur, sic unum vitium potest totum hominem, imo totam ecclesiam corrumpere, nisi caveatur, Matth 16, v. 6. 1. Cor. 5, v. 6. Galat. 5, v. 9. quo pertinet mandatum de cavendo fermento per septendium paschatos Exod. 12. et in sacrificio voluntario Lev. 2, v. 11. Ad alteram classem pertinent fallacis creaturae facta, ubi concludimus vel a minori, ab exemplo: 1. Angelorum. 2. Petr. 2, v. 4. 9: *Si Deus puniit et sua gratia privavit peccantes angelos, multo magis homines renatos*, v. 9. sed illud. Ergo. Si angeli potuerunt amittere justitiam concreatam, multo magis renati possunt amittere justitiam Christi imputatam. 2. Hominum in integritate constitutorum. Si primi parentes ad Dei imaginem conditi potuerunt Deum relinquere, gratia ejus excidere et mortis aeternae rei fieri, multo magis alii, qui non sunt ita perfecti in hac vita; sed illud etc. Ergo. Nota Paulum hoc argumento usum 2. Cor. 11, v. 3. ab exemplo hominum in statu restaurationis et in gratiam restitutorum, hoc est vere renatorum, qui vel labi potuerunt et aut monentur, ut caveant ope Dei adjuti, ne plane gratia Dei excidant: 1. incestuosus Corinthiacus in gratiam receptus 2. Cor. 2, v. 6. 7. 2. Galatae Gal. 3, v. 2. c. 5, v. 4. 3. Timotheus 1. Tim. 1, v. 18; aut studiose ipsi cavent, ut Paulus, *ne reprobus fiat* 1. Cor. 9, v. 27; vel lapsi sunt fidemque veram excusserunt, ac Spiritum s. amiserunt, ubi sunt exempla tam ecclesiae seu communionis totius quam hominis unius; ibi a minori, hic a pari argumentamur. Exempla ecclesiae totius in V. T. 1. Israëlitarum 1. Cor. 10, v. 5. et seqq. confer Exod. 32. Psalm. 78, v. 35. 2. Ninivitarum, qui a Jona conversi vere crediderunt Jon. 3, v. 10. iidem tamen in impietatem relapsi a Deo abjecti sunt Nah. 1, v. 11. 14. 3. In N. T. ecclesiarum, quae sunt ab apostolis plantatae et omnes fere postea desciverunt a fide; confer Apoc. 2, v. 3. Hominis unius exempla in V. T. est 1. Aaronis exemplum, qui fuit vere renatus et apud Deum in gratia, Exod. 29, v. 44. Ps. 99, v. 6. idem tamen vitulum aureum constituit. 2. Saulis, qui fuit circumcisus, *Spiritus mutaverat cor ejus* 1. Sam. 11, v. 6. qui etiam postea recessit c. 16, v. 16. 3. Davidis, qui factus est adulter et homicida 2. Sam. 12, v. 9. 4. Salomonis. In N. T. 5. Petri; 6. Judae; 7. Thomae Joh. 20. 8. Simonis Magi; 9. Hymenaei; 10. Alexandrini; 11. Ephesini episcopi Apoc. 2. Denique variae possunt addi rationes: 1. In quibusdam renatis spiritus malus operatur; 2. vivunt secundum carnem; 3. non diligunt nec servant Christi sermonem; 4. non sunt puri nec mundi; 5. non manent in Christo; 6. non edunt fructus fidei; 7. anguntur timore servili etc. ** Observari autem VIII. 170.
porro potest: 1. Distinguendum esse inter firmitatem et stabilimentum cordis, quod opponitur casibus infestis et adversis, quorum nullus tam magnus esse potest, ut de statu gratiae deturbare possit eos, qui fiduciam suam in Deum habent repositam Joh. 10, v. 29. Rom. 8, v. 35. Rom. 5, v. 2. Hebr. 13, v. 9. et inter casum ex statu gratiae, qui fit per peccata, qualem casum fieri probat apostolus 1. Cor. 10, v. 12. 2. Gratiam immutabilem esse ex parte Dei, qui neminem deserit nisi ab ipso prius deseratur Rom. 11. sed ex parte nostra cavendam esse temeritatem, ne nobis quodlibet etiam facientibus gratiam favoremque Dei vana persuasione polliceamur, 1. Cor. 10, v. 12. Phil. 2, v. 12. 3. Gratiam in hac quaestione significare favorem et amorem Dei, quo fideles et actu jam credentes in Christum propter eum complectitur, quae gratia est illius, qua ab aeterno Deus genus humanum et peculiariter electos est complexus, in tempore facta manifestatio. Hanc gratiam sanctificationis renati et electi amittere possunt, hi vero gratiam electionis nequaquam. 4. Tria illa: *1. amittere Dei gratiam; 2. deficere a fide; 3. excutere Spiritum s.* etsi formaliter sint diversa, tamen ratione subjecti esse unum, quatenus sunt simul atque ita cohaerent indivulso nexu, ut, ubi unum est, ibi et reliqua duo sint ac contra. 5. Lapsum a fiducia esse vel ὁλικὸν vel τελικόν. Totalis cum ex filio gratiae fit filius irae, et hic datur restauratio per poenitentiam in hac vita; finalis cum ex eo, qui heres coeli fieri poterat, fit incola inferni et socius diabolorum post hanc vitam, quia in impoenitentia decessit, unde nulla porro spes gratiae est reliqua. 6. *Penitus* in hac quaestione sumi vel ratione subjecti, et sic recte dicimus, quod et renati et electi omnem fiduciam peccatis mortalibus possint perdere, quia omnis Dei gratia et Spiritus s. praesentia gratiosa a tam malitiose peccantibus omnino amittitur; vel ratione praedicati, atque ita rursus bifariam potest accipi, vel respectu *termini*, *ad quem* patet regressus, idque dupliciter, prius de potentia, *quasi nunquam possit recuperari etiam in hac vita* (quod in Collat. Hagiensi a Remonstrantibus assertum referente

Guil. Amesio in Coronid. ad illa p. 356.) talis excidentia non in hac vita, sed post eam locum habebit; posterius *de actu*, quod non omnes, qui amiserunt gratiam Dei, recuperent, id quod de quibusdam renatis ex eventu scimus et hactenus admittimus; aut respectu *termini a quo*, quod is, qui jam penitus non habet, possit habere iterum totam, id quod de nonnullis renatis et de omnibus electis statuimus; siquidem hi omnino ante finem vitae per poenitentiam seriam ad DEUM redeunt; *τὸ penitus* in phrasi *(penitus excidere Dei gratia)* vel notat totalitatem rei possessae, vel totalitatem adjuncti temporis. Sic si Salomon ad bonam frugem rediit, tum penitus non excidit gratia Dei et fide justificante scilicet totalitate temporis, quia aliquo tempore nempe ante mortem fuit ad Deum reversus, interim patratis flagitiis mortalibus penitus excidit gratia Dei et totam in Deum filialem fiduciam amisit videlicet totalitate rei possessae, hoc est nihil omnino fidei salvificae seu filialis fiduciae tunc retinuit. Homo justificatus potest vel omnino vel ad tempus gratia excidere, prout scilicet lapsus in peccata gravia contra conscientiam vel haereses, vel errores contra fundamentum fidei aut in eisdem sine poenitentia immoritur, aut ex iis postea per poenitentiam salutarem resurgit. Hoc *intercisionem justificationis*, illud *amissionem* vocat Thomson in diatribe c. 2. p. 5. 7. *Verum* dici tripliciter: 1. Verum *κατ' οὐσίαν* Scholasticis verum essentiae vel existentiae, cum res habet quicquid ad essentiam suam pertinet actusque proprios exercere potest; huic opponitur falsum, fictum, apparens aut putativum. 2. Dicitur aliquid verum *κατ' ἐπιμονὴν* et *ἐπίτευξιν* sive respectu finis, quando videlicet finem suum, ad quem ordinatur, actu consequitur, utcunque interim in cursu suo aliquando interrumpatur, quibusdam dicitur verum permanentiae scilicet perseverantiae; huic opponitur frustraneum, vanum atque inutile. 3. Verum *κατ' ἐπίτασιν*, verum tenaciae, solitudinis, firmitudinis fixae; huic opponitur infirmum ac imbecillum. Quando ergo quaeritur, an *vera fides* excidere possit, quaestio accipienda est de prima, non de secunda et tertia significatione.** Observa autem: 8. discrimen
Status quaestionis. esse inter renatos et electos. Quamvis enim omnes electi etiam sint renati, tamen non omnes renati sunt electi. Calvinus et qui eum sequuntur, terminos hosce habent pro convertibilibus, sed contrarium apparebit ex argumentis, quae pro nostra sententia
VIII. 171. paulo post adducentur. Proprie ergo hic de renatis quaeritur, an per peccata contra conscientiam iterum possint excidere gratia Dei, et hac ratione fidem et vitam aeternam amittere, quod diserte affirmamus. Si ad electos quaestio transferatur, dicimus, electos finaliter quidem non permanere in peccatis mortalibus, nec finaliter extra Dei gratiam constitutos esse, (alias enim perirent; jam vero nullus electorum perit, ut suo loco ostendimus), interim tamen quia peccata mortalia perpetrare possunt, ideo ad tempus gratia Dei etiam totaliter eos excidere posse dicimus. Describimus autem electos non a priori ab absoluto quodam Dei decreto (quod faciunt illi, qui Calvinum hic sequuntur, quodque *πρῶτον ψεῦδος* est erroris in hac quaestione), sed a posteriori, hoc est a finali perseverantia in vera Dei agnitione, fide et studio sanctitatis. Breviter renatos et totaliter et finaliter per peccata mortalia gratia Dei excidere posse dicimus; electos totaliter, non autem finaliter. 9. Discrimen esse inter peccata infirmitatis et ea, quae contra conscientiam committuntur. Quamvis enim omnia peccata sua natura sint mortalia, ut ostendimus in tractat. de peccatis actualibus §. 93. in renatis tamen quaedam dicuntur venialia, videlicet pravae concupiscentiae, ad quas non accedit deliberatus consensus, lapsus infirmitatis etc. non quod in se et ex se sint venia digna, sed quod Deus credentibus in Christum ea non imputet, si haec mala agnoscant, serio de illis doleant, merito mediatoris velut umbraculo ea tegi petant et credant, denique frenos eis nequaquam laxent, sed spiritu eis resistant crucifigentes carnem cum concupiscentiis suis. Proprie ergo hic quaeritur non de peccatis venialibus, sed de mortalibus, hoc est regnantibus et conscientiam vastantibus, an scilicet per ea fides et Dei gratia amittatur, quod diserte affirmamus. Asscribemus huc locum ex Aepino lib. de justif. p. 152. qui totam hanc rem pulcherrime illustrat: *Pii* (inquit) *aliquando carnis pravitate a pietatis amore et studio abrepti delinquentes labuntur potius quam peccant, cum alias secundum spiritum intus ardeant amore pietatis et odio peccati, perpetuo sentiant motus carnis et spiritus inter se de imperio pugnantes et exsecrantur perpetrata delicta; horum delicta lapsus sunt, quos admissos deflent et emendant, tales lapsus a sanctis non sunt omnino alieni. Nam in hac vita nec a Satanae insidiis, nec a carnis vitio, nec a mundi improbitate sunt immunes. Hi hostes cum sanctos impetunt varie, nonnunquam de improviso cadunt, sed resurgunt; et deinde cavent sibi sedulo, ne contra conscientias rursus ruant. Lapsi vero per imprudentiam et imbecillitatem deplorant sua peccata et erigunt se rursum fiducia misericordiae Dei nobis in Christo promissae. Hac fide erecti rursus apprehendunt et consequuntur veniam commissi lapsus et liberantur a peccatis et eorum meritis poenis.* Et postea: *Foede hallucinantur, qui putant, quaevis peccata cum fide justificante subsistere et semel justificatos, hoc est eos qui fide apprehenderunt justitiam in Christo et innovari coeperunt per Spiritum sanctum, nec fidem, nec Spiritum sanctum, nec justificationem rursus amittere posse. Solos lapsus, quos sequitur vera poenitentia, de quibus jam dictum est, Spiritus Dei fert, fides sustinet et justificatio tolerat ac expiat. Cum noto, voluntario et regnante peccato nec Spiritus Dei, nec fides, nec justitia cohabitat. Fides conscientiam peccatis oppressam in Christo sublevat et certitudine promissionis de remissione peccatorum afflictam consolatur; moestam exhilarat et impeditam absolvit; quando et quamdiu homines, qui se recte credere censent,*

VIII. 171. *in peccatis vivunt et perdurant, quibus redarguitur, affligitur et dejicitur conscientia, in eis fides est extincta, Spiritus sanctus ab illis discessit, qui est arrhabo hereditatis Dei per fidem acquisitae, et justificatio inanita est. Quia talia peccata sunt aperta opera carnis, hoc est pravae et veteris naturae vitia, quae in justificatis fide expurgantur, et Spiritu Dei opprimuntur et sepeliuntur. Ubi carnis vitia vigent et dominantur, ibi nec Spiritus Dei, nec justificans fides esse potest.* Haec ille. 10. Discrimen esse inter fidem historicam et salvificam. Quamvis enim fides salvifica complectatur notitiam ac proinde sit etiam fides historica; non tamen omnis fides historica est etiam fides salvifica, siquidem fides salvifica praeter notitiam et assensum complectitur fiducialem apprehensionem Christi, ut suo loco ostendimus. **Fides hic non tantum significat *1. notitiam*, ut Bertius perperam existimat in Hymenaeo edit. Lugd. anno 1615. p. 18. 22. et 119. quod tamen ipse quodammodo revocat in praefat. 2. nec tantum notat *assensum*, sed *filialem fiduciam*, qua pii ad Deum ut filii ad patrem libere accedunt et clamant *abba pater*, Rom. 8, v. 15. Gal. 4, v. 6. Hanc fiduciam et hunc accessum non nisi per Christum habemus 2. Cor. 3, v. 4. et tum quando *cor nostrum nos non condemnat, sed mandata ejus servamus et quae in ipsius conspectu placent facimus*, 1. Joh. 3, v. 21. 22.** Proprie ergo hic quaeritur de fide salvifica, an illa cum gravioribus peccatis contra conscientiam admissis consistat et maneat, quod diserte negamus, quamvis enim notitia et fides historica in illis, qui contra conscientiam peccant, manere quandoque possit; ea tamen nondum absolvit fidem salvificam et justificantem; aliud est notitia literae, aliud notitia Spiritus. 11. Discrimen esse inter praesentiam potentiae et gratiae. Quamvis enim Spiritus s. praesentia potentiae *repleat orbem terrarum*, Sap. 1, v. 7. *ac sit in omnibus*, Sap. 12, v. 1. tamen praesentia gratiae solis piis et vere credentibus adest, illos regenerando, illuminando, sanctificando, renovando etc. quam praesentiam Scriptura vocat inhabitationem, cujus respectu credentes sunt et dicuntur *templa Dei, habitacula Spiritus sancti, domicilia sacrosanctae Trinitatis.* **Hoc sensu vocatur Spiritus *υἱοθεσίας* Rom. 8, v. 15. *Spiritus gratiae* Hebr. 10, v. 29. *gratiae et precum* Zach. 12, v. 10: *sanctificationis* Rom. 1, v. 4. *promissionis* Eph. 1, v. 13. *veritatis, quem mundus*, id est obstinate improbi quamdiu tales, *non potest accipere* Joh. 14, v. 7.** Proprie ergo hoc loco quaeritur non de praesentia potentiae, sed de praesentia gratiae, an eo praesentiae gradu Spiritus sanctus adhuc habitet in illis, qui semel renati in peccata voluntaria contra conscientiam prolabuntur, quod negamus. 12. Discrimen esse inter gratiam Dei atque aditum sive reditum ad gratiam. Quamvis enim non omnes homines, ac ne illi quidem omnes, qui in externo ecclesiae coetu versantur, sint in gratia Dei; tamen patet ipsis aditus, ac si in peccata prolapsi fuerint, reditus ad gratiam Dei. Proprie igitur hoc loco quaeritur non de reditu ad gratiam, quem minime interclusum esse dicimus etiam in gravissima peccata prolapsis, sed de actuali (ut ita loquar) et speciali illa gratia, de paterno illo favore ac amore, quo Deus filios suos in Christo complectitur, an scilicet renati contra conscientiam peccantes eo ipso tempore, quo adhuc in peccatis haerent, divinae gratiae actu sint participes, quod negamus. 13. Discrimen esse inter *μονὴν τῆς ζωῆς αἰωνίου ἐν ἡμῖν* (ut loquitur apostolus 1. Joh. 3, v. 14.) et inter accessum ad vitam aeternam per seriam ad Deum conversionem parandum. Quamvis enim renatis, si in peccata contra conscientiam voluntarie ruant, pateat iterum accessus ad seriam conversionem et consequenter ad vitam aeternam; tamen in ipsis peccatis contra conscientiam admissis non habent vitam aeternam in se manentem. Proprie igitur hoc loco quaeritur, an renati in peccata contra conscientiam postea prolapsi adhuc sint et maneant vitae aeternae participes, quod negamus. 14. Per phrases excutere, expellere, exturbare Spiritum sanctum non intelligitur hostilis quaedam vis, violentia ac robur, quod sit fortius Spiritu sancto, ut propterea recedere cogatur (quia in Spiritum sanctum qui est omnipotens Deus, tale quid neutiquam cadere potest); sed illi dicuntur Spiritum sanctum excutere, qui gratiosa ejus inhabitatione se ipsos privant. 15. Denique observa, per peccata contra conscientiam intelligi etiam hoc loco errores fundamentum salutis evertentes, quos si qui ex renatis amplectuntur et pertinaciter eis adhaerent, illi itidem gratiam Dei, fidem et Spiritum sanctum amittunt. Ex quibus omnibus non solum verus status quaestionis, sed etiam fundamenta solutionum argumentis adversae partis opponendarum liquido sunt conspicua.

135. **Bellarminus in praefat. tom. 1. controv.: *Si catholicus quispiam labitur in peccatum, si furtum, si adulterium, si homicidium forte committit, misere certe cum illo agitur. At nihilominus quoniam adhuc aliquis vitae sensus, adhuc aedificii fundamentum, adhuc lumen aurorae, id est fides, in ipso est, multa et magna praesidia ad salutem aeternam habet, non ambulat in tenebris, novit medicum suum, potest adhuc ex fide, quam habet, ad Deum clamare.* Sibr. Lubert. ad 99. error. Vorst. p. 828: *Dico hominem, quando ex naturae suae viribus aestimatur, deficere posse et quidem finaliter totaliterque; quando vero juxta decretum et promissionem Dei consideratur, nego illum finaliter et totaliter deficere posse, quia de ovibus suis pronuntiat: non peribunt in aeternum, neque rapiet eas quisquam ex manu mea. Sic Aquinas docet p. 1. q. 23. art. 3. ad 2. praedestinatum absolute quidem et secundum se consideratum posse in peccato mortali emori, non tamen ex suppositione seu in sensu composito.* Augustinus etiam libr. 21. de civ. Dei. c. 25. meminit quorundam, qui docuerunt, baptizatos non posse damnari, etiamsi perditissime viverent. Denique et Anabaptistae hunc errorem fecerunt suum, ut constat ex Augustan. confess. art. 12.** Cal-

Adversariorum sententia.

VIII. 172.

vinus et qui eum sequuntur duo hic docent, quae salva veritate approbare non possumus, primo quod fides et justitia sit electorum tantum, hoc est quod illi solum verae justificantis fidei participes fiant, qui sunt absoluto Dei decreto electi, unde negant, verae fidei illos participes unquam fuisse, qui in peccata prolapsi finaliter pereunt: deinde quod fides et justitia semel accepta non possit ullis peccatis amitti. Calvinus lib. 3. instit. c. 2. §. 11: *Solos electos semine incorruptibili Deus in perpetuum regenerat, ut nunquam dispereat semen vitae in eorum cordibus insitum. Hoc tenendum est, quamvis exigua sit ac debilis in electis fides, quia tamen Spiritus Dei certa illis arrha est ac sigillum suae adoptionis, nunquam ex eorum cordibus deleri posse ejus sculpturam.* Vide Bezam in Coll. Mompelg. p. 463. 465. 467. part. 2. resp. ad colloq. p. 72: *Fidem ipsam veram amitti nego.* p. 73: *Lothus etiam incestuosus fuit justus.* p. 74: *Non fuit David regenerationis Spiritu, quem prorsus amisisset, rursus donatus, sed qui sopitus in ipso jacebat, fuit divinitus ministerio Nathanis excitatus.* p. 79: *Non dixi Davidem perpetrantem adulterium sive in adulterio perpetrato fidem et Spiritum sanctum retinuisse, sed illum dixi quamvis adulterum atque etiam homicidam (quae fuerunt carnis non Spiritus opera), tamen quoniam electus erat, aliquid Spiritus sancti et fidei in eo fuisse servatum, quod aliquamdiu sopitum Dominus tamen rursum excitavit.* In quaestionibus et responsionibus p. 107. *interrumpi quidem* scribit *in gravibus tentationibus Spiritum, sed nunquam tamen penitus eripi; interrumpi veram fidem ejusque effecta in electis, ut in iis, qui lethargo laborant, et in ebriis, in quibus impediuntur facultates animae, non ipsa tamen anima tollitur.* Zanchius in miscell. fol. 65: *Spiritus sanctus semel alicui datus manet cum eo in aeternum.* Perkinsus de praedestin. et grat. p. 122: *In Davide post lapsum verae fidei et regenerationis semen permansit.* Marloratus in c. 24. Lucae: *Diligenter observa, etiamsi velimus data opera perire, tamen Christum non permittere, retrahit enim nos ab exitio.* Thesaurus orth. fidei editus a Grynaeo class. 3. loco 1. de fide in genere thes. 7: *Electis semel tantum vera fides datur, quam prorsus amit-*
VIII. 174 *tere, Spiritum sanctum omnino excutere et a Christo penitus excidere non possunt.* Keckermanus in syst. theolog. lib. 3. c. 7. p. 434: *Salvifica fides semel accensa in electis nunquam potest plane exstingui aut deficere.* **Fidem veram et salvificam esse donum Dei solis electis proprium docet Piscator in c. 6. Joh. observ. 18. in c. 12. observ. 21. in 2. Thess. 3, v. 2. p. 1215. totius operis ibidemque schol. 2. p. 1216. et observ. 4. p. 1217. in Tit. 1, v. 1. schol. 1. et observ. 2. p. 1273. Idem volum. 2. disput. p. 210. expresse scribit, *Spiritum regenerationis non nisi electis dari.* Adde Polanum in syntagm. tom. 2. libr. 6. c. 36. p. 3006. lit. C. edit. in 4. ubi dicit: *Nulli credunt nisi soli electi.* Consentit Zanchius libr. 2. de natura Dei c. 6. p. 124. edit. Heidelberg. ann. 1577. ubi scribit, *quod Spiritus sanctus sit duntaxat electorum sanctificator.* Paraeus in c. 6. Rom. dubit. 7. p. 601. asserit, *peccatum regnans, quod renatis tribuitur, improprie sic vocari, eo quod per vim sibi rapit imperium in renatos eosque ad breve tempus incautos in nassam abripit, ab iisdem vero mox iterum domatur atque excutitur.* Zanchius in miscell. p. 133. *renatos non posse ex contemtu Dei vel desperatione peccare, sed vel ex ignorantia, vel ex infirmitate tantum, et hanc humanam tentationem vocant.* Eglinus disput. 3. de peccato in Spirit. s. thes. 119: *Cum Paulus produxisset sermonem in mediam noctem, adolescens quidam nomine Eutychus sedens in fenestra obrutus somno de tertia contignatione cecidit deorsum et sublatus est mortuus. Sed cum Paulus descendisset, ruit in eum et complexus dixit: Ne tumultuamini, anima enim ejus in ipso est. Ad eundem modum veterno peccatorum obrutus Salomon. Plusque de tertia contignatione domus spiritualis occidit, ita ut merito haberetur pro mortuo; tamen linum fumigans in ipso extritum plane esse, quantumvis foetore maximo oppletum, donec vel sub exitium vitae reaccenderetur,* non concedimus. (At dicitur mortuus, mors est totalis vitae privatio.) Errorem illum etiam in nostras ecclesias patrum memoria invehere conatus fuit Thomas Naogeorgus, ecclesiae Calensis in Thuringia pastor, qui in suis annotationibus in 1. epist. Joh. scripsit, electos manere justos et retinere Spiritum sanctum, etiamsi manifeste peccent. Vide Rofinum in orat. de vita Joh. Friderici electoris.

136. Bellarminus lib. 3. de justificat. cap. 14. in erroris hujus societatem Chemnicium adeoque omnes Augustanae confess. addictos pertrahere conatur: *Repugnant* (inquit) *Calvino non solum Catholici, sed etiam plerique Lutheranorum, et ipse etiam Petrus Martyr in c. 8. Rom. et Chemnicius in exam. concil. Trident. Quamvis hi duo postremi, etsi aperte doceant, posse justum interdum labi; tamen sentire videntur, non posse fieri, quin ante mortem redeat ad fidem. Certe cogit error ille de fide praedestinationis, ut credant, nullum fidelem esse posse reprobum, nisi secum ipsi apertissime pugnare velint; quomodo enim ex fide certos esse dicerent omnes fideles de sua praedestinatione, si crederent fideles aliquos in aeternum perire posse?* Respondemus: 1. Cur Bellarminus dicit, plerosque Lutheranorum Calvino in hac quaestione refragari, cum confessio Augustana doceat, omnes refragari? **(Witakerus in orat. ult. Cantabrig. habita ann. 1595. 9. Oct. negat, hanc opinionem, *quod qui semel vera fide donatus, eam nunquam amittere possit,* a Calvino excogitatam, *sed saniores Pontificios idem tradidisse,* adducit Joh. Ferum in c. 8. et 17. Matth. *et quamvis Dominicus Soto in annot. in Ferum hanc Feri sententiam reprehendat, tamen Michaëlem Medinam, qui concilio Trident. interfuit, Ferum amplissime defendere.* Sed aliud quid reprehendisse videtur Sotus in Fero, illud scilicet quod docuerit,

An Chemnicius ejus opinionis socius.

veram fidem esse tantum electorum, id est eorum qui finaliter et perseveranter sint credituri, quae renatis et ad tempus credentibus recte tribuatur.)** 2. Cur tribuit Chemnicio, quod statuat, justum interdum quidem labi, fieri tamen non posse, quin ante mortem redeat ad fidem; cum non solum Chemnicius, sed et omnes Augustanae confessioni sincere addicti agnoscant, justos sive renatos per peccata contra conscientiam non solum totaliter, sed etiam finaliter gratia Dei excidere, nisi iterum convertantur? Alia quaestio est de electis, quos finaliter gratia Dei excidere negamus, hoc enim contradictionem implicaret, esse electum et finaliter perire. Matth. 24, v. 24. nequaquam vero ab absoluto quodam Dei decreto electos describimus a priori, sed a finali perseverantia a posteriori. Ac rogati, unde fiat, quod quidam renati in peccata prolapsi iterum convertantur et vivant, quidam vero non convertantur et pereant; nequaquam ad absolutum aliquod Dei decretum confugimus, propter quod fieri non possit, quin ante mortem ad fidem redeant (ut Bellarminus nobis tribuit), sed ad usum mediorum, per quae poenitentiam et fidem Deus in cordibus hominum operari vult, respicimus. 3. *At* (inquit Bellarminus) *si fideles aliqui in aeternum perire possunt, quomodo locum habet illud, quod ex fide certi esse possimus de electione?* Respondemus: nequaquam propugnamus absolutam quandam electionis certitudinem, sed cum perseverantiae finalis conditione conjunctam; fiducia perseverantiae nititur Dei omnipotentia, Dei fidelitate ac Dei bona voluntate, ut docuimus in tractat. de elect. et reprobat. §. 184. 207. 210. ac paulo post plenius docebimus. Frustra igitur laborat Bellarminus, ut Chemnicium atque alios ex nostris in societatem hujus erroris pertrahat, rectius de se suisque asseclis hoc pronuntiaret, qui statuunt, *nullis etiam gravissimis mortalibus peccatis fidem amitti.* Concil. Trident. sess. 6. c. 15. Costerus enchir. cap. de fide p. 178. Bellarminus lib. 1. de justificat. c. 15. **Vulgata adversariorum exceptio haec est: *Justos se posse avertere sibi relictos, sed vere justos virtute Dei ita custodiri per fidem, ut nunquam velint se avertere vel penitus avertant. Psalm. 92, v. 13. Psalm. 37, v. 24. 1. Petr. 1, v. 5.* Paraeus in lib. 3. Bellarmin. de justificat. c. 14. Respondemus: acceptamus illud et addimus, quando justi incipiunt secundum carnem vivere, tum sibi relinquuntur, imo nisi resipiscant, moriuntur Rom. 8, v. 13. Deus enim tunc ab istis suam gratiosam inhabitationem subtrahit et *diabolus in domum suam, unde exierat, revertitur* Luc. 11, v. 24. constat illud exemplo Saulis a quo dicitur Spiritus Domini recessisse.**

137. Producimus igitur contra Calvinum et ejus sectatores haec argumenta: 1. a natura verae fidei. Fides vera et salvifica est *efficax per caritatem* Galat. 5, v. 6. cum confessione oris ἀδαμαντίνως est conjuncta 2. Cor. 4, v. 13. est *victrix mundi* 1. Joh. 5, v. 4. hoc est *concupiscentiae carnis, concupiscentiae oculorum et superbiae,* 1. Joh. 2, v. 16. est spiritualis quaedam *lux*, quae se exserit per bona opera Matth. 5, v. 16. *purificat corda* Act. 15, v. 9. facit *Christum cordibus nostris habitare* Ephes. 3, v. 17. Ubicunque igitur voluntarie quis indulget peccatis; ubi non est dilectio, nec confessio; ubi caro, mundus et peccatum dominantur; ubi non est studium pietatis et bonorum operum; ibi non habet locum vera fides. *Spiritus excutitur dominante cupidine carnis.* In renatis perpetuo secum confligtantur caro et Spiritus, si carni et concupiscentiis ejus dominium conceditur, Spiritui nuntium remittitur: ubi non apparent fructus spiritus, ibi non habet locum gratiosa praesentia Spiritus: jam vero quidam renati patiuntur se a carne vinci, concedunt peccato dominium, exstinguunt fructus Spiritus etc. Ergo amittunt veram fidem, si dicant, *in renatis illis, qui postea in peccata contra conscientiam ruunt et pereunt, veram fidem nullo unquam tempore fuisse,* manifeste petunt principium. Ex consequente perseverantiae defectu non est de natura verae fidei judicandum; perseverantia non ingreditur definitionem fidei: ergo ex ejus absentia vel praesentia de veritate fidei non est judicium faciendum. Duratio non est ipsa rei essentia, sed essentiae continuatio. VIII. 176.
Porro nota 1. repulsa bona conscientia fit naufragium 1. Tim. 1, v. 19. At patratis malitiose flagitiis repellitur bona conscientia. 2. Qui committunt opera carnis, non erunt heredes regni Dei Gal. 5, v. 19. At vere credentes erunt heredes regni Dei Marc. 16, v. 16. Ergo vere credentes, qua tales, non committunt opera carnis. 3. Qui sunt Christi, crucifixerunt carnem cum concupiscentiis Gal. 5, v. 24. Veri fideles sunt Christi seu in Christo Rom. 8, v. 1. 4. Qui designant mortalia delicta, non habent in se gratiose inhabitantem Spiritum s. Ephes. 5, v. 18. At veri credentes habent in se gratiose inhabitantem Spiritum s. Rom. 8, v. 11. 1. Cor. 3, v. 16. 5. *Qui natus est ex Deo, non peccat,* scilicet malitiose, hoc est non studet nec delectatur peccatis 1. Joh. 3, v. 9. *At omnis, qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est* 1. Joh. 5, v. 1. 6. Si vere credentes retenta fide justificante delinquerent malitiose, falleret dictum Jac. 2, v. 26: *Fides sine operibus est mortua.* 7. Fides est efficax per caritatem Gal. 5, v. 6. cum odio fratris aliisque gravioribus peccatis non potest consistere. 8. Fides tanquam opus Spiritus opponitur fructibus carnis, Galat. 5, v. 19.

138. 2. A perspicuis Scripturarum testimoniis. Ezech. 18, v. 24: *Si aversus fuerit justus a justitia sua, numquid vivet? omnes justitiae ejus, quas fecit, non commemorabuntur.* v. 26: *sed moriendo morietur in iniquitate sua.* **Excipiunt Polanus lib. 6. syntagm. theolog. c. 43. Paraeus in lib. 3. Bellarm. de justificat. c. 14. *prophetam loqui conditionaliter, conditionalis autem nihil ponit in esse.* Respondemus verbis Bertii de sanctorum apostasia p. 39: *In qua schola haec isti disputant? nempe in ea, in qua etiam sine Chrysippi opera jam pueris pervulgatum est, tales hypotheticas nullo negotio*

2. A perspicuis Scripturarum testimoniis.

abire in categoricas. Verbi causa: Si justus deseruerit justitiam suam, morietur, fiet categorica hoc modo: Omnis justus deserens justitiam suam, morietur. Sed categorica illa habet restrictionem et limitationem subjecti. Quodsi hypothetica illa verum non habet, liceat saltem categoricam illam verum habere. Praeterea quis nescit, omnem hypotheticam, quae promissionem aut comminationem habet cum conditione alicujus rei praestandae, licet nihil determinate statuat de singulari aliqua persona in esse, tamen semper ponere potentiam? Haec Bertius. Confer 1. Reg. 9, v. 6: *Si aversione aversi fueritis.* Propositio illa aut includit conditionem impossibilem aut possibilem. Non prius: 1. Quia axioma connexum constans conditione simpliciter impossibili aequipollet axiomati simplici negato. Jehovae autem propositio non est axioma simplex negatum. 2. Omnis conditio, quam Deus in suis promissionibus vel comminationibus proponit hominibus, est possibilis vel per naturam, vel per gratiam. 3. Propositio illa, *si averterit se impius ab impietate, vivet* v. 21. opponitur huic: *si averterit se justus* etc. Ut ergo illa est possibilis per divinam gratiam, ita haec per humanam naturam non plane renovatam. 4. Deus hoc enuntiato vult hortari justum ad perseverantiam et dehortari a prolapsu. Ergo non comprehendit conditionem impossibilem, quia haec nequit esse medium divinae dehortationis.** Porro prophetam loqui de vere, non hypocritice justo, patet ex descriptione subjecti, quae habetur v. 6. 7. 8. 9. et ex oppositione justi et impii v. 21. 27. utique ergo vere justus a justitia sua averti et morti aeternae obnoxius fieri potest: non enim de temporali, sed aeterna morte hoc loco proprie agitur, ut apparet e v. 27. ubi de impio ad Deum iterum converso dicitur, quod *animam suam vivificaturus sit*, hoc est ex certissimo mortis aeternae periculo liberandus. Id ipsum patet ex comminatione mortis, Genes. 2, v. 17. Rom. 6, v. 23. ubi aeternam mortem potissimum intelligi nemini dubium. Sic ergo colligimus: ubicunque est vera fides, ibi non habet locum damnatio, quia per *fidem Christus habitat in cordibus nostris*, Ephes. 3, v. 17; *et quicunque credit in Christum, habet vitam aeternam*, Joh. 3, v. 36. Quidam justi aeterna morte pereunt, scilicet si a justitia avertantur. Ergo fidem amittere et gratia Dei excidere possunt, Matth. 13, v. 20. 21. Marc. 4, v. 16. Luc. 8, v. 13: *Qui super petram, hi sunt, qui verbum audiunt et cum gaudio illud suscipiunt; sed radicem non habent in sese et sunt temporales, facta tribulatione et persecutione propter verbum*
VIII. 177. *confestim scandalizantur, ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt.* (Ubi manifestum est, illis tribui fidem, qui tempore persecutionis postea deficiunt, si dicas: *fidem illorum esse πρόσκαιρον: non ergo veram*, denuo petitur principium, perseverantia illis defuit, non autem fides; perseverans fides illis defuit, non autem vera, fidei enim veritas non est aestimanda ex consequ. perseverantiae accidente, sed ex essentialibus fidei requisitis. ** Ortus seminis divini in cordibus eorum sati notat fidem cum filiali fiducia conjunctam, quia dicuntur sic credidisse, ut cum gaudio susceperint sermonem Luc. 8, v. 13. quae est descriptio fidei salvificae Joh. 1, v. 5. Actor. 8, v. 14. c. 11, v. 1. c. 17, v. 11. 1. Cor. 2, v. 14. 1. Thessal. 1, v. 6. c. 2, v. 23. Jac. 1, v. 21. nec distingui potest inter δέχεσθαι, quod his secundi generis, et παραδέχεσθαι, quod quarti generis hominibus tribuitur, quia δέχεσθαι τὸν λόγον θεοῦ etiam notat fiducialem et salutarem verbi divini receptionem 1. Cor. 2, v. 14. unde Erasmus utrobique vertit suscipere verbum, Piscator et Beza per τὸ accipere et excipere. *At denegatur illis radix.* Respondemus: *radix* non significat ipsam fidem, quia fides a radice distinguitur Luc. 8, v. 13. et fides illis tribuitur, radix denegatur, sed ut constat ex oppositione, radicem habere significat bene radicatum esse, ut non sequatur apostasia. Paulus rogat Deum ut Ephesii in caritate radicentur Ephes. 3, v. 17. nemo tamen ex eo colligat, illos non fuisse vera caritate praeditos; Col. 2, v. 7. hortatur Colossenses, ut in Christo radicentur, nemo tamen exinde colligit: ergo Christum non habuerunt. Marloratus in c. 13. Matth. non habent radicem, id est non est in hujusmodi auditoribus tam profunda terra, quae verbum receptum in se contineat. Ergo τὸ non habere radicem non negat fidei habitae veritatem et sinceritatem, sed constantem ejus perpetuationem. Luc. 8, v. 13. de illis dicitur, quod tempore tentationis recedant, recessus autem praesupponit terminum a quo, recessus igitur a fide justificante, id est a fideli verbi receptione, praerequirit fidem salvificam. Videatur Bertius in libr. de sanct. apost. p. 44. ubi ostendit, *temporali non debere opponi verum, sed permanens*, et *vero non debere opponi temporale, sed falsum.* Fides est vel vera vel falsa. Vera vel temporalis vel permanens, temporalis ex vitio hominum, permanens ex gratia Dei non quidem absoluta, sed ordinata. Illa fides, qua quis accipit remissionem peccatorum, est fides vera. At fide temporali accipit quis remissionem peccatorum Matth. 18, v. 27.**) Luc. 11, v. 24: *Cum immundus spiritus exierit ab homine* (is vero non nisi poenitentia et fide expellitur), *perambulat loca inaquosa quaerens requiem et non inveniens dicit: revertar in domum meam, unde exivi.* v. 25: *et cum venierit, invenit scopis mundatam et ornatam.* v. 26: *tunc vadit et assumit septem alios spiritus sese nequiores, et ingressi habitant illic et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus* (utique ergo is, qui prius vera fide praeditus fuit, Spiritus sancti habitaculum, per securitatem et peccata mortalia fieri potest spirituum immundorum domicilium). Joh. 15, v. 2. dicit Christus: *Omnem palmitem, non ferentem in me fructum coelestis, agricola tollet.* v. 6: *et in ignem projiciet* (non inserimur viti illi coelesti tanquam palmites nisi vera fide Galat. 3, v. 26. 27. at quidam palmites non manent in hac vite nec fructum ferunt; utique ergo fidem amittunt et pereunt. Recte Bellarminus ex

hoc loco sic colligit: *Palmes esse non potest, qui aliquando non vixerit in vite; non enim palmites aliunde inseruntur, sed nascuntur ex vite et non mortui, sed vivi nascuntur. Sic igitur fideles renascuntur in Christo, et cum renascuntur non mortui sunt, sed vivi; et tamen, si postquam renati sunt, fructum bonorum operum ferre recusent, arescunt, praeciduntur et pereunt.* Sed idem Bellarminus minus recte ibidem addit, *ex hoc loco Chemnicium refutari, cum Christus doceat, eum, qui aliquando palmes in vite, hoc est membrum in corpore Christi per fidem vivam fuerit, mitti in ignem aeternum*; at ubi hoc Chemnicius? nuspiam nisi in Bellarmini cerebro.) ** Matth. 24, v. 11: *Multi pseudoprophetae surgent et seducent multos et quia abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum, qui autem perseveraverit usque ad finem, salvus erit*, quod exponens Paulus 1. Tim. 4, v. 1: *In novissimis diebus*, inquit, *multi ἀποστήσονται a fide.* Refrigescere vero et discedere finalem hic apostasiam significant, opponuntur enim finali perseverantiae, quomodo refrigescet caritas, quae calorem Spiritus sancti nunquam habuit, imo quae nunquam fuit? Quomodo discedent a fide, ad quam nunquam accesserunt, in qua nunquam steterunt? aut quomodo non vera fides fuit, quam caritatis titulo praescribit salvator, *ἡ δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη.*** 1. Cor. 9, v. 27: *Castigo corpus meum, ne*
II. 172. *aliis praedicando ipse efficiar reprobus.* (Si absoluta quadam necessitate Paulus non potuisset fieri reprobus, ac fidem salvificam amittere, quare in servitutem redigeret suum corpus? **Quomodo justificatus non fuit, si fuit in Christo? quomodo non credidit, si fuit Christo incorporatus? *per fidem enim incorporamur Christo* Rom. 11. Chrysostomus hoc loco: *ξηραίνεται, τουτ' ἔστιν, εἴ τι εἶχε τῆς ῥίζης, ἀποτίθεται, εἴ τινα καὶ ζωῆς χάριν, γυμνοῦται ταύτης καὶ ἐρημοῦται τῆς ἐκεῖθεν βοηθείας.* Si ergo palmes fuit, utique etiam in vite fuit. Augustinus tractat. 80. in Joh.: *Unius naturae sunt palmes et vitis.*)** Galat. 5, v. 4: *Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini, a gratia excidistis* (qui ergo fide sunt in Christo et in gratia, possunt iterum a Christo evacuari et a gratia excidere). 1. Tim. 1, v. 5: *Finis praecepti est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non fictâ;* v. 6: *a quibus quidam aberrantes conversi sunt in vaniloquium.* (Piscator in comm. excipit, *vertendum esse, a quibus nonnulli ut scopo aberrantes, in Graeco enim esse ἀσιοχήσαντες.* At nondum labefactatur vis argumenti nostri. Debebant omnino illi, de quibus apostolus loquitur, haec tanquam scopum quendam sibi unice praefixum habere; quod cum non fecerint, amiserunt fidem et bonam conscientiam, quam prius habuerunt.) In eodem cap. v. 18: *Milites bonam militiam.* v. 19: *retinens fidem et bonam conscientiam, quam quidem repellentes circa fidem naufragium fecerunt.* (Quomodo naufragium fidei fecerunt, qui in navi nunquam fuerunt? Excipit Sohnius, *agi hic de fide hypocritica.* At quam fidem apostolus Timotheo commendat, circa eandem quosdam naufragium fecisse intelligendum, uti series contextus evidenter probat. Absit vero ut dicamus, fidem hypocriticam Timotheo ab apostolo commendari. Adde quod de tali fide apostolus agat, cujus naufragium ut est periculosissimum et damnosissimum, ita maxime miserabile; jam vero fidei hypocriticae naufragium non adeo damnosum ac miserandum. Denique conjunguntur fides et bona conscientia; jam vero hypocriticae fidei non est conjuncta conscientia bona. ** Origenes in c. 6. Rom.: *Illud autem interdum accidit, ut non quidem permaneat quis in peccato, sed cum desierit, rursus redeat ad vomitum et fiat infelicissimus, ut post depulsum a se regnum peccati et mortis et regnum vitae justitiaeque susceptum, iterum se dominationi peccati substernat et mortis. Et ista sunt, quae naufragia fidei appellat apostolus.*** Piscator in comm. excipit, *intelligi naufragium circa doctrinam fidei;* at nec huic bona conscientia perpetuo est conjuncta; jam vero apostolus fidem et bonam conscientiam conjungit. Beza excipit, *differre naufragium a submerso; ex naufragio igitur nondum colligi submersionem.* Atqui apostolo haec duo, retinere fidem et facere naufragium fidei sunt opposita, quae simul consistere non possunt. Ergo necesse est, naufragium fidei passos non retinere fidem, et eos qui fidem retinent, non facere fidei naufragium. v. 20 dicit apostolus, se naufragos hosce *tradidisse Satanae*, ac dicuntur in illis fuisse *Hymenaeus et Alexander.* De Hymenaeo 2. Tim. 2, v. 18. dicitur, *quod a veritate exciderit et quorundam fidem subverterit;* de Alexandro dicitur 2. Tim. 4, v. 14. *quod multa mala Paulo ostenderit*, quo nomine apostolus ei imprecatur, *ut recipiat secundum opera*, ac eum a Timotheo vitari mandat. Quomodo ergo non fuerint plane desperati, quos apostolus devovet, quorum consortium vitare jubet, qui aliorum fidem insuper subvertunt? Adde quod differat quidem naufragus ab eo, qui penitus jam submersus interiit; interim quamdiu est et manet naufragus, submersioni omnino est proximus.) Hebr. 6, v. 4: VIII. 179.
Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum coeleste et participes facti sunt Spiritus sancti; v. 5: *gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque seculi venturi;* v. 6: *et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam iterum crucifigentes sibimet ipsis Filium Dei et ostentui eum habentes.* c. 10, v. 26: *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur hostia pro peccatis;* v. 27: *terribilis autem quaedam exspectatio judicii et ignis aemulatio.* (Ubi accurate notanda et subjecti et praedicati descriptio. Subjectum sunt illuminati, qui notitiam veritatis acceperunt, qui gustaverunt bonum Dei verbum et virtutes venturi seculi, qui participes Spiritus sancti facti sunt. Praedicatum est, quod tales eo prolabi possint, ut Filium Dei sibimet ipsis crucifigant et ostentui habeant; adeoque impossibile sit, eos ad poenitentiam iterum renovari;

ut in subjecto vera justificatio, ita in praedicato vera ἔκπτωσις describitur. **Argumentamur igitur ex hoc loco ita: Nulli peccatores in Spiritu s. sunt electi. Quidam peccatores in Spiritu s. ante suum prolapsum vere fuerunt in gratia Dei habueruntque fidem salvificam ac vere fuerunt regenerati etc. Ergo quidam, qui ante prolapsum vere fuerunt in gratia Dei etc. non sunt electi. Excipit Piscator in c. 10. Hebr. schol. 29. p. 1345. *hos apostatas dici sanctificatos non κατ' ἀλήθειαν, sed κατὰ δόξαν.* At 1. est contra expressam literam, non dicit auctor, quod visi fuerint sanctificati fuisse, sed quod ὄντως fuerint sanctificati. 2. Est contra scopum auctoris, vult enim conversos Hebraeos a prolapsu (qui proinde etiam respectu vere renatorum non est impossibilis) dehortari, ut constat ex v. 25. 35. agnoscit hoc ipse Piscator, Zanchius et alii, ubi dicunt, argumentum sumi ab effectu perniciose. 3. Impossibile dicitur, tales πάλιν, *denuo* seu rursus, *renovari ad poenitentiam*, ubi de vera ἀνακαινώσει loquitur, ergo antea fuerunt vere renati ac credentes. 4. Est contra descriptionem horum apostatarum, nam ante prolapsum fuerunt ὄντως *illuminati*, non solum cognitione verbi externa, sed etiam interna seu spirituali et lumine vitae illustrati. Joh. 1, v. 9. Deinde gustarunt donum coeleste, per quod Piscator intelligit vitam aeternam, potest etiam intelligi Christus, quatenus in illis hominibus gratiose operatus est. *Gustare* hic significat frui quadantenus et cognoscere, uti etiam sumitur Psalm. 34, v. 9. 1. Petr. 2, v. 3. non diffitente Piscatore in scholiis Psalm. 34. schol. 9. p. 206. et in 1. Petr. 2. p. 1414. Vide etiam Chrysostomum in c. 6. Hebr. homil. 9. p. 1725. edit. Basil. anno 1547: *Quid est*, inquit, *et gustaverunt donum coeleste? nonne hoc est remissionem peccatorum gustare?* Excipit idem Piscator porro in c. 6. Hebr. observat. 6. *hic intelligi levem et tenuem quendam gustum suavitatis aeternae, veruntamen non habere adjunctam immutationem voluntatis ad diligendum Deum pro tanto beneficio.* Respondemus: 1. hinc sequetur, gustu suavitatis aeternae probari illis, qui non habent voluntatem immutatam ad diligendum Deum, quod falsum. Qui enim non credunt salvifice, illis non obtingit gustus vitae aeternae, quippe qui est perceptio interni et spiritualis gaudii in Spiritu sancto, ut qui non diligit Deum, non credit salvifice, nam fides salvifica non potest stare cum odio adversus Deum. Joh. 5, v. 42. 1. Cor. 16, v. 22. 2. Quibus peccatoribus auctor tribuit gustum doni coelestis, iis etiam tribuit μετάνοιαν. Ergo antea fuerunt vere resipiscentes. Jam vero μετάνοια juxta nostros complectitur contritionem et fidem; juxta Piscatorem in c. 3. Matth. schol. 2. p. 33. complectitur: 1. displicentiam vitae anteactae et innatae corruptionis; 2. desiderium gratiae Dei, qua is et peccata admissa nobis condonet et corruptionem innatam per Spiritum sanctum emendet; 3. serium propositum atque studium posthac pie et sancte vivendi. Confer Bucanum loc. 30 quaest. 14. 16. 3. Isti peccatores participes fuerunt Spiritus sancti Hebr. 6, v. 4. Paraeus excipit p. 265. *intelligi dona Spiritus sancti, quae in primitiva ecclesia viguerint;* p. 281. *charismata Spiritus, quae baptizatis etiam hypocritis olim obtingebant.* Respondemus: imo intelligitur *spiritus gratiae et precum* Zachar. 12, v. 10. hoc est qui piis testatur de gratia Dei erga ipsos quique eos excitat ad preces, quibus gratiam illam implorent petendo remissionem peccatorum propter Christum interprete Piscatore in c. 12. Zachar. p. 373. et in c. 10. Hebr. observ. 18. p. 1348. quique est *Spiritus sanctificationis* Rom. 1, v. 4. *et adoptionis* Rom. 8, v. 15. Id probamus hoc argumento: Vere resipiscentes habent Spiritum gratiae regenerantis et renovantis. Resipiscentia enim nulla est nisi ex fide salvifica, ut fatetur Paraeus in c. 9. Rom. p. 937. at epistol. Hebr. loquitur de illis, qui ante suam ἀποστασίαν vere fuerunt resipiscentes. Ergo. 4. *Gustarunt bonum Dei verbum* (id est *verbum evangelii*, Piscator c. 6. schol. 5. Calvin p. 709. Paraeus p. 265.) *et virtutes venturi seculi*, id est perceperunt gustum quendam favoris Dei et vitae aeternae, quem illis Deus praebuerat, ut exponit Piscator p. 1317. cui contradicit Paraeus p. 266. explicans hoc de *virtutibus miraculorum futuri seculi*, id est mundi renovati seu ecclesiae N. T. quam vocet μέλλοντα non sui temporis, sed patrum respectu, quam explicationem nititur probare ex Hebr. 1, v. 6. c. 2, v. 5. c. 9, v. 15. Respondemus: αἰὼν μέλλων in verbo Dei notat statum futurum post universalem hominum ex mortuis resurrectionem, ut constat 1. ex Matth. 12, v. 32; 2. ex Marc. 10, v. 30. Luc. 18, v. 30. et c. 20, v. 35. 1. Cor. 1, v. 20. c. 2, v. 6. 8. c. 3, v. 18. 2. Tim. 4, v. 10. Tit. 2, v. 12. in quibus dictis praesens seculum per particulas demonstrativas et adverb. νῦν discernitur a seculo venturo; 3. ex Matth. 13, v. 39. et seqq. c. 24, v. 3. c. 28, v. 20. ubi dicitur, quod ultimus Christi adventus consummaturus sit praesens seculum. Urgemus igitur, quod auctor simpliciter dicit, *illos apostatas gustasse virtutes seculi venturi*, nempe non patrum respectu, sed seculi adhuc futuri cum haec scriberet. Ergo non intelliguntur virtutes miraculorum. Chrysostomum citat Paraeus pro sua explicatione, sed falso. Vide homil. 9. ad Hebr. p. 1724. Loca allegata epistolae ad Hebraeos nobis non adversantur. Hebr. 1, v. 6. nihil habetur de futuro seculo, sed οἰκουμένη est terra praesens, in quam Filius introductus est per incarnationem. Hebr. 2, v. 5. per οἰκουμένην μέλλουσαν Piscator in schol. p. 300. intelligit *orbem*, *qualis erit post renovationem.* Idem statuit Franciscus Junius in parall. sacr. lib. 3. in c. 2. Hebr. p. 362. edit. Heidelberg. anno 1588. nec ipsi Paraeo haec interpretatio improbatur in c. 2. Hebr. p. 101. et 102. Hebr. 9, v. 15. discernitur inter V. et N. T. ut ipse Paraeus fatetur. Manet ergo firmum nostrum argumentum: Illi apostatae gustarunt virtutes venturi seculi, id est vitam aeternam ac beatitudinem coelestem. Ergo fuerunt vere renati. Sicut gustus naturalis est, quo objectum gustabile percipimus ac apprehendimus;

sic gustus spiritualis est, quo virtutes venturi seculi velut objectum spirituale apprehenduntur. Matth. 16, v. 28. Luc. 14, v. 24. Joh. 8, v. 52. etc. 5. Hi peccatores per sanguinem testamenti vere fuerunt sanctificati. Paraeus p. 548. exponit de *segregatione a Judaeis et paganis per fidei professionem.* At loquitur auctor de sanctificatione per sanguinem testamenti quae complectitur purgationem ab operibus mortuis Hebr. 9, v. 14. Conjunge dicta Scripturae, in quibus mentio fit sanctificationis. Ezech. 20, v. 12. Joh. 17, v. 17. Actor. 20, v. 32. 1. Cor. 6, v. 11. Ephes. 5, v. 26. Hebr. 2, v. 11. c. 10, v. 10. Idem Piscator in c. 10. Hebr. observ. 20. p. 1348. regerit, *apostolum loqui tantum de oblatione sanctificationis cum conditione fidei, quod apostata non fecit.* Respondemus: 1. est haec explicatio contra absolutum decretum reprobationis. Aut ergo Deus reprobis illis, quales sunt tales apostatae, sanctificationem non offert serio et animo communicandi et constituetur hypocrita; aut si offert serio, concidit absolutum reprobationis decretum. 2. Est contra luculentam illorum apostatarum descriptionem. Vide Junium in parallelis p. 415. ubi ex textu erudite probat, *peccatoribus illis non tantum sanctificationem fuisse oblatam, sed etiam quod vere fuerint a tenebris et morte ad vitam revocati fidem a Deo adepti et per fidem bona, quae Deus credentibus exhibet.* Idem fatetur Musculus in locis comment. de remissione peccatorum p. 471. edit. Basil. anno 1563. Regerit Piscator in c. 6. Hebr. 4. p. 1319. *auctorem loqui de fide temporaria, quam verae fidei opponit.* Idem statuit Paraeus p. 265. Atqui 1. vera hominis illuminatio spiritualis, sanctificatio, μετάνοια, Spiritus sancti et gratiae participatio, doni coelestis et boni verbi Dei perceptio etc. non sunt sejuncta a fide salvifica, quia non absque fide, sed per fidem salvificam Christus habitat in cordibus nostris non excluso Spiritu sancto et Deo Patre, Ephes. 3, v. 17. 2. Qui vera donati fuere μετανοίᾳ, illi etiam vera et salvifica fide ornati fuerunt. Ursinus in catechet. explicat. part. 3. quaest. 89. p. 643. *μετάνοιαν tantum de piis dici.* Bucanus loc. 30. quaest. 1. *μετάνοιαν in sacris literis semper in bonam partem sumi et salutarem emendationem significare.* Atqui apostatae ante suum prolapsum donati fuerunt vera μετανοίᾳ. Ergo. 3. Petrus Bertius in Hymenaeo desert. p. 42: *Cum nos audiunt ita colligentes*, inquit, *fides temporalis deseritur. Ad haec fuit vera fides. Quaedam igitur vera fides deseritur; docent, fidem temporalem non esse veram fidem, idemque judicant de justitia, caritate, spe. Qui sane mihi videntur dicere, bucephalum non fuisse verum equum, quia mortuus est. Enim vero ad essentiam rei non facit duratio. Visus tam est is, qui unum duntaxat annum durat, quam qui viginti. Et sive amittatur visus post 20 annos, sive post annum unum, amissio visus vocatur coecitas, verus enim visus amittitur. Eadem quoque fidei ratio est, quae certe deseri non posset, nisi haberetur;* p. 44: *sed profecto,* inquit, *temporali non debebat opponi verum, sed permanens, et vero non debebat opponi temporale, sed falsum. Recta igitur erunt omnia, si dixeris: Fides vel est vera, vel falsa sive ficta. Vera autem vel est temporalis vel permanens. Sed permanens est ex gratia temporalis, vitio hominum ob neglectum scilicet et socordiam aut curas mundi aliasque causas.* Haec Bertius, qui integrum librum opposuit suis sociis, qui negant, vere renatos amittere posse totalem Spiritum sanctum. Eglinus in 3. disputat. de peccato in Spiritum sanctum thes. 145. restringit *ad cognitionem veritatis in intellectu.* Respondemus: 1. dicuntur illi φωτισθέντες *illuminati*, id est spirituali salvantis fidei luce divinitus donati, sicut renati dicuntur *filii lucis* Luc. 16, v. 8. Joh. 12, v. 36. Eph. 5, v. 8. 1. Thess. 5, v. 5. et quando sic a Deo homines dicuntur illuminati, tunc intelligitur illuminatio spiritualis opposita mentis coecitati et cordis incredulitati Joh. 1, v. 9. Eph. 1, v. 18. unde ipsi conversi Hebraei dicuntur φωτισθέντες Hebr. 10, v. 32. ubi non potest intelligi solius mentis illustratio exclusa voluntatis renovatione; 2. dicuntur *gustasse donum coeleste et bonum Dei verbum*, ubi per *donum coeleste* Chrysostomus intelligit *remissionem peccatorum*, alii vitam aeternam, alii ipsum Christum nobis datum; per *bonum Dei verbum* omnis doctrina spiritualis et potissimum doctrina evangelii; *gustare* etiam non significat rejectionem, sed perceptionem et fruitionem.** 2. Petr. 2, v. 20: *Si refugientes inquinamenta mundi in cognitione Domini et servatoris nostri Jesu Christi, his rursus* VIII. 180.
implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. v. 21: *melius enim illis erat non* VIII. 181.
cognoscere viam justitiae, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. v. 22: *contigit enim eis illud veri proverbii, canis reversus ad suum vomitum et sus lota ad volutabrum luti* (utique ergo qui per veram Christi cognitionem et fidem effugerant mundi inquinamenta, eisdem rursus implicari possunt; adeo ut posteriora prioribus fiant deteriora. Ex quo facile apparet, quid statuendum sit de exceptione Polani, *illos, de quibus Petrus loquitur, non fuisse vera, sed duntaxat historica fide praeditos, qualem etiam daemones habent.* **Hac ratione etiam 1. diabolus posset dici effugisse inquinamenta mundi, quia et ille cognoscit doctrinam coelestem; 2. etiam hypocritae servientes mundo possent dici effugisse inquinamenta mundi.** At num fides historica hoc praestat, ut per agnitionem Christi fugiamus ab inquinamentis hujus mundi et quidem ὄντως vere (non κατὰ δόξαν solum), ut v. 18. apostolus loquitur. Num conferri possunt suibus ad volutabrum coeni reversis et canibus ea quae vomuerant resorpentibus, qui non fuerunt vera fide ab inquinamentis mundi prius purgati?

139. 3. A cohortationibus propheticis et apostolicis. Quae caveri jubentur ea contingere possunt. At renati jubentur cavere, ne fidem iterum amittant et gratia Dei excidant. Ergo contingere id eis potest. Rom. 8, v. 13: *Si secundum carnem vixeritis,* 3. A cohortationibus propheticis et apostolicis.

moriemini; loquitur apostolus, ut apparet ex integro contextu, cum renatis, in quibus est perpetua lucta carnis et spiritus, illos admonet, ne secundum carnem vivant, hoc est ne peccato dominium concedant, pravis concupiscentiis indulgeant, et opera carnis perficiant, addita comminatione, quod aeternum ipsis paratum sit exitium, si secundum carnem vivant. Inde colligere promtum: si renati possunt mori, utique etiam possunt amittere fidem; *qui enim credit, habet vitam aeternam nec moritur in aeternum,* Joh. 3, v. 18. c. 11, v. 26. Rom. 11, v. 22. monet apostolus conversos ex gentibus, ut summam
VIII. 182. Dei severitatem erga incredulos Judaeos ac bonitatem erga se considerent; addit autem, *si permanseris in bonitate, alioquin et tu excideris;* utique ergo illi, *qui fide stant* v. 20. *qui socii radicis et pinguedinis coelestis olivae facti sunt* v. 17. excidi et excidere possunt, si scilicet in bonitate non permaneant. (Excipit Piscator in comm. *hunc locum de quorundam vocatorum rejectione et fidei amissione intelligendum esse de vocatione externa et falsa fidei persuasione ac professione seu potius jactantia.* At haec explicatio apertissime contradicit textui, quid enim? an fides illa, qua inseruntur gentiles oleae salutis et fiunt socii radicis et pinguedinis olivae, qua stant et permanent in bonitate Dei, et quae opponitur incredulitati, et qua fide amissa rursus exciduntur ex olea salutis, an, inquam, illa fides non est vera et justificans fides?) 1. Cor. 10. proponit apostolus Corinthiis exemplum Israëlitarum, qui propter idololatrias, fornicationes et murmurationes suas in deserto prostrati erant, et addit v. 11: *Haec in figura illis contigerunt, scripta autem sunt ad correptionem nostram, πρὸς νουθεσίαν ἡμῶν, in quos fines seculorum devenerunt;* v. 12: *itaque qui se existimat stare, videat ne cadat.* Apoc. 3, v. 11. jubet Filius Dei angelo Philadelphensi scribi: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Talibus exhortationibus et V. et N. T. scripta sunt referta.

Ab exemplis angelorum. 140. 4. Ab exemplis eorum, qui justitia et gratia Dei iterum exciderunt. 1. angeli mali conditi sunt a Deo boni et justi; sed *in veritate* et integritate concreata *non steterunt,* Joh. 8, v. 44. *Dereliquerunt domicilium suum, ideo in judicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservantur,* Judae epistol. v. 6. Neve quis excipiat, *non de angelorum, sed hominum justitia quaeri,* producimus. 2. exem-
Primorum parentum. plum primorum parentum; illi conditi erant *ad imaginem Dei,* Genes. 1, v. 27. quae *justitia et sanctitate vera* ab apostolo describitur Ephes. 4, v. 24. sed testatur de illis Deus, quod potuerint *moriendo mori,* hoc est temporali et aeterna morte perire, scilicet si de fructu vetitae arboris comederent, Genes. 2, v. 17. potuerunt igitur amittere fidem et Spiritum sanctum, ubicunque enim fides et Spiritus sancti inhabitatio, ibi benedictio et vita; quam Dei comminationem fuisse verissimam tristissimus eventus docuit. Excipiunt quidam, *fidem primorum parentum non fuisse justificantem illam fidem, de qua proprie hoc loco quaeritur;* at quamvis non fuerit fiducialis apprehensio meriti Christi, fuit tamen filialis fiducia, quam per inobedientiam erga Dei mandatum amiserunt atque una gratiam Dei et Spiritum sanctum. **Justitia est vel *legalis* vel *evangelica;* legalis fuit in Adamo, evangelica in nobis. Utraque amitti potest. *Adam fuit angelica quadam majestate subnixus καὶ τῇ ἄνωθεν δόξῃ ἠμφιεσμένος,* ut loquitur Chrysostomus homil. 15. in Genes. dubio igitur procul fuit Deo amicissimus. Vivam etiam fidem eum habuisse necesse est, qui Deum tanquam finem supernaturalem dilexerit.** Excipiunt alii, *Adamum saltem contristasse Spiritum sanctum.* At comminatio divina satis est perspicua: *Quacunque die de fructu hujus arboris comederis, morte morieris.* Vi ergo hujus comminationis transgrediendo praeceptum Domini aeternae morti factus est obnoxius; utique ergo excidit gratia Dei. Adde quod nec concreata nec imputata justitia Deo placere tunc poterat, illam enim amiserat; hanc vero nondum noverat. 3. Ut de incestu Loti Genes. 19. atque idololatria Aaronis Exod. 32. nihil dicamus, *Saul* erat initio rex pius et justus, **Saulis.** postea vero recedendo a Deo factus est reprobus et αὐτόχειρ, unde Cyprianus lib. 1. epist. 5. statuit, ipsum damnatum esse. Excipit Calvinus, *Saulem nunquam fuisse vere justum;* at Spiritus Domini ab *eo recessisse dicitur* 1. Sam. 16, v. 15. utique ergo prius fuit habitaculum Spiritus sancti. **Saul fuit circumcisus ac perinde in foedus Dei receptus. Genes. 17, v. 10. Rom. 4, v. 11. fuit in ipso Spiritus sanctificans ejusque fructus, 1. Sam. 11, v. 6. *irruit in eum Spiritus Dei* c. 10, v. 10. ita ut mutaret ei Deus cor in aliud, unde etiam modestiam ac humilitatem veram c. 9, v. 21. et longanimitatem c. 10, v. 27. probat et *Spiritus Jehovae* dicitur *ab eo recessisse* 1. Sam. 16, v. 14. non tantum Spiritus fortitudinis, ut Calviniani frustra excipiunt, siquidem hic postea etiam aderat 1. Sam. 23, v. 28. c. 24, v. 2. sed sanctificationis, hic enim, non ille cor immutat; hic, non ille alias veras christianas virtutes efficit; hic, non ille spiritui malo opponitur.**
4. David erat vir *secundum cor Dei,* 1. Sam. 16, v. 13. **Davidis.**
Act. 13, v. 22. idem tamen per homicidium et adulterium VIII. 183.
gratiam Dei et justitiam fidei et Spiritus s. inhabitationem amisit. **Omnes adulteri et homicidiae, quamdiu impoenitentes sunt, sunt *filii irae* Eph. 5, v. 5. regno Dei exheredati 1. Cor. 6, v. 9. Gal. 5, v. 19. sunt *inimici Dei,* Jacob. 4, v. 4; *sors eorum in stagno ardente,* Apoc. 21, v. 8; *sunt extra coelestem Jerosolymam,* Apoc. 22, v. 15. David fuit adulter et homicidia, 2. Sam. 12, v. 9. ac toto fere anno non egit poenitentiam, 2. Sam. 11, v. 5. c. 12, v. 14. Ergo. *Omnibus superbis Deus est inimicus* Prov. 3, v. 34. Jac. 4, v. 6. 1. Petr. 5, v. 5. David numerans populum fuit superbus, 2. Sam. 24. In utrumque peccatum ruit contra conscientiam toto imo obfirmato animo. Quod ad prius, non tantum vidit Bethsabeam et affectuum violentia impulsus flagitium hoc admisit, sed 1. misit, qui diligenter et accurate de muliere ista inquirerent more eorum, qui commen-

taria scribunt, ea enim est ἔμφασις verbi דָּרַשׁ 2. Sam. 11, v. 3. *et assumerent eam* vel reluctantem, ut לָקַח saepe accipitur et sic accipiendum esse patet ex eo, quod miserit nuntios plures scilicet v. 4. 2. Certior factus ab ipsa, se esse gravidam v. 5. studiose quaerit, ut hoc peccatum viri concubitu, ad quem saepius eum provocabat, cum sobrium tum ebrium, obtegeret v. 8. 10. 13. 3. Cum hoc non succederet, alia aggreditur via, per Joabum literis instructum malitiose curat Uriam occidendum v. 14. 15. 17. 4. Quin et de hoc suo tanto malo quasi re bene gesta gloriatus est v. 25. quod est peccatum atrocissimum 2. Reg. 17, v. 8. Esa. 3, v. 9. 5. Ne quis suspicetur cum Calvinianis, Davidem retinuisse Dei gratiam, additur v. 27. *mala visa est haec res, quam fecit David in oculis Jehovae.* 6. Per poenitentiam seriam tandem hoc grande peccatum tollebatur a Domino, ut non moreretur morte aeterna 2. Sam. 12, v. 13. fuit ergo prius *vir mortis* proprio judicio v. 5. Quod ad posterius 1. instinctui et suggestioni Satanae dat locum 2. Sam. 24, v. 1. 1. Paral. 21, v. 1. 2. Ex mera curiositate populum numerari jubet. 3. Per Joabum monitus noluit auscultare 2. Paral. 21, v. 3. ubi fit mentio reatus et satis liquet, non fuisse statim effectum regis mandatum, sed sat spatii ipsi ad considerandum datum. 4. Confirmatum est verbum regis v. 4. Vide gloss. Tremell. 5. Per 9 menses et 20 dies non egit poenitentiam v. 8. et 10. quae omnia sunt hominis toto animo peccantis inque eo ad tempus perseverantis.** (Excipit Beza part. 2. resp. ad colloq. Mompelgard. p. 73. *aliquid fidei in Davide mansisse.* Respondemus: sane fidem historicam mansisse in Davide non negamus; at fidem salvificam in ipso mansisse, nulla veritatis specie dici potest; ubicunque fides salvifica, ibi securitas non habet locum. Jam vero David per aliquot menses ne quidem cogitavit de poenitentia, antequam scilicet a Nathane corriperetur. Ubi fides salvifica, ibi non est contemtus verbi; jam vero David *contemsit verbum Jehovae* 2. Sam. 12, v. 9. ubi fides salvifica, ibi vita spiritualis Joh. 3, v. 36. c. 5, v. 24; jam vero ipse David de se tulit sententiam, quod sit *filius mortis* 2. Sam. 12, v. 5. vera et salvifica fides est *victrix* 1. Joh. 5, v. 4. per quam *actiones carnis mortificantur* Rom. 8, v. 13. at David non mortificavit carnem, sed concupiscentiis ejus secure indulsit. Qui scortatur a corpore Christi divellitur, 1. Cor. 6, v. 15; jam vero fides salvifica Christo, verae illi viti, nos inserit, Joh. 15, v. 5. Omnis in quo est vera et salvifica fides, fit haeres vitae aeternae, Joh. 3, v. 36; jam vero adulteri non consequuntur vitam aeternam, 1. Cor. 6, v. 9. Ergo in adulteris et per consequens etiam in Davide adhuc adultero non habet locum vera fides. Qui vivunt secundum carnem, morientur, Rom. 8, v. 13. Gal. 5, v. 21. David homicida et adulter vivit secundum carnem, unde ipse Beza part. 2. resp. ad colloq. p. 74. asserit, *Davidem fuisse periturum, nisi resipuisset*, id quod evidenter colligitur ex eo, quod propheta Nathan ad Davidem peccata sua confitentem poenitentiamque agentem dicit: *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris*, 2. Sam. 12, v. 13. Ergo si David non egisset poenitentiam, aeterna morte mortuus fuisset. 1. Joh. 3, v. 15: *Omnis homicida non habet vitam aeternam in se manentem.* Jam vero nullus vere credens perit. Nec valet exceptio, *Davidem orare, ut velit Deus Spiritum in se invocare*, Psalm. 51, v. 12 at ubi ardens precatio, ibi adhuc aliquid fidei. Respondemus: epigraphe psalmi indicat, compositum esse hunc poenitentialem psalmum a Davide, postquam per Nathanis concionem ad veram conversionem fuisset revocatus; orat, ne *auferatur* a se Spiritus sanctus; agnoscit igitur, per peccatum recessisse prius Spiritum sanctum; ubi cumprimis notanda est ἔμφασις Graeci vocabuli, *μὴ ἀνταν έλῃς, ne iterum auferas*, quasi dicat, jam antea Spiritum sanctum justo tuo judicio semel a me abstulisti, quaeso igitur ita me rege, ne denuo hunc nobilissimum hospitem excutiam, sed eum cum donis suis perpetuo mecum retineam et quotidie majora illorum incrementa sentiam. ** Chrysostomus orat. 2. in Psalm. 51. fol. 712: *Avolavit a me gratia sicut columba sordes conspicata, volo eam sicut apem reverti.* Ambrosius apolog. poster. c. 11: *Videtis quod culpa gratiam minuat. Sciebat Nathan, quod David nesciebat, adeo caligat animus obumbratus quadam nube vitiorum.* Statim additur: *redde mihi laetitiam* etc. Ablata quippe ab eo per adulterium erat, verum per poenitentiam reddita est, ut exponit Ephraem Syrus de poenitent. f. 583.** Vox *innovandi* nequaquam probat, in ipso homicidii et adulterii scelere Spiritum sanctum adhuc in Davide habitasse; sumitur enim in hoc loco spiritus pro corde, sicut v. 19: *spiritus humiliatus;* Ephes. 4, v. 23: *renovamini spiritu mentis vestrae;* Spiritus sanctus non renovatur, sed renovat. Adde quod per veram poenitentiam receperat Spiritum sanctum; ejus ergo dona augeri in sese petit. Calvinus ipse hoc agnoscit lib. 2. instit. c. 2. §. 25: *Psaltes rectum Spiritum, quem sua culpa perdiderat, innovari petit, quia ejusdem Dei est, quod initio dederat ablatum nobis ad tempus restituere.*

** 5. Salomon *dilexit Dominum* 1. Reg. 3, v. 3. petivit Salomonis.
ab eo *cor docile* v. 9. quod *Jehovae valde placuit* v. 10. vere Deum agnovit, invocavit et glorificavit 1. Reg. 8. unde etiam exauditus fuit 1. Reg. 9, v. 3. vereque a Deo fuit dilectus 2. Sam. 12, v. 24. unde dictus fuit *amicabilis* Deo v. 25. quae omnia de vera ipsius fide testantur. At is totaliter a justitia et pietate sua recessit, quia contra mandatum Dei Deut. 17, v. 17. et Exod. 34, v. 16. adamavit mulieres alienigenas multas 1. Reg. 11, v. 1. et *cor ejus inclinatum fuit per mulieres, ut secutus sit deos alienos, nec cor ejus fuerit perfectum* v. 4; *sed iverit post Astoreth* v. 5; *feceritque quod Deo non placuit* v. 6. 7. unde Jehovah fuit iratus, quod ab ipso mens Salomonis fuit aversa v. 9. Totaliter ergo fuit aversus a Deo. 1. Nam idololatra, qua talis est regno coelorum extorris 1. Cor. 6, v. 9. et 10. Gal. 5, v. 20. Salomon tunc temporis fuit idololatra. Ergo. At

nullus, qui vel scintillulam fidei salvificae retinet, est exclusus e regno coelorum. 2. Omnis qui neglecto Deo amat mulieres idololatricas et cor suum a Deo avertit et ad mulieres flagitiosissimas id convertit, totaliter amittit fidem justificantem, quia ubi residuus vel igniculus verae in Deum fiduciae, ibi Deus non rejicitur, sed apprehenditur. At Salomon tunc temporis neglecto Deo amavit etc. In Salomone caro vicit, Spiritus succubuit. Ergo fuit totaliter aversus. Instant Polanus et Paraeus: *Etsi Deus Salomonem labi gravissime passus est, tamen misericordiam suam non abstulit ab eo*, posteriori Samuelis capite septimo versu decimo quarto. Respondemus: in illa promissione quaedam sunt quae pertinent ad Christum, interprete epistola ad Hebraeos capite primo versu quinto, quaedam vero pertinent ad Salomonem. Quodsi ergo illa verba *misericordiam non auferam* etc. applicare velis ad Salomonem, observandum est, quod non sit promissio absoluta, sed conditionata; ut explicat Deus 1. Reg. 9, v. 4. 5. 6. si scilicet fideliter ambulet in integritate cordis.** Salomon igitur erat Deo dilectus, sapiens et bonus, qui impulsu Spiritus sancti libros vere divinos composuit; idem tamen a concubinis suis seductus ac sub vitae finem idolo-
VIII. 185. latra factus de salute sua dubitandi ansam Augustino praebuit lib. 22. contra Faustum c. 88: *De Salomone quid dicam? quem vehementer arguit sancta Scriptura atque condemnat nihilque de poenitentia ejus vel in eum indulgentia Dei omnino*
Judae. *commemorat.* 6. Judam fuisse aliquando vere justum, probat Hieronymus lib. 3. advers. Pelag. ex illis verbis Domini: *Pater quos dedisti mihi, custodivi, et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.* Joh. 2, v. 11. c. 6, v. 69. 70. Nam si pater dedit illum Filio, utique erat bonus; si ex grege periit, utique in grege prius fuit. Eundem tamen desperatione sua in aeternum exitium ruisse, extra dubitationis aleam positum est. ** Chrysostomus homil. 7. ad Antioch.: *Judas prius regni filius erat et cum duodecim audiit discipulis, sedebitis super sedes duodecim,*
Petri. *sed postea factus est gehennae filius.*** 7. Petrus vere fuit regeneratus et justificatus, ut apparet ex verbis Christi Matth. 16, v. 17: *Beatus es Simon Bar Jona, non enim caro et sanguis tibi haec revelavit, sed Spiritus Patris mei.* Idem tamen abnegando Christum letaliter peccavit, gratiam Dei, fidem et Spiritum sanctum amittens, ut probat Augustinus tractatu 66. in Johannem. Quidam negant, *Petrum mortaliter peccasse et gratia Dei excidisse.* Beza homilia decima quinta in passion. pag. 365. scribit, *Petri amorem erga Christum nullo modo imminutum, sed infirmitate tantum quadam et metu mortis cohibitum ac repressum fuisse, ut ore quidem abnegaverit Dominum, corde autem aliud senserit.* **Eglinus professor Marpurgensis, disputatione secunda de peccato in Spiritum sanctum th. 98: *In apostoli Petri corde quamvis contra conscientiam Christum ejurarit, ex infirmitate ac metu fides non defecerit prorsus, licet confessio titubarit in ore ad tempus.* Rectius Witaker. conc. ultim. tom. 1. p. 696: *Petrus post gratiam lapsus est, ejusque gravissimus et periculosissimus lapsus fuit. Nullum peccatum magis cum fide pugnat quam Christum abnegare, qui materia, scopus, objectum fidei est. Petrus abnegavit et abjuravit semel, iterum, tertio. Exaggera Davidis adulterium et homicidium, quantum libuerit, quod sane foedissimum et omni reprehensione poenaque dignissimum fuisse fateor, sed Petri perjurium, blasphemia et apostasia omnes majoris culpae causas et circumstantias habet.* Danaeus in c. 22. Lucae itidem concedit, *Petrum in suo lapsu amisisse fidem.*** At quisquis negat Christum, is iterum ab eo negabitur, Matth. 10, v. 33. Petrus negabat Christum. Ergo ab eodem negatus fuisset, nisi vere iterum fuisset conversus. *Qui spiritum Christi non habet, non est ejus*, Rom. 8, v. 9. Petrus negans Christum Spiritum Christi non habuit. 2. Cor. 4, v. 13: *Habentes eundem Spiritum fidei, sicut scriptum est, credidi propter quod locutus sum et nos credimus, ideo etiam loquimur;* ex quo apparet, fidem et confessionem esse ἀδαμαντίνως connexam; jam vero Petrus Christum negavit; utique ergo Spiritum fidei non retinuit. Vera fides Christum λαμβάνει Joh. 1, v. 12. abnegatio Christum repudiat; absurdum igitur est statuere, quod trina illa negatio Petri et quidem non verbis tantum, sed cum attestatione divini Numinis et exsecratione sui ipsius facta, cum fide vera et inhabitatione Spiritus sancti gratiosa consistere potuerit; ubi conversione opus est, aversio utique praecessit. Petrus conversione opus habuit Luc. 22, v. 32. Excipiunt: *Christus rogaverat pro Petro, ne fides ejus deficeret, ergo in ipsa abnegatione fidem retinuit.* Respondemus: duplex est defectio, finalis et temporaria; rogavit Christus, ne finaliter Petrus deficeret; utique ergo fieri potuit, ut deficeret. Certe *Satanas postulaverat, ut cribraret apostolos velut triticum*, v. 31. hoc est, Satan hoc egerat, ut tentationibus fidem apostolorum atque ipsius Petri ita concuteret, ut gratia Dei penitus et finaliter exciderent, quemadmodum per cribrum semina. His et similibus exemplis manifestum fit, justitiam vere ac totaliter quin imo, nisi accedat conversio, etiam finaliter amitti posse. ** Addantur omnino exempla *1. Hymenaei* et *2. Alexandri.* Quodsi hi habuerint veram fidem, inde constat: 1. Ad quam fidem retinendam Paulus Timotheum hortatur, illam hi expulerant. Sed illum hortatur ad veram et salvificam fidem retinendam. 2. Cujus fidei naufragium facit, ut quis tradatur Satanae, ea fuit vera, quia per veram fidem filii Dei reddimur et ex potestate Satanae liberamur. Sed hujus fidei, quam Hymenaeus et Alexander habuit, naufragium id fecit 1. Tim. 1, v. 19. Syrus vertit fide vacuum fieri, at nemo potest fieri fide vacuus, nisi eam habeat. *3. Ephesini episcopi*, qui habuit vere fidei effecta, *opera Deo probata* Apocal. 2, v. 3. *caritatem veram* v. 5. eam tamen amisit et sic vera fide et gratia Dei excidit v. 5. Si caritate excidit, ergo et fide. Addunt quidam et exemplum Simonis Magi, quem primo

vere credidisse probant ex serie textus Actor. 8, v. 5: *Philippus venit in civitatem Samariae ac praedicat illis Christum.* v. 6. Samaritani concionibus Philippi intenti et signa edita videntes *valde gavisi* sunt v. 8. et postquam Philippo evangelizanti crediderunt, baptizati sunt v. 12. *tunc Simon et ipse credidit*, certe non aliter quam reliqui Samaritani, idem enim evangelium, idem doctor, idem baptismus eadem miranda tam Simoni quam populo tunc obtigerunt, addit Lucas, quod Simon Philippo adhaeserit v. 1. Quod Petrus postea negat, *cor ipsius fuisse rectum in conspectu Dei*, id intelligendum de tempore subsequente, quo Simon ille retro abiit, colligitur enim ex v. 13. et sqq. interstitium alicujus temporis intervenisse inter Simonis conversionem et ejus relapsum.**

VIII. 186. 1. Ex typis et parabolis. 141. Ex typis et parabolis. *Corvus* ex arca Noae emissus non redit Gen. 8, v. 8. ita quidam ex consortio verae ecclesiae, in qua servari potuissent, nefarie se avellunt aeternumque pereunt. *Simson* persuasus a Delila patitur, sibi crines detonderi, qua ratione amittit suum robur ac in Philistaeorum manus incidit, Jud. 16, v. 16. Meretricula Delila typum gerit nostrae carnis, illa perpetuo divexat et sollicitat renatos, ut concupiscentiis pravis obsequantur, qua ratione amittunt robur Spiritus et in manus infernalium Philistaeorum captivi dantur. Matth. 18. servus impetrata debiti condonatione immisericordem se erga conservum praestans ad judicium iterum vocatur et in carcerem justissime detruditur. Palmes arescens ex vite abscinditur et in ignem projicitur, Joh. 15, v. 2. et 6. Idem contingit illis, qui vera fide Christo inserti vigorem et fructum Spiritus amittunt. Vide plura argumenta apud Severinum Sluterum in tractat. de philanthrop. divina c. 20, v. 21.

2. Ex Patrum. 142. Ex veteribus afferri possunt perspicua testimonia, quibus probant justitiam fidei et Spiritus s. amitti per peccata contra conscientiam admissa. Irenaeus lib. 1. adv. haeres. c. 1. num. 32. de Valentinianis: *Dicunt τὸ πνευματικὸν* (cui opponunt *τὸ χοϊκόν*) *in quibuscunque facinoribus versetur, corruptionem non posse admittere. Quo enim modo aurum in coeno depositum non amittit pulchritudinem suam, sed propriam naturam servat, quae a coeno laedi non potest, ita dicunt, se in quibuscumque versentur actionibus nullo modo offendi.* (Quamvis vero non a natura, sed ab absoluto quodam electionis decreto immobilitatem gratiae et justitiae hodie arcessant; in eo tamen cum pristinis haereticis conveniunt, quod *τὸ πνευματικὸν* non posse corruptionem admittere statuunt.) **Tertullianus de poenit. c. 6: *Non enim multi postea excidunt? non a multis donum illud aufertur? hi sunt scilicet, qui obrepunt, qui poenitentia fidem ingressi super arenam domum ruituram collocant.* Cyprianus lib. de unit. eccles. c. 18: *Quamdiu Salomon in viis Domini ambulavit, tamdiu gratiam, quam de Domino fuerat consecutus, obtinuit; postquam dereliquit viam Domini, perdidit et gratiam, sicut scriptum est: excitavit Dominus Satanam ipsi Salomoni. Et ideo scriptum est: tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Quod utique Dominus non minetur, auferri post coronam justitiae, nisi quia recedente justitia recedat necesse est et corona. Confessio in exordium gloriae est, non praemium jam coronae, nec perficit laudem, sed initiat dignitatem, eo quod scriptum sit: qui perseveraverit usque ad finem, salvus erit. Quicquid ante finem fuerit, gradus est, quo ad fastigium salutis adscenditur, non terminus, quo jam culminis summa teneatur.* Augustinus lib. 20. de civ. Dei c. 7: *Nec moveat, quod saepe diabolus seducit etiam illos, qui jam regenerati in Christo vias ingrediuntur Dei. Nam novit Dominus qui sunt ejus, ex his in aeternam damnationem neminem ille seducit.* Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 250. ad Eusebium: *Ingratus noster atque improbus animus omnia Dei beneficia indigne suscepit. Spiritum sanctum accepimus ac turpibus actionibus ipsum propulimus.* Origenes in homil. 16. in Num.: *Requiescit Spiritus in iis, qui mundo sunt corde et in iis, qui purificant animas suas a peccato, sicut e contrario non habitat in corpore subdito peccatis, etiamsi habitavit in eo, non enim potest Spiritus sanctus consortium pati et societatem spiritus mali.* Hieronymus in thren. Jerem.: *Videndum nobis est, ne propter iniquitates nostras habitaculum pectoris nostri deserat inhabitator Spiritus sanctus.* Ambrosius lib. 6. hexaëm. c. 6. p. 80: *In carnalibus non permanet Spiritus sanctus, quia scriptum est: Non permanebit Spiritus meus in istis, quoniam caro sunt.* Idem in 1. Cor. 3: *Spiritus sanctus tunc permanet in eo, cui se infuderit, si permaneat in proposito regenerationis; si quo minus, abscedit, ita tamen ut, si se reformaverit homo, redeat ad illum, semper enim paratus ad bonum est, diligens poenitentiam.*** Hieronymus lib. 2. adv. Jovian. et Au- VIII. 187.
gustinus ad Quodvultdeum haeres. 82. referunt, *unum ex erroribus Joviani fuisse, justos post baptismum non posse damnari et si forte peccent, eos quidem fuisse lotos aqua, Spiritum vero gratiae minime recepisse.* Idem Augustinus lib. 10. confession. cap. 32: *Nemo securus esse debet in ista vita, quae tota tentatio nominatur, ut qui fieri potuerit ex deteriori melior, non fieri possit ex meliori deterior.* lib. 3. de doctrina Christiana c. 23: *Ad hoc peccata magnorum virorum scripta sunt, ut apostolica illa sententia ubique tremenda sit, qua ait: Quapropter qui videtur stare, videat ne cadat.* lib. 11. de civ. Dei c. 32: *Hodie non imprudenter vocamus beatos, quos videmus juste ac pie cum spe futurae immortalitatis hanc vitam ducere sine crimine vastante conscientiam facile impetrantes peccatis hujus infirmitatis divinam misericordiam, qui, licet de suae perseverantiae praemio certi sint, de ipsa tamen perseverantia sua reperiuntur incerti.* De bono perseverant. c. 1: *Asserimus, donum Dei esse perseverantiam, qua usque in finem perseveratur in Christo; finem autem dico, quo ista vita finitur, in qua tantummodo periculum est, ne ca-*

datur. de corrept. et grat. c. 13: *Propter hujus utilitatem secreti credendum est, quosdam de filiis perditionis non accepto dono perseverandi usque in finem in fide, quae per dilectionem operatur, incipere vivere et aliquamdiu fideliter et juste vivere et postea cadere, neque de hac vita, priusquam hoc eis contingat, auferri.* de scala paradisi c. 9: *Cave tibi o sponsa, quomodo se avertat sponsus, habet circa se nuntios suos spiritus quasi sagacissimos exploratores, ut videant quomodo absente sponso converseris, zelotypus est sponsus iste, si forte alium amatorem acceperis, si aliis placere studueris, statim discedet a te.* Athanasius orat. 4. contra Arianos tom. 1. p. 270: *Ὅτε γοῦν ἐκπίπτει τις ἀπὸ τοῦ πνεύματος διά τινα κακίαν, ἡ μὲν χάρις ἀμεταμέλητος μένει τοῖς βουλομένοις, κἂν τις ἐκπεσὼν μετανοῇ, οὐκέτι δὲ ἐν τῷ θεῷ ἐστιν ἐκεῖνος ὁ πεσὼν διὰ τὸ ἀποστῆναι ἀπ᾽ αὐτοῦ τὸ ἐν τῷ θεῷ ἅγιον καὶ παράκλητον πνεῦμα, ἀλλ᾽ ἐν ἐκείνῳ ἔσται, ᾧ ἑαυτὸν ὑπέταξεν ὁ ἁμαρτάνων.* Chrysostomus homil. 29. in Genes. c. 9: *Monstrat divina Scriptura et justos saepe lapsos et peccatores agentes poenitentiam, quo utrinque sufficiens et nobis esset securitas, et neque qui stetit, confidentior sit, videns et justos posse labi et lapsos esse.* **Idem Chrysostomus homil. 34. in epist. Hebr.: *Gratia Spiritus sancti in nobis est, ut permaneat in nobis vel etiam discedat a nobis. Illud enim fit, quando coelestia meditamur, istud autem, quando ad secularia declinamus. Sicut in velis laxis ventus incidens nihil operatur; sic etiam Spiritus sanctus in anima remissa et segni non patitur permanere.*** in c. 13. prioris ad Corinth.: *Caritas ex se nunquam excidit, sed nos ab illa interdum excidimus.* **Bernhardus in sermon. 3. pentec. p. 254: *Spiritus sanctus odit sordes, nec habitare poterit in corpore subdito peccatis. Cui enim proprium est peccata repellere, ipsi et proprium est peccata odisse, nec in uno domicilio pariter morabuntur tanta munditia et immunditia tanta.*** Macarius hom. 15. multis egregiis simili-
VIII. 188. tudinibus admonet, quo pacto anima in sanctitate, castitate ac puritate erga sponsum suum se gerere debeat, ne ab eo iterum repudietur. Postea addit p. 178: *Τῇ ψυχῇ διὰ τῆς χάριτος ἐπιγινοσκούσῃ τὸν θεὸν πνεῦμα παραινεῖ, ἥτις καθαρισθεῖσα ἀπὸ τῶν προτέρων ἁμαρτιῶν καὶ τοῖς τοῦ ἁγίου πνεύματος κοσμίοις κοσμηθεῖσα καὶ μεταλαβοῦσα θείας καὶ ἐπουρανίου τροφῆς, μὴ δεόντως δὲ ἐν πολλῇ γνώσει ἀναστρεφομένη καὶ ἁρμοτόντως μὴ τηροῦσα τὴν ὀφελομένην τῷ ἐπουρανίῳ νυμφίῳ Χριστῷ εὔνοιαν καὶ ἀγάπην ἀποῤῥίπτεται καὶ ἐκβάλλεται τῆς ζωῆς, ἧς ποτε μέτοχος γέγονε* etc. **p. 104: *Ἐν τῷ περὶ μετανοίας· καὶ μὴ εἴπῃς, πῶς δύναται ὁ πνευματικὸς πεσεῖν; τοιοῦτος μὲν διαμένων οὐ καταπίπτει, ὅταν δέ τι τῶν ἐναντίων καταδέξηται καὶ ἐπ᾽ αὐτῷ μείνῃ ἀμετανόητος, ἐκεῖνο αὐτὸ τὸ μικρὸν χρονίσαν καὶ αὐξηθὲν οὐκέτι ἀνέχεται ὀρφανικῶς αὐτῷ συνεῖναι, ἀλλ᾽ ἕλκει αὐτὸν πρὸς τὴν ἰδίαν συγγένειαν σχοινίου δίκην τῇ μακρᾷ φιλίᾳ βιαίως ἐπισπώμενον.*** p. 211: *Αὐτοὶ δὲ οἱ γευσάμενοι τῆς χάριτος τοῦ θεοῦ καὶ μέτοχοι ὄντες τοῦ πνεύματος, ἐὰν μὴ ἀσφαλίσωνται, κατασβέννυνται καὶ γοίνονται χείρους οὗ ἦσαν κοσμικοὶ ὄντες, οὐχ ὅτι ὁ θεὸς τρεπτός ἐστι καὶ ἀσθενὴς ἢ τὸ πνεῦμα σβέννυται, ἀλλ᾽ αὐτοὶ οἱ ἄνθρωποι οὐ συμφωνοῦσι τῇ χάριτι, διὰ τοῦτο ἐκτρέπονται καὶ πίπτουσιν εἰς μύρια κακά.* Vide ibidem plura. Gregorius lib. 30. moralium c. 32: *Quis intelligat, quod alius catholicae matris ventre proditus juxta vitae terminum erroris voragine devoratur, alius autem vitam suam in catholica pietate consummat, qui ortus in perfidia cum lacte matris hauserat virus erroris?* Fulgentius lib. 2. ad Monim.: *Spiritum sanctum discedendo amittunt, si qui aut perfidia depravati, aut superbia inflati ab unitate corporis ecclesiae segregantur, quos Judas apostolus sine hoc Spiritu esse evidenter ostendit dicens: hi sunt, qui segregant semet ipsos animales Spiritum non habentes.* Bernhardus sermon. 3. in Psalm. 91: *Non sumus nos apostolo sanctiores, qui tamen verebatur, ne forte, cum aliis praedicasset, ipse reprobus efficeretur, sed id tamdiu nobis timendum est, donec laqueus contritus sit, donec corpus istud anima deposuerit.*

Testimonia adversariorum.

143. Quid quod quidam ex ipsis adversariis assensum suum hac in parte non denegant. **Remonstrant. in collat. Hag. p. 302: *Crebra in Scripturis occurrunt exempla eorum, qui in fide non perstiterunt, sed totaliter et finaliter ab ea defecerunt.* Arminianus in artic. perpend. p. 31: *Sententia, quae negat, vere fideles et regenitos vel re ipsa excidere a fide totaliter ac finaliter, nunquam fuit ab ecclesia, ab ipsis apostolorum temporibus ad haec nostra secula, pro catholica habita, neque quae contrarium affirmat, pro haeretica aestimat, imo vero affirmans semper plures in Christianismo adstipulatores habuit quam negans.* Grevenchovius contra Ames. p. 138: *Qualis est certitudo perseverantiae nostrae, talis et electionis, utramque vero conditionatam esse qui negaverit, ipsum quoque evangelium negabit.* Sim. Episcopius disput. publ. de peccat. actual. corollar. 2: *Affirmamus eum, qui semel vere credidit, ea fide, quae justificans a quibusdam dici solet, ita peccare posse, ut a fide illa sua et consequenter a gratia et salute aeterna totaliter et finaliter excidat.* Observa vero, Remonstrantes nobiscum non per omnia in hac quaestione consentire. 1. *Fidem* per *obedientiam mandatorum divinorum* definiunt. Bertius in Hymen. p. 201. 213. 198. Collat. Hag. p. 6. 62. 86. 2. Fidem non habent pro Dei dono, sed actu et servitio nostro. Coron. ad collat. p. 260. 261. 3. De viribus liberi arbitrii idem cum Photinianis statuit Bertius, concursum hominis cum Synergistis approbat p. 188. 190. Coron. p. 170. 171. *Lutherum Erasmo cessisse* asserit Bertius p. 222. 4. Bertius p. 2. ex lege et evangelio justificat. deducit. Calvinus in comm. c. 15. Johann.: *Christus amore, quo nos semel complexus est, vult nos perpetuo frui ac propterea cavendum esse admonet, ne eo nos privemur. Multi enim oblatam sibi gratiam repudiant,*

multi abjiciunt quod in manibus habebant. Ex quo igitur semel recepti sumus in Christi gratiam, videndum est, ne inde culpa nostra excidamus. lib. 2. instit. c. 2. §. 25: *David rectum spiritum, quem sua culpa perdiderat, innovari petit, quia ejusdem Dei est, qui initio dederat, ablatum nobis ad tempus restituere.* Vide Richardi Thomsonis Angli diatribam de amissione et intercisione gratiae part. 2. cap. 27. pag. 117. ubi consensum theologorum protestantium in hac quaestione explicat. Danaeus in comment. super c. 22. Luc. fol. 248. expresse scribit, *Petrum per abnegationem Christi veram fidem penitus amisisse.* Cum Anabaptistis Heidelbergenses, Marpurgenses, Bremenses, Herbornenses, Cantabrigienses, Bernenses etc. statuunt, *nullis flagitiis fidem in vere renatis deperdi aut Spiritum sanctum excuti.* Illis contradicunt Cryptocalviniani qui circa annum 1570. Lutheri cathedram fraudulenter occupaverant, Arminiani, Vorstiani, Castalionis et quidam Ursini discipuli cum paucis aliis. Genevenses sibi non constant. Sturmius in diatribe de praedestinatione distinguit inter πίπτειν vel cadere et ἐκπίπτειν excidere, illud dat, hoc negat. Petrus Bertius integrum librum opposuit suis sociis, qui negant, vere renatos totaliter amittere posse Spiritum sanctum, gratiam Dei et filialem fiduciam. Titulus libri est: *Hymenaeus desertor.* Trahit illa opinio originem ex absoluto decreto reprobationis, quotquot ergo illud negant, quod facit Arminius cum suis asseclis Grevenchovio, Arnoldo etc. itidem negant, quod fides per peccata mortalia amitti nequeat.** Petrus
I. [illegible] Martyr class. 3. loc. comm. c. 5. p. 498: *Non admittimus, homines, dum in suis peccatis versantur, habere fidem: Illis apostolus testimonium defert, quod fateantur se nosse Deum, sed illum factis negent; at cum solida et vera fide negatio Dei minime consentit; ideo isti simulacrum potius et spectaculum fidei, non autem veram fidem retinent.* Wolfg. Musculus in locis comm. cap. de remissione peccatorum, quaest. 6. p. 287: *Quod clementiam et bonitatem Dei concernit, quemadmodum sine poenitentia sunt dona et vocatio Dei; ita et peccatorum remissio et hactenus illa irrita fieri non potest; firmum enim est illud: peccatorum ejus non recordabor amplius. Est enim huic quoque gratiae immutabilis conjuncta veritas. Quod vero nos attinet, quibus peccata remittuntur, refert plurimum quam constanter in gratia semel accepta permaneamus et conditiones illi annexas servemus. Discernendum est inter eam gratiam Dei, quae nullas habet adjectas conditiones, qualis est quod solem suum producit super bonos et malos* etc. *et eam, quae conditionaliter confertur, ad quem modum peccatorum nobis remissio contingit. Posterior haec, licet in Deo sit constans et firma (non enim ille mutatur ut homo), nostro tamen vitio irrita redditur, nisi conditiones illi annexas servemus. Conditiones huic gratiae annexae sunt vera et constans resipiscentia, qua peccatis inposterum abstineamus, et fraterna reconciliatio. Si quis igitur praeteritorum peccatorum condonationem per gratiam divinae clementiae consecutus usque adeo ingratus ac salutis suae negligens evaserit, ut instar canis ad vomitum reversus coeptam resipiscentiam rumpat palamque ostendat, Deum se contemnere magis quam timere, plane dignum se esse declarat, a quo praeteritorum peccatorum, a quibus fuerat absolutus, poenae exigantur.* **Idem in locis comm. de remiss. peccat. p. 471. 472. edit. Basil. ann. 1563: *De reprobis disputari posse intelligo, nullane illis unquam peccatorum remissio contingat. Dantur illis in epistol. Hebr. c. 6. illuminatio per Christum, gustus doni coelestis, participatio Spiritus sancti, gustus item boni Dei verbi ac virtutum seculi venturi, et c. 10. sanctificatio, quae est per sanguinem testamenti et spiritus gratiae. Et in posteriore Petri c. 2. comparantur sui, quae ubi lota fuit, rursus in coeno volutatur. Quomodo haec illis sine omni peccatorum remissione contingere possint, merito quaeri potest in hac causa.*** Hemmingius in c. 14. Rom.: *Frater infirmus offensus tuo exemplo poterit fidem amittere atque ideo toti religioni renuntiare, gratia excidere in perpetuum animae suae exitium.* **Stegedinus in tabb. locorum comm. tabula 3. de remissione peccatorum ad quaestion. *an semel impetrata peccatorum remissio possit fieri irrita?* respondet, *distinguendum esse inter peccata, quae per carnis infirmitatem subinde a baptizatis admittuntur, et relapsum, quo prorsus a religione, professione et gratia Christi ad pristinam impietatem relabimur. Non quodvis peccatum praecedentem gratiam exstinguit, exstinguit vero reditus ad pristinam impietatem tanquam ad vomitum. Aliud est pedes post lavacrum sordidare, aliud toto corpore in volutabro luti instar suum denuo volutari.* Haec Szegedinus. Paraeus in Bellarmin. lib. 3. de amiss. gratiae c. 8. negare cogitur, *quod fides evangelica, quae est fiducia misericordiae Dei, consistere possit cum flagitiis notoriis, ut sunt homicidium, adulterium.*** Stigelius part. 2. locorum VIII. 190.
titul. de bonis operibus p. 401: *Secunda causa bonorum operum est cura vitandi lapsus, quibus effunduntur haec summa bona, remissio peccatorum, reconciliatio, Spiritus sanctus et vita aeterna.* p. 408: *Donec reconciliati repugnant pravis motibus, et non ruunt contra conscientiam ac retinent fundamentum, et fide propter mediatorem statuunt tegi haec mala, manent in gratia et non effundunt Spiritum s.; qui vero scientes ruunt contra conscientiam, aut qui non retinent fundamentum, et impia dogmata amplectuntur et pertinaciter stabiliunt, tales effundunt et contristant Spiritum s. et nisi convertuntur, ruunt in aeternum exitium.* Pseudostereoma Witeberg. lit. B. IV.: *Flaciani docent, justificatos, quamvis peccent contra conscientiam, tamen manere in gratia Dei propter inhabitantem Spiritum sanctum.* Bucanus loc. 37. institut. p. 343: *Fides retineri nequit, ubi peccatis contra conscientiam indulgemus.* 1. Tim. 1, v. 19: *Milita bonam militiam, retinens fidem et bonam conscientiam, qua expulsa nonnulli fidei*

naufragium fecerunt. ** Franc. Junius in tractat. parall. ad c. 6. Hebr.: *Si hoc fieri non posset, neque hypothesin hanc facturus erat apostolus, neque ex hypothesi tam grave pronuntiatum allaturus neque ad hanc causam, quae agitur, hoc dictum Hebraeis, quibus scribebat, accommodaturus* etc. vide locum.**

Argumenta antitheseos. 1. Ps. 1: Justus confertur arbori plantatae ad fontes aquarum.

144. Videamus quid roboris insit argumentis, quae ab adversa parte adducuntur. ** Vulgatissima exceptio est, *haec intelligenda esse κατὰ φαντασίαν δοξαστικῶς καταχρηστικῶς, in facie et judicio ecclesiae haec de illis dici, reapse autem nihil horum reprobis convenire.* Respondemus: 1. Cum Scriptura temporis tantum et durationis aut etiam gradus differentiam ponat inter reproborum et electorum *χαρίσματα*, nobis prorsus non licet rei aut essentiae diversitatem confingere. 2. Idem est semen, quod inter spinas, in terra petrosa et terra bona crevit Matth. 13. sic eadem fides ratione essentiae reproborum et electorum. 3. Earundem functionum eadem sunt principia. Sentiunt illi motus Spiritus sancti in cordibus, sentiunt *virtutes*, id est primitias futuri seculi, sentiunt *consolationes ineffabiles* 1. Cor. 12, v. 3. Rom. 10, v. 14. 1. Cor. 9, v. 24. 4. Apostolus urget exemplum Judaeorum, qui in terram Canaan non intraverunt, quod eludi his strophis non potest. 5. Marcion teste Tertulliano in libr. de carne Christi Catholicis probantibus veritatem carnis Christi ex eo, quod natus, passus, mortuus, sepultus etc. respondebat, *φανταστικῶς καὶ κατὰ τὸ δοκεῖν* haec fuisse facta, *atque his consiliis* (inquit Tertullianus) *tot originalia Christi instituta delebant.*** Porro adducunt sequentia Scripturae dicta: 1. Ps. 1, v. 3: *Justus est ut arbor plantata ad fontes aquarum, cujus folia nunquam decidunt. Ergo renatus non potest gratia Dei excidere.* Polani de praedest. p. 86. responsio in textu sic habetur: *Beatus vir, qui non ambulat in consilio impiorum et in via peccatorum non stetit et in cathedra derisorum non sedit,* v. 1; *sed in lege Domini voluptas ejus; et in lege ejus meditabitur die ac nocte* v. 2. *et erit velut lignum plantatum secus rivos aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo et folium ejus non decidet et omne, quod faciet, prosperabit,* v. 3. Hic accurate notanda est descriptio subjecti, qui non ambulat in consilio impiorum, sed in lege Domini delectatur die et nocte, is est beatus et arbori frugiferae similis; quatenus ergo et quamdiu quis talis est et manet, eatenus et tamdiu est beatus et frugiferae arbori similis; testatur autem Christus, *palmitem non ferentem fructum arescere et exscindi, Joh. 15, v. 2. et 6.* Adde quod in textu non habeatur folia ejus nunquam decident, sed simpliciter dicitur, non decidunt, quatenus scilicet arbor illa secus rivos aquarum plantata vivificum succum haurit et attrahit; sed quando vel eradicatur, vel humore destituitur, exarescere cogitur; ita quoque qui a Christo, vitae arbore, se voluntarie avellunt, ac Spiritus succo destituuntur, tandem exarescunt et in ignem projiciuntur. Rom. 11, v. 20: *Per incredulitatem fracti sunt, tu autem fide stas; noli altum sapere, sed time;* v. 21: *si Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat.* 2. Cant. 8, v. 7: *Aquae multae non poterunt exstinguere caritatem, neque flumina obruent illam. Si caritas non potest extingui, certe nec fides, cum fructus fidei sit caritas.* Respondemus: Apoc. 2, v. 4. angelo Ephesinae ecclesiae scribitur: *Habeo adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti;* v. 5. *memor esto itaque, unde excideris, et age poenitentiam, et prima opera fac; sin minus, venio tibi cito et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi poenitentiam egeris;* ex quo manifeste apparet, quod caritas amitti possit. Dictum ergo in Cantico nequaquam hoc vult, quod caritas non possit amitti, si quis eam velit abjicere et concupiscentiis carnis indulgere (Spiritus excutitur dominante cupidine carnis, si Spiritus, utique etiam caritas, quae est *fructus Spiritus*, Galat. 5, v. 22), sed quod manente caritate omnes tribulationes facile tolerentur, aquarum enim nomine tribulationes intelligi pluribus ex locis constat. Aquae alias exstinguunt ignem, sed aquae tribulationum non possunt exstinguere ignem caritatis.

VIII. !

2. Can 8: Aqu multae non p sunt e stingu carita-tem.

** 3. Psalm. 92, v. 13: *Justus ut palma florebit.* Respondemus: Sensus est, quod non sit periturus quemadmodum impius v. 10. non absolute, sed quatenus est et manet plantatus in domo Domini v. 14. quatenus in via peccatorum non stetit Psalm. 1, v. 1. seu quatenus a Deo se non subduxit in perditionem, Hebr. 10, v. 38. 4. Psalm. 37, v. 24: *Justus cum ceciderit, non collidetur.* Respondemus: loquitur vel de lapsu adversitatis vel iniquitatis. Si prius, ut accipit Piscator in schol. 24. nihil facit ad propositum; si posterius, tum intelligitur iniquitas seu peccatum vel infirmitatis vel malignitatis. Non hoc, quia quando homo justus peccat maligne et proterve, tum Deus non amplius sustentat manum ejus, nec amplius amore et gratia speciali illi assistit, sed ab ipso sejungitur et absconditur facies ejus Esa. 59, v. 2. nec ante Deus desinit avertere faciem suam, quam ad ipsum homo fuerit reversus Jer. 3, v. 12. Ergo illud, ut constat ex Psalm. 145, v. 14. et Prov. 24, v. 16. Confer Psalm. 68, v. 20. et Psalm. 71, v. 20. 1. Cor. 10, v. 13. Psalm. 37, v. 23. dicitur: *A Jehova viri illius gressus statuuntur, cujus delectatur via, hoc est Deus pio in omnibus actionibus felicem successum largitur.* v. 24. objicitur: *At saepe etiam pius in calamitates incidit, ejusque coepta minus felicem sortiuntur exitum.* Respondet psaltes per correctionem et concessionem: *Cadit*, sed non procidit, *πίπτει οὐ παραπίπτει*, nam cum cadit, non dejicitur, quia *Jehova sustentat manum ejus.* idem v. 25. suo aliorumque exemplo cum paupertate conflictantium probat. Confer Psalm. 118, v. 13: *Graviter impuleras me ut caderem, sed Jehova fuit mihi auxilio* et Proverb. 24, v. 16: *Septies justus cadit.* Junius in hoc loco Psalm. 37: Rationem reddit, *cur pii benedicti sint et maneant, cum improbi pereant, a benevolentia et beneficentia Dei, qui etiam labentes ex infirmitate gratiose sustinet. Non enim ita*

*cadit justus, ut dejectus maneat. 2. Cor. 4, v. 9. quemadmodum contra improbi dicuntur in perpetuum dejici, Ezech. 32, v. 4.*** 5. Matth. 7, v. 24: *Omnis qui audit verba mea haec et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui aedificavit domum suam super petram;* v. 25: *et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti et irruerunt in domum illam, et non cecidit; fundata enim erat super petram.* Ergo renati non excidunt gratia Dei. Respondemus: quamdiu renati audiunt verba Christi, et faciunt ea, id est quamdiu sunt et manent renati, tamdiu nec venti persecutionum, nec tempestates variarum tentationum eos subvertere possunt. Si ad electos dictum Christi transferatur, fatemur, eos finaliter non excidere Dei gratia. Notandum vero, quod dupliciter de electis loquatur Scriptura; primo ratione finalis perseverantiae, prout sunt in termino; secundo prout sunt in via, id est prout per hunc mundum tanquam salebrosam ac lubricam viam ad coelestem patriam contendunt; in hac vita saepius labuntur, quin etiam mortaliter peccant; sed iterum per poenitentiam resurgunt, alias in numero electorum non esse convincuntur. 6. Joh. 4, v. 14: *Qui biberit ex aqua, quam ego ei dabo, non sitiet in aeternum, sed fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* At renati bibunt ex aqua illa spirituali. Respondemus: quatenus et quamdiu ex aqua illa bibunt, ab aeterna siti liberati ac liberi spem certam vitae aeternae retinent; sed si desistant *haurire aquam ex fonte salutis*, Esa. 12, v. 3. *si derelinquant fontem aquae vivae et fodiant sibi cisternas, quae non habent aquas*, Jerem. 2, v. 13. quid mirum, si postea sitim persentiscere cogantur? 7. Joh. 10, v. 29: *Nemo rapiet oves meas de manu mea.* At renati sunt oves Christi. Respondemus: Ibidem additur: *oves meae vocem meam audiunt et sequuntur me;* quamdiu ergo sunt et manent oves Christi, tamdiu nemo illas ex manibus Christi rapere potest. Si vero ad hoedos abire velint, si in avia errorum ac peccatorum sponte ruant, quid mirum, si infernalis lupi praeda fiant? Ut ergo renati *participes Christi facti virtute Spiritus sancti initium substantiae ad finem usque retinere*, Hebr. 3, v. 14. et in numero ovium Christi permanere debent ac possunt; ita quoque e converso, quia voluntas ipsorum nondum est in bono plane confirmata, necdum caro in spiritum versa, possunt naturalibus voluntatis pravae viribus gratiam rursus abjicere et ad hoedos abire. ** 8. Joh. 14, v. 16: *Spiritus manebit vobiscum in aeternum.* Respondemus: distinguendum inter promissiones absolutas et ordinatas. Absolute Christus apostolis reliquisque piis non promisit mansionem Spiritus s. in illis, sed ordinate et conditionate v. 15. 23 et c. 15, v. 10. et 8, v. 31. 1. Joh. 2, v. 24. et 2, v. 9. Vide Colloq. Hagiense p. 424.** 9. Joh. 17, v. 20: *Christus pro omnibus credentibus ardentissime oravit.* Utique ergo gratia excidere non possunt. Respondemus: Christus etiam pro Petro rogavit Luc. 22, v. 32. qui tamen gratia Dei excidit, licet non finaliter. Dicimus ergo et nos, electos non perire propter ardentissimam illam orationem Christi, sed electi sunt, non qui primum quidem credunt, postea autem deficiunt, sed qui finaliter in fide et studio sanctitatis perseverant. **Remonstrantes in Collat. Hagiensi p. 435. invertunt propositionem argumenti: *Christus* (inquiunt) *nusquam oravit absolutam perseverantiam fidelium in fide, imo judicamus contra, si Deus tam absolutam et inevitabilem perseverantiam fidelium statuisset, positos fuisse illos extra omne defectionis periculum et Christum tam solicite non fuisse oraturum, ut perseverarent. Christus etiam pro Thoma rogaverit, at is ad tempus fide excidit*, Joh. 20, v. 25.** Nec absolute Christus rogavit pro credentibus, sed *ut sanctificentur in veritate*, v. 17. *ut sint unum*, v. 21. quodsi ergo finaliter non manent in veritate, hoc est in sermone Patris coelestis. v. 17. si non manent in Christo, si non sunt unum v. 21. re ipsa ostendunt, quod non sint in eorum electo-
rum numero, pro quibus Christus rogavit. Si qui VIII. 193.
ergo indulgeant sceleribus et haereant in peccatis contra conscientiam, non possunt ex hac Christi intercessione spem salutis concipere, antequam veram
agant poenitentiam. ** 10. Rom. 6, v. 14: *Constitu-* 10. Rom. 6, v. 14.
tis sub gratia peccatum dominari non posse docetur, nempe totaliter regnando seu totaliter eis praevalendo omnemque υἱοθεσίας Spiritum in eis penitus abolendo. Eglinus de peccato in Spiritum s. th. 10. Respondemus: 1. Non sequitur. Apostolus dicit, *ne regnet peccatum.* Ergo non potest in renatis totaliter regnare. Imo contrarium sequitur. Ergo potest totaliter dominari, ab illo enim quod fieri nequit, non opus habuit apostolus Romanos dehortari. 2. Exemplum protoplastorum et aliorum testatur, peccatum illis totaliter dominari, quia imperium Spiritus sancti totaliter ab eis excutitur. 3. Christus expresse dicit Joh. 8, v. 34: *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Jam vero qui sunt servi peccati illis totaliter dominatur peccatum. 4. Quod Eglinus regerit Esa. 42, v. 3. *linum fumigans per Dei gratiam remanere nec plane exstingui*, est ἀπροσδιόνυσον, dictum enim propheticum loquitur de conscientiis sensu peccatorum territis, quaestio est de illis, qui studiose incumbunt patran-
dis iniquitatibus.** 11. Rom. 8, v. 35: *Quis nos* 11. Rom. 8: Quis nos separabit a dilectione Dei.
separabit a caritate Christi? tribulatio an fames etc. v. 38: *certus sum, quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura;* v. 39: *neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura ulla alia poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Jesu.* Ergo renati nulla ratione ac ne quidem per peccata contra conscientiam a Dei dilectione separari possunt. Respondemus: plus subsumitur in consequente quam antecedens permittit. Loquitur apostolus proprie de electis, quos a Deo avelli dicit impossibile, non propter absolutum aliquod decretum, propter quod etiam in sceleribus conscientiam vastantibus retineant fidem et Dei gratiam; sed propter finalem in

Left-margin notes: 5. Matth. 7: Qui audit verba Christi et facit ea, est similis viro sapienti etc. — 6. Joh. 4: Qui biberit ex aqua, quam ego dabo etc. VIII. 192. — 7. Joh. 10: [illegible] — 8. Joh. 14. [illegible] — 9. Joh. 17: [illegible]

fide, dilectione et studio sanctitatis perseverantiam; ideoque inter ea, quae non possunt electos a Deo separare, non connumerantur peccata voluntaria contra conscientiam admissa, ea enim si qui ex renatis committant nec ad Deum convertantur, ex numero
12. Rom. 8, v. 29. electorum non esse convincuntur. ** 12. Rom. 8, v. 29: *Quos praescivit, eos praedestinavit. Quos praedestinavit, hos et vocavit. Et quos vocavit, hos et justificavit. Quos autem justificavit, illos et glorificavit. Ergo qui non glorificantur, illi etiam non habent fidem justificantem, nec gratiam interioris vocationis.* Respondemus: 1. Apostolus hic loquitur de solis electis, teste Augustino lib. de corrept. et gratia c. 7. id quod contextus manifeste ostendit. *Scimus*, inquit apostolus, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum;* postea addit: *iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti*, subjicit deinde rationem: *Nam quos praescivit, eos et praedestinavit.* Tandem concludit: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* ostendit igitur, tum quod omnes electi sint salvandi, tum qua via seu ordine sint salvandi, non quasi nemo viam illam insistere ulla ex parte possit, nisi simul praedestinatus sit et certo salvandus, sed quod omnes praedestinati et salvandi eam tum ingredi debeant, tum ad finem tenere soleant. Non enim dicit, solos praedestinatos vocatos esse (dixerat quippe ipse Dominus: *multi sunt vocati, pauci vero electi), sed omnes praedestinatos suo certo tempore vocari eosque omnes justificari et tandem glorificari.* 2. Verba *vocandi* et *justificandi*, id est temporalium actuum, qui hic Deo tribuuntur, non qualicunque exigui temporis particula, aut quovis actu incepto scilicet et inchoato tantum aut semel modo peracto et paululum durante, sed juxta morem Spiritus s. de tempore extenso et actu continuato ac perfecto (quod et ipsa verborum tempora hic posita designant) intelligenda sunt, et sic *nulli vocati ac justificati* sunt, vocatione scilicet extensa atque ad finem vitae durante et justificatione continua ab omni mortali peccato hujus vitae aut usque ad finem perseverante, nisi soli electi, praedestinati, glorificati. Rich. Thomson in diatribe
13. Rom. 11: Bona et vocatio Dei sunt VIII. 194. ἀμεταμέλητα. de amiss. gratiae c. 5. p. 21.** 13. Rom. 11, v. 29: *Dona et vocatio Dei sunt ἀμεταμέλητα.* Ergo quos semel Deus vocavit et Spiritu suo donavit, ii non possunt iterum gratia ejus excidere. ** Paraeus in comm. Rom. dub. 17. p. 729: *Dona Dei ἀμεταμέλητα nunquam eripiuntur nec amittuntur penitus. Fides electorum est donum Dei ἀμεταμέλητον.* Ergo. Respondemus: Locus apostolicus accipiendus est non *absolute*, sed *comparate;* nec ex parte nostri, sed respectu Dei, Deus est ἀμεταμέλητος in sua voluntate et constans in promissionibus suis, sed per accidens dona Dei et beneficia sunt κινητά, possunt ab hominibus auferri, quando homines in peccata contra conscientiam prolabuntur. Distinguendum inter τάξιν ab hominibus observatam et ab iisdem violatam. Priori respectu dona sunt ἀμεταμέλητα.** Quin sensus pronuntiati apostolici patet ex contextu. Quod enim de Judaeorum gente apostolus dixerat, quod ex ea quovis tempore et quidem circa finem mundi longe plurimi ad regnum Christi sint vocandi, illud confirmat argumento a veritate et constantia Dei in servandis promissis. Dona et vocatio Dei sunt ἀμεταμέλητα, hoc est quorum nunquum ipsum poenitet. Cum ergo Deus aeterno foedere se Judaeorum populo obstrinxerit, non reddetur illud irritum; sed semper aliqui ex Judaeis sunt futuri, qui promissam foederis gratiam amplectantur. Nec tamen ex eo inferendum, quod illi, quibus vocatio et dona Dei obtigerunt, propria culpa et voluntaria aversione illis excidere non possint; contrarium enim in hoc ipso capite docet apostolus v. 20. et seqq. si ipsi homines per peccata contra conscientiam gratiam et dona Dei amittunt, id non Dei quadam μεταμελείᾳ, sed culpa hominum accidit. Ἀνακόλουθον igitur est sic inferre: Ex parte Dei vocantis, convertentis et salvantis dona et vocatio Dei sunt ἀμεταμέλητα (hoc est Deus quem vocat et cui gratiam suam donat, eum ita vocat, ut ex se nunquam moveatur ad facienda ista irrita, nunquam per invidentiam aut odium aliquod hominibus ea subtrahit, ac proinde nulla in ipsum amissionis culpa cadit.) Ergo etiam ex parte hominum vocatorum, conversorum et in fide stantium nulla sunt peccata etiam contra conscientiam admissa, quae vocationem et dona Dei excutere possunt. ** Thomas p. 3. qu. 88. art. 1. ad 3. sic concludit: *Opus Dei per opus hominis irritari nequit. Remissio peccatorum priorum est opus Dei. Ergo non potest irritari per sequens peccatum hominis.* Majorem probat ex Rom. 3, v. 3: *Numquid illorum incredulitas fidem Dei evacuat?* unde infert, *quod per sequens peccatum justitiae priores oblivioni tradantur, in quantum fuerant meritoriae vitae aeternae, non tamen in quantum fuerant impeditivae peccati.* Respondemus: Opus Dei absolutum et immediatum per homines irritari nequit, Esa. 14, v. 27. c. 46, v. 10. Esth. 13, v. 9. Rom. 9, v. 19. illa autem opera, quae Deus certo ordini inclusit et ipse limitavit, ea potest homo annihilare et infirmare. Genes. 17, v. 14. ipse Deus asserit, hominem posse foedus circumcisionis irritum facere. Confer Ezech. 16, v. 59. Ad dictum apostoli resp. ex eo quod quidam gratia excidunt, non sequitur, fidem Dei reddi mutabilem vel evacuari. Distinguendum inter voluntatem Dei absolutam et ordinariam; de illa cum Scriptura dicimus, quod nunquam infirmetur, de hac praesens locus ait, quod nunquam sit ἀργὸς vel ἀεργός. Per fidem Dei nihil aliud intelligitur quam certa Dei de hominum salute voluntas et constitutio, seu veritas et fidelitas Dei in servandis suis promissionibus, et quamvis quidam hanc ordinariam viam salutis negligant et gratiam promissam non recipiant, non tamen ea fides est ἀργός, hoc est promissiones Dei non redduntur vacuae et inanes, sunt enim efficaces apud eos, qui gratiam oblatam recipiunt. Est igitur hic sensus: *Nam hominum ἀπιστία, id est perfidia, fidem Dei, id est fideles ac constantes Dei promissiones, καταργήσει, id est irritas faciet et evacua-*

bit, id est an propter homines perfidos Deus perfidiae accusari merebitur? an quia homines sua ἀπιστίᾳ se bonis promissis privant, Deus propterea fuerit ἄπιστος καὶ εὐμετάβολος? vel an quia homines Deo non confidunt, is propterea suam promissionem revocet, retractet et immutet, quod velit esse propitius Abrahamo et seminis ejus Deus? quasi dicat, minime, quod apostolus probat a veritate et constantia Dei. Feurb. Demat. disp. 3.** Et quid fiet perspicuis illis Scripturae dictis, quae contrarium plane testantur? 2. Paral. 15, v. 2: *Jehova vobiscum, si fueritis cum eo et si quaesiveritis eum, invenie-*
VIII. 195. *tur a vobis; si vero dereliqueritis eum, derelinquet vos.* Jerem. 18, v. 10: *Si gens aliqua fecerit malum in oculis Dei, poenitebit eum boni illius, quo constituit genti illi benefacere.* 1. Cor. 10, v. 12: *Qui se existimat stare, videat, ne cadat.* Jac. 4, v. 8: *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.* Apoc. 2, v. 10: *Esto fidelis usque ad mortem et dabo tibi coronam vitae;* v. 5: *memor esto, unde excideris, et age poenitentiam et prima opera fac; sin minus, venio tibi cito et movebo candelabrum de loco suo, nisi poenitentiam egeris.* Augustinus lib. 2. de bono persever. c. 13: *Sine poenitentia sunt dona et vocatio Dei, ad quam vocationem pertinere nullus est homo ab hominibus certa asseveratione dicendus, nisi cum de seculo hoc exierit, in hac autem vita humana, quae tentatio est super terram, qui videtur stare, videat, ne cadat, ideo quippe non perseveraturi perseveraturis providentissima Dei voluntate miscentur, ut esse discamus non alta sapientes, sed humilibus consentientes et cum timore ac tremore nostram ipsorum salutem operemur.* Ambrosius in comm. plane alienam a textu et fidei analogia introducit sententiam, quod *gratia Dei in baptismo non quaerat gemitum aut planctum aut opus aliquod nisi solam ex corde professionem. Ne enim* (inquit), *quia graviter deliquerant non recipiendo promissum Dei et quia quae graviter peccantur, non nisi fletu et gemitu ad veniam pertinent, ne ideo illos jam non posse misericordiam accipere putarent, quia dolere illos non videbant, ostendit hoc inter primordia fidei non requiri; donum enim Dei gratis donat peccata in baptismo.* Seductus est Ambrosius per vulgatam versionem, dona et vocatio Dei sunt sine poenitentia, ut statueret, in baptismo non requiri poenitentiam, cum tamen Johannes Baptista Luc. 3, v. 3. et Petrus Actor. 2, v. 38. verbis disertissimis poenitentiam a baptizandis requirant.

14. 1. Cor. 13: Caritas nunquam excidit.

14. 1. Cor. 13, v. 8: *Caritas nunquam excidit.* Ergo amitti nequit. Respondemus: Apostolus docet, caritatem etiam in vita aeterna locum habituram, cum prophetiae, linguae et scientiae cessarunt; ex eo vero nequaquam sequitur, quod in hac vita caritas semel habita amitti nequeat. Chrysostomus in hoc loco: *Caritas nunquam excidit, sed nos ab illa interdum excidimus.* Ambrosius ibid.: *Caritas nunquam excidit, quia et in praesenti prodest et in aeternum cum Deo permanet.*

15. 2. Tim. 2: Firmum stat fundamentum Dei etc.

15. 2. Tim. 2, v. 19: *Firmum stat fundamentum Dei, habens signaculum hoc: Dominus novit qui sint sui.* Ergo renati non possunt excidere gratia. Respondemus: Apostolus proprie loquitur de electis, quos finaliter excidere posse itidem negamus; alias enim electi non essent; alia est quaestio de renatis, quorum quosdam finaliter excidere et Scriptura et experientia evidenter docent. Deinde apostolus non loquitur de causis electionis, quasi illae respectu eligendorum sint immobiles et necessariae absoluta quadam necessitate; sed loquitur de praescientia Dei, quod sua infallibi praevisione certo sciat, quinam in Christo salutis fundamento finaliter sint perseveraturi, quod indicat vocabulum ἔγνω. Denique v. 20. immediate itidem subjungitur: *Discedat ab iniquitate omnis, qui invocat nomen Domini;* quicunque igitur ab iniquitate discedere nolunt, ad eos non pertinet haec consolatio.

16. 1. Joh. 2: Unctio manet in vobis.

16. 1. Joh 2, v. 27: *Unctio, quam accepistis, manet in vobis.* Ergo Spiritus sanctus non potest amitti. Respondemus: Apostolus laudat renatos, quod per gratiam Spiritus sancti constantes hactenus permanserint, ex eo vero haudquaquam sequitur, quod semet ipsos ea privare non possint; immediate enim additur v. 28: *et nunc filioli manete in eo.* v. 24. praecedit: *si in vobis permanserit, quod audistis ab initio, et vos in Filio et in Patre manebitis.* Id ipsum comprobat res ipsa. Unctio illa est gratiosa Spiritus sancti inhabitatio; atqui illa non consistit cum peccatis contra conscientiam docente apostolo Gal. 5, v. 16: *Ambulate Spiritu et desideria non perficietis.* Omnes baptizati, si non resistant actuali impoenitentia et incredulitate, regenerantur; regeneratio fit ex aqua et Spiritu. Omnes ergo baptizati habent Spiritum sanctum, sed
multi baptizati finaliter pereunt; prius ergo per VIII. 196.
peccata Spiritum sanctum amiserunt, nullus enim perit, in quo sua gratia et suis fructibus Spiritus adhuc habitat.

17. 1. Joh. 2, v. 19.

** 17. 1. Joh. 2, v. 19: *Si fuissent ex nobis, utique etiam mansissent.* Respondemus: si de electione ad salutem hic locus accipiatur, sensus est, quod electi non possint excidere scilicet finaliter, interim tamen ad tempus totaliter possunt excidere. Vide tom. 6. disp. Giss. disp. 7. collat. Hagiensis pag. 446: *Nihil agit hic Johannes quam de solis falsis et antichristianis doctoribus,* v. 18. *qui egressi erant quasi ab apostolis emissi* (de tali enim egressione hic agitur) *sicut illud egredi saepe in Scriptura ita usurpatur, inter alia et hoc sensu* Act. 15, v. 24: *Audivimus, quosdam e nobis egressos vos turbasse, quibus non edixeramus, interea non erant ex numero apostolorum vel orthodoxorum, id est neque erant viri apostolici doctores neque ab eis missi. Si enim tales fuissent, permansissent cum eis, id est rediissent ad apostolos et permansissent in consortio eorum orthodoxorum, qui eos miserant, ut qui legatione sua probe functi erant. Atqui aliter evenit, non manserunt* etc.**

18. 1. Joh. 3: Qui natus est ex Deo, peccatum non facit.

18. 1. Joh. 3, v. 9: *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen illius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Ergo renati

non possunt per peccata mortalia excidere gratia Dei. Respondemus: Aliud est peccatum habere, aliud vero peccatum facere. Renati habent peccatum. 1. Joh. 1, v. 8: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, mendaces sumus;* sed non faciunt peccatum, id est non concedunt peccato dominium, Rom. 6, v. 12. *Caro* in illis *concupiscit adversus spiritum*, Gal. 5, v. 17; *sed crucifigunt carnem cum suis concupiscentiis et affectibus*, v. 24. sentiunt motus peccati, sed iis non consentiunt; hoc ergo primum est, quod in explicatione dicti apostolici observandum, videlicet loqui apostolum non de peccatis venialibus, sed de peccatis mortalibus. Deinde cum reduplicatione accipendus est locus. *Qui ex Deo natus est, peccatum non facit*, scilicet quatenus renatus est et manet, eatenus non indulget peccatis; ideo additur προσδιορισμὸς iste: *quia semen ejus manet in eo*, et cap. 5, v. 18. cum dixisset apostolus: omnis qui natus est ex Deo non peccat; immediate subjungit: ἀλλ' ὁ γεννηθεὶς ἐκ τοῦ θεοῦ τηρεῖ ἑαυτόν, *sed qui ex Deo natus est custodit se ipsum.* Vulgata versio aliter legit: *sed generatio Dei conservat eum.* Sensus igitur pronuntiati apostolici est, quod regeneratio et peccata mortalia simul stare nequeant. Hanc interpretationem comprobant Hieronymus lib. 1. advers. Pelagian. et Augustinus tractat. 5. in epistol. Joh. **Hieronymus lib. 2. contra Jovinian.: *Si omnis, qui natus est ex Deo, non peccat et a diabolo tentari non potest, quomodo praecipit Johannes ut caveant, ne tententur dicens 1. Epist. 5, v. 21: Filioli custodite vos a simulacris.* Similis phrasis est Psalm. 119, v. 3: *Non operantur iniquitatem, qui in viis ejus ambulant*, scilicet qua talis.** Eandem vel maxime confirmat analogia fidei; omnes enim infantes in baptismo nascuntur ex Deo, hoc est regenerantur, et tamen multi ex illis in adulta aetate non solum peccatum faciunt, sed et salute aeterna excidunt. In eod. c. 3. prioris epist. Joh. v. 15. additur: *Scitis, quoniam omnis, homicida non habet vitam aeternam in semet ipso manentem.* Subsume, David ex Deo natus factus est homicida. Ergo non habuit vitam aeternam in se manentem et per consequens nec fidem nec Spiritum s. retinuit. Ambrosius in comm. Esaiae teste August. lib. 4. ad Bonif. cap. 7. refert hunc locum *ad statum futurae gloriae*, ut sensus sit, eos non posse peccare, qui nati sunt ex Deo per secundam regenerationem. Bernhardus serm. 23. in Cant. de electis locum accipit, quos dicit non posse peccare, non quod revera quandoque non peccent, sed quod perinde sit, ac si nunquam peccarent, cum certum sit, eis peccata remittenda esse; imo ipsa etiam peccata eis in bonum cooperentur. Quidam accipiunt hoc dictum de jure, non de facto; qui enim ex Deo nati, non debent peccare. Sed in omnibus his expositionibus non immerito aliquid desiderari
VIII. 197. potest, primam igitur praeferimus. **19. 1. Petr.
19. 1. Petr. 1, v. 5. 1, v. 5: *Virtute Dei custodimur ad salutem per fidem.* Respondemus: non virtute nostra, sed virtute Dei custodimur ad salutem, non tamen absolute, quicquid etiam agamus et qualitercunque etiam vivamus, sed ordinate, nempe si aggregationem nostram non deseramus Hebr. 10, v. 25. nec fiduciam abjiciamus v. 35. sed in Christo permaneamus Joh. 15, v. 5. Rom. 11. v. 17. et per fidem vincamus Apoc. 2, v. 10. 26. c. 3, v. 12. 21.** 20. Epist. 20. Epist. Judae dicit: Sanctis semel traditam fidem.
Judae v. 3. dicit, *fidem semel sanctis traditam.* Ergo amitti inposterum nequit. Respondemus: ex v. 5. apparet, per fidem hic intelligi doctrinam fidei, uti accipitur etiam Actor. 6, v. 7. c. 14, v. 27. Gal. 1, v. 23. 1. Timoth. 4, v. 1. illa semel tradita dicitur sanctis non respectu futuri temporis, quasi semel tradita inposterum amitti, vel amissa tradi iterum nequeat; sed respectu praeteriti, quod sit aliquando data. Lyranus: *Semel traditae, hoc est perfecte, quando aperuit ei Dominus sensum, ut intelligerent Scripturam; dicitur etiam semel propter unitatem fidei et auctoris ipsius.* **Doctrina fidei proprie dicitur παραδοθεῖσα, *tradita* 1. Cor. 11, v. 2. 23. et c. 15, v. 3. unde etiam παράδοσις ponitur pro *traditione* 1. Cor. 11, v. 2. et 2. Thessal. 2, v. 15. et c. 3, v. 6. Beza et Piscator in hoc loco concedunt, *fidei* appellatione intelligi *doctrinam fidei.* Pro fide, quae semel tradita sanctis sit decertamus, quando pro doctrina Christiana, quam alii pii nobiscum fovent, pugnamus. Particula ἅπαξ, *semel*, hic non est in praedicamento quantitatis, ut sit nota numeri, sed in classe qualitatis significatque *vere, certo*, quemadmodum Judas v. 5. eandem particulam adhibet et Flacius in Clav. Script. part. 1. p. 1114. ostendit ex Exod. 33, v. 5. Psalm. 89, v. 36. Proverb. 28, v. 18. etc.**

145. Formant etiam quasdam rationes, quibus probent, veram fidem non posse amitti: 1. *Si electus mortaliter peccans amitteret fidem ac non maneret electus, consequens foret, electionem esse mutabilem. Exempli gratia David heri non peccans mortaliter fuit electus, hodie letaliter peccans non erit electus; cras poenitentiam agens erit iterum electus.* Respondemus: Repetenda sunt hoc loco quae in tract. de elect. et reprob. §. 214. de illa quaestione, an electi possint fieri reprobi, et vicissim ex reprobis electi, disputavimus. Electus consideratur vel ratione finalis conversionis et perseverantiae; vel ratione praesentis status. Qui ratione praesentis status sunt et dicuntur electi, hoc est qui vere credunt in Christum, ratione finalis perseverantiae non sunt electi, hoc est amittunt quandoque fidem et salutem per peccata contra conscientiam. Vicissim qui ratione praesentis status nec sunt, nec dicuntur electi, hoc est qui vivunt in peccatis, nec credunt in Christum, illi ratione finalis conversionis sunt electi, hoc est vere ad Deum convertuntur, et salutis fiunt participes. Quidam hoc sic efferunt: Electus duplicem habet respectum; unus est ratione ordinis, quem Deus in praedestinatione sancivit, et sic omnis, qui credit in Christum et in hac fide perseverat, est electus, quisquis ille sit, nec taliter qui est electus, mutabiliter electus est, sed immutabiliter; hic enim ordo semper manet et fuit ab aeterno. Alter respectus est ratione personae et in-

Rationes 1. Electio foret mutabilis.

dividui; quatenus igitur electus denominatur talis vel non talis secundum suas actiones bonas vel malas, eatenus etiam secundum qualitatem factorum dici potest electus, non electus in hoc vel illo temporis intervallo. *2. Spiritu sancto prorsus indignum est toties ejici, toties iterum dari.* Respondemus: non est fingenda talis Spiritus sancti vel infusio et ingressus, vel iterum ejectio ac recessus talis, quo secundum essentiam suam alternatis vicibus accedat, vel recedat, sed quo secundum essentiam manens in omnibus secundum gratiam accedere vel recedere dicitur; talia de Spiritu sancto manifeste asserit Scriptura, ut quod dicitur *mitti in corda fidelium* Galat. 4, v. 6. *in illis habitare*, 1. Cor. 3, v. 16. dicitur *contristari* ab his, qui peccant contra conscientiam, Ephes. 4, v. 30. *ab illis recedere*, 1. Sam. 16, v. 14. *auferri*, Psalm. 51, v. 13. etc. *3. Si statuitur, renatos posse excidere gratia Dei ac fidem amittere, nulla erit certitudo electionis ac salutis.* Respondemus: argumentum hoc ipsorum palmarium est, cui tamen, uti spero, satisfecimus in tractat. de elect. et reprob. §. 207. et seqq. **Eglinus disp. 2. de peccato in Spiritum s. th. 106: *Si renati possent excidere totaliter et finaliter; electi totaliter, tunc electorum fides eodem modo se haberet, quo τῶν προσκαίρων fides, non posset desperationis evitari barathrum.* Respondemus: fides divinitus data non amittitur culpa Dei, quippe eam datam nutrire et augere serio volentis, at unice culpa hominis Deum malitiose deserentis. Remonstrantes in Collat. Hagiens. p. 340: *Non videmus, doctrinam istam de perseverantia in fide eorum, qui semel crediderunt, esse fundamentum consolationis filiorum Dei, sed existimamus, sua natura atque indole idoneam esse ad ingenerandam hominibus securitatem, ut in medio cursu peccatorum ipsis sit loco pulvinaris, quo semet ipsos molliter fovere suaviterque demulcere atque ita consolari possint.* pag. 297: *Doctrina de certa* (absoluta) *vere fidelium perseverantia ex se verae pietati et bonis moribus noxia est, tum in iis qui eam docent, tum in iis qui eam audiunt et fideles commonefactiones Spiritus sanctus adversus periculosas diaboli technas inutiles et inefficaces reddit.*** Nos quamvis non propugnemus talem quandam absolutam electionis et salutis certitudinem, quod semel renati et Spiritu s. donati non possint iterum ulla ratione etiam per peccata contra conscientiam amittere fidem et Spiritus s. inhabitationem; absit tamen ut Pontificiam illam de electione et salute dubitationem introducamus. Distinguendum enim inter certitudinem spiritus et securitatem carnis; inter certitudinem limitatam et absolutam. Certos nos fecit Deus de salute, non autem voluit nos esse carnaliter securos; promissiones Dei infallibiles liberant nos a dubitatione et incertitudine; adhortationes et comminationes ejusdem liberant nos a carnali securitate; ita ergo simus de salute certi, ut interim non simus securi, sed cum timore ac tremore salutem nostram operemur. Nuspiam Spiritus s. describit electos ab absoluto quodam Dei decreto, sed a constantia in fide et studio sanctitatis. Hos. 2, v. 19: *Sponsabo te mihi in sempiternum*, sed statim additur, *sponsabo te mihi in fide.* Joh. 15, v. 5: *Sumus palmites in Christo*, sed tamen v. 6: *si quis in eo non manserit, mittetur foras.* Coloss. 1, v. 21. *pii sunt Deo reconciliati*, sed tamen v. 23: *si permanserint in fide fundati et stabiles et immobiles a spe evangelii.* Hebr. 3, v. 6: *Domus Dei sumus*, sed statim additur: *si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus;* v. 14: *participes Christi effecti sumus, si tamen initium substantiae ejus usque ad finem firmiter retineamus. Dabo tibi coronam vitae*, inquit Christus Apocal. 2, v. 10. sed praecedit: *esto fidelis usque ad mortem.* et c. 3, v. 11: *tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* ***Opus foret nova regeneratione.* Respondemus: *Paulus* dicit Galat. 4, v. 19. *se Galatas*, qui a gratia exciderant c. 5, v. 4. *πάλιν, rursus, parturire.* Toties fit regeneratio, id est hominis e statu irae in statum gratiae translatio ejusque in filium Dei adoptio, quoties de suis peccatis seriam agit poenitentiam et per gratiam ad Deum redit. David per enormia peccata regenerationem prorsus excussit, quia filius Dei esse desiit.** Summa ergo huc redit: renati certo statuant, se esse in Dei gratia et participes fore aeternae salutis; sed tamen perseverent in auditu ac meditatione verbi, in usu sacramentorum, seriis gemitibus petant donum perseverantiae, abjecta omni securitate carnali, vivant in timore Dei, resistant concupiscentiis carnis, si praeoccupentur lapsu quodam, statim per poenitentiam resurgant, ita nec de salute sua erunt incerti, nec tamen carnaliter securi. Quemadmodum Deus non dat fidem et Spiritum sanctum ex absoluto quodam decreto, sed per verbum et sacramenta; ita quoque pios in fide ad finem usque conservat, non ex absoluto quodam decreto, propter quod maneant in gratia, etiamsi contra conscientiam peccent, sed per verbum et sacramenta, per quae Spiritus sanctus ad perseverantiam in illis est efficax. Si dicas: *utut sit, conditio perseverantiae est incerta; ergo etiam ipsa salus et electio.* Respondemus: ipsa promissio perseverantiae renatis data satis certa est, cum nitatur Dei omnipotentia, Dei fidelitate ac Dei bonitate; firma igitur fide eam amplecti et donum perseverantiae a Deo petere ac de exauditione certi esse possumus; interim tamen si quis velit media fidei et salutis negligere, concupiscentiis carnis indulgere et secure vivere, is propria culpa perseverantiae dono excidit, quod certitudinem promissionis ipsius haudquaquam tollit aut labefactat. Vide tract. de elect. et reprob. §. 183.

Margin notes: 2. Indignum est Spiritu s. toties ejici. — 3. Nulla erit certitudo electionis. — VIII. 198. — VIII. 199.

146. Haec ergo dicta sint de bonis operibus in genere. Consequens foret, ut in particulari de quibusdam bonis operibus, praesertim vero de oratione, eleemosyna et jejunio (ad quae capita species bonorum operum revocari videntur Matth. 6. ubi tamen monendum, species has non esse univocas, cum je-

Margin note: Species bonorum operum.

junium per se et propter se non sit cultus Dei et, ut Hieronymus loquitur, *non sit virtus, sed gradus ad virtutem;* ideo bonorum operum species juxta decalogi tabulas commodissime constituuntur dilectio Dei et proximi Matth. 22, v. 37.) ut, inquam, in specie de his disputaremus, sed cum praeclarae et accuratae nostrorum theologorum, praesertim vero D. Chemnicii in exam. concil. et in locis, de illis exstent commentationes; ideo hac quidem vice labore isto supersedebimus, praesertim cum praeter opinionem tractatus hic excreverit atque ex genere de speciebus facile judicari possit. Ceterum usus hujus doctrinae de bonis operibus non in γνώσει, sed in πράξει consistit. Justinus in paraen. ad Graecos p. 25. οὐχ ἐν λόγοις, ἀλλ' ἐν ἔργοις τὰ τῆς ἡμετέρας θεοσεβείας πράγματα. Cum tanta sit bonorum operum dignitas et utilitas cum necessitate pari conjuncta, ideo studium eorum vobis per omnem vitam debet esse commendatissimum. Lutherus tom. 4. Jen. Latin. p. 109: *Extra causam justificationis nemo potest bona opera a Deo praecepta satis magnifice commendare, quis enim vel unius operis, quod Christianus ex fide et in fide facit, utilitatem et fructum satis praedicare potest? Est enim pretiosius quam coelum et terra; ideo neque totus mundus in hac vita potest dignam mercedem reddere vel pro uno tali opere, neque mundus hanc gratiam habet, ut bona opera piorum magnifaciat, multo minus ut ea compenset.* Audiant hoc, qui per doctrinam de gratuita nostra coram Deo justificatione per solam in Christum fidem studium bonorum operum labefactari dicunt. Audiant hoc, qui in cursu bonorum operum segnes sunt ac remissi. Audiant hoc, qui contemtim de bonis operibus renatorum sentiunt ac loquuntur. Quisquis est verus Christianus, expendat quotidie causas, propter quas bona opera sunt necessaria, ac *dum tempus habet, operetur bonum ad omnes*, Galat. 6, v. 10; *suo enim tempore metet non deficiens*, v. 9. *Congrega tibi divitias* (scribit Ephraem Syrus lib. 1. de compunct. cordis c. 8.) *et thesaurum, quem fur nunquam continget, praemitte in coelum. Nam et principes terrae, si voluerit quisquam eorum in regionem abire longinquam, praemittunt famulos suos cum patrimonio suo* etc. Deus bona opera a nobis exigit severissime, Exod. 20, v. 3. etc. eadem habet grata et accepta benignissime, Rom. 12, v. 1. etc. eadem remuneratur largissime, 1. Tim. 4, v. 8. etc. nobis ergo convenit illis studere obsequentissime.

Usus doctrinae de bonis operibus.

147. Ex his, quae hactenus copiose disputata sunt, talem colligimus bonorum operum definitionem. Bona opera sunt actiones renatorum tam interiores quam exteriores, divinitus in lege praeceptae, efficacia Spiritus sancti praelucente vera in Christum fide factae hoc fine, ut obedientia et honor Deo praestetur. In illis uti divites simus, Deo cari, proximo commodi, faxit is, a quo solo omnis bene operandi facultas pendet, qui jubet quod vult et dat quod jubet, qui quod ex gratia in nobis ac per nos operatur, id ipsum etiam ex gratia coronat, laudandus in secula. Amen.

Defini bonor operu

Soli Deo sit gloria,
In sempiterna secula.

LOCUS DECIMUS OCTAVUS

DE SACRAMENTIS.

I.

Cum primi generis nostri parentes diaboli impulsu ac liberae voluntatis abusu in peccatum prolapsi a Deo creatore sese avertissent, ac vi divinae comminationis prohibitioni de non comedendo vetitae arboris fructu additae non modo se, sed omnes insuper posteros, qui in lumbis ipsorum adhuc erant, temporalis et aeternae mortis reos fecissent: clementissimus Deus ex arcana majestatis suae sede prodiens evangelicam de semine mulieris serpentinum caput contrituro promissionem ipsis protulit, ut ex morte ad vitam, ex inferni faucibus ad coelum, ex barathro desperationis ad paradisum laetitiae eos revocaret. Haec promissio evangelica cum fidem requirat et vero per lapsum illum nunquam satis dolendum tanta ac tam horribilis omnium animae virium corruptio in nos introducta sit, ut non solum mens humana Deum creatorem salutariter agnoscere ac vitam vitae investigare ex se ipsa nequeat; sed et voluntas a Deo aversa de promissionibus divinis perpetuo dubitet, ideo misericordissimus Deus et hominum saluti et fidei nostrae imbecillitati consulens, non contentus voluntatem suam plusquam paternam verbo evangelicae promissionis manifestare, externis insuper signis eandem confirmatam dedit, ut id, quod de salute nostra in verbo proponitur, externo signo confirmatum, firma et immota fide a nobis apprehenderetur, omnisque ex animis nostris dubitatio excluderetur.

2. *Si incorporeus esses*, scribit Chrysostomus hom. 60. ad pop. Antioch. et homil. 83. in Matth. *nude tibi ipsa dona incorporea (Deus) tradidisset, quoniam vero conjuncta corpori est anima tua, insensibilibus intelligenda tibi traduntur.* ** Nazianzenus orat. 40: *Διττῶν δὲ ὄντων ἡμῶν, ἐκ ψυχῆς λέγω καὶ σώματος, καὶ τῆς μὲν ὁρατῆς, τῆς δὲ ἀοράτου φύσεως· διττὴ καὶ ἡ κάθαρσις, δι ὕδατος δέ φημι καὶ πνεύματος, τοῦ μὲν θεωρητῶς τε καὶ σωματικῶς λαμβανομένου, τοῦ δὲ ἀσωμάτως καὶ ἀθεωρήτως συντρέχοντος. Quandoquidem duabus partibus, hoc est animo et corpore, constamus, quarum altera in adspectum cadit, altera oculorum sensum fugit; duabus quoque rebus constat baptismus, aqua scilicet et Spiritu, illa visibili et corporeo modo accepta, hac vero incorporeo et inconspicabili concurrente.* Augustinus lib. 8. de Genesi ad lit. c. 4: *Erat ergo et lignum vitae quodammodo petra Christus, nec sine mysteriis rerum spiritualium corporaliter praesentatis voluit hominem Deus in paradiso vivere. Erat ei ergo in lignis caeteris alimentum, in illo autem sacramentum.* ** Ut ergo hominem, cum in statu concreatae integritatis adhuc consisteret, et verbo et signo externo ad debitum obsequium sibi praestandum adstrinxerat; ita post lapsum et verbo promissionis eundem restituit et signo externo fidem ejus confirmavit, siquidem promissioni de semine mulieris, hoc est de Messia caput serpentis contrituro, id est opera diaboli destructuro ac sua obedientia et morte amissam justitiam et vitam restituturo, addidit signum externum, ritum scilicet sacrificandi, quem non humano arbitrio excogitatum, VIII. 201.
sed divinitus sancitum fuisse, immotis documentis in tract. de legibus ceremon. et forens. §. 14. comprobavimus. Quando enim Deus ex pellibus occisorum animalium *vestes primis parentibus paravit*, Gen. 3, v. 21. eo ipso ritum mactandi et immolandi animalia ipsos docuisse statuendum, quae sacrificia in fide oblata sibi grata fuisse, igne coelitus demisso eadem absumens manifestissimo signo comprobavit, ita namque textum Hebraeum Gen. 4, v. 4. Theodotion reddidit: *et inflammavit Dominus super Abel et super sacrificium ejus*, respiciens dubio procul ad similes historias, in quibus igne coelesti itidem sacrificia absumta leguntur, Gen. 15, v. 17. Levit. 9, v. 24. 1. Reg. 18, v. 38. 2. Paral. 7, v. 1. Post diluvium proponit Deus Noae verbum promissionis et arcum coelestem addit *in signum foederis*, Gen. 9, v. 13. Secuta deinde fuit institutio circumcisionis Genes. 17. et agni paschalis Exod. 12. quibus in Nov. Test. successit baptismus et coena dominica, quae dicuntur *sacramenta sive mysteria, verba*

visibilia et invisibilis gratiae visibilia signa, Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 16. et in Levit. quaest. 84. Siquidem per ea oculis quodammodo subjicitur, quod auribus per verbum annuntiatur. Quare cum de primariis duobus verbi coelestis capitibus, de lege scilicet atque evangelio, per quae poenitentiam et fidem justificantem Spiritus sanctus in cordibus hominum operatur, late dictum fuerit hactenus; restat, ut ad doctrinam sacramentorum explicandam accedamus.

Etymologia vocis sacramenti. 3. Sacramentum Vegetius lib. 2. de re milit. c. 5. deducit *a sacrando*, id est dedicando, initiando, consecrando. Ut enim ab ornando ornamentum, a medicando medicamentum, a jurando juramentum, a testando testamentum; ita a sacrando sacramentum,
Ὁμωνυμία. quod referente Varrone lib. 4. de ling. Lat. p. 42. veteribus significabat certam pecuniae summam apud judicem a litigantibus depositam hoc fine, ut qui sponsione seu judicio vicisset, suum depositum integrum reciperet, alterius vero fisco cederet, atque hac ratione temeritas litigantium coërceretur. ** Usus vocabuli hujus est triplex: *1. Politicus*, 1. pro certa pecuniae summa apud pontificem a litigantibus deposita sub conditione, ut qui vicerit suam partem recipiat, victi vero pars fisco addicatur; 2. pro juramento militari; 3. pro quovis juramento. *2. Biblicus* pro mysterio seu re arcana Eph. 1, v. 9. c. 5, v. 32. 1. Tim. 3, v. 16. Apoc. 17, v. 7. *3. Ecclesiasticus*, 1. pro quovis rei sacrae signo; sic crucis signum vocatur *sacramentum* Augustin. in Psalm. 141; 2. pro solenni actione sacra divinitus instituta, in qua per externum et visibile signum applicatur et obsignatur promissio evangelii propria.** Barnabas Brissonius lib. 5. de formulis solenn. pop. Roman. pag. 360. notat, id maxime locum habuisse, quando altero possessionem aut restitutionem petente alter inficiabatur, tunc enim actor dicere solebat: *quoniam negas*, *sacramento quinquenario te provoco*, quo facto uterque quingentos aeris ad pontem (apud pontificem) deponebat; qui judicio vicerat, suum sacramentum a sacro auferebat, victi ad aerarium redibat ac rebus divinis impendebatur; quidam non deponebant illam pecuniam, sed simpliciter spondebant, cujus sponsionis solennia fuere: S. N. S. Q., i. e. *si negant*, *sacramentum quaerito*. Hinc phrases Tullio usitatae *sacramento contendere* lib. 1. de orator. et lib. 7. fam. epist. 32; *sacramentum justum judicare* pro A. Caecina. Deinde notat haec vox solenne illud juramentum, quo milites certo ritu et praescriptis verbis adstringebantur reipublicae et magistratui, se
VIII. 202. omnia, quae imperator praeceperat, strenue facturos, nec signa militaria deserturos, hinc phrasis *obligare sacramento* Cicer. lib. 1. de offic. c. 11. Isidorus lib. 9. origen. c. 3: *Tria sunt militiae genera: sacramentum, evocatio, conjuratio. Sacramentum, in quo post electionem jurat unusquisque miles, se non recedere a militia, nisi post completa stipendia, hoc est militiae tempora.* Haec significatio ad nominis etymologiam proxime accedit, qui enim sacramentum, id est militare juramentum praestitissent, militiae sacrati, id est initiati et dedicati, vocabantur. Denique in genere ad quodvis juramentum sacramenti nomen transferri coeptum. Paulus grammaticus pag. 418: *Sacramentum dicitur, quod jurisjurandi sacratione interposita geritur*, hinc phrases *sacramento interrogari*, *sacramento diceretur* de iis, qui mediante juramento adiguntur, ut veritatem edisserant; *sacramento solvere* apud Quintil. lib. 12; *sacramento teneri* apud Sueton. in Caes.

4. In jure civili sacramentum idem significat, quod juramentum vel jusjurandum lib. 2. §. miles ff. de his qui notant. infam. lib. 14. ff. de his quibus ut ind. Vult. lib. ff. de re milit. qu. 32. hinc *sacramenti religione* in arbitris lib. 4. in pr. C. de recept. arbitr. l. vetustissima 3. §. 5. C. de jur. dominii impetr. l. ab administratione 8. C. de legat. *sacramenti praestatio et recusatio*, l. cum judex. 11. C. de sent. et interl. *sacramentum dare, inferre, imponere, subire et recusare*, l. generaliter in pr. §. 1. et 2. C. de rebus creditis etc. Multa autem sunt genera sacramentorum: primum est *sacramentum principale*, lib. 12. in princ. C. de reb. cred. quando pars parti sacramentum defert; alterum *sacramentum relationis* eadem lib. 12. §. 1. quando juramentum delatum pars altera ei refert, qui detulit; tertium *credulitatis*, quartum *militiae*, quintum *factionis*, l. Quisquis C. ad l. Jul. etc.

5. Latinus bibliorum interpres Hebraeum סוֹד (quod proprie significat consilium, et quia consilia debent esse arcana et abscondita, inde generaliter usurpatur pro secreto), Chaldaeum רָזָא secretum, mysterium, unde רוֹזֵן consiliarius), Graecum *μυστήριον* **Μυστήριον unde dictum.** (vel *ἀπὸ τοῦ μύσους*, quod scelus et exsecrationem significat, ut Clemens Alexandrinus in orat. exhortat. ad gentes; Eusebius lib. 2. de praeparat. evangel. c. 5. deducunt, sacra gentilium exsecrari; vel quasi *μυθήριον*, quod gentiles in sacris fabulas sectarentur; vel *ἀπὸ τοῦ μυεῖν*, quod est sacris initiare, unde sacrorum antistites mystae dicti sunt; vel *παρὰ τὸ μύειν τὸ στόμα*, os concludere, ut pro re arcana nec omnibus divulganda accipiatur. Oportebat enim, ut inquit Eustathius, *τοὺς μυστὰς μύειν* **VIII. 203** *τὸ στόμα καὶ μὴ ἐκφαίνειν, ἃ μεμύηνται*: vel *ἀπὸ τοῦ δεῖν μύσαντας τηρεῖν ἔνδον*, id est quod oporteat intus occludentes observare; vel *παρὰ τὸ μυεῖν*, quod est docere honesta bonaque disciplina imbuere, quia mysteria non nisi per doctrinam cognoscuntur. Vide Erasmum in Chiliad. ante mysteria discedere), vertit J. per sacramentum Dan. 2, v. 18. 30. 47. c. 4, v. 6. 4. Esdr. 2, v. 7. Tob. 12, v. 7. Sap. 2, v. 22. c. 6, v. 24. c. 12, v. 6. Ephes. 1, v. 9. c. 3, v. 3. et 5. c. 5, v. 32. Col. 1, v. 27. 1. Tim. 3, v. 16. Apoc. 10, v. 7. c. 17, v. 7. alibi vero vertit per secretum Esa. 24, v. 16. (ubi rectius per maciem vertisset; Thargum tamen itidem vertit per secretum). Amos. 3, v. 7. Proverb. 25, v. 9. etc. Quandoque vocem Graecam mysterii retinuit Dan. 2, v. 19. 27. 28. 29. 47. Matth. 13, v. 11. Marc. 4, v. 11. etc. Quamvis igitur vox sacramenti in Latina bibliorum ver-

sione occurrat, proprie tamen et specifice non usurpatur de externis illis ac visibilibus invisibilis gratiae signis, de quibus hoc loco agimus, sed a scriptoribus ecclesiasticis ad ea demum translata est, quemadmodum et vox μυστηϱίου a superstitiosis Graecorum ritibus ad meliorem usum in ecclesia accommodata ac veluti jure civitatis sacrae donata est. Absit enim, ut Carolstadii errorem probemus, qui sacramenti appellationem, cum sit ἄγϱαφος, simpliciter rejectam voluit, quem diligenter refellit D. Lutherus in lib. contra coel. proph. Bellarminus lib. 1. de sacram. cap. 7. probare conatur, Lutherum initio ab hoc nomine abhorruisse, cum in lib. de capt. Babylon. c. de matrim. statuat, *in Scriptura non haberi nomen sacramenti in ea significatione, qua hic usurpatur;* atqui utrumque verum, utrumque a Luthero acceptatur; quamvis enim nomen sacramenti non habeatur in Scripturis, tamen res ipsa hoc nomine denotata in eis habetur. Alia ratio est appellationis sacrificii, cujus nec nomen, nec res sive propria requisita sacrae coenae in Scripturis tribuuntur. Rectius fecisset Bellarminus, si Cinglio Carolstadianam hujus vocabuli rejectionem adscripsisset; is enim in lib. de vera religione p. 2. operum pag. 197. sic scribit: *Vocem istam sacramenti magnopere cupiam Germanis nunquam fuisse receptam, nisi germane esset accepta;* rationem subjungit: *Cum enim hanc vocem sacramentum audiunt, jam aliquid magnum sanctumque intelligunt, quod vi sua conscientiam a peccato liberet.*

6. In usu ecclesiastico sacramenti vocabulum tripliciter potissimum usurpatur: *1. Generalissime* pro re arcana et secreta, ut apparet ex Latina Bibliorum translatione. 1. Tim. 3, v. 16. Apoc. 17, v. 7. et alibi passim. Hoc sensu Tertullianus lib. 4. contra Marc. Christianismum vocat *religionis Christianae sacramentum.* Hieronymus tom. 9. pag. 69: *Sacramenta Dei sunt praedicare, benedicere ac*
VII. 24. *confirmare, communionem reddere, visitare infirmos, orare.* Augustinus in enarrat. Psalm. 33. et alibi passim mysticam sive allegoricam Scripturae expositionem vocat *sacramentum.* *2. Specialius* accipitur pro quovis rei sacrae signo, si vel maxime non sit divinitus in N. T. institutum, sed vel ex veteri desumptum, ut chrisma; vel a piis viris excogitatum, ut signum crucis. Augustinus lib. 2. contra lit. Petil. c. 104. *unctionem* appellat *sacramentum,* idque discernendum dicit ab invisibili unctione caritatis. lib. 19. contra Faustum cap. 14. *signum crucis* inter sacramenta numerat. in enarrat. Psalm. 141. et addit rationem, *quia in fronte erubescitur, ipsam ignominiam quodammodo et quam pagani derident, in loco pudoris nostri constituit, ne de cruce erubescamus.* lib. 4. de symb. ac catechum. cap. 1. et in Psalm. 65. omnes *ritus,* qui in actione *baptismi* tunc temporis adhibebantur, vocat sacramenta. Inde Lombard. in genere definit. lib. dist. 1. B. sacramentum est *sacrae rei signum.* *3. Specialissime* et maxime proprie accipitur pro solenni actione divinitus instituta, in qua per externum et visibile signum applicatur et obsignatur promissio evangelii propria; quo sensu duo tantum N. T. numerantur sacramenta, baptismus et coena Domini. Augustinus lib. 3. de doctr. Christ. c. 9: *Pauca pro multis eaque factu facillima et intellectu augustissima et observatione castissima ipse Dominus et apostolica tradidit disciplina, sicut est baptismi sacramentum et celebratio corporis et sanguinis Domini.* In jure canonico usurpatur sacramentum 1. Pro *juramento* c. Qui sacramento 22. qu. 4. 2. In genere pro *mysterio*, nempe sacro secreto. c. Multi. 1. qu. 1. 3. Pro *signo visibili invisibilis gratiae* c. sacrificium de consecrat. dist. 2.

7. Primus, qui appellationem sacramenti ad signa gratiae divinitus instituta accommodavit, videtur fuisse Tertullianus, qui ad martyres de abrenuntiatione, quae fit in baptismo, et de reliquis interrogationibus inquit: *Vocati ad militiam in sacramenti verba respondimus* lib. de corona militis. *Credimusne, humanum sacramentum divino superduci licere et in alium Dominum respondere post Christum?* ubi alludit ad militarem hujus vocis significationem. Quemadmodum enim milites jurati imperatori exercitus fidem et obedientiam debent; ita baptizati Deo se obligant, quod sub vexillis Christi contra Satanam strenue sint dimicaturi; quin etiam quoties in sacra coena sanguinem Christi bibimus, toties ad profundendum nostrum in casu confessionis sanguinem nosmet ipsos obstringimus. Augustinus symbolum sive summam doctrinae Christianae, in quam per baptismum Christiani obligantur, vocat sacramentum de symbol. ad catech. lib. 3. c. 1. Sacramentum symboli, quod accepistis memoriaeque mandatum pro vestra salute retinetis, noveritis hoc esse fidei catholicae fundamentum. (Schardius in Lexico in verbo sacramenti: *sicut olim milites se juramento adstringebant suo duci, quod illi sacra-* VIII. 205.
mentum vocaverunt; ita nos quoque in baptismo et coena Christo duci ad spiritualem militiam obligamur.) Quin imo duplex veluti juramentum in nostris sacramentis animadverti potest: unum ex parte Dei juramento se nobis in Filio et propter Filium obligantis et hanc promissionem solenni ritu confirmantis, quod propitius nobis sit futurus; alterum ex parte nostri, quod pollicemur, nos juxta formam foederis ipsum culturos, Satanae vero adversarios perpetuos futuros. D. Chemnicius in exam. concil. Trident. part. 2. cap. de vocab. sacrament. hanc tradit appellationis rationem: *Graeci baptismum et coenam dominicam vocant μυστήϱια, quia sub elementis visibilibus offertur et exhibetur arcano modo gratia spiritualis, quae sensibus non apprehenditur et ratione non intelligitur, sed ex sola verbi revelatione fide cognoscitur. In sacramentis aliud videtur, aliud intelligitur,* dicunt veteres, quod *videtur, speciem habet corporalem; quod intelligitur, fructum habet spiritualem.* Et appellatio mysteriorum in hac significatione in vulgari ecclesiae sermone recepta et usurpata fuit propter hanc etiam causam,

Ratio appellationis.

quia ethnici peculiares illos ritus, quibus ad idololatricas religiones suos initiabant, vocabant appellatione vulgo tunc trita μυστήρια, inde Latini scriptores utrumque vocabulum et mysteriorum et sacramentorum in hoc usu transtulerunt in sermonem ecclesiasticum. In jure canonico c. Multi 1.. q. 1. ex Isiodoro lib. 6. etym. c. 19. annotatum, sacramenta *a secretis virtutibus vel sacris* esse dicta, *quia sub tegumento corporalium rerum virtus divina secretius salutem operatur.* Sed et prima illa significatio, qua sacramentum usurpatur pro pecunia apud judicem a litigantibus deposita quodammodo huc referri potest. Quemadmodum enim pecunia illa fuit quasi pignus, quo inter se velut certo quodam foedere devinciebantur: Sic signa ista foederalia promissioni gratiae addita non solum de voluntate Dei nos certos reddunt, sed et fidem nostram certa lege ipsi obstringunt. Quemadmodum contendentes in judicio depositione illa pecuniae ad dilectionem obligabantur; sic et nostra sacramenta sunt fraternae dilectionis symbola.

Ὁμωνυμία vocis sacramenti in scriptoribus ecclesiasticis.

8. Porro haec vox de sacramentis specialissime sic dictis usurpata itidem diversimode a scriptoribus ecclesiasticis, cumprimis ab Augustino accipitur, quandoque enim usurpatur de tota sacramentali actione, *de re terrena et coelesti*, (ut Irenaeus loquitur lib. 4. cap. 34.) sacramentaliter unitis, quae significatio et propria est et frequentissima; quandoque vero συνεκδοχικῶς partem essentialem alteram notat, videlicet symbolum externum sive rem terrenam. Ita quoque res sacramenti quandoque notat salutarem sacramenti fructum, quandoque partem sacramenti essentialem alteram, videlicet rem coelestem. Usus hujus observationis in explicandis dictis veterum occurrit longe maximus. Sic quoniam dicunt, indignos accipere sacramentum, non autem rem sacramenti, nequaquam hoc volunt, quod tantum externa elementa percipiant, sed quod integrum quidem sacramentum, citra tamen spiritualem fructum, qui solis vere credentibus obtingit, percipiant. Augustinus lib. 3. contra Donat. c. 14: *Non interest, cum de sacramenti integritate et sanctitate tractatur, quid credat et quali fide imbutus sit ille, qui accipit sacramentum, interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad sacramenti quaestionem nihil interest.*

Συνωνυμία.

9. Sacramentorum proprie sic dictorum variae occurrunt appellationes, descriptiones ac periphrases in scriptis veterum. Vulgatissimum est apud ipsos sacramenta vocare signa. Augustinus lib. 10. de civ. Dei c. 5: *Sacramentum est sacrae rei signum* (quod repetit Bernhard. serm. de coena Domini et compend. theol. verit. lib. 6. c. 2.). Idem Augustinus epist. 5. ad Marcell. instituta a *Deo rerum divinarum signa humani eloquii inopia et facilioris doctrinae causa veteribus patribus dicta sunt sacramenta.* lib. 2. de doctr. Christ. c. 1: *Sacramentum est invisibilis gratiae visibilis forma* (quod repetit Lombard. lib. 4. sent. dist. 1. B.). lib. de catech. rud. c. 26: *Sacra-*
VIII. 206. *menta sunt visibilia rerum divinarum signacula.* in Levit. c. 9, v. 84: *Invisibilis gratiae visibilia sacramenta.* lib. 19. contra Faust. c. 16: *Quid sunt aliud corporalia sacramenta nisi quaedam quasi verba visibilia?* lib. 3. contra Maxim. c. 22: *Sacramenta sunt, in quibus non quid sint, sed quid ostendant semper attenditur, quoniam signa sunt rerum aliud exsistentia et aliud significantia.* Ubi observa 1. quando sacramenta integra dicuntur signa, tunc ea describi a fine, quod sint *signa obsignantia*, vel ut Augustinus confess. art. 13. loquitur *signa testificantia de Dei erga nos gratia;* inde Augustinus vocem signi alibi explicat per vocem signaculi (ut ex dictis allatis conspicuum) exemplo apostoli qui vocabulum אוֹת, σημεῖον, Genes. 17, v. 11. usurpatum per σφραγῖδα explicat Rom. 4, v. 11. Nequaquam igitur volunt, sacramenta esse nuda signa gratiam tantum significantia, sed signa obsignantia et confirmantia. **Triplicia signa in Scriptura considerantur: quaedam sunt *signa doctrinae* addita ad confirmandam veritatem et certitudinem fidei, ut sunt omnia miracula divina in V. et N. T. rubus ardens, pastoralis baculus in serpentem conversus, exsiccatio maris rubri etc. quaedam vero sunt *signa irae* vel comminantia et praenuntiantia poenas propter peccata, ut eclipses, cometae, chasmata etc. vel punientia eaque vel spiritualia, ut haereses, sectae, distractiones, vel corporalia ut λιμὸς, λοιμὸς, πόλεμος, morbi multiplices, quibus castigat nos Deus ut convertamur; quaedam porro sunt *signa gratiae* adjecta promissionibus, id est mysteria sive sacramenta, ut baptismus et coena Domini. Selneccerus in instit. pag. 489.** 2. Quando in sacramentis N. T. partem sacramenti essentialem alteram, puta rem terrenam sive externum elementum vocant signum, iterum non intelligunt signum nude σημαντικὸν rei coelestis absentis (hoc enim sensu figuram et signi vocem diserte rejiciunt) ut apparet ex Theophylacto in c. 26. Matth. et Johanne Damasceno lib. 4. orth. fid. sed μεταδοτικὸν, παρεκτικὸν ac προσφερόμενον rei coelestis vere praesentis et sacramentaliter visibili elemento unitae. Signum enim est quod signat, et rei signatae invisibilitatem, non autem absentiam praesupponit. Definiente Augustino lib. 2. de doctrina Christ. c. 1: *Signum est res praeter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud in cogitationem ex se venire faciens.* Luc. 2, v. 12. panni et praesepe dicuntur signa, cum tamen non solum pastoribus promissiones de Messia in mentem revocarent, vel salvatorem natum esse tantummodo designarent, ut miraculosa illa stella magis in oriente apparens Matth. 2, v. 9; sed involutum ac praesentem cominus exhiberent. Arca propitiatorii testabatur de gratiosa Dei praesentia; columba significabat, adesse Spiritum sanctum, qui sub illa specie externa vere aderat; in medio rubi ardentis loquebatur praesens Deus; in columna nubis et ignis aderat Israëlitis Dei Filius; sic et sacramenta non sunt absentis Christi significata, sed praesentis exhibitiva. *Ubicunque consecravero,* אַזְכִּיר, *memoriam nominis mei, ibi veniam ad te et benedicam tibi*, ait Dominus

Exod. 20, v. 24. quam promissionem David Psalm. 111, v. 4. ad ritum agni paschalis et Christus Luc. 22, v. 19. ad sacram coenam non obscure accommodat. Inde Beza fatetur p. 2. quaestionum qu. 50: *Quod realis sive rei ipsius ac substantiae praesentia in certo loco et sacramentalis praesentia non sint perpetuo repugnantes.*

Sacramenta quare dicuntur miracula.

10. Chrysostomus et alii ex veteribus nomen miraculi sacramentis, praesertim vero coenae dominicae tribuunt: 1. Quia quicquid est mysterium superat naturam, quo axiomate etiam Sadeel utitur. Jam vero quod supra naturam, id miraculosum est. 2. Ratio et sensus non adsequuntur divinae institutionis et actionis sublimitatem, quin potius contra illam toto impetu feruntur. 3. Modus praesentiae et manducationis corporis Christi in sacra coena est mirabilis omnem humanum captum excedens. 4. Effectus mysteriorum est admirandus fidem scilicet excitare, augere, confirmare, testificari de gratia Dei, remissione peccatorum et vita aeterna. Notandum

VII. 207.

autem, miracula differre a sacramentis in his capitibus: 1. Illa faciunt mutationem substantiae aut qualitatis, quae naturaliter rei inest; in his vero non substantiae, sed usus fit mutatio. Theodoretus dial. 1: οὐ τὴν φύσιν μεταβαλών, ἀλλὰ τὴν χάριν τῇ φύσει προστεθεικώς. 2. Illa sunt certi temporis; haec vero pertinent ad omnia tempora ecclesiae. 3. Illa pertinent ad certas personas, haec vero ad universam ecclesiam. 4. Illa judicio sensuum sunt exposita, sed quae in his offeruntur bona, non in sensus incurrunt, sed fide percipiuntur. Inde Augustinus lib. 3. de trinitat. c. 10: *Sacramenta honorem tanquam religiosa habere possunt.* Damascenus lib. 4. orthod. fid. c. 14. vocat sacramenta, praesertim vero coenam dominicam ἁγνὰ καὶ ἄχραντα μυστήρια, sacra et incontaminata mysteria. Alii ex veteribus appellant φρικτὰ μυστήρια, tremenda mysteria, quod repetit Jeremias patriarcha Constantin. Resp. 1. ad theolog. Wurtemb. Hugo lib. 1. de sacrament. p. 9. c. 5. talem tradit definitionem: *Sacramentum est materiale elementum extrinsecus oculis suppositum ex institutione significans, ex similitudine repraesentans, ex sanctificatione aliquam gratiam invisibilem conferens.* N. T. sacramenta vocantur a veteribus ἀντίτυπα respectu scilicet habito ad V. T. sacramenta, quae enim haec adumbrabant et significabant, id illa praesens nobis exhibent. Inde Augustinus in Psalm. 73. sacramenta V. T. vocat *praenuntiativa futuri*, sed sacramenta N. T. *annuntiativa Christi exhibiti.* Petrus 1. epist. 3, v. 21. baptismum vocat ἀντίτυπον arcae Noachi, nimirum quia conservatio hominum in arca tempore diluvii est typus conservationis fidelium ab irae divinae diluvio per baptismum.

Requisita sacramentorum.

11. Ceterum cum generalis doctrina de sacramentis ex iis, quae in specie de singulis in Scriptura habentur, deducenda sit, ideo primo omnium de requisitis vere et proprie sic dictorum sacramentorum tractandum erit, ut, posteaquam constat, quae sint proprie dicta sacramenta, de eorum auctore, dispensatore, forma et finibus in genere tractari possit, perinde ut de libris canonicis, qui nomine Scripturae sacrae proprie veniunt, prius agendum, antequam ad Scripturae perfectionem, perspicuitatem, auctoritatem etc. demonstrandam descendatur. Dicimus igitur, ad sacramenta proprie sic dicta duo potissimum requiri, videlicet *verbum* et *elementum*, juxta vulgatum illud Augustini: *Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum*, tractat. 80. in Joh. Fundamentum hujus assertionis ex ipsa natura et fine sacramentorum pendet, cum enim sacramenta id, quod in verbo evangelii praedicatur, externo elemento vestitum sensibus ingerere debeant, ex eo sponte sequitur, quod nec verbum sine elemento, nec elementum sine verbo constituat sacramentum.

Verbum et elementum.

Per verbum intelligitur primo mandatum atque institutio divina, per quam elementum, *quia percepit vocationem Dei*, ut loquitur Irenaeus lib. 4. c. 34. separatur ab usu communi et destinatur usui sacramentali; deinde promissio atque ea quidem evangelio propria, per sacramentum applicanda et obsignanda. Per elementum non quodvis, sed certum et verbo institutionis expressum accipitur. Haec membra latius deducit D. Chemnicius part. 2. ex concil. Trident. cap. de numer. sacrament. p. 14: *Baptismus et eucharistia* (inquit) *omnium confessione vere et proprie sunt sacramenta, inde igitur colligimus, quae tanquam substantialia requirantur, ut aliquid vere et proprie sit sacramentum N. T. haec enim erit simplicissima et certissima demonstratio. Ut igitur aliquid sit vere et proprie sacramentum N. T. sicut est baptismus et eucharistia, requiritur: 1. Ut habeat externum aliquod materiale seu corporale et visibile elementum sive signum,*

Verbum 1. Mandati.

2. Promissionis.

VIII 208.

quod certo externo ritu tractetur, exhibeatur et usurpetur. 2. Ut elementum seu signum illud et certus ejus ritus habeat expressum mandatum divinum seu institutionem divinam. 3. Ut institutum et mandatum sit in N. T. 4. Ut non ad tempus institutum sit, sed usque ad consummationem seculi. 5. Requiritur ad sacramentum promissio divina de gratia, effectu seu fructu sacramenti. 6. Illam promissionem oportet non simpliciter, nude et per se tantum habere testimonium in verbo Dei, sed oportet eam divina ordinatione annexam esse signo sacramenti et eo quasi vestitam esse. 7. Promissionem illam non oportet esse de quibusvis donis Dei sive corporalibus sive spiritualibus, sed promissionem gratiae seu justificationis, hoc est gratuitae reconliationis, remissionis peccatorum et in summa de toto beneficio redemptionis, 8. Illa promissio in sacramentis non in genere tantum vel significatur vel annuntiatur, sed virtute Dei offertur, exhibetur, applicatur et obsignatur etiam singulis, qui fide sacramentis utuntur. Haec Chemnicius.

Objectiones Bellarmini contra Chemnicium de requisitis sacramentorum.

12. Bellarminus lib. 1. de sacrament. c. 14. haec exagitaturus monet, nos in constituenda definitione sacramenti esse valde discordes. *Chemnicius* (inquit), *qui alioquin conatur tegere vel conciliare discordias* suorum in 2. part. exam. in cap. de efficac.

sacramentorum *enumerat quinque diversas sententias Lutheranorum praeter suam, quae est sexta.* Respondemns: non nostrorum, sed Scholasticorum et Zwinglianorum discordias et opiniones Chemnicius ibidem enumerat, ut cuilibet primo intuitu manifestum est. *De efficacia sacramentorum* (inquit) *quomodo seu qua ratione offerant, exhibeant, applicent et obsignent gratiam, inter scholasticos scriptores variae fuerunt disputationes. Quidam enim, ut Alensis, Thomas, Durandus, senserunt, ipsis externis sacramentorum elementis per verbum conferri virtutem quandam supernaturalem, quae non sit relatio seu ordinatio Dei, quod per sacramenta tanquam per causas instrumentales Deus efficacia Spiritus velit conferre gratiam, sed quod sit virtus supernaturalis et spiritualis absolute haerens in corporalibus sacramentorum elementis, per quam influant et agant in animam sive effective sive dispositive. Illa vero opinio etiam inter scholasticos scriptores non fuit omnibus probata, ut Bonaventurae, Richardo* etc. *et fuerunt praeterea, qui virtutem sacramentorum in ipso opere, quo sacramenta celebrantur vel suscipiuntur, constituerunt, ita ut sacramenta dicerentur conferre gratiam ex dignitate et merito operis, quod exercet vel ille qui celebrat, vel ille qui suscipit* etc. *Nostro vero tempore quidam, dum hasce pontificias opiniones vehementius refutare voluerunt, nimium deflexerunt in partem sinistram. Disputaverunt enim, sacramenta nihil aliud esse quam signa et notas Christianae professionis, quibus a Judaeis et paganis discernantur. Quidam censuerunt, sacramenta tantum esse Christianae societatis symbola, quibus ad mutuam communicationem officiorum excitemur et obstringamur. Alii in usu sacramentorum nihil aliud spectari voluerunt, quam solas allegorias seu significationes Christianae mortificationis, regenerationis, vivificationis. Sunt qui videri volunt de sacramentis honorifice sentire et tamen docent, sacramenta tantum esse signa gratiae jam antea ante et extra usum sacramentorum collatae. Huic affinis est et illorum opinio, qui existimant, usum sacramentorum tantum per modum commonefactionis excitare fidem, quae alibi et alio modo, non in vero sacramentorum usu, quaerat et accipiat gratiam.* Demum subjungit Chemnicius: *Has opiniones ideo recensui, ut ex antithesi vera sententia rectius intelligatur, praecipue vero ideo, quia video, Pontificios in suis de hac quaestione disputationibus fanaticorum opiniones insidiose commiscere cum nostrarum ecclesiarum confessione, cum tamen apologia Augustanae confessionis sententiam suam ex verbo Dei exstructam diserte sejungat a fanaticorum profanis opinionibus.* Haec omnia Chemnicius, ex quibus sole meridiano clarius patet, non Lutheranorum discordias, sed Scholasticorum et nostri temporis fanaticorum opiniones ipsum enumerare, quod adeo
VIII. 209. manifestum, ut ipse Bellarminus c. 15. et 16. seqq. Anabaptistis, Zwinglio et Calvino illas opiniones tribuat et a Lutheranorum sententia sejungat, sibi manifeste contradicens.

13. Postea aggreditur Bellarminus singula membra horum requisitorum, quae antequam excutiamus, tantum quod ipse Bellarminus lib. 1. de poenitent. c. 11. concedat, ex *baptismo et coena recte judicari de conditionibus sacramenti. Proinde hanc procedendi viam in Chemnicio improbare* non poterit. Sed videamus, quid hoc loco singulis membris opponat. *1. Prima particula* (inquit) *vel accipit elementum visibile et tractabile pro qualibet re sensibili, et tum etiam absolutio erit sacramentum, est enim res sensibilis, cum auribus percipiatur; vel accipit elementum visibile et tractabile pro re, quae sensu videndi et tangendi percipitur, et tum fingit sibi definitionem sine ullo testimonio Scripturae.* Respondemus: In absolutione non habetur elementum aliquod externum visibile divinitus institutum, sed fit applicatio promissionis generalis per verbum speciale, quod non posse elementi externi nomine venire ostendimus in tractatione de poenitentia §. 23. Si quaelibet res sensibilis, etiam ea, quae auditus sensu percipitur, sufficit ad elementum externum constituendum, etiam evangelii praedicatio erit sacramentum proprie sic dictum. Si verbum absolutionis est elementum sacramentale, regula Augustini ita poterit formari: Accedat verbum ad elementum, et fit sacramentum. De tota hac re d. l. plura. Ipse Bellarminus 1. de sacram. c. 11. §. tertia: *Per elementum in definitione sacramenti intelligitur res quaelibet, ut a verbo distinguitur, juxta illud Augustini: Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum.* (Atque in absolutione non potest ostendi res quaedam a verbo distincta.)

Contra primum requisitum.

14. *Secunda particula* (inquit), *quae requirit expressum mandatum ac institutionem divinam aut requirit, ut hoc mandatum sit expressum in Scripturis, aut satis est, si constet, Deum hoc mandatum dedisse, licet in sacris literis non habeatur ita expresse. Si hoc secundum sufficit, admittimus particulam, sed tunc probabimus omnia septem sacramenta. Sin autem vult Chemnicius ut revera se velle significat, requiri mandatum Dei expressum in divinis literis, falsa est illa particula* (magnum verbum: articuli fidei omnes et singuli in Scripturis sacris continentur, ut suo loco comprobatum dedimus; jam vero institutio sacramentorum pertinet ad fidei articulos; utique ergo in Scripturis continetur.) *At*, inquit Bellarminus, *per accidens est ad mandatum seu institutionem divinam, quod sit scripta vel non scripta, alioquin non fuissent vera sacramenta baptismus et eucharistia, quam Christus et apostoli dabant, antequam scriberentur evangelia.* Respondemus: de tota hac re alibi tractatur. Constituto sacrarum literarum canone extra eum nihil agnoscimus, quod ut N. T. sacramentum institutum sit. Accidit quidem verbo et mandato Dei scribi vel non scribi, ex eo autem nondum sequitur, extra Scripturam aliquod verbum Dei non scriptum,

Contra secundum requisitum.

priori contrarium vel superadditum, quaerendum esse. Etsi enim tempore Christi et primis annis apostolicae ecclesiae institutio sacramentorum N. T. nondum fuerit in literas redacta, alia tamen ratio est sequentium temporum post scriptum et constitutum N. T. canonem.

Contra tertium requisitum. 15. *Tertia particula* (inquit), *ut haec institutio sit in N. T. vera quidem est absolute, sed destruit sententiam adversariorum, quia docent, baptismum Johannis habuisse eandem vim et efficaciam cum baptismo Christi ac proinde Christum non tam instituisse baptismi sacramentum, quam illud a Johanne institutum approbasse, qua ratione baptismus non erit sacramentum in N. T. institutum, quippe Christus est auctor et princeps N. T.* Esa. 11. Hebr. 9. Respondemus: ministerium et baptismus Johannis pertinuit utique ad N. T. sic enim diserte apud Marcum c. 1, v. 1: *Initium evangelii Jesu*
VIII. 210. *Christi Filii Dei* (hoc est publici et solennis illius praeconii de Christo exhibitio in N. T. praedicari coepti); v. 2: *Sicut scriptum est in Esaia propheta: ecce ego mitto angelum meum ante faciem meam* etc. v. 4: *Fuit Johannes in deserto baptizans et praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum.* Expendimus dictum Christi Matth. 11, v. 13: *Omnis lex et prophetae usque ad Johannem prophetarunt;* ergo V. T. ante Johannis ministerium desiit, unde v. 9. dicitur *plus quam propheta*, quia non propheticavit de Christo post aliquot annos demum venturo, sed digitio ipsum praesentem ostendit, Joh. 1, v. 29: *Ecce agnus Dei;* inde initium praedicationis ipsius sic describitur, quod dixerit *appropinquasse regnum coelorum.* Matth. 3, v. 2. quam esse descriptionem N. T. patet ex praedicatione Christi Matth. 4, v. 17. Cumprimis ex Rom. 13, v. 12: *Nox praecessit, dies appropinquavit.* Adde, quod *esca Johannis fuerint locustae.* Matth. 3, v. 4. qui cibus in lege ceremoniali V. T. erat prohibitus, ut ipso facto ostenderet, V. T. cujus pars essentialis erant leges ceremoniales, finem suum esse sortitum. Sic Zaccharias in hymno suo, quem tempore nati Johannis Spiritu dictante composuit, *orientem* illuxisse praedicat, id quod tempori umbrarum in V. T. opponitur. Col. 2, v. 17. Hebr. 10, v. 1. Inde Irenaeus lib. 3. adv. haeres. c. 11. Johannem dicit *simul fuisse prophetam et apostolum, utpote qui praenuntiaverit Christum ut propheta ac digito eum monstrarit ut apostolus.* Tertullianus advers. Marc. lib. 4. p. 272. vocat eum *limitem, in quo cessaverit Judaismus et coeperit Christianismus.* Macarius homil. 28. vocat eum *complementum omnium prophetarum.* Nazianzenus orat. 39. in s. lum. vocat eum *μεσίτην τῆς παλαιᾶς καὶ καινῆς διαθήκης.* Nec est, quod dubitetur, an baptismus Johannis fuerit a Christo institutus, cum constet, baptismum Johannis a vero Deo institutum esse. Matth. 21, v. 25. Luc. 3, v. 3. c. 7, v. 30. Joh. 1, v. 23. 26. 33. jam vero Christus est unus ille verus cum Patre et Spiritu sancto Deus; ergo ab institutione illa non est sequestrandus ac proinde non desinit esse vel Pater futuri seculi Esa. 9, v. 6. vel mediator N. T. Hebr. 9, v. 15. si vel maxime Johannis ministerium ad N. T. referatur. Bellarminus allegat c. 11. Esa. loco 9. et nomen auctoris ponit loco mediatoris Hebr. 9, v. 15. ut speciem aliquam argutiolae suae conciliet.

16. Quartae particulae, quod sacramentum debeat esse ceremonia perpetua, opponit Bellarminus, quod Lutherus in lib. de cap. Babylon. cap. de baptismo *rorem cadentem in vellus Gedeonis et umbram retrocedentem in horologio Achaz sacramentis annumeret.* Respondemus: Verba Lutheri sic habent tom. 2. Lat. Jen. p. 272: *Ea signa, quae in patriarchis et patribus facta sunt, longe discernenda a figuris legalibus, quas Moyses in lege sua instituit, quales sunt ritus sacerdotales in vestibus, vasis, cibis, domibus et similibus. Ab his enim non modo longissime differunt novae legis sacramenta, sed et ipsa signa, quae pro tempore Deus patribus dedit in lege viventibus, quale fuit Gedeonis in vellere, Manoae in sacrificio, quale et Esaias obtulit Achas* Esa. 7. *in iis enim simul promittebatur aliquid, quo fides in Deum exigebatur.* Ex quibus patet, Lutherum manifeste distinguere inter sacramenta ordinaria et miracula illa extraordinaria. Quodsi vel maxime rorem cadentem in vellus Gedeonis et umbram retrocedentem in horologio Achaz sacramenta appellasset, in latiori quadam significatione sacramenti nomen usurpasset, pro quolibet scilicet signo externo fidem confirmante; proinde comparatio sacramentorum proprie sic dictorum cum illis miraculis non foret extendenda ultra illud tertium, in quo instituitur. Contra quartum requisitum.

17. Quintum membrum, quod ad sacramentum requiratur, promissio gratiae Bellarminus dicit, *duobus modis intelligi posse. Uno modo de promissione gratiae, quae sit effectus sacramenti, ita ut idem sit promissio gratiae in sacramentis et institutio sacramenti, ut signi efficacis seu instrumenti justificationis. Alio modo de promissione gratiae praecedente, quae tanquam sigillo obsignetur.* Respondemus: aliud est sacramenti institutio, aliud promissio gratiae, quam confirmat sacramentum. Institutio pertinet ad causam efficientem, obsignatio promissionis ad causam finalem. Ceterum si de fructu et efficacia sacramentorum quaeritur, utrumque tribuimus sacramentis, scilicet quod sint signa efficacia seu instrumenta justificationis et quod sint signacula promissionis evangelicae, cum sint salutaria media fidem et confirmandi et promissionem evangelicam obsignandi. *At*, inquit Bellarminus, *promissionem de efficacia et fructu sacramenti non facile ostendent adversarii in singulis sacramentis ex verbo Dei scripto. Exemplo sit eucharistia, quae est sacramentum proprie dictum, habentur quidem multae et insignes promissiones*, Joh. 6. *sed adversarii non admittunt in hoc capite agi de eucharistia. Eo capite seposito nullam invenient promissionem. Nam Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. ubi habetur institutio sacramenti, non habetur ulla pro-*

Contra quintum requisitum. VIII. 211.

missio; solum enim haec verba habentur: hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur; hic est sanguis meus, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Ubi promissio de traditione corporis et effusione sanguinis non refertur ad sacramentum, sed ad sacrificium, quod tunc Deo offerebatur in coena et postea offerendum erat in cruce. Non enim dicit, corpus suum dari apostolis in remissionem, sed dari pro illis, nimirum Deo, in remissionem peccatorum et similiter non dicit, sanguinem propinari apostolis, sed effundi pro illis in remissionem peccatorum. Respondemus: quae promissiones et quam dulcissimae consolationes in sacra coena nobis sint propositae, ostendimus suo loco in tract. German. de coena c. 23. Breviter, Christus in sacra coena manducandum nobis offert illud ipsum corpus, quod in ara crucis in mortem pro nobis tradidit; illum ipsum sanguinem bibendum tradit, quem in ara crucis in remissionem peccatorum pro nobis effudit; utique ergo offert nobis omnia beneficia traditione sui corporis et effusione sui sanguinis parta. Quamvis igitur ipsa traditio corporis et effusio sanguinis non in coena, sed in ara crucis facta sit, tamen corporis in mortem traditi et sanguinis in ara crucis effusi participes reddimur in sacratissimo illo coenae dominicae mysterio, quo pretiosissimo pignore promissio de gratia Dei et remissione peccatorum evidenter nobis confirmatur. In capite sexto Johannis quam efficaces, quam suaves continentur promissiones de spirituali manducatione corporis et bibitione sanguinis Christi! v. 54: *Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* v. 55: *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus.* v. 56: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo* etc. Quamvis vero manducationem sacramentalem et institutionem eucharistiae negemus in hoc c. 6. Johannis contineri, non tamen simpliciter illud a doctrina de sacra coena excludimus, sed manducationem spiritualem et fructum hujus coenae dominicae in eo proponi docemus. De tota hac re suo loco plura. Quid vero de baptismo statuit Bellarminus? Num et in eo haberi negat promissionem gratiae? *Promissio praecedens* (inquit), *quae a sacramento tanquam Sigillo obsignetur, non est necessaria nec in omnibus sacramentis invenitur. Nam in baptismo, qui omnium consensu sacramentum est, non facile invenietur ejusmodi promissio. Lutherus et Philippus afferunt illam promissionem Marc. ult.: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; sed ista non est promissio praecedens, sed est explicatio efficaciae sacramenti et praeterea ista verba post resurrectionem a Domino dicta sunt; baptismi autem sacramentum etiam ante passionem Christi institutum est. Dicent fortassis haberi, aliam promissionem Joh. 3. nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei; sed haec non tam promissio quam comminatio est, ex qua colligitur necessitas et virtus baptismi, sed non promissio aliqua praecedens, quae baptismo obsignetur. Adde quod etiam ante ista verba fuit baptismus Johannis, quem adversarii volunt habuisse vim nostri baptismi.* Respondemus: ostendimus suo VIII. 2 loco, baptismum esse medium regenerationis ac proinde etiam fidei excitandae et confirmandae. Promissionem salutis baptismo annexam esse negari nulla veritatis specie potest, cum diserta sint Christi verba: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Neque quicquam impedit, quod haec verba post resurrectionem Christi demum prolata sint, cum institutione baptismi eadem promissio implicite contineatur, quando enim baptizamur *in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti*, tunc docente Petro 1. epist. 3, v. 21. Deus foedus nobiscum init: Pater adoptat nos in filios; Christus induit nos sua justitia, Spiritus s. nos regenerat et renovat. Verba Christi Joh. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu*, non solum necessitatem, sed et fructum baptismi exponunt. Si enim nemo nisi ex aqua et spiritu renatus regnum coelorum ingredi potest, colligitur a contrario sensu, ex aqua et Spiritu in baptismo nos regenerari et fores regni coelestis aperiri. An et quomodo sacramenta sint promissionum divinarum signacula, suo loco expositum dabitur.

18. Sextum membrum, quod promissio debeat esse divina ordinatione signo annexa, falsum esse Bellarminus pronuntiat, *cum verbum, quod annectitur et vestitur signo, ut inde fiat sacramentum, nunquam sit promissorium, sed assertorium et deprecatorium. Cum enim aqua adspergitur in baptismo, non dicitur: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, sed ego baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, quae verba non sunt promissoria. Et Dominus, cum eucharistiam fecit et dedit, non ait: Qui manducat hunc panem, vivit in aeternum, aut aliquid ejusmodi, sed ait: Accipite et comedite, hoc est corpus meum. In sacramento autem confirmationis et extremae unctionis utimur verbo deprecatorio, quia sic docent nos Acta apostolorum et Jacobus c. 5. in sacramento ordinis imperatorio, in reliquis assertorio.* Respondemus: assertio et promissio non sunt sibi invicem opposita. Per sacramenta obsignatur credentibus promissio de gratia Dei et remissione peccatorum, quo sensu et respectu promissio recte dicitur divina ordinatione signo sacramentali annexa; per eadem sacramenta tanquam salutaria et efficacia media offeruntur et credentibus applicantur beneficia in evangelio promissa, quo sensu et respectu recte dicuntur justificationis instrumenta. Quando minister dicit: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, non solum asserit, baptizatum in foedus Dei recipi, sed et obsignat promissionem evangelii propriam de remissione peccatorum. Idem judicium est de sacramento coenae dominicae, in cujus salutari usu non solum offertur, sed et applicatur et obsignatur promissio gratiae, qua de re alibi plura.

Contra sextum requisitum.

19. Septimum membrum, quod illa promissio debeat esse de remissione peccatorum, itidem falsum esse satis audacter pronuntiat Bellarminus; loco probationis affert eucharistiam, quam institutam esse dicit *non ad peccata remittenda, sed ad caritatem augendam et nutriendam.* Respondemus: in ipsis verbis institutionis mentio fit remissionis peccatorum, dicit enim Christus, se nobis bibendum tradere illum sanguinem, quem pro nobis effudit in remissionem peccatorum, quomodo ergo promissio de remissione peccatorum a sacra coena excludi potest? quando manducamus corpus pro nobis in mortem traditum et bibimus sanguinem in remissionem peccatorum pro nobis effusum, utique confirmatur fides nostra, ut certo statuamus, datum nobis iri, quicquid traditione corporis et effusione sanguinis in ara crucis Christus nobis promeruit. Quando Christus dicit, *hoc facite in mei commemorationem*, requirit a nobis, ut in usu coenae dominicae mente grata recordemur, quod Filius Dei ad reparandam lapsam ac perditam nostram naturam corpus et sanguinem, id est veram humanam naturam in personae unitatem assumserit, quod assumtum illud corpus in mortem tradiderit et sanguinem suum effuderit ad promerendam peccatorum remissionem, quod traditum illud corpus et effusum sanguinem in hac coena nobis manducandum et bibendum praebeat, ut illa memoria (quae est fides) hac
VII. 213. sumtione in nobis excitetur, augeatur, confirmetur et obsignetur. Octavum membrum, quod sacramenta confirment promissionem gratiae, suum habebit inferius locum, ubi de fine sacramentorum disputabitur.

20. Hisce octo requisitis a D. Chemnicio propositis opponit Bellarminus alia requisita, itidem numero octonario inclusa lib. 1. de sacramento c. 9: *Ad sacramentum novae legis constituendum* (inquit) *necessario haec requiruntur: 1. Ut sit signum.* Respondemus: Sacramenta sunt signa ratione effectus, obsignant enim promissionem gratiae, unde dicuntur *signa et testimonia divinae voluntatis erga nos.* August. confession. art. 13. Circumcisio Genes. 17, v. 11. dicitur signum, Rom. 4, v. 11. σφραγὶς sive sigillum (atque hic est finis sacramentorum principalis): postea etiam varias significationes praebent (qui est finis eorum secundarius et minus principalis vel potius adjunctum); nequaquam vero sunt signa ratione essentiae, quasi tota eorum natura et essentia significando absolvatur, seu quod σχέσις rei terrenae et rei coelestis in omnibus sacramentis tantummodo sit significativa. *2. Ut sit signum sensibile*, ubi refutat Occamum, qui in 4. sent. dist. 1. negat, hoc esse de sacramenti essentia. Respondemus: addendum huic conditioni, quod debeat esse *signum visibile*, uti passim Augustinus loquitur et ex sacramento baptismi et coenae dominicae apparet. Verbum ἀκουστὸν distinctum est a verbo ὁρατῷ, illud nondum constituit signum sacramentale, sed hoc tantummodo. *3. Ut signum sit voluntarium, sive datum, non naturale. 4. Ut hoc signum habeat cum re, quam significat, analogiam et similitudinem aliquam,* ubi monet, *tria esse signorum genera: quaedam tantam habent cum re significata similitudinem, ut sine ulla institutione naturaliter significent, quomodo imago Christi est signum Christi, et vestigium in arena impressum est signum pedis. Quaedam alia nullam habent cum re significata similitudinem et ideo tota pendent ab institutione, hoc modo verba sunt signa rerum et sonus campanae signum habendi senatus. Quaedam medio modo se habent, nam habent quidem analogiam cum re, sed tam indeterminatam et confusam, ut magis apta sint ad significandum, quam actu significent, nisi determinentur ab aliquo, sicut imago non facta ad alicujus particularis hominis similitudinem, neminem in particulari significat et tamen quemlibet significare potest, si determinetur adscripto nomine alicujus aut addito vestimento* etc. Hujus tertii generis dicit esse omnia sacramenta. Respondemus: non negamus, signa sacramentalia analogiam quandam cum fructu sacramenti habere. *Si enim sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum sunt sacramenta, non haberent, omnino sacramenta non essent*, docente Augustino epist. 23. ad Bonifac.; sed analogia illa significativa est secundarium rei terrenae sive elementi externi in sacramentis N. T. officium; primarium officium est, ut sit ὄχημα, vehiculum et medium, per quod res coelestis exhibetur. Torquet autem sese hoc loco Bellarminus, ut analogiam illam in sacramento poenitentiae inveniat, tandem concludit, *eam consistere inter exteriorem absolutionem, quae ore pronuntiatur, et internam justificationem, quae a Deo efficitur.* Respondemus: Bellarminus lib. 1. de poenit. c. 11. statuit *non solam absolutionem, sed etiam confessionem esse signum visibile in hoc sacramento* (ut dissensiones aliorum praetermittamus, de quibus in tractat. de poenit. §. 23. dictum) ergo non suffi- VIII. 214.
cit analogiam quaerere in absolutione externa et interiori justificatione, sed eadem quaerenda etiam erit in confessione. Praeterea cum in sacramento poenitentiae non aliud detur signum visibile, quam verbum confitentis et absolventis, quomodo omnia sacramenta ad tertium genus pertinebunt? an non verba ad secundi generis signa fuerunt relata? Vanum est effugium, *quod verba illa, Ego te absolvo, sint sacramentum, non quatenus verba sunt et ex humana institutione significant, sed quatenus sunt veluti res quaedam a Deo institutae ad significandam et efficiendam justificationem a peccatis.* At res et verba toto genere differunt; nunquam igitur ex verbis absolutionis res quaedam sacramentalis sive elementum externum visibile fabricari poterit. *5. Ut signum hoc repraesentet rem aliquam, sacram non profanam*, talem rem sacram dicit esse triplicem, videlicet *gratiam justificantem, quae ut praesens demonstratur; passionem Christi, quae est causa gratiae et ut praeterita commemoratur, et vitam aeternam, quae est effectus gratiae et ut futura praefiguratur;* mox tamen addit, *id quod praecipue et essentialiter significatur per sacramentum novae legis esse solam gratiam justificantem. 6. Ut*

signum hoc non solum significet sanctificationem, sed etiam ita significet, ut quae tunc fiat, dum sacramentum adhibetur. 7. *Ut non solum significet sanctificationem, quae tunc fiat, sed etiam quae fiat vi ipsius sacramenti, ita ut sacramentum sit causa instrumentalis sanctificationis.* Respondemus: confunduntur χάρις justificationis et χάρισμα sanctificationis, ut et finis sacramentorum principalis et secundarius etc. An sacramenta conferant gratiam ex opere operato, postea suo loco discutietur. 8. *Ut sit ceremonia religionis stata ac solennis, quae hominem Deo consecret,* quod acceptamus et contra extremam unctionem argumentum ex eo ducimus, ut apparebit suo loco.

Definitiones sacramenti. 21. Cap. 10. disputat Bellarminus, *an sacramentum proprie definiri possit?* Enumerat autem tres suorum sententias. Quidam existimant, sacramentum proprie definiri non posse, ut Occamus, Major, Richardus; alii volunt, sacramentum definiri posse, sed imperfecte, ut Scotus et Sotus; alii volunt, sacramentum proprie definiri posse, ut Ledesmius. Bellarminus concludit, *non physice, sed moraliter sacramentum definiri posse.* Cap. 11. varias enumerat definitiones sacramentorum *1. Sacramentum est signum rei sacrae. 2. Est invisibilis gratiae visibilis forma,* quas dicit colligi ex Augustino lib. 10. de civ. Dei c. 5. recte autem monet, esse imperfectas. *3. Est corporale vel materiale elementum foris sensibiliter propositum ex similitudine repraesentans, ex institutione significans et ex sanctificatione continens aliquam invisibilem et spiritualem gratiam.* Hugo lib. 1. de sacrament. part. 9. c. 2. *4. Est invisibilis gratiae visibilis forma, ejusdem gratiae imaginem gerens et causa exsistens.* Lombardus lib. 4. sent. dist. 1. *5. Est res sensibus subjecta, quae ex Dei institutione sanctitatis et justitiae tum significandae tum efficiendae vim habet.* Catech. Trident. 6: *Sacramentum est, per quod sub tegumento rerum visibilium divina virtus secretius salutem operatur.* c. Multi secularium 1. qu. 1. Quid in his definitionibus probemus vel improbemus, ex sequentibus manifestum erit. Cap. 12. quaerit, *an definitiones illae conveniant univoce sacramentis legis veteris et novae,* ubi duas Scholasticorum copias mutuo confligentes producit Lombardus, Albertus, Thomas, Bonaventura negant; idem Thomas, Dominicus a Soto et Martinus Ledesmius affirmant. Bellarminus arbitrum se constituit et dissidium componere nititur; quid praestiterit, patebit ex quaestione, an sacramenta V. T. itidem fuerint efficacia media gratiae et remissionis peccatorum. Cap 13. conatur infringere ea, quae contra definitiones illas
VIII. 215. Scholasticorum Chemnicius protulerat, sed frigide admodum respondet, ut cuilibet primo intuitu patet, et ex speciali singulorum sacramentorum ἐργασίᾳ manifestius conspicietur.

An genus sacramenti sit signum. 22. Ex his apparet, genus in definitione sacramenti a Bellarmino constitui signum. Quamvis vero non inviti fateamur, sacramenta ratione officii et finis esse ac dici posse signa, quia significant, efficiunt, applicant et obsignant fide utentibus beneficia evangelii propria, tamen proximum et adaequatum sacramenti genus negamus esse signum. 1. Quia aliud est res ipsa, aliud ejus officium ac finis; aliud appellatio ejus ex officio, aliud definitio ex essentia. Definitio est λόγος οὐσίας; ergo genus in definitione peti debet ex rei definitae essentia; jam vero esse signum non pertinet ad quidditatem sacramenti, sed ad ejus finem et usum. Ergo non est genus verum et proprium. 2. Definitio debet constare ex prioribus et notioribus. Sacramenta esse signa et sigilla non est ex prioribus et notioribus, quia ipsorum cognitio pendet ex actionibus et ceremoniis; hae enim cum fine, qui est signare, conjunctae dicuntur signa et sigilla. 3. Proprium genus debet esse propinquum. Signum autem est, genus sacramenti remotum, tum quia a fine petita est haec denominatio, tum quia mediantibus actionibus certo verbo et externo elemento constantibus signant. 4. Pars rei non est genus rei ut totius. Signa in oculos incurrentia sunt pars sacramentorum, una terrena scilicet, cui adjuncta res coelestis invisibilis sacramentum proprie dictum constituit. 5. Genus non debet esse ambiguum. Atqui vox signi est ambigua, usurpatur enim a quibusdam in definitione sacramenti, ut denotetur, sacramentorum totam essentiam in significando consistere; ab aliis vero, ut finis sacramentorum in significando et obsignando positus hac appellatione exprimatur.

23. Qui Calvinum sequuntur, itidem sacramenta definiunt per signa. ** *At quicquid excludit principalem partem sacramenti ex ipso sacramento, illud non potest esse verum, proprium et adaequatum genus sacramenti. Atqui illud signum et signaculum in schola Calvini est ejusmodi, ut excludat principalem partem sacramenti ex ipso sacramento, nempe rem coelestem, quae juxta Calvinum est res signata. Ergo signum et signaculum non est verum genus sacramenti. Minor patet, nam nullum signum est suum signatum, sicut nullum relatum est suum correlatum. Omne enim relatum dicitur ad aliud et hoc ipsum quod est, alterius est. Pater est filii pater, non autem pater est filius. Sic signum est signati signum, et signatum est sui signi signatum. Signum autem non est signatum, nec signatum et signum. Si ergo sacramentum est signum, ergo res signata non pertinet ad ipsam sacramenti essentiam et naturam, sed est extra eam et ab ea quam optime potest separari.* Menzerus tom. 2. disp. Gissen. disput. 6. th. 15.** Ceterum duplicem autem significationem in sacramentis constituunt: unam, qua res terrena significet rem coelestem absentem; alteram, qua integrum sacramentum significet gratiam spiritualem. Cinglius lib. de peccato originis: *Signa nihil quam externae res sunt, quibus in conscientia nihil efficitur.* In confess. ad imper.: *Credo, imo certo scio, omnia sacramenta tam abesse, ut gratiam conferant, ut ne afferant quidem et dispensent.* Calvinus in catech.: *Sacramentum nihil aliud est, quam externa divinae erga nos benevolentiae testi-*

ficatio, quae visibili signo spirituales gratias figurat. Beza de summa rei sacrament. qu. 2: *Unde efficacia illa sacramentorum? a Spiritus sancti operatione in solidum, non a signis, nisi quatenus externis illis objectis interiores sensus moventur.* Aretius part. 2. probl. p. 441. reprehendit eos, qui sacramenta appellant *signa exhibitiva.* Respondemus: 1. de quolibet sacramento judicandum est ex propria institutionis sede, quae ostendit, non posse hoc axioma habere locum, quod tota essentia et efficacia sacramentorum tantum in significando consistat. 2. Analogia sacramentalis, quam semper in ore habent, animadvertitur duplex, respicit enim vel integrum sacramentum, vel sacramenti partes. Analogia sacramenti integri est proportio seu ratio sacramenti totius ad usum spiritualem, quem non solum significat, sed etiam confert et obsignat vere credentibus. Sic circumcisio sacramentalis non solum significat, sed etiam efficit, applicat et obsignat fide utentibus circumcisionem spiritualem. Baptismus in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti collatus non solum significat, sed etiam efficit, applicat et obsignat fide utentibus interiorem ablutionem. Analogia partium sacramenti inter se est proportio seu σχέσις elementi externi ad rem coelestem; haec diversa est in sacramentis N. quam V. T. ut suo loco in speciali ἐργασίᾳ uberius demonstrabitur. 3. Aqua baptismatis nullibi dicitur signum spiritualis ablutionis, sed *ex aqua et Spiritu* dicitur fieri regeneratio Joh. 3, v. 5. *Per lavacrum regenerationis et renovationis salvari* dicimur Tit. 3, v. 5. *Lavacro aquae in verbo mundari* dicitur ecclesia Ephes. 5, v. 27. *Baptisma nos salvare* dicitur. 1. Petr. 3, v. 21. Panis eucharisticus non dicitur signum, sed *communicatio corporis* et vinum eucharisticum non dicitur signum, sed *communicatio sanguinis Christi*, 1. Cor. 10, v. 16. utique ergo non in significando tantum, sed in conferendo et applicando signa sacramentalia consistunt. Fatetur ipse Beza part. 2. quaest. et resp. qu. 50. *quod realis sive rei ipsius ac substantiae praesentia in certo loco et praesentia sacramentalis non sint perpetuo repugnantes.* qu. 12. dicit, *alia esse signa μνημονευτικά, alia σημαντικά, alia quae testentur id, cui significando adhibentur nobis vere dari, sic in sufflando dabat Christus discipulis Spiritum sanctum.* Vide superius §. 9. et 20.

24. Sacramenta nos ponimus in praedicamento actionis et ex eodem genus definitionis petimus, cum definitum et genus definitionis in eodem oporteat esse praedicamento. Ceterum sacramentum esse actionem probamus: 1. Ex institutione divina singulorum sacramentorum, in qua Deus expresse requirit et praescribit actionem. De circumcisione Genes. 17, v. 11: *Circumcidetis*, inquit Dominus, *carnem praeputii.* De agno paschali Exod. 12, v. 3. et seqq. dicit Dominus: *Tollat unusquisque agnum et immolet et edat carnes agni assas igni* etc. De baptismo ait Christus: *Baptizate in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti* Matth. 28, v. 19. de sacra coena itidem ait Christus Matth. 26, v. 26: *Accipite, comedite;* v. 27: *bibite* etc. Sic ergo concludimus: Quicquid dependet ab institutione, non potest esse substantia, vel quantitas, vel qualitas, sed est vel relatio, vel actio. Omne sacramentum dependet ab institutione; ergo non est substantia, vel quantitas, vel qualitas, sed vel relatio vel actio. Non autem est relatio, sic enim tota ratio atque essentia sacramenti consisteret in mutua σχέσει sive habitudine signi ad signatum, et sic sacramentum esset etiam sine actione. Adde si ex relatis sacramentum definiretur, nempe signum, tum materia esset genus materiati. Constat autem, materiam sacramenti esse non solum rem terrenam, sed et coelestem. 2. Ex inductione. Omnia et singula proprie dicta sacramenta sunt actiones. Ergo sacramentum in genere definiendum est per actionem. Antecedens est manifestum. Nam et circumcisio est actio, nempe amputatio pelliculae, et agni paschalis mactatio, assatio et manducatio est actio; baptismus est immersio sive adspersio et coena dominica est benedictio, distributio, manducatio et bibitio. 3. In definitione actionum forma communis generi quadantenus est inclusa. Jam vero forma communis sacramenti consistit in actione, qua sublata sacramentum proprie dictum esse nequit. Tolle enim praeputii amputationem, et non erit circumcisio sacramentalis; tolle mactationem, assationem et manducationem agni, et non erit pascha; tolle immersionem sive adspersionem, et non erit baptismus; tolle manducationem benedicti panis et bibitionem benedicti vini, et non erit coena dominica. Ergo sacramentum in genere definiendum per actionem, quippe quae est forma sacramenti communis, actio certis objectis et circumstantiis determinata est forma cujuscunque sacramenti propria. 4. Ipsa administratio sacramentorum ostendit, sacramenta esse proprie actiones. Actio agentis, quatenus agens est, actus est eoque perficitur. Sacramenta non nisi agentium et quidem quatenus agunt, actus sunt, iisque quoad essentiam omnino perficiuntur; utique ergo sunt actiones. Breviter, quod VIII. 217.
ipsa Scriptura definit verbis activis et actionem requirentibus et quod suum esse habet in actione et sine actione esse non potest, illud vere et proprie est actio. Sacramenta sunt talia, ut patet ex inductione. Ergo 5. Accedit, quod veteres et recentiores scriptores ecclesiastici sacramenta passim appellent ceremonias ac ritus, quos in actione consistere manifestum est. 6. Qui Calvinum sequuntur, easdem appellationes saepe usurpant et sacramenta expresse actiones vocant, vide Bezam volum. 3. theol. p. 332. Bucanum loco 46. p. 566. Trelcatium instit. theol. lib. 2. p. 97. Piscatorem volum. 1. thes. disput. 25. etc. Cumprimis notandum, quod Petrus Martyr scribit class. 4. loc. com. cap. 10. §. 36: *Sacramenta tota in actione consistunt, qua sublata non amplius sunt sacramenta.* 7. Bellarminus lib. 1. de poenit. c. 11. §. 12. fatetur, *non male Chemnicium ex baptismo et eucharistia, quae omnium consensu vera sacramenta sunt, naturam ac pro-*

prietatem sacramentorum in genere investigare. §. 13. addit: *Baptismi natura atque essentia proprie non in substantia, sed in actione consistit. Symbolum enim externum, cui annexa est gratia et quod proprie baptismus dicitur, non est aqua, sed ablutio cum sanctissimae trinitatis invocatione; ablutio autem et invocatio non substantiae, sed actiones sunt.* (Si ergo baptismi sacramentum consistit in actione, utique etiam genus sacramenti erit actio; negat hoc Bellarminus, ideo addit:) *Nec tamen generatim affirmari potest, omne sacramentum in actione consistere, nam eucharistiae sacramentum proprie non actio transiens est, sed res permanens est, non enim actionem consecrandi, sed panem consecratum et in corpus dominicum commutatum eucharistiam vocamus.* Idem probare conatur lib. 4. de euchar. c. 3. §. 4. et seqq. Sed haec procedunt ex hypothesi transsubstantiationis, quam per verba *hoc est corpus meum* fieri statuit, qua de re suo loco. Ex hac hypothesi, quod sacramenti genus sit actio, deducta est regula usitata: *Nihil habet rationem sacramenti extra usum divinitus institutum.* Notandum autem, quod usus sacramentalis legitimus complectatur haec tria: 1. Ut observentur ritus a Deo instituti sine ulla depravatione ac mutatione. 2. Ut illi observent ritus, quibus eos Deus instituit. 3. Ut ritus in eum finem usurpentur, in quem sunt a Deo institui. Sic ad baptismum requiritur: 1. aqua, 2. homo vivens baptizandus, 3. immersio vel adspersio aquae in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti.

Sacramenta sunt actiones sacrae et solennes.

25. Cum autem varia sunt actionum genera, ideo addendum, quod sacramenta sint actiones divinae, sacrae et solennes, nimirum quia divinitus sunt institutae et quia Deus nobiscum in illis agit et vicissim cum Deo nobis in illis res est. Deus non solum sacramenta primitus instituit eaque ecclesiae commendavit, sed etiam adhuc hodie coelestia bona per ea mediante hominis ministerio dispensat. Ergo sacramenta sunt actiones divinae tum ratione institutionis, tum ratione dispensationis. Praeterea hoc προςδιορισμῷ, quod sacramenta sint actiones sacrae et solennes, restringitur quodammodo hoc genus et distinguitur a quavis actione politica naturali ac ludrica, cum tota haec actio ex Dei institutione dependeat, ideoque sacra sit et solennis ac reverentiam debitam requirat.

Causa efficiens prinipalis sacramentorum.

26. Causa efficiens principalis atque auctor sacramentorum est solus Deus. 1. Sicut in nullius hominis potestate est novos fidei articulos condere; sic nec penes ullum hominem ea residet facultas, ut nova possit sacramenta instituere. 2. Ejus est media gratiae instituere, cujus est gratiam dare; jam vero solus Deus dat gratiam justificationis. Ergo ipsius solius est media gratiae sive sacramenta in-
VIII. 218. stituere. Ut solius Dei est bona coelestia dare et promittere ac suam erga nos voluntatem declarare; ita ejusdem solius est sigilla ac certa suae erga nos voluntatis pignora promissioni annectere. 3. Apparet id ipsum ex institutione singulorum sacramentorum. 4. Et confirmatur testimoniis veterum: Cyprianus serm. de ablut. pedum.: *Ipse summus sacerdos sui est sacramenti institutor et auctor.* Ambrosius lib. 4. de sacrament. c. 4. tom. 4. p. 438: *Auctor sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus? De coelo ista sacramenta venerunt, consilium enim omne de coelo est.* 5. Hinc recte Thomas p. 3. qu. 64. art. 2: *Virtus sacramenti est a solo Deo; ergo solus Deus est sacramentorum institutor.* Et postea: *Apostoli et eorum successores sunt vicarii Dei, quantum ad regimen ecclesiae a Deo institutae per fidem et fidei sacramenta; unde sicut non licet eis tradere aliam fidem, ita neque instituere alia sacramenta, sed per sacramenta, quae de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt, dicitur esse fabricata Christi ecclesia.* **Durandus lib. 4. sent. dist. 2. prolixe probat, *sacramentorum auctorem oportere esse non angelos, non homines, sed ipsum Deum.*. Optatus Milevitanus lib. 5: *Deus hominem lavat, non homo, non enim potest munus ab homine dari, quod divinum est. Sordes et maculas mentis lavare non potest, nisi qui ejusdem fabricator est mentis.*** Biel lib. 4. sent. dist. 1. qu. 2. art. 3. dub. 2: *Institutio sacramentorum, quae non solum repraesentant, sed certo et efficaciter signant sacramentalem effectum, per solum Deum fieri potest, qui solus effectum sacramentalem supernaturalem causare potest;* recte tamen ibidem addit, *promulgationem istius institutionis ab alio fieri posse.* Sic agni paschalis institutio per Moysen promulgata fuit populo Israëlitico Exod. 12. Sic baptismi dispensatio per Johannem Baptistam facta, sed institutio a solo Deo, Joh. 1, v. 33. Ex hoc fundamento oriuntur haec porismata: 1. Cujus non potest ostendi divina institutio immediate a Deo profecta et per prophetas vel apostolos ecclesiae commendata, illud non est verum sacramentum. 2. In sacramentorum essentialibus non debet vel potest quicquam humana auctoritate mutari, cum scilicet pendeant a Dei institutione. 3. De quolibet sacramento judicandum ex propria sede, in qua descriptio institutionis proponitur. 4. Verba substantialia institutionis sacramenti non sunt mutanda. 5. Sacramentorum virtus et efficacia pendet ex divina institutione et ad Deum auctorem unice referenda est. **Contra concil. Trident. sess. 21. can. 2. adserit: *Ecclesiam habere potestatem mutandi et instituendi sacramenta.* Sic Bellarminus lib. 1. de sacrament. c. 23: *Quaedam a Christo, quaedam ab apostolis promulgata*, et Hugo lib. 2. de sacram. itemque Lomb. 4. sent. dist. 23. negant, a Christo omnia sacramenta instituta.**

Deus u instituit ita quod dispens sacramenta.

27. Neque solum instituit Deus sacramenta, sed etiam ea dispensat, non tamen immediate (si excipias primam coenam ab ipso Christo administratam), verum per ministros ecclesiae. Cum enim minister in dispensatione sacramentorum non suo, sed Dei nomine agat, nec suum aliquod, sed alienum beneficium dispenset; ideo principalis sacramentorum dispensator recte statuitur ipse Deus. Chrysostomus homil. 85. in Joh.: *Deus omnia facit, sacer-*

An humana natura Christi ab institutione et dispensatione sacramentorum secludenda sit.

dos linguam et manus praebet. Quaeritur hoc loco, an ab institutione et dispensatione sacramentorum N. T. assumta humana natura Christi sit excludenda? Grynaeus in disput. Heidelberg. anno 1584. primum tergiversatus est, postea tamen concessit, *Christum Dei et Mariae filium esse auctorem hujus sacramenti*, ut patet ex act. disp. fol. 47. Sed enim si Calviniani velint θέσιν suam φυλάττειν, statuere coguntur, Christum secundum humanam naturam ab institutione et administratione sacramentorum secludendum esse. 1. Qui non habet excellentiam et potestatem divinam, ille non potest instituere sacramenta, ut paulo ante demonstratum. Jam vero Christus secundum humanam naturam non
VIII. 219. habet excellentiam et potestatem divinam juxta ipsorum hypotheses; realem enim divinorum idiomatum communicationem acriter impugnant. Ergo 2. Caro Christi non concurrit ad applicationem gratiae et vitae juxta ipsorum hypotheses; disputant enim, carnem Christi esse vivificam non ratione efficaciae et applicationis, sed respectu acquisitionis et meriti. Ergo etiam non concurrit ad institutionem et dispensationem sacramentorum. Consequentiae ratio est manifesta, quia sacramenta itidem pertinent ad applicationem gratiae, cujus sunt organa atque media. 3. Christus secundum humanam naturam est tantum in uno loco juxta ipsorum hypotheses. Jam vero sacramenta in pluribus omnino locis dispensantur. Ergo Christus secundum humanam naturam non adest in dispensatione sacramentorum. Nos contra statuimus, Christum θεάνθρωπον tum in institutione, tum in dispensatione sacramentorum N. T. praesentem adesse et opera mediatoris juxta utramque naturam exsequi; jam vero officium mediatoris complectitur non solum acquisitionem, sed et applicationem gratiae, ut constat. Illa applicatio gratiae fit per verbum et sacramenta, a quorum institutione ac dispensatione Christum secundum humanam naturam excludere est unionem personalem divinae et humanae naturae solvere, majestatem divinam carni assumtae personaliter communicatam negare, regulam illam, quod in operibus mediatoris utraque natura agat, quod sibi proprium est cum communicatione alterius, plane evertere. ** *Quemadmodum elementa virtutem omnem habent a coelo, ita sacramenta virtutem a passione Christi consequuntur.* Savonar. de verit. fidei lib. 1. c. 2. ** Ex quo etiam facile apparet, quid statuendum sit de eo, quod Bellarminus secutus Scholasticos lib. 1. de sacr. c. 23. tribuit Christo, ut homini *quandam potestatem excellentiae, derivatam a divinitate, quae sit velut media inter divinam et humanam.* At non media quaedam, sed vere divina potestas Christo secundum humanam naturam data est, ut suo loco plenius docetur.

Dispensatio sacramentorum fit per homines.

28. Utitur autem Deus in administratione ac dispensatione sacramentorum ministerio non angelorum, sed hominum. Quemadmodum enim non angelorum, sed hominum opera in praedicatione verbi utitur; (1. Cum norit, infirmitatem naturae nostrae non posse ferre angelicae majestatis intuitum, Jud. 13. Dan. 10. Luc. 2. etc. 2. Ut omnibus pateat accessus ad doctrinam coelestem, nec quaerantur revelationes e coelo, Deut. 30, v. 11. Rom. 10, v. 6. 3. Ut ostendat suam potentiam, quod diabolo et omnibus inferorum portis misellos et imbecilles homines opponat. 4. Ut hominum erga se invicem humilitatem, obedientiam et reverentiam probatam reddat) ita quoque ad sacramentorum dispensationem hominum opera ac ministerio uti ipsi placuit. Sunt enim conjuncta officia docere evangelium et administrare sacramenta. Ordinarie igitur per ministros ecclesiae sacramenta dispensat, qui dicuntur ob id *dispensatores mysteriorum Dei* 1. Cor. 4, v. 1. συνεργοῦντες, *cooperantes Deo*, 2. Cor. 6, v. 1. et θεοῦ σύνεργοι, 1. Cor. 3, v. 9 De baptismo et coena dominica ex institutionis sede manifestum, quod dispensationem horum sacramentorum apostolis et eorum successoribus Christus commendaverit, uti etiam ex Actis apostolicis conspicuum, quod mandato Christi obsequentes ipsi haec sacramenta administraverint. De circumcisione et agno paschali dubium oboriri potest, qua de re suo loco. Extraordinarie tamen in sacramento initiationis (quale in V. T. fuit circumcisio, in N. baptismus) urgente extrema necessitate etiam aliis ecclesiae membris ejus administratio concedenda. Vocamus autem extremam necessitatem, quando locum habet hoc disjunctum: aut huic homini sine baptismo moriendum, aut a privato baptismus est administrandus; cujus quaestionis ἐργασία ad tractatum de baptismo pertinet.

29. Flagellat Bellarminus lib. 1. de sacram. An quilibet privatus habeat potestatem et jus administrandi sacramenta.
c. 24. et libr. 4. de euchar. c. 16. D. Lutherum, VIII. 220.
quod docuerit, *quemvis hominem baptizatum potestatem et jus habere administrandi sacramenta.* Sed novit Bellarminus, nos haudquaquam confusionem in ecclesia probare, neque cuiquam, nisi legitime ad ministerium vocato, potestatem administrandi sacram coenam concedere, ne quidem in casu necessitatis, cum dispar ratio sit inter baptismum et sacram coenam. Lutherum quod attinet, is non concedit omnibus baptizatis absolute et simpliciter potestatem administrandi sacramenta, sed loquitur de generali quadam aptitudine, quam Christiani ad sacramenta respectu infidelium habent, quod per baptismum in foedus Dei recepti idonei et apti sint ad hoc officium, si scilicet legitime vocentur; hanc generalem aptitudinem opponit Lutherus caracteri sacerdotali, de quo Scholastici et Pontificii disputant, quod per ordinis sacramentum in anima suscipientis causetur potestas quaedam spiritualis, per quam sacerdos fiat habilis ad conficiendam eucharistiam, ita ut sine illa nullo modo confici possit et in hujus potestatis signum animae characterem imprimi dicunt (de hac potestate ipse Bellarminus lib. 1. de lib. arbitrio c. 10. resp ad 5. quaestionem scribit, *quod sit occulta et potius egeat fide, ut credatur inesse, quam quod ipsa fidem aliis rebus faciat;* de charactere scribit Biel 4. sent. dist. 6. q. 2. *quod ponendum illum*

esse nec ratio necessaria demonstret, nec evidens auctoritas probet). Item Lutherus agit de casu necessitatis extraordinario, quod in illo baptismus etiam a laico administrari possit, uti etiam de absolutione (quae Pontificiis itidem sacramentum est), quod in tentationibus quilibet fidelis annuntiatione remissionis peccatorum a Christo partae proximum tentatum erigere et confirmare possit, secus quam Bellarminus statuit, lib. 3. de poenitentia c. 3. arg. 7. *quod quidam credentes in Christum in aeternum pereant, quod ante moriantur, quam a sacerdote absolvi potuerunt.* Vide epistolam Lutheri ad pastorem, an paterfamilias in illis locis, ubi sacra coena non administratur, juxta Christi institutionem sibi ipsi et familiae suae privatim eam distribuere possit. Tom. 6. Jen. Germ. f. 339. ad quam quaestionem Lutherus respondet negative addita hac ratione, quod paterfamilias vocatione et mandato tale quid faciendi destituatur.

Ministri qualitatem nihil addere vel detrahere sacramentis.

30. Ceterum cum minister non suo, sed Dei nomine in administratione sacramentorum agat, ideo ejus dignitas vel indignitas sacramentorum integritati et efficaciae nihil addere vel detrahere potest juxta vulgatum illud: *Vim sacramenti non mutat vita ministri*, quod sub hac conditione intelligendum modo ea, quae ad substantiam sacramentorum pertinent, rite observentur. Conf. August. art. 8: *Sacramenta et verbum propter ordinationem et mandatum Christi sunt efficacia, etiamsi per malos exhibeantur*, quae verba opposita sunt anabaptistis, qui Donatistarum errorem revocantes contrarium statuunt. Fundamenta ipsis opponenda haec sunt: 1. Ministri ecclesiae in administratione sacramentorum agunt instrumentaliter. Deus solus ut auctor, ita quoque dispensator eorum principalis est. Ergo ministri indignitas non derogat efficaciae causae principaliter agentis. Joh. 1, v. 26: *Ego baptizo in aqua, medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis;* v. 33: *hic est qui baptizat in Spiritu s.* 1. Cor. 3, v. 7: *Neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed Deus qui dat incrementum.* Augustin. tract. 5. in Joh.: *Quid faciat minister malus, ubi bonus est dominus? Quid impedit malitiosus praeco, ubi benevolus est judex? Baptisma tale est, qualis ille, in cujus potestate datur, non qualis ille, per cujus ministerium datur.* 2. Qualitas ministri alienum thesaurum distribuentis nihil derogat benignitati Domini vel bonitati thesauri. Jam vero ministri ecclesiae in dispensatione sacramentorum alienum thesaurum distribuunt. Ergo ipsorum qualitas, indignitas scilicet atque improbitas, non derogat integritati et efficaciae sacramenti. Prima propositio manifeste patet exemplo famuli, qui jussu domini erogat eleemosynam ei, quem livore et odio prosequitur. Secunda propositio habetur 1. Cor. 3, v. 5: *Quid est Apollo? quid Paulus? ministri sunt,*
VIII. 221. *per quos credidistis et unicuique sicut Dominus dedit.* 1. Cor. 4, v. 1: *Sic nos aestimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* Huc pertinent similitudines veterum. Nazianzeno in orat. de baptis. eadem sigilli figura est, licet aureo vel ferreo insculpta sit annulo. Verba sic habent p. 245: *Sint annuli duo, aureus hic, ferreus alius, uterque eadem regia imagine sculptus. Cerae ambo imprimantur, quid inter signum hoc et illud intererit? nihil. Discerne materiam in cera, etiamsi sapientissimus existas. Dic, quodnam ferri, quodnam auri sit signaculum (τὸ ἐκσφράγισμα), sed quo pacto unum est? quia inter materiam, non caracterem diversitas est (τῆς ὕλης τὸ διάφορον, οὐ χαρακτῆρος); ita et tibi sit omnis baptizator, qui tametsi conditione excellat, aequalis tamen baptismatis vis est, ac unusquisque aequalis tibi sit expurgator (τελειοποιός) qui fide eadem est formatus.* Augustinus tract. 5. in Joh.: *Parum refert, utrum aqua ad areolas irrigandas per canalem lapideum, an per argenteum transeat.* Verba sic habent: *Si superbus fuerit minister, cum diabolo computatur, sed non contaminatur donum Christi, quod per illum fluit. Purum est, quod per illum transit, liquidum est, venit ad fertilem terram, puta quia ipse lapideus est, ex aqua fructum ferre non potest, per lapideum canalem transit aqua ad areolas, in canali lapideo nihil generans, sed tamen hortis plurimum fructum affert, spiritualis enim virtus sacramenti ita est, ut lux et ab illuminandis pura excipitur, etsi per immundos transeat, non contaminatur.* **Idem lib. 3. contra Donat. c. 10: *Eadem est aqua, suaviter irrigans hortos per canales sive ligneos sive stanneos transmissa.*** lib. 3. cont. Cresc. c. 8: *Nihil refert ad efficaciam sementis et plantationis, an lotis manibus, an sordidis id fiat, modo bonum sit semen et terra fertilis, nec desit calor solis et pluvia de coelo.* lib. 3. de bapt. c. 10: *Lumen solis vel etiam lampadum non inquinatur, etiamsi per lutum transeat et loca coenosa.* In epist. ad Hieronym.: *Per aristas portantur grana repurganda in area domini et quamvis paleae sint inutiles, attamen prosunt tritico; ita vitia ministrorum non sic obsunt Christi fidelibus, ut sacramenta per illos administrata fiant inefficacia.* 3. Indignitas ministri non derogat efficaciae verbi. Ergo nec derogat efficaciae sacramenti. Matth. 23, v. 3. jubet Christus: *Audite Scribas et Pharisaeos in cathedra Moysis sedentes*, quos tamen gravissimorum peccatorum ibidem peragit reos. Phil. 1, v. 16: *Quidam ex contentione Christum annuntiant non sincere;* v. 18: *quid autem, dum omni modo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur, et in hoc gaudeo.* Vide Augustinum lib. 4. de baptismo c. 11. Quemadmodum igitur Deus efficax est per praedicationem illorum, qui ipsimet non sunt vere pii et conversi, siquidem verbum est et manet *potentia Dei ad salutem omni credenti* Rom. 1, v. 16. a quocunque praedicetur; ita quoque per improbitatem ministri nihil decedit veritati vel integritati sacramenti. 4. Si indignitas ministri derogaret integritati et efficaciae sacramenti, incredulitas hominum Dei fidem irritam faceret. Consequens refragatur manifesto apostoli effato Rom. 3,

v. 3. Ergo et antecedens. Connexio probatur, quia minister improbus vera et salvifica fide destitutus est, proinde si improbitas ministri tolleret efficaciam sacramenti, utique etiam aboleret fidem promittentis Dei. 5. Si integritas et efficacia sacramentorum penderet a dignitate ministri, fides nostra fieret omnino irrita. Connexio probatur, quia nemini nostrum constat, an minister sit gravioribus delictis occultis obnoxius. Augustinus epist. 166. circa medium: *Si in eis, qui primo initiati sunt, idcirco religio baptismatis judicatur infirma, quod ii, a quibus accipitur, peccatores putentur, toties renovari necessum erit traditum sacramentum, quoties indignus fuerit inventus collati baptismatis administrator et fides nostra non ex nostrae voluntatis arbitrio, neque ex divini muneris gratia, sed ex meritis sacerdotum et clericorum qualitate pendebit. Faciant mille concilia episcopi vestri, huic uni sententiae respondeant, et ad quod volueritis, consentimus vobis. Semper est Dei illa gratia et Dei sacramentum, hominis autem solum ministerium, qui*
VIII. 222. *si bonus est, adhaeret Deo et operatur cum Deo; si autem malus est, operatur per illum Deus visibilem sacramenti formam, ipse autem donat invisibilem gratiam.* 6. Augustinus lib. 1. contra Cresc. c. 31. docet, quod Judaei non iterum circumciderint eos, qui a Samaritanis haereticis erant circumcisi. tractat. 5. in Joh. monet, non fuisse rebaptizatos eos, qui a Juda proditore erant baptizati. Alibi monet, Christum ipsum suscepisse circumcisionem a Judaeis. **Bileamus pro maledictione benedictionem pronuntiat. Judas licet diabolus a Christo appellatus munere apostolico fungitur et sacramenta efficaciter administrat. Cajaphas de morte Christi toti humano generi salutari vaticinatur, instinctu Spiritus sancti linguam eorum sibi commodato datum liberrima voluntate sic gubernantis.** Argumenta Donatistarum et Anabaptistarum ex his, quae dicta sunt, facili negotio refelluntur, praecipuum est illud, quod minister improbus non habeat Spiritum sanctum ac proinde non possit beneficia Spiritus alteri conferre; sed, uti patet ex praecedentibus, distinguendum inter agens principale et instrumentale. Agens principale non potest conferre, quo ipsummet destituitur, sed per agens instrumentale conferri potest, quod ipsi non inest. Thomas p. 3. q. 64. art. 5: *Instrumentum agit non secundum propriam formam, sed secundum virtutem ejus, a quo movetur.* Vide libros septem Augustini scriptos contra Donatistas.

Intentio ministri an requiratur ad integritatem sacramenti.

31. Id ipsum etiam de intentione ministri dicimus, eam scilicet ad integritatem et fructum sacramenti itidem non requiri absoluta quadam necessitate. Distinguendum enim inter illa, quae requiruntur ad essentiam et integritatem sacramenti, et inter illa, quae ad personam ministri requiruntur, ut bonus sit et fidelis. Pietas et intentio ministri non requiruntur ad integritatem sacramenti, quae ex Dei instituentis veritate et potentia in solidum dependet, sed duntaxat ad personam ministri. Non negamus, quin imo monemus et hortamur, ut minister animo praesente, attento et devoto sit in sacramentorum administratione, sed si vel ex negligentia, vel ex malitia non sit intentus, integritati sacramentorum nihil decedere judicamus, modo institutionem CHRISTI et substantialia requisita sacramenti observet. *Aliud enim in administratione sacramentorum necessarium est necessitate praecepti, aliud vero necessitate sacramenti*, ut loquitur Bellarminus de sacrament. c. 21. Fundamenta nostrae sententiae haec sunt: 1. Quod de genere verum est, idem etiam de specie affirmari potest. Atqui de genere, videlicet de indignitate et improbitate ministri, verum est, quod non labefactet integritatem et fructum sacramenti. Ergo idem de specie, scilicet de illa (ut sic loquar) non intentione ministri, quae est species vel naevi vel malitiae in ministro, affimari potest. 2. Quicquid ad essentiam sacramentorum pertinet, ad aliquod genus causae pertinet. Sed intentio ministri ad nullum genus causarum, ex quibus sacramentum perficitur, reduci potest. Non esse materiam, nec formam, nec finem per se liquet, neque etiam est efficiens, nisi quis asserere velit, sacramenta non a solo Deo, sed quadantenus ab homine pendere et ministrum plus ad sacramentum quam externum ministerium afferre. 3. Moyses nec de substantia, nec de fructu circumcisionis dubitat, quam Zippora administraverat, ac Deus ipso facto ostendit, eam esse ratam, Exod. 4, v. 25. jam vero Zippora in iracundia circumcisionem administraverat, vix igitur debitam intentionem habuit. 4. Si ministri intentio ad sacramenti integritatem necessario requiritur, consequens fuerit, incredulitate hominum veritatem ac fidem Dei reddi irritam, siquidem ubi non adest illa intentio, Dei veritas et fides in sacramentis abolebitur. Sed consequens est absurdum Rom. 3, v. 3. Ergo et antecedens. 5. Si intentio formae baptismi contraria non tollit integritatem et efficaciam sacramenti, multo minus defectus intentionis eam labefactat. Sed verum prius, ergo etiam posterius. VIII. 223.
Assumtum probatur. Si enim ecclesia retineat ordinationem Christi, etiamsi minister privatim et occulte haeresin Arianam foveat, verus tamen ab eo administratur baptismus, modo substantialia observet; cum sacramenta non ministri, sed ecclesiae preces suas semper adjungentis et depositum sponsi sui instar sedulae matrisfamilias diligenter asservantis bona sint et doctrinae publice in ecclesia sonantis, non occulte in corde ministri latentis sint testimonia. Augustinus lib. 3. contra Donatistas c. 15: *Si evangelicis verbis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti Marcion baptismum consecrabat, integrum erat sacramentum, quamvis ejus fides sub ejusdem verbis aliud opinantis, quam catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata.* 6. Si efficacia sacramentorum pendet ab intentione ministri, sequetur, majorem esse efficaciam ab intentione majore; quoties enim vis agendi in causa augetur, effectus etiam major exsistit. Sic ergo sacra coena vel majoris vel mi-

Argumenta partis negantis.

noris fructus foret pro ratione ministri vel magis vel minus intenti. 7. Si essentia sacramentorum penderet ab intentione ministri administrantis, penderet etiam ab intentione suscipientis, quia essentia sacramentorum consistit in actione, actio illa complectitur non solum δόσιν, sed etiam λῆψιν. Non abnuit Thomas, sic enim disputat p. 3. qu. 68. art. 7: *Etiam ex parte baptizati adulti requiritur intentio sive voluntas suscipiendi baptismum.* Sic Richardus 4. sent. dist. 6. art. 2. qu. 3. statuit, requiri in adultis intentionem suscipiendi baptismum vel in actu vel in habitu. At si pari modo requiritur intentio in suscipiente ut in administrante, consequens est, infantes non esse baptizandos, cum non afferant intentionem, quod enim asseritur in adultis, requiri intentionem ad sacramenti integritatem, non autem in infantibus, id gratis dicitur. Haec argumenta Bellarminus non attingit, format autem alia quaedam pro nostrae sententiae confirmatione eademque solvere conatur; videamus, quid afferat. Sit ergo argumentum.

32. 8. Si sacramentum pendet ab intentione ministri, etiam praedicatio verbi pendebit ab intentione ministri, quia sacramentum est verbum visibile. Posterius est falsum, quia evangelium est efficax, quacunque intentione annuntietur, ut demonstratum fuit in praecedentibus. Excipit Bellarminus lib. 1. de sacrament. c. 28: *1. Argumentum hoc solum probare apud eos, qui cum Luthero statuunt, sacramenta esse tantum instituta ad excitandam fidem et solam fidem justificare; at apud Catholicos (Romanenses) nihil concludere.* Respondemus: nequaquam dicimus, sacramenta esse tantum instituta ad fidem excitandam per quandam significationem, sed statuimus, sacramenta esse efficacia media regenerationis, renovationis et salutis etiam in illis, in quibus verba sacramentalia per modum significandi nullum habent usum, ut patet exemplo infantum baptizatorum, qui vere per baptismum regenerantur, etiamsi verba baptismi non intelligant. *2. Etiamsi concedatur, verbum quacunque intentione prolatum posse excitare fidem, non tamen sequitur, verbum quacunque intentione prolatum habere effectum sacramentalem; ratio est, quia ad excitandam fidem non requiritur ulla efficientia, sed sufficit significatio.* Respondemus: hoc est τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν, asserere scilicet, quod Deus per verbum sacramentale non sit efficax, nisi accedat intentio ministri. Si enim Deus per verbum ἀκουστὸν efficax est ad fidem excitandam in adultis, etiamsi non accedat intentio ministri, utique etiam efficax est ad fidem excitandam in infantibus per verbum ὁρατὸν sive sacramentum baptismi, etiamsi itidem non accedat ministri intentio. Ceterum de illa hypothesi, qua nititur Bellarmini responsio, quod sacramenta prosint ex opere operato, postea despicietur. *3. Aliud est intendere non concionari, aliud intendere concionari, sed ob malum finem. Paulus de hoc posteriore loquitur Phil. 1. et hoc modo concedimus, baptismum esse verum et efficacem, cum minister intendit vere baptizare, licet ob malum finem.* Respondemus: intentio concionandi vel non concionandi tantundem derogat efficaciae verbi, quantum intentio concionandi ob malum finem. Evangelium est et manet potentia Dei ad salutem, si vel maxime minister non intendat concionari. Si VIII. obvertas, intentionem concionandi ex ipso actu manifestam esse, idem de baptismi actione dico. *4. Non est eadem ratio verbi concionalis et sacramentalis, nam verba concionum sunt verba speculativa, quae non pendent ab intentione, sed verba sacramentalia, quae ab intentione pendent, sunt practica.* Respondemus: hac de re postea disseremus. *5. Inferri posset ex eodem principio, sola verba sufficere sine aqua.* Respondemus: minime vero, sed aqua est essentialis pars baptismi disertis Dominicae institutionis verbis expressa, absque aqua igitur non potest administrari baptismus, alia vero ratio est intentionis in ministro. Quod de baptismo ebrii Bellarminus addit, ad illud respondemus c. dedit baptismum 1. quaest. 1. *ratum haberi baptismum, quem ebrius, homicida, adulter contulit,* quamvis legendum videatur *ebriosus*, ut patet ex tract. 5. Augustini in Johannem. Quod de pica addit, ridiculum est, cum illa nequeat aquam in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti effundere, quaerimus his de baptismo in usu ecclesiastico instituto, non de jocularibus et mimicis actionibus.

33. 9. *Si intentio ministri requiritur ad integritatem baptismi, consequens fuerit, everti certitudinem fidei et consolationis, quam ex baptismo habemus, perpetuo enim dubitandum fuerit, an sim vere baptizatus; consequens est absurdum. Ergo et antecedens.* Excipit Bellarminus, *1. certitudinem infallibilem de justificatione non convenire statui hujus vitae, sed humanam et moralem,* qua de re suo loco dictum fuit. Negari certe nequit et suo loco comprobatum dabitur, sacramenta hoc fine instituta esse, ut promissionem gratiae credentibus obsignarent, unde circumcisio dicitur σφραγὶς τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως Rom. 4, v. 11. Jam vero non solum infallibilis et absoluta, sed in genere omnis certitudo receptionis in foedus gratiae tollitur, si ab intentione ministri interiori integritas baptismi pendere statuitur, atque hac ratione finis institutionis sacramentorum plane tollitur. Quod autem Bellarminus dicit, *habere intentionem esse facillimum, ideoque nullam esse causam dubitandi, an minister habuerit intentionem, nisi exteriori aliquo signo id prodat*, id quam firmum sit, cuivis facile apparet. Quamdiu enim dubitare cogor, an minister intentionem debitam habuerit, nondum possum esse certus de veritate et efficacia baptismi. Cumque consecratum panem eucharisticum Bellarminus adorare jubeat, an non idololatria facile committi potest, si per defectum intentionis panis nondum fuit transmutatus in corpus Christi? Moralem et humanam illam certitudinem, quam Bellarminus ita vocat, solo nomine esse certitudinem, re ipsa vero nudam conjecturam et fallacem opinionem, ostendimus in tractat. de justifica-

tione. *2. Cum adoleverimus, non possumus recordari, nec scire, an habuerimus baptismum, nisi credere velimus parentibus; itaque parentibus credimus, qui tamen decipere possunt, et in eo acquiescimus, quanto magis poterit acquiescere in baptismo is, qui videt se baptizari et intelligit verba, nec habet ullam conjecturam contrariae intentionis ministri.* Respondemus: est dispar ratio actionis externae et intentionis internae. De actione externa certi esse possumus ex testimonio baptizantis, parentum, patrinorum, adstantium etc. *in ore duorum vel trium testium consistit omne verum,* Num. 35, v. 30. Deut. 19, v. 15. Matth. 18, v. 16. Hebr. 10, v. 28. sed interiorem ministri intentionem nemo novit, 1. Cor. 2, v. 11: *Quis hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?*

34. 10. Si ad integritatem et efficaciam sacramenti requiritur intentio ministri, salus hominum pendebit ab arbitrio ministri impii; consequens est absurdum; ergo et antecedens. Chrysostomus homil. 85. in Joh.: *Deus omnia facit, sacerdos linguam et manus praebet, neque enim justum est propter alterius malitiam ad salutem nostram accedentes offendi.* Excipit Bellarminus, *rationem hanc concludere de probitate, non de intentione ministri.* Respondemus: atqui utrobique est par ratio; subtractio intentionis voluntaria est species improbitatis in ministro; subtractio intentionis involuntaria est species naevi ac negligentiae culpabilis. Quomodo ergo probat Bellarminus rationis dispari-
VIII. 25. tatem? *1. Si sacramenta penderent a probitate, saepissime noceret unius malitia alteri, quia plurimi sunt mali, et non possent sacramenta esse rata, quae ab infidelibus vel haereticis, vel publicis peccatoribus aliqua urgente necessitate traduntur. At si pendeant ab intentione, rarissime nocebit malitia ministri suscipientibus; nam intentionem omnes habere possunt, nec est ratio, cur nolint.* Respondemus: magis et minus non variant speciem. Absolute injustum esse Chrysostomus pronuntiat et evidens ratio probat, malitiam ministri vere poenitenti et credenti nocere, ergo nec saepe nec raro malitia ministri nocet suscipienti. Quin imo ministros flagitiosos ecclesia non tolerat, sed negligentes vel non intendentes in administratione sacramentorum tolerare cogitur, ergo si non intentio vel perversa intentio ministri tolleret integritatem sacramenti, saepius aliena malitia noceret suscipienti sacramentum, quam si improbitas vitae in ministro integritatem sacramenti tolleret. Si excommunicationis fulmen vibretur in eum, qui innocens est, vel si absolutio ex livore atque odio denegetur ei, qui veram poenitentiam agit, nemo dicere audebit, eum coram Deo excommunicatum esse; pari ratione si minister improbus subtrahat intentionem baptizandi, non est dicendum, baptismum reddi irritum; assertionis fundamentum utrobique idem, scilicet malitiam ministri non nocere ad salutem accedenti. *2. Justum est, ut non pendeant sacramenta ab ea qualitate ministri, quae non est necessaria ipsi ministerio, qualis est probitas; at non erat aeque justum, ut non pendeant a qualitate, sine qua minister non est minister, qualis est intentio.* Respondemus: etiam sine illa intentione minister est et manet minister sive dispensator sacramenti, observat enim omnia substantialia sacramenti. Applicamus huc simile, quod in praeced. cap. 26. Bellarminus usurpat: *Haeretici* (inquit) *non habent remissionem peccatorum formaliter, tamen habent ministerialiter, quomodo famulus, qui saepe non habet unum obolum, tamen defert multos aureos a domino suo ad alium aliquem.* Inde sic colligimus: Quemadmodum famulus ille est et manet minister aureos distribuens, licet non habeat intentionem dandi, vel ex odio intentionem subtrahat; ita quoque baptizans manet minister verum et integrum sacramentum administrans, licet intentionem non habeat vel subtrahat. *3. Fieri potest etiam ex adversariorum hypothesi, ut malitia ministri noceat suscipienti, ut si quis nolit dicere verba aut infundere aquam eo tempore, quo non inveniatur alius, qui possit aut velit hoc facere.* Respondemus: in tali casu itidem malitia alterius non nocet sacramentum suscipere expetenti, siquidem non est absoluta quaedam sacramentorum, ne ipsius quidem baptismi, necessitas ad salutem, ut patet exemplo martyrum et catechumenorum ante baptismum abreptorum, qua de re suo loco. *4. Non debet videri durum, quod Deus permittit, ne destruat naturam hominis,* (ut salus hominum sit in arbitrio impii ministri) *alioqui etiam videretur durum, quod Deus reliquerit in arbitrio tyranni vitas multorum innocentium.* Respondemus: non est immediata oppositio inter destructionem naturae hominis et inter permissionem, ut salus hominum sit in arbitrio impii ministri, datur enim tertium, ut Deus ipse conferat sacramentum et sacramenti gratiam, qui ad externa media non est alligatus. Magna vero diversitas est inter tyrannum, qui vitam naturalem innocentibus eripit, et inter improbum ministrum, qui ex hypothesi Bellarmini salutem baptizando eripit. Deus nihil mali permittit, quin majus inde bonum elicere possit, permittit ergo innocentes ex hac vita per tyrannos abripi, ut probetur ipsorum fides, patientia, constantia etc. ut futuris malis praeripiantur, ut merces ipsorum copiosa sit in coelo etc. quae omnia non habent locum in proposito argumento. Atque ita quidem argumento nostro (quod et Ambrosius Catharinus urget) satis crudeliter Bellarminus respondet. Sed Alexander Alensis modestior est, dicit enim, si minister subtraheret intentionem suam interiorem, non esset quidem verum sacramentum, salvaretur tamen adultus baptismo flaminis, hoc est sua patientia et caritate sine baptismo. Sed quid si in baptismo parvuli minister subtraheret intentionem, atque ita parvulus non vere baptizatus ante usum rationis decederet, an malitia ministri noceret ipsius saluti? Respondent Alexan- VIII. 28.
der et Thomas, *in illo casu pie supponi posse, sine praejudicio tamen, quod summus sacerdos suppleat, quod deficit sacramento.* Et addit Biel:

Hoc est bene notandum, quia est valde consolatorium. Sed quare non retinent (ait D. Chemnicius in examine concil. Trident. p. 2. cap. de intent.) vera fundamenta consolationis, ut scilicet veritas sacramentorum aestimetur non ex ministri incerta intentione, sed ex veritate et certitudine divinae institutionis. Addunt tamen, *si summus sacerdos non suppleat illud, non posse accusari divinam justitiam, etiamsi parvulo baptizato sine ministri intentione non remittat peccata.*

Dicta patrum de intentione ministri.

35. Quemadmodum autem Scriptura, ita quoque purior antiquitas ignorat illam disputationem, quod ad integritatem sacramenti necessaria sit talis intentio ministri, quae respiciat non solum ipsum actum conferendi sacramenta, juxta formam institutionis, sed quae respiciat etiam finem sacramenti, ut scilicet minister intentione sua illud fieri velit, propter quod sacramentum institutum est; hoc dogma non solum Scripturis, sed et puriori antiquitati ignotum est, quippe cujus perpetua axiomata haec sunt: *sacramentorum veritatem non niti moribus, fide et qualitate ministri, sed Dei institutione; qualiscunque sit minister exterior, Deum tamen esse interiorem operatorem; non nocere ministrum malum, ubi bonus est dominus; sacramenta confici non fide utentis, vel administrantis, sed verbis auctoris.* Sozomenus lib. 2. c. 16. Rufinus lib. 1. c. 14. Nicephorus lib. 8. c. 40. referunt, ab Athanasio puero pueros quosdam catechumenos in ludo baptizatos, atque hunc baptismum ab Alexandro Alexandriae episcopo ratum fuisse judicatum. Bellarminus monet, *Athanasium habuisse intentionem vere sacramenta conferendi, sed ob finem recreandi animum, qui ludus cum sit extrinsecus actioni sacramentali, sacramenti veritatem non impediat;* id vero non negamus, interim tamen ex hac historia apparet, Alexandrum haudquaquam sollicite inquisivisse, qua intentione Athanasius baptismum administrarit, sed cum intelligeret, formam institutionis fuisse observatam, judicavit absque ulteriori inquisitione, baptismum esse ratum, sic enim Rufinus loc. dict.: *Ille* (Alexander) *diligenter inquirens ab his, qui baptizati dicebantur, quid interrogati fuerint, quidve responderint, simul et ab eo, qui interrogaverat, ubi videt, secundum religionis nostrae ritum cuncta constare, conlocutus cum concilio clericorum statuisse traditur, illis quibus integris interrogationibus et responsionibus aqua fuerat infusa, iterari baptismum non debere.* Ceterum quod ad nostram sententiam attinet, jocularem et ludicrum baptismum nequaquam pro legitimo habemus, is enim baptismus probandus, qui cum institutione Christi congruit; jam vero certum est, a Christo nequaquam ludicram, jocularem et ridiculam, sed religiosam et sanctam baptismi administrationem in ecclesia institutam esse. Augustinus lib. 7. de baptismo contra Donatist. c. 53. movet has quaestiones: *1. Si quis fallaciter, hoc est animo simulato, in ecclesia accipiat baptismum. 2. Si quis in minorum fide accipiat. 3. Si quis ab eo, qui non est baptizatus, accipiat baptismum. 4. Si tradens baptismum in ecclesia fallaciter agat.* Et de his quaestionibus Augustinus primum in utramque partem disputat, ita enim inquit: *An quantum ad ipsos quidem homines attinet, plurimum distat inter eum, qui fide baptismum accipit a mimo et qui animo simulato in ecclesia baptismum accipit, ad ipsius autem sacramenti integritatem nihil interest. Si enim nihil adest, interest ad integritatem sacramenti in ipsa catholica, utrum id aliquid fallaciter an veraciter agant, cum hoc idem utrique agant, quomodo extra ecclesiam intersit non video, quoniam ille, qui accipit, non simulatione palliatus, sed religione mutatus est. An plus valent ad confirmandum sacramentum illi veraces, inter quos agitur, quam ad frustrandum illi fallaces, a quibus agitur et in quibus agitur, et tamen si postea prodatur, nemo repetit. Sed nobis tutum est in ea non progredi aliqua temeritate sententiae, quae nullo in catholico regionali concilio coepta, nullo plenario concilio terminata sunt* etc. Postea subjungit: *Ve-* VIII. 227
runtamen si quis forte me in eo concilio constitutum, ubi talium rerum quaestio versaretur, non praecedentibus talibus, quorum sententiam sequi mallem, urgeret ut dicerem, quid ipse sentirem; si eo modo affectus essem, quo eram, cum ista dictarem, nequaquam dubitarem, habere eos baptismum, qui ubicunque et a quibuscunque illud verbis evangelicis consecratum sine sua simulatione et aliqua cum fide accepissent etc. *Item praeteritis majorum statutis non dubito, etiam illos habere baptismum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in ecclesia tamen accipiant, vel ubi putatur ecclesia ab eis, in quorum societate id accipitur, de quibus dictum est, ex nobis exierunt. Ubi autem neque societas ulla esset ita credentium, neque ille, qui accipiet, ita crederet, sed totum ludicre et mimice et joculariter ageretur, utrum approbandus esset baptismus, qui sic daretur, divinum judicium pro alicujus revelationis oraculo oratione implorandum esse censerem, ita sane ut post me dicturos sententias, si quid jam exploratum et cognitum afferens humiliter exspectarem.* Haec Augustinus pro solita sua modestia. Bellarminus regerit, locum Augustini contra nos esse: *1. Cum Augustinus dicat, se ea de re dubitasse, quia in nullo concilio res definita, nunc autem rem in concilio Florentino et Tridentino decisam esse.* Respondemus: Augustinus pro solita sua modestia definitionem ad concilium rejicit, interim sententiam suam non dissimulat, quin imo adeo ex institutionis veritate et certitudine, non ex hominum sive dantium sive accipientium quacunque vel qualitate vel intentione vult metiendam esse veritatem et integritatem baptismi, ut ne quidem de mimica seu joculari actione pronuntiare ausit. Quod conciliis non tribuerit Augustinus authenticam et Scripturis sacris parem auctoritatem, patet ex lib. 3. contra Maxim. cap. 14. ubi non urget decretum concilii Nicaeni, sed *Scripturarum auctoritates*, ex quibus Nicaena synodus decretum suum deduxit. lib. 2. de baptismo c. 3. *concilia plenaria priora,*

etiam regionalia a posterioribus emendari scribit. Athanasius lib. de synod. Arimin. et Seleuc. p. 673. *divinam Scripturam omnibus synodis potentiorem esse* asserit. De Tridentino concilio exstat accuratum scriptum Protestantium, quo exponunt causas recusati illius concilii. 2. *Cum Augustinus dicat, petendam esse revelationem de baptismo joculariter administrato, testatur, non esse certum ex Scripturis, an sacramenta requirant intentionem ministri.* Respondemus: non quaerimus hoc loco de baptismo mimico et joculari, sed de baptismo in usu ecclesiastico administrato juxta Christi institutionem, ubi propter defectum intentionis sacramenti integritatem non labefactari Augustinus manifeste asserit. Quae de baptismo sub conditione repetendo Bellarminus addit, suum alibi habent locum. Idem Augustinus lib. 1. contra literas Pesiliani c. 3: *Si conscientia dantis baptismum attenditur, fit salus illa spiritualis incerta.* c. 4: *Cum fieri possit, ita esse conscientiam dantis, ut scelerosa atque maculosa sit et hoc ignoret accepturus, consequenter fit, ut spes quoque baptizati vana et inanis exsistat.* c. 7. Donatistico huic errori de attendenda conscientia dantis opponit hanc regulam: *Saepe mihi ignota est humana conscientia, sed certus sum de Christi misericordia.* (Idem de intentione ministri dicendum est.) Chrysostomus hom. 85. in Joh.: *Deus omnia facit, sacerdos linguam et manus praebet, neque enim justum est propter alterius malitiam ad salutem nostram accedentes offendi.* Bellarminus regerit, *probitatem, non intentionem ministri excludi.* At Chrysostomus in genere loquitur et duo argumenta profert, quae non solum probitatis, sed etiam intentionis necessitatem excludunt: 1. Deus est unus sacramentorum dominus et in iis omnia efficit; nihil igitur efficiunt sacerdotes, sed tantum linguam praebent. Sacramenta non sunt hominis, qui ea dispensat, sed Dei, in cujus nomine dispensantur. 2. Si sacramenta ulla ratione penderent a ministro, tum ipsius malitia esset aliis damno. Haec fundamenta moverunt Ambrosium Catharinum archiepiscopum Minoriensem unum ex patribus concilii Trident. ut scriptum peculiare ederet de intentione ministri; in eo distinguit duplicem intentionem: *unam faciendi simpliciter actum externum, quem facit ecclesia;*
VIII. 228. *alteram faciendi actum externum non simpliciter, sed ut sacramentalem, sive animo celebrandi mysterium, quod Christus instituit et ecclesia celebrat.* Priorem intentionem ait requiri, posteriorem negat. *Haec opinio* (ait Bellarminus) *non video quid differat a sententia Chemnicii et illorum haereticorum, nisi quod Catharinus subjicit se apostolicae sedi et concilio, illi autem utrumque rident.*

Origo quaestionis de intentione ministri.

36. Quaestio de necessitate intentionis mota primum est a Scholasticis, de quibus non solum nostri, sed etiam Abbas Trithemius, Wesselus, Nicolaus de Clemangis, Roffensis, Staphylus, Catharinus, Erasmus, Ludovicus et alii conqueruntur, quod philosophicis disputationibus vel potius dubitationibus doctrinae coelestis sinceritatem corruperint. Lombardus lib. 4. sent. dist. 6. lit. E. indicat, suo tempore quaestionem de ludicra sive joculari baptizatione, ut cum quis in balneum vel flumen mergitur in nomine Trinitatis, fuisse disputatum ac sapientibus visum, quod non sit baptismus, quia non intentione baptizandi illud geratur, et addit: *Nam in hoc et aliis sacramentis sicut forma est servanda, ita et intentio illud celebrandi est habenda;* intelligit autem Lombardus intentionem de ipso actu baptizandi, non de fine et effectu baptismi, mox enim subjungit illam Augustini sententiam: *Illud te non moveat, quod quidam non ea fide parvulos ad baptismum ferunt, ut per Spiritum ad vitam regenerentur aeternam, sed eos putant hoc remedio temporalem accipere sanitatem, non enim propterea illi non regenerantur, quia nec ab illis hac intentione inferuntur.* Haec Lombardi sententia (scribit D. Chemnicius) de intentione celebrandi actionem baptismi nihil aliud vult, quam institutionem servandam esse, ut sit verum sacramentum. Non enim hoc vult institutio baptismi, ut fiat vulgaris aliqua lotio, vel quae ex professo nihil aliud sit, quam vel ridiculus lusus vel mimica subsannatio, vel profanatio institutionis cum recitatione verborum coenae; sed requirit, ut peculiaris instituatur actio et quidem illa actio, quam Christus instituit. Et hoc sufficit ad servandam institutionem. Quid vero in corde de illa actione sentiat is, qui baptismum administrat, hoc ad veritatem sive integritatem baptismi nihil interest, neque hoc voluit Lombardus. Postea addit Chemnicius, illam sententiam etiam post Lombardi tempora mansisse, cum Innocentius statuat, ad veritatem seu integritatem baptismi non necessario requiri, quid minister sciat, sentiat, vel credat de baptismi vel substantia vel effectu, modo baptizet juxta institutionem. Bellarminus exclamat, *Chemnicium more solito mala fide allegare Innocentii verba.* Videamus ergo verba Innocentii c. Si quis extr. de bapt prout allegantur ab Angelo in summa verb. baptismus sect. 5. membr. 7: *Non est necesse quoad effectum baptismi, quod sciat baptizans, quid sit baptismus; scilicet quod infundat gratiam, vel quod sit sacramentum, nec etiam oportet, quod credat hoc ipsum, imo si contrarium credit et reputat trufam et deceptionem, baptismus tamen habet effectum suum; non requiritur, quod baptizans sciat, quid sit ecclesia, nec quod gerat in mente facere, quod facit ecclesia, imo si contrarium gereret in mente, id est non faceret, quod facit ecclesia, sed tamen facit, quia formam servat, nihilominus baptizatur, dummodo baptizare intendat* etc. Postea addit Angelus: Landulphus tamen in lib. 4. sent. dist. 5. qu. 2. dicit, *quodsi non intendit facere, quod facit ecclesia, quod non sit baptismus. Sed opinio Innocentii mihi magis placet, quamvis ista sit magis tuta* etc. Ex his apparet, Innocentium non requirere ad integritatem baptismi, ut minister sciat, quid sit baptismus, aut intendat facere, quod facit ecclesia, quae verba non de solo effectu actionis (ut vult Bellarminus), sed etiam de

ipsa substantia baptismi accipienda sunt, distincte enim negat Innocentius, requiri, ut baptizans sciat, quod baptismus infundat gratiam, vel quod sit sacramentum. At, inquis, Innocentius tamen requirit, ut baptizans intendat baptizare. Respondemus: per illam intentionem intelligit observationem formae a Christo institutae, neve sit vulgaris lotio vel actio ludicra et mimica, sed ecclesiastica. Sic Aureolus
VIII. 229. lib. 4. sent. dist. 5. qu. 1. in definitione ministri baptismi dicit, *quod sit viator quilibet unus personaliter distinctus potens contingere et verba proferre intendens in habitu facere, quod facit ecclesia, vel de quo praesumitur, quod intendat*, quae verba postrema joculari et mimicae actioni itidem sunt opposita. Sed quicquid sit de intentione Innocentii, videamus, quomodo Scholastici occasione eorum, quae Lombardus de intentione dixerat, ulterius fuerint in hac quaestione progressi. Disputant, intentionem dupliciter in aliquid ferri, vel ut in objectum, vel ut in terminum aut finem. Primo modo dicunt, nihil aliud esse velle istum actum perficere; secundo modo velle fieri id, propter quod baptismus institutus. Hanc intentionem dicunt esse duplicem; est enim vel specialis, qua intenditur, ut baptizatus fiat filius regni, qui est finis remotus vel propinquus, qui est remissio peccati originalis; aut quod fiat membrnm ecclesiae militantis; vel generalis, ut fiat quod intendit ecclesia, licet non cogitetur aut ignoretur vel etiam non credatur id conferri per baptismum. Quaelibet harum intentionum iterum constituitur triplex: actualis, virtualis, habitualis. Actualis est, dum intendens habet actum elicitum respectu ejus, quod intendit; virtualis, quando aliquis ex virtute intentionis actualis praeviae procedit ad aliquos actus, non intendens actualiter ad illud, ad quod primo intendebat, ita quod ad tales actus non procederet, nisi praecessisset intentio prior actualis. (Bellarminus sic definit: *Virtualis dicitur, cum actualis intentio in praesenti non adest ob aliquam evagationem mentis, tamen paulo antea adfuit et in virtute illius fit operatio.)* Habitualis dicitur inclinatio quaedam seu promptitudo ex habitu infuso vel acquisito, qualis etiam in dormiente inesse potest. Hinc oriuntur disputationes, quae et qualis intentio requiratur. Statuunt tamen, non sufficere habitualem, quia illa possit esse in habente contrariam intentionem; nec tamen requiri actualem, quia Deus non obliget ad nimis difficile, sed sufficere et requiri virtualem. Thom. p. 3. q. 64. art. 8. ad 2: *Quidam dicunt, quod requiratur intentio mentalis, quae si desit, non perfici sacramentum, ac defectum istum in pueris supplere Christum, qui baptizat interius; in adultis supplere defectum istum fidem et devotionem. Sed* (inquit Thomas) *hoc satis posset dici, quantum ad ultimum effectum, qui est justificatio a peccatis, sed quantum ad effectum, qui est res et sacramentum scilicet quantum ad caracterem, non videtur, quod per devotionem accedentis possit suppleri, quia caracter nunquam inprimitur nisi per sacramentum; dicendum igitur et melius, quod ministri sacramenti agunt in persona ecclesiae, cujus sunt ministri, in verbis autem, quae proferuntur, exprimitur intentio ecclesiae, quae sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur.* Intelligit autem Thomas in his verbis Alex. Alensem, qui in 4. sent. dist. 6. q. 13. art. 4: memb. 1. format objectionem, *si requiritur intentio in baptizante, non poterit baptizatus esse certus?* respondet autem: *cum aliquis debet baptizari, adhibenda est diligentia, quod non committatur alicui suspecto de haeresi, dum autem non suspecto offertur, licet intentio baptizantis non innotescat certitudinaliter et vehementer, tamen innotescit vehementi praesumptione, et hoc saluti baptizati adulti cum propria fide et intentione sufficit.* De parvulis dicit, *pie supponi et credi posse, quod summus sacerdos suppleat, quod desit sacramento, cum ipsius virtus non sit alligata sacramentis.* Ceterum cum Thomas manifeste asserat, ministros agere in persona ecclesiae ac in verbis, quae proferuntur exterius, manifestari intentionem ecclesiae, quae ad perfectionem sacramenti sufficiat, nisi exterius contrarium exprimatur, inde apparet, quod non requirat interiorem ministri intentionem ad sacramenti integritatem, sed sufficere observationem institutionis et expressionem verborum, in qua continetur intentio ecclesiae. Urget hunc locum Thomae Catharinus, cui Bellarminus respondet, *Thomam non loqui de perfectione sacramenti simpliciter, sed de perfectione coram hominibus, quae sufficiat ad humanam certitudinem, cum alibi intentionem ministri ad sacramenti perfectionem requirat.* Nos in medio relinquimus, an Catharino satisfactum sit hoc responso,
certe si minister agit nomine ecclesiae, utique in- VIII. 230
tentio ecclesiae erit sufficiens ad perfectionem sacramenti etiam in sese. Quamvis igitur Thomas alibi requirat intentionem ministri, tamen quando illa non adest, intentionem ecclesiae vicem subire illius intentionis, quam minister debebat adhibere, videtur statuere. Quemadmodum nos dicimus in casu necessitatis, preces ecclesiae subvenire infanti non baptizato, cum parentes impii preces pro fructu ventris negligunt; ita intentionem ecclesiae judicat Thomas infanti baptizato subvenire, si minister in baptismo intentionem suam vel ex negligentia non afferat vel ex malitia subtrahat. Defectus causae secundae facile suppleri possunt a prima, dicunt philosophi. Biel 4. sent. dist. 6. prop. 3. statuit: *Quod ad veritatem baptismi requiratur intentio ministri, non tantum respectu actus ut objecti, sed etiam respectu ejus ut finis;* addit tamen, *ad veritatem sacramenti non requiri intentionem respectu baptismatis effectus in specie, sed sufficere intendi, quod ecclesia intendit in genere.* Angelus in summa disputat ex Hostiensi, si *quis solum intenderet baptizare masculum et foemellam interim baptizaret, quod non conferret verum sacramentum.*

37. Concilium Trident. sess. 7. can. 11. has Scholasticorum disputationes sub anathematis fulmine Sententia Tridentini

Concilii de ministri intentione.

credendas proponit: *Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit ecclesia, anathema sit.* Chemnicius recitans hunc canonem
VIII. 231. subjungit, dogma illud, quod ad veritatem sacramenti necessaria sit talis intentio ministri, qui non tantum respiciat ipsum actum conferendi sacramenti juxta formam institutionis, sed quae respiciat etiam finem sacramenti, non habere in Scripturis fundamentum. Bellarminus exclamat, *merum hoc esse mendacium, quod concilium definierit, intentionem finis esse necessariam, cum non nominet finem sacramenti.* Respondemus: Cur ergo non loquuntur clarius Tridentini patres? dicunt, *requiri intentionem faciendi, quod facit ecclesia,* id vero non solum de ipso actu, sed etiam fine sacramenti intelligi posse, ne ipse quidem Bellarminus negabit; sic enim scribit in cap. seq. 28. §. 17: *Verba illa Innocentii: etiamsi gerat in mente non facere, quod facit ecclesia, duobus modis intelligi possunt: uno modo de eo, quod facit ecclesia, quantum ad substantiam actionis; altero modo, quantum ad effectum illius actionis. Posteriori modo intellexit Innocentius et est sensus: Etiamsi minister non gerat in mente facere, quod facit ecclesia, id est justificare hominem a peccatis, quia nimirum putat non habere talem virtutem illam ceremoniam, tamen si intendit vere facere ceremoniam, quam facit ecclesia, satis est.* Vides, ipsum Bellarminum fateri, quod intentio faciendi quod facit ecclesia, de intentione finis accipi possit et in verbis Innocentii etiam accipi debeat. Cur ergo Chemnicium flagellat, quod eodem sensu verba canonis accipi posse statuat? Adde quod Chemnicius neutram intentionem ministri ad integritatem sacramenti necessario et essentialiter requiri ostendat, modo observentur substantialia, nec sit mimica quaedam subsannatio aut ridiculus lusus, sed actio sacra, solennis et ecclesiastica institutioni Christi conformis.

Bellarmini de intentione sententia.

38. Videamus, quomodo Bellarminus concilii mentem declaret. Primo dicit, *melius quidem esse habere intentionem particularem, id est conferendi sacramentum baptismi, absolutionis, consecrandi eucharistiam etc., interim sufficere intentionem generalem faciendi, quod facit ecclesia. Secundo non opus esse intendere, quod facit ecclesia Romana, sed quod facit vera ecclesia, quaecunque illa sit, vel quod Christus instituit, vel quod faciunt Christiani. Tertio non requiri necessario actualem intentionem, nec sufficere habitualem, sed requiri et sufficere virtualem, dandam tamen esse operam, ut habeatur actualis.* Destitutus Scripturae fundamentis et patrum suffragiis format quasdam rationes:

Argumenta pro necessitate intentionis adstruenda. I. Intentio determinat formam.

1. *Sicut certa forma verborum requiritur necessario, ut determinetur indifferentia materiae; ita requiritur aliquid, quo determinetur indifferentia formae. Nam illa verba: Ego te baptizo et similia possunt varias habere significationes, baptizare enim est tingere aquis; tingit autem aquis, qui lavat sordes corporis, qui refrigerat, qui lavando medetur etc. At nihil fingi potest, quo determinetur haec indifferentia formae, nisi intentio ministri, qui illa verba profert et cujus est tota actio. Ergo.* Respondemus: non audis hic Spiritus sancti oracula, sed rationes humanae cogitata; jam vero ex principiis rationis nunquam exstrui poterunt articuli fidei sub anathematis fulmine ad credendum propositi, ubi destituimur manifestis et perspicuis Scripturae sacrae testimoniis. 2. Argumentum, hoc est Thomae et Richardi, qui illud sic proponunt: Quando concurrunt plura ad unum effectum, oportet quod aliquo modo uniantur. Ad sacramentum baptismi concurrunt elementum, verba, minister et suscipiens, quae sunt plura distincta. Ergo requiritur aliquid conjungens, quod non videtur aliud nisi intentio ministri. Sed Scotus hanc rationem impugnat et Biel infirmitatem ejus agnoscit, quia *in signo ad placitum instituto* (inquit Scotus) *possunt multa concurrere ad rationem unius signi propter actum instituentis, licet nihil aliud sit, propter quod habeant unitatem.* 3. Thomas (quem Bellarminus hic sequitur) in explicatione hujus argumenti sic progreditur p. 3. q. 64. art. 8: *Quando aliquid se habet ad multa, oportet quod per aliquid determinetur ad unum, si illud effici debeat. Ablutio aquae, quae fit in baptismo, potest ordinari et ad mundiciem corporalem et ad sanctitatem spiritualem et ad ludum,* VIII. 232.
ideo oportet quod determinetur ad unum, id est ad sacramentalem effectum per intentionem abluentis, et haec intentio exprimitur per verba, quae in sacramentis dicuntur, puta cum dicit: Ego te baptizo in nomine Patris etc. Ubi observa, si requiratur intentio quoad sacramentalem effectum, utique etiam requiretur intentio, non tantum respectu actus, sed etiam respectu finis, quod tamen ante negatum ibat Bellarminus. 4. Significationem verbi baptizandi dicimus satis determinari verbis illis additis, in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti significatur enim his verbis primo baptismum non esse ordinationem humanam, sed institutionem divinam, sanctum N. T. sacramentum a Deo ipso, qui est unus in essentia et trinus in personis, institutum. Deinde ministrum evangelii non suo nomine aut proprio ausu vel arbitrio, sed nomine et loco Dei agere, cujus sit minister, legatus et oeconomus. Tertio invocari super hac baptismi aqua nomen veri Dei, ut in hac actione sit efficax, juxta promissionem ac institutionem suam. Quarto aquam baptismi non esse mere ac nude aquam, sed aquam verbo sanctificatam et verbo conjunctam, per quam tota sacrosancta Trinitas velit esse efficax, ita ut Deus Pater baptizatum propter meritum Filii a peccatis abluat, in gratiam recipiat et Spiritu sancto regeneret, renovet et obsignet, denique baptizatum εἰς ὄνομα, in nomen, Patris, Filii et Spiritus sancti hoc ipso obligari ad agnitionem, invocationem et cultum veri Dei 5. At, inquit Bellarminus, *si Christi institutio id faceret, ut illa verba id significarent, modo proferantur exterius sine ullo ordine ad intentionem dicentis, quare non esset verum*

sacramentum, si illa verba a psittaco proferrentur? Respondemus: non jocularem vel psittaci baptismum instituit Christus, sed actionem sacram, solennem et ecclesiasticam. Ergo propter institutionem Christi verus et integer est baptismus, si in usu ecclesiastico haec actio a ministro instituitur, quamvis intentionem debitam non afferat, *determinatio et applicatio actionis est a causa agente principali* Thom. p. 3. qu. 64. art. 2. jam vero Christus est causa agens principalis in sacramentorum consecratione et administratione, minister tantum instrumentalis. Ergo Christus est causa non solum operationis, sed etiam applicationis sacramentorum, qui non naturaliter (ut ignis), sed voluntarie et deliberate agit; operatur autem toties, quoties juxta ipsius institutionem in usu ecclesiastico actio instituitur; frustraneum igitur est de joculari vel psittaci baptismo quaerere, cum non fiat in usu ecclesiastico juxta Christi institutionem.

2. Ministri sunt instrumenta animata.

39. *2. Ministri sacramentorum sunt instrumenta Dei, et quidem instrumenta animata,* Matthaei 24. *Quis est fidelis et prudens servus* etc.? *Unde dicuntur praepositi* Rom. 12. Hebr. 13. Confert Bellarminus hoc loco ministros ecclesiae *cum praesidibus et judicibus in urbe, qui nomine regis jus dicunt et gubernant populos, in quibus non solum corpus et sensus, sed etiam prudentia et voluntas sunt instrumenta. Non enim rex determinat actiones particulares, sed relinquit in arbitrio instrumenti, quare in talibus requiritur necessario non solum potestas, sed etiam voluntas et proinde intentio exercendi actiones; tales ministros esse ecclesiae pastores*, colligit Bellarminus ex eo, *quod prudentia et fidelitas in illis requiritur et quod praepositi dicuntur, ita ut sit in illorum arbitrio facere et non facere, sicut Joh. 20. in eorum arbitrio relinquitur, ut solvant vel ligent.* Respondemus: 1. Potestas ministrorum non est authentica ac judiciaria more politico, sed ministerialis et ecclesiastica, nec reliquit Deus in arbitrio ipsorum, ut solvant vel ligent, sed poenitentes jussit solvere, impoenitentes ligare; contra hoc mandatum et institutum Dei si minister agat, irritum est coram Deo. 2. Magnum discrimen est inter judices politicos et ministros ecclesiae. Rex constituens praesides et judices non potest coram adesse et actiones eorum intueri, sed Christus perpetuo adest ecclesiae et ministerio, ideo ipse per ministros baptizat, sacramentum coenae administrat, absolvit, praedicat etc. Si vel maxime minister in praedicatione verbi et administratione sacramentorum debitam non adhibeat
VIII. 233. intentionem, tamen Christus est, qui docet, absolvit, baptizat etc. modo institutio ejus sancta et inviolata observetur. 3. Invertimus proinde argumentum: Negligentia vel odium servi non praejudicat liberalitati Domini. Quemadmodum igitur ille, qui veram agit poenitentiam et absolutionem petit, vere a Deo absolvitur a peccatis, si vel maxime minister ex odio vel invidia absolutionem ei deneget; ita qui baptismum accipit juxta Christi institutionem, sortitur effectum baptismi, etiamsi vel sine intentione vel perversa intentione minister baptismum administret. 4. Hypothesis argumenti Bellarmini consistit in eo, quod ministris ecclesiae absoluta, authentica et judiciaria quaedam potestas verbi et sacramentorum sit data, adeo ut *multi pereant saltem ex eo, quod ministrum absolventem habere non possint*, ut superius ex Bellarmino audivimus; sed ne uno quidem Scripturae apice talis potestas probari potest. Fidelitas et prudentia in illis requiritur tanquam in οἰκονόμοις μυστηρίων θεοῦ, 1. Cor. 4, v. 1. et 2; *ut sermonem veritatis recte secent*, 2. Timoth. 2, v. 15; legis minas securis, consolationem evangelii contritis cordibus proponendo, nec indignis sacramenta administrent, hac ratione *margaritas porcis objicientes* Matth. 7, v. 6. interim tamen prohibentur κατακυριεύειν τῶν κλήρων, 1. Petr. 5, v. 3; *dominari fidei auditorum* 2. Cor. 1, v. 24. Ministri enim sunt ecclesiae, non Domini. 1. Cor. 3, v. 21: *Omnia vestra sunt. v. 22: sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas.* Observetur ergo probe, qua intentione necessitatem intentionis Bellarminus propugnet, ut videlicet dominatum illum et judiciariam potestatem sacerdotum in ecclesia stabiliat.

3. Verba sacramentorum sunt practica.

40. 3. *Verba sacramentorum non sunt speculativa, quae efficaciam suam habent in significando a quocunque dicantur, sed practica, quae praeter significationem habent efficientiam. Jam vero verba practica non habent efficaciam, nisi dicantur ab eo, qui habet potestatem et voluntatem faciendi, quod verba significant.* Respondemus: 1. Argumentum hoc petitum est ex Alexandro Alensi et Scoto, qui infirmitatem superiorum argumentorum agnoscentes illud excogitarunt. Proponunt autem id hoc modo: *Actus ministrandi sacramentum est actus humanus, qui per intellectum et voluntatem causatur ab homine, ergo requiritur intentio in agente.* Consequentiam probant, quia *actus casualis, fortuitus aut per impetum factus, et ita sine intentione non est humanus.* 2. Physic. Antecedens probant, quia *actus ille est actus, ad quem obligavit Deus ministrum ex parte sui ad dispensandum et suscipientem ex parte sui ad suscipiendum, sed super actu fortuito non cadit obligatio.* Alensis addit duas rationes: primo *quia injuria et irreverentia sacramento fieret, si sine intentione fieret ex impetu, temere et a casu;* deinde *periculum salutis est baptizato, si non recte ministraretur cum bona cautela et providentia, ne quid omittatur, quod ad veritatem baptismi necessario requiritur.* Haec illi. 2. Dicimus autem, ministros ecclesiae in administratione sacramentorum esse dispensatores beneficii alieni, nequaquam vero dominos et judices proprio arbitrio ac potestate agentes, nec verbis sacramentorum tribuendam esse magicam quandam vim et efficaciam ipsis syllabis et literis verborum inhaerentem, nec externam illam pronuntiationem verborum sacramentalium esse causam unionis sacramentalis, sed Christum θεάνθρωπον; hic quoties in usu

ecclesiastico sacramenta administrantur, vi mandati, promissionis et institutionis suae adest et per sacramenta distribuit bona coelestia, qui tamen non facit immediate, sed mediate per legitimos ecclesiae ministros, qui sunt causa instrumentalis, quae in agendo semper respicit principalem, ab ea determinatur et agendi vim sortitur. Quemadmodum externa verbi praedicatio non qua est actio praedicantis, convertit hominem, sed quatenus Spiritus sanctus per eam operatur, 1. Cor. 3, v. 5. Cathedram in coelo habet, qui intus docet; ita quoque verborum sacramentalium vis et efficacia, ut per ea res terrenae fiant organa et ὀχήματα rerum coelestium, non pendet efficienter ab intentione vel potestate ministri, nec haeret subjective in quantitate literarum ac syllabarum, vel etiam sono verborum, sed
VIII. 234. insolidum pendet ab institutione, ordinatione, promissione et actione Christi, ecclesiae suae perpetuo praesentis et per ministros docentis, absolventis et sacramenta distribuentis, et hoc est, quod Augustinus dicit lib. 3. contra Donatist. c. 14. *sacramenta confici non fide utentis vel administrantis, sed verbis auctoris.* 3. Bellarminus fatetur, *duas distinctas de virtute operativa verborum sacramentalium inter Scholasticos et recentiores scriptores agitari opiniones.* Aliqui enim, ut Cajetanus part. 3. q. 64. art. 1. Sotus 4. dist. 1. q. 5. art. 1. et Ledesmius ibidem volunt: *in ipso etiam ministro esse virtutem operativam efficienter et instrumentaliter, ut est in sacramento.* Alii vero sentiunt: *ministrum non habere in se ullam vim efficientem respectu justificationis, sed eam solum esse in sacramento, ministrum autem solum concurrere applicando sacramenta*, Thom. p. 3. q. 94. art. 1. Bellarminus priorem sententiam judicat probabiliorem, quam nos dicimus a veritate magis recedere, solus enim Deus spiritualem gratiam per verbum et sacramenta distribuit, *minister plantat et rigat*, *Deus dat incrementum.* Cyprianus de bapt. Christi: *Verborum solennitas et sacri invocatio nominis et signa institutionibus apostolicis sacerdotum ministerio attributa visibile celebrant sacramentum, rem vero ipsam Spiritus sanctus format et efficit.* Ambrosius lib. 4. de sacrament. c. 4: *Hoc igitur adstruemus, ubi venitur, ut conficiatur venerabile sacramentum, jam non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum.* Chrysostomus hom. 7. de pass.: *Et nunc praesto est Christus, qui illam ornavit mensam, iste ipsam quoque consecrat, non enim homo est, qui proposita panem et vinum corpus Christi facit et sanguinem, sed ille qui crucifixus est pro nobis Christus; sacerdotis ore verba proferuntur, sed Dei virtute consecrantur.* Idem homil. de prodit. Jud.: *Sicut illa vox Crescite et multiplicamini, semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem operante natura, ita et vox illa, hoc est corpus meum* etc. *semel quidem dicta est, sed per omnes mensas ecclesiae usque ad hodiernum diem et usque ad ejus adventum praestat sacrificio firmitatem.* In 1. Tim. c. 2: *Non possunt, quae Deus ipse largitur, veluti sacerdotali virtute perfici, omnia quippe sana divinae gratiae, hujus tantum munus est aperire os, ceterum Deus cuncta operatur.* 4. At, inquit Bellarminus, *verba sacramentalia non habent virtutem et proinde non sunt sacramentalia, nisi quando moventur a Deo ut instrumenta; non autem moventur a Deo ut instrumenta, nisi quando pronuntiantur ab eo, cui ipse commisit; quare semper aliquo modo pendent verba sacramentalia a ministri potestate et voluntate.* Respondemus: recte dicitur, verba sacramentalia non habere virtutem et proinde non esse sacramentalia, nisi quando moventur a Deo ut instrumenta (ex quo immediate sequitur, vim illam sacramentalem non inhaerere ipsis literis ac syllabis vel etiam pronuntiationi horum verborum, sed ab institutione et ordinatione Christi pendere); recte etiam additur, non moveri a Deo illa verba ut instrumenta, nisi quando pronuntiantur ab eo, cui ipse commisit, hoc est in administratione sacramentorum requiri pronuntiationem verborum et repetitionem institutionis; sed minus recte infertur, verborum sacramentalium virtutem a ministri potestate et voluntate, hoc est intentione aliquo modo pendere. Quamvis enim vix fieri posse judicemus, ut minister consecret et administret sacramentum absque virtuali illa (quam Bellarminus ita vocat) intentione, ut externum illum conficiendi actum non intendat, vel in ipso actu vel paulo ante actum, tamen si observetur institutio divina et substantialia cujusque sacramenti requisita adsint, integrum est sacramentum, etiamsi ministri intentio non adsit, unde Paludanus scribit 4. sent. dist. 6. q. 2. *posse sustineri, quod sola verborum expressio sufficiat*, ac Thomas p. 3. q. 64. art. 8. statuit: *intentionem exprimi per verba, quae in sacramentis dicuntur.*

41. 4. *Absurda ex eo sequuntur, si ministri intentio non judicatur necessaria ad integritatem sacramenti. Si enim parens aliquis filium in balneum duceret et dum puerum immergeret dicens: Lavo te in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti, nimirum invocans Deum, ut bene cedat lotio, et nihil de baptismo cogitans, tunc puer deberet dici baptizatus. Si sacerdos in mensa legeret evangelium et recitaret illa verba: hoc est corpus meum* etc. *hic est sanguis meus, jam totus panis et totum vinum esset consecratum. Si, cum aliquis ancillam conducit, diceret: accipio te in meam (intelligens, sed non exprimens) ancillam, et illa diceret: accipio te in meum (intelligens, sed non exprimens) herum, jam illi essent conjugati.* Respondemus: 1. Sacramenta sunt actiones sacrae et solennes divinitus institutae, in usu ecclesiastico debita reverentia administrandae, ubicunque ergo non observatur illa institutio Christi, non potest sacramentorum administratio dici, quicquid mimice, joculariter et ludicre geritur. 2. Ipse actus exterior lotionis illius ab homine privato extra casum necessitatis in com-

4. Absurda sequuntur ex VIII. 235. negata intentionis necessitate.

muni balneo susceptae ostendit, non administrari baptismum, solenne illud N. T. sacramentum a Christo institutum, sed communem quandam institui lotionem; idem de pronuntiatione verborum coenae in mensa statuendum. An matrimonium sit sacramentum suo apparebit loco. 3. Ex Bellarmini sententia consequuntur efficaciter illa absurda, quod sacramenta non a sola institutione et actione Dei, sed etiam qualitate ministri quodammodo pendeant, quod nemo possit esse certus, se esse baptizatum et verum corpus ac sanguinem Christi in coena accipere, quod negligentia vel malitia ministri obstet alterius saluti, quod sacramenta conficiantur non tantum verbis auctoris, sed etiam intentione et fide administrantis, quam causa instrumentalis deroget actioni et efficaciae causae principalis. 4. Si verba sacramentalia et sacerdotes in se habent virtutem quandam non instrumentaliter tantum, sed etiam efficienter operativam (ut Bellarminus statuit), consequens fuerit, quod sacerdos sua intentione per verba sacramentalia omnes panes et omnia vina in corpus et sanguinem Christi convertere possit, etiam extra usum ecclesiasticum a Christo institutum; et quidni? Biel lect. 4. super can. miss. asserit: *Confectionem corporis in sacramento fieri aliqua occulta virtute non insistente ei, a quo fit, sed assistente, secundum quem modum* (inquit) *malefici et incantantes quosdam effectus producere dicuntur et extrahere lac vaccarum de sedibus vel manubriis securium, quod non fit naturali virtute maleficorum nec ex eorum merito, sed virtute occulta sive mala sive bona.* Idem in quaestione, cur canon tacite mussitandus: *Fertur, quod cum antiquitus publice et alta voce canon diceretur, omnes paene per usum illum sciebant et in plateis et in vicis illum decantabant. Unde cum quidam pastores in agro pane super lapidem posito canonem dicerent, ad prolationem verborum illorum panis conversus est in carnem, ipsi autem igni de coelo sunt percussi, propter quod patres statuerunt, ut de cetero canon diceretur sub silentio.*

Dispensatio sacramentorum consistit in δόσει καὶ λήψει.

42. Egimus hactenus de causa instrumentali sive ministeriali, per quam Deus ordinarie dispensat sacramenta in ecclesia, quem diximus esse ministrum ecclesiae legitime vocatum; restat ut de ipsa dispensatione sacramentali agamus, quae in δόσει καὶ λήψει consistit. Δόσις notat actionem administrantis divinitus praescriptam, λῆψις sacramenti receptionem. Sic δόσις in circumcisione est amputare praeputium, juxta Dei verbum, in agno paschali δόσις est agnum anniculum, masculum, immaculatum etc. segregare, mactare et ad manducandum praeparare ritu divinitus instituto. In baptismo δόσις est aquam homini
VIII. 236. affundere vel in aquam immergere in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti. In sacra coena δόσις est panem benedictum, qui est κοινωνία corporis Christi, et vinum benedictum, quod est κοινωνία sanguinis Christi, ad manducandum et bibendum distribuere. Λῆψις in circumcisione est amputationem praeputii sustinere; in agno paschali agnum assatum certis ritibus manducare; in baptismo aqua affundi vel in eam mergi in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti; in sacra coena panem benedictum manducare et ex benedicto calice bibere. Ubi observandum: 1. Unam eandemque actionem interdum esse δόσιν καὶ λῆψιν, sed diverso respectu. Sic amputatio pelliculae est δόσις respectu administrantis hoc sacramentum, λῆψις respectu suscipientis. Quando Abraham se ipsum circumcidit Gen. 17, v. 24. duplicem sustinuit personam tum administrantis tum suscipientis sacramentum. 2. Λῆψιν sacramentalem vel esse simplicem ἀναδοχήν et meram passionem sacramentum suscipientis, ut in circumcisione et baptismo; vel etiam actionem quandam habere conjunctam, ut in agno paschali et coena Dominica.

Δόσις distinguenda a τρόπῳ δόσεως.

43. Ut autem in aliis rebus, ita quoque hoc loco accurate distinguendum inter rem et rei modum, inter ipsam δόσιν καὶ λῆψιν, et inter δόσεως καὶ λήψεως τρόπον. Δόσις καὶ λῆψις administratio, dispensatio, exhibitio et acceptio sacramenti simpliciter sunt necessariae nec ullam patiuntur exceptionem; sed modus δόσεως καὶ λήψεως aliquam libertatem et variationem admittit. Exemplis res erit clarior. In baptismo simpliciter necessarium est, hominem aqua baptizari, hoc est ablui in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti; sive autem illa ablutio fiat immersione in aquam, sive affusione aquae, nihil interest, ut ostensum fuit in tractat. Germ. de baptismo c. 11. Mersio in aquam usitata est orientalibus in locis calidioribus: affusio recepta est septentrionalibus propter circumstantem aëris frigiditatem. Sic in sacra coena simpliciter necessarium est, panem benedictum, qui est κοινωνία corporis Christi, distribui ad manducandum, sive autem ante actionem coenae praeparetur ut distribui possit, sive in ipsa actione frangatur deturque vel in manum vel in os accipientis, in Christiana libertate positum est, ut ostendimus in tractat. Germ. de sacra coena cap. 15. et 16.

Objectum sacramentorum.

44. Ceterum cum in actionibus emanantibus ratio etiam habenda sit objecti, ideo *sacramentorum objectum* hoc loco explicandum erit. Dicimus autem, sacramenta instituta esse et dispensari debere *solis hominibus*, et quidem *viventibus*. Apparet id 1. ex institutione cujuslibet sacramenti; 2. ex fine institutionis; 3. ex illis, quae essentialiter ad sacramentorum integritatem pertinent, quorum quaedam ita comparata sunt, ut non nisi hominibus iisque viventibus conveniant. Porro circumcisio in V. T. solis masculis administrabatur apud Israëlitas, sed baptismus qui in N. T. in locum circumcisionis successit Col. 2, v. 11. recte etiam feminis administratur, ut ostensum fuit in tractat. German. de bapt. c. 19. qua in parte discrimen quoddam occurrit in sacramento initiationis V. ac N. T.; sed in sacramento confirmationis utriusque testamenti pulcherrima est analogia. Quemadmodum enim in circumcisione non licebat manducare pascha, sed oportebat ipsum prius circumcisionis sacramentum suscipere, Exod. 12, v. 48. 49. ita quoque ad mensam Domini ad-

mittendi sunt soli baptizati Christiani, illi scilicet, qui se ipsos probare possunt, qua de re late dictum fuit in tractat. German. de coena cap. 29. et 30. ex quo judicium fieri potest de consuetudine primitivae ecclesiae eucharistiam infantibus dandi et mortuorum ori imponendi, Dionysio, Cypriano, Augustino et Innocentio attestantibus.

VIII. 237. Subjectum sive materia circa quam sacramentum.

45. Cumque actiones definiendae sint ex genere, subjecto et fine, ideo *de subjecto et fine actionum sacramentalium* disserendum restat. Subjectum sive materia, circa quam dispensatio sacramenti versatur, est res certa divinam vocationem habens, hoc est certo, peculiari et expresso verbo Dei denominata, praescripta et ad certum usum determinata. Quid autem in quolibet sacramento rei illius nomine veniat, id ex institutione cujusque colligendum. Circumcisio occupatur circa praeputium amputandum; pascha circa agnum certis ritibus mactandum et manducandum; baptismus habet aquam, sed non solam; coena Dominica panem et vinum, sed non solum, inde Irenaeus dicebat, *eucharistiam constare ex duabus rebus, terrena et coeleste* lib. 4. c. 34. Per terrenam intelligit panem et vinum, per coelestem corpus et sanguinem Domini. Res terrena sive elementum externum in sacramentis cum *percipiat vocationem Dei*, ut loquitur Irenaeus l. d. separatur per eam ab usu communi, sanctificatur et ad usum sacramentalem destinatur, ut sit ὄχημα, organum ac medium bonorum coelestium sive rei coelestis offerendae et applicandae. Quid vero rei coelestis nomine in quolibet sacramento veniat, quaeve unio sit rei terrenae et coelestis, adeoque quid de cujusque sacramenti natura et essentia statuendum sit, id omnium rectissime ex propria sede, hoc est ex verbis institutionis cujusque sacramenti cognosci potest et debet. Quod enim quidam generalem analogiam in ipsa essentia sacramentorum V. et N. T. quaerunt, unam eandemque rei terrenae et coelestis unionem, videlicet σχετικὴν et significativam tantum in omnibus tam V. quam N. T. sacramentis comminiscentes, id cum ipsa speciali singulorum sacramentorum institutione pugnare alibi ostendetur.

[illegible]

46. Et quia quodlibet sacramentum habet specificam actionem circa proprium suum subjectum, hoc est peculiarem certae rei administrationem ac dispensationem, peculiari institutionis verbo expressam, ideo etiam habet propriam et peculiarem suam formam, per quam est quod dicitur et ab aliis omnibus distinguitur. Si dicas: actio est genus in definitione sacramentorum, jam vero genus materiae, differentia formae respondet in definitione, ergo forma sacramenti cujusque non potest statui in actione; respondemus: distinguendum inter actionem communiter consideratam et certis circumstantiis determinatam, sive inter actionem communem et propriam. Actio communis est genus sacramenti γενικῶς considerati, cum enim omne sacramentum in actione consistat, ideo merito per actionem definitur. Actio propria, hoc est certo subjecto et aliis circumstantiis determinata, est forma cujusque sacramenti in specie considerati. Sic forma circumcisionis est amputatio praeputii juxta mandatum Dei; forma paschatis est manducatio agni paschalis certis ritibus mactati et praeparati; forma baptismi est ablutio hominis in aqua facta in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti; forma sacrae coenae est manducatio panis benedicti, qui est κοινωνία corporis Christi, et bibitio vini benedicti, quod est κοινωνία sanguinis Christi; ubi amputatio, ablutio et manducatio generis locum obtinent, sed subjectum sive materia circa quam hae actiones versantur, differentiae specificae locum supplet. Praecipiunt enim logici, actiones definiendas esse mentione subjecti, objecti, efficientis et finis loco specificae differentiae generi addita.

Actus sacramentales sunt vel praeparatorii vel essentiales. VIII. 238.

47. Observandum tamen hoc loco, actus sacramentales esse in duplici differentia: quidam sunt *praeparatorii* sive *ministeriales*, quidam vero *essentiales et principales*. Sic agni segregatio, mactatio et assatio sunt actus praeparatorii et ministeriales in paschate, qui inserviunt manducationi, quae est actus essentialis et principalis. Tales actus principales et essentiales quandoque plures sunt, ut in sacra coena benedictio, distributio et manducatio, quandoque vero unus, ut in baptismate ablutio, quae omnia ex speciali cujusque sacramenti ἐξηγήσει erunt manifestiora.

An forma sacramentorum consistat in analogia significativa.

48. Qui Calvinum sequuntur formam sacramenti constituunt in analogia significativa sive relatione σχητικῇ signi ad rem signatam. Bucanus loc. 46: *Esse sacramenti nihil aliud est, quam ad signatum et sacramentum seu rem significatam referri.* Polanus lib. 1. part. theolog. p. 225: *Sacramenti forma interna ac essentialis est pulcherrima illa analogia et similitudo signi et significati.* Atqui haec analogia significativa 1. non exprimitur in institutione cujusque sacramenti. 2. tollit discrimen sacramentorum V. et N. T. quae differunt ut *umbra* et *corpus* Col. 2, v. 17. Hebr. 10, v. 1. 3. non dat suum esse sacramento, cum etiam extra sacramentum locum habeat. 4. sacramenta V. T. statuit clariora et illustriora sacramentis N. T. 5. confundit sacrificia ac typos reliquos V. T. cum sacramentis proprie sic dictis. 6. infert sacramentum esse posse sine actione sacramentali, quae membra luculenter probat Dn. Menzerus tom. 2. disput. Giss. disput. 6. thes. 49. Ergo non est forma sacramenti. Non negamus, sacramenta integra habere suas significationes, sed in illis non consistit forma sacramentalis, verum pertinent illae ad finem sacramentorum, nec ad finem primarium et principalem, sed minus principalem et secundarium. Nec inficias imus, panem eucharisticum dici posse signum corporis, scilicet praesentis, licet invisibilis; sed officium sacramentale panis et vini eucharistici in significando tantummodo corpore et sanguine Christi consistere, ac proinde significativam illam analogiam esse sacrae coenae formam, id vero διαῤῥήδην negamus, cum Christus expresse dicat: *Accipite, come-*

dite, hoc est corpus meum; bibite, hoc est sanguis meus, cum apostolus panem, quem in sacra coena frangimus, non significationem, sed κοινωνίαν corporis Christi appellet, qua de re in tractatu Germ. de coena pluribus fuit actum.

An fides sit forma sacramenti. 49. Ne vero nimis abjecte de sacramentorum essentia sentire videantur, ideo speciose declamitant, quod symbola sacramentalia non tantum sint signa significantia, sed etiam praebentia et exhibentia rem coelestem, nimirum credentibus, inde fidem ad formam sacramenti referunt. Grynaeus probl. p. 2. f. 118: *Sacramenta fidei solis fidelibus sunt sacramenta, eadem autem infidelibus non sunt sacramenta.* Piscator contra dictum Hoffm. p. 147: *Sacramenta pendent a fide sumentis, vel ut a causa formali saltem ex parte*, et addit: *cum in sumente non est fides, non sumit ille sacrameutum, sed elementum tantum.* Keckermannus lib. 3. syst. theol. c. 8. p. 446: *Qui sine fide utuntur sacris signis, non percipiunt ipsum formale sacramentorum, sed tantum materiale*, qua in parte sequuntur Calvinum lib. 4. instit. c. 14. §. 25: *Impii inania signa, imo ne signa quidem accipiunt, quia in nihilum redigitur quicquid est signorum, ubi res signata tollitur;* et Beza p. 2. resp. ad coll. Mompelg. p. 119: *Increduli signa tantum percipiunt, quae tamen ipsis ne signa quidem sunt gratiae, sed exitii illorum sigilla.* Cui opinioni haec fundamenta opponimus: 1. Sacramentorum veritas atque integritas pendet ex institutione Dei, quae incredulitate nostra non redditur irrita, Rom. 3, v. 3. 2. Sacramenti essentia tota absolvitur re terrena et coelesti ejusdemque administratione divinitus instituta. 3. Fides ad salutarem usum sacramenti spectat; ergo non ad essentiam; facit non ut sit, sed ut nobis prosit sacramentum. 4. Si fides pertineret ad substantiam baptismi, hypocrita adultus si baptizaretur, non acciperet verum baptismum, sed esset postea rebaptizandus. 5. Fides sacramento confirmatur; ergo non pertinet ad ejus
VIII. 289. essentiam. 6. Forma est, per quam res est id, quod est et ab aliis distinguitur. Per fidem sacramentum non est sacramentum, nec unum sacramentum ab alio distinguitur. 7. Par est ratio quantum ad constitutionem essentialem sacramenti inter fidem dantis sive dispensantis et accipientis. Atqui fides dantis non est pars essentialis sacramenti; ergo nec fides accipientis. Recte igitur Augustinus lib. 3. contra Donatist. c. 14: *Non interest, cum de sacramenti integritate et sanctitate tractatur, quid credat aut quali fide imbutus sit ille, qui accipit sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad sacramenti quaestionem nihil interest, fieri enim potest, ut homo integrum habeat sacramentum et perversam fidem.* Agnoscit hoc ipsemet Martyr in locis comm. class. 4. c. 7. §. 16. Sacramenta affirmamus esse sacramenta, quamvis aut infirma, aut etiam nulla sit fides tua.

De verbis in sacramentis. 50. Cum praeter res in sacramentis adsint etiam verba, notandum hoc loco, quod discrimen sit inter verbum institutionis sacramenti et verbum evangelii, hoc enim generale est, illud speciale; hoc ἀκουστὸν est, illud ὁρατόν, quia visibilibus signis vestitum. Bellarminus lib. 1. de sacram. cap. 18. disputat, *sacramenta componi ex rebus et verbis, ut materia et forma*, fatetur autem, varias esse suorum hominum sententias: *1. Quidam statuunt, proprie in sacramentis materiam et formam non esse res et verba, sed rem sensibilem esse materiam, sive sit res, sive verbum, sive utrumque, significationem esse formam; quod communiter dicitur, rem in sacramento esse materiam, verbum autem formam, id intelligendum esse dicunt de sacramento materialiter sumto.* Dominicus a Soto in 4. sent. dist. 1. qu. 1. art. 1. Cajetanus p. 3. qu. 60. art. 6. *2. Quidam docent, sacramentum ipsum et non solum ejus partem materialem constare ex rebus ut materia et verbis ut forma.* Thomas p. 3. qu. 60. art. 6. et reliqui Scholastici communiter. Rursus *1. Quidam existimant, non omnia sacramenta constare rebus et verbis, sed solum quaedam.* Durandus 4. dist. 1. qu. 3. Adrianus qu. 2. de bapt. *2. Alii docent, omnia sacramenta novae legis constare rebus et verbis.* Alexander Alensis 4. p. summ. q. 8. mem. 3. art. 1. et Scholastici communiter. *3. Alii volunt, omnia sacramenta constare rebus et verbis, si res et verba largo modo accipiantur pro iis signis, quae sunt aut verae res et vera verba, aut certe vicem eorum gerant; si vero accipiantur in rigore, non constare omnia sacramenta rebus et verbis.* Dominicus a Soto 4. sent. dist. 1. qu. 1. art. 6. et alii recentiores. Bellarminus addit, has opiniones magna ex parte conciliari posse, ideo format quinque propositiones: *1. Sacramenta veteris legis probabile est non habuisse res et verba, sed solas res, cum in institutione nulla fiat mentio verborum.* Respondemus: sacramenta V. T. non fuerunt mutae ceremoniae, sed addita fuit repetitio divinae institutionis, quae est ipsum illud verbum sacramentale, de quo hoc loco quaeritur. Praeter hanc divinae institutionis repetitionem additae fuerunt piae admonitiones, preces, gratiarum actiones cum institutione cujusque sacramenti congruentes et ad salutarem ejus usum accommodatae. Rabbini vetustam circumcisionis benedictionem hanc recitant: *Deus vivus pars nostra et protector noster praecepit erui animam nostram ab inferis propter foedus suum, quod posuit in carne nostra. 2. In sacramentis omnibus novae legis inveniuntur res ut materia et verba ut forma.* Respondemus: id de baptismo et sacra coena verissimum est (quamvis ad rem sive elementum externum et verbum mandati, ordinationis et promissionis accedere insuper oporteat actionem, quae est pars tertia substantialis in his sacramentis, unde exstructa est regula: *nihil habet rationem sacramenti extra usum a Christo institutum*), sed quomodo res
et verba divinitus instituta in reliquis sacramentis, VIII.
quae Bellarminus duobus hisce addit, inveniri poterunt? *3. Non solum quod est materiale in sacramento, sed ipsum totum sacramentum recte dicitur constare ex rebus ut materia et verbis ut forma.*

Respondemus: recte, juxta Augustini dictum tract. 80. in Joh.: *Accedat verbum ad elementum et fit sacramentum.* 4. *Ut sacramenta constare dicantur rebus et verbis, non est necesse, ut res non sint verba et verba non sint res, sed satis est, si aliquid fungatur vice rei, aliud vice verbi.* Respondemus: hoc excogitatum est, ut poenitentiae sacramentum, in quo non datur externum aliquod elementum sive res terrena, sed tantummodo verba, salvari possit, qua de re suo loco. 5. *Non est necesse, ut in omni sacramento res et verba ita conjungantur, ut partes essentiales ejusdem rei.* Respondemus: recte, rerum et verborum in sacramento non est unio essentialis, sed sacramentalis, ideo etiam non habet locum extra usum divinitus institutum.

An verbum sacramentale sit consecratorium.

51. Cap. 19. disputat Bellarminus, *verbum, quod cum elemento facit sacramentum, non esse concionale, sed consecratorium*, ubi format has propositiones: 1. *Non solum in baptismo, sed etiam in ceteris sacramentis requiruntur verba in ipsa celebratione mysterii.* 2. *Non requiritur ullum verbum concionale ad essentiam ullius sacramenti.* 3. *Requiritur ad essentiam sacramenti certa verborum forma, quae non tam instruat circumstantes, quam consecret et sanctificet elementum.* Bellarminus dicit, hanc tertiam propositionem non solum a Calvino, sed etiam a Brentio et aliis Lutheranis negari; sed enim nequaquam eam simpliciter rejicimus, sed cum debita explicatione illam non minus quam priores acceptamus. Consecrationem sive *εὐλογίαν καὶ ἁγιασμὸν* dicimus non esse tantum instructionem auditorum, praedicationem evangelii de meritis Christi (quam verbi concionalis nomine Bellarminus intelligit) et gratiarum actionem pro missione filii et ejusdem passione ac morte, pro institutione sacramentorum etc., sed etiam symbolorum ad usum sacramentalem efficacem dedicationem ac sanctificationem, ut cum illis vi divinae institutionis, ordinationis ac promissionis res coelestes distribuantur, exhibeantur et sumantur, atque hac ratione symbola illa terrena in novum et meliorem statum, videlicet ad usum mysticum et sacrum, transferantur. Proinde consecratio:

Quid sit consecratio in sacramentis.

1. non est nuda verborum institutionis recitatio ad auditores tantummodo directa. 2. Nec mutatio symbolorum, quam consecratio efficit, est nuda saltem nominum permutatio, analogia significativa, absentis rei coelestis repraesentatio, sed est sacra et efficax actio, per quam symbola sacramentalia vere sanctificantur, hoc est profanis usibus eximuntur et usui sacramentali destinantur, nec tamen est: 1. Magica et superstitiosa quaedam actio ex dignitate et qualitate personae, hoc est ex potestate et charactere ministri pendens, qui vi intentionis suae sacramentum conficiat. 2. Nec judicandum est, vel sono vel quantitati verborum occultam quandam vim subjective inesse, per quam consecratio illa fiat. 3. Nec per eam externa elementa essentialiter mutantur et transsubstantiantur in rem coelestem, sed praesentia rei coelestis, ejusdem unio cum re terrena in solidum pendet ex institutione, ordinatione et voluntate Christi et a perpetuo adhuc in ecclesia durante efficacia primae institutionis, quam minister vel potius ipse Christus ministri voce subinde repetit. Minister ergo in consecratione: 1. repetit primaevam sacramenti institutionem juxta mandatum Christi, *hoc facite.* 2. Testatur, se non proprio arbitrio hic agere, nec ordinationem quandam humanam celebrare, sed velut oeconomum mysteriorum divinitus constitutum Christi nomine, auctoritate et loco venerabile sacramentum administrare. 3. Invocat nomen veri Dei, ut juxta ordinationem, institutionem et promissionem suam velit in hoc sacramento efficax esse. 4. Segregat externa elementa ab aliis omnibus ad usum sacramentalem, ut sint organa et media, per quae bona coelestia dispensentur. Atque hoc illud est, quod apostolus dicit 1. Cor. 10, v. 16. *τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ᾧ εὐλογοῦμεν*, VIII. 241. ubi articulus *ᾧ* significat benedictionem ad calicem eucharisticum dirigendam esse, quod enim vocat *ποτήριον τῆς εὐλογίας*, eo ipso docet, poculum illud ab ipso Christo in prima institutione coenae benedictum esse, sicut contactu sui corporis etiam aquas baptismi sanctificasse a veteribus dicitur, quod autem addit, illi poculo *τῆς εὐλογίας* etiam nos benedicere, eo ipso docet, ex prima coena sanctificationem seu ordinationem elementornm ad sacrum usum in omnes posteriores coenas a Christo per ministerium usque ad finem mundi derivari. Haec omnia si probe observentur, facile potest judicari de illis, quae Bellarminus de consecratione late disputat. Quod enim ex recitatione verborum institutionis et administratione sacramentorum in lingua vernacula colligit, nos verbis sacramentalibus tantummodo ad instructionem auditorum, non autem ad consecrationem elementorum uti, id *ἀσύστατον* est et ex subordinatis facit pugnantia. Cum enim non propter externa elementa, sed propter hominem sacramenta sint instituta, ideo in lingua vernacula divinam institutionem repetimus et sacramenta administramus, ut ecclesia intelligat, quid agatur, et fides auditorum tam de substantia, quam de salutari fructu sacramenti recitatione illa verborum excitetur et confirmetur. Finis *οὗ* non tollit finem *ᾧ*; finis *οὗ* consecrationis est efficax sanctificatio elementorum et ad usum sacramentalem destinatio; finis *ᾧ* est homo utens sacramento, ut ejus fides excitetur et confirmetur salutari sacramenti participatione. Neque enim ex opere operato prosunt sacramenta, sed fidem ad salutarem sacramenti usum accedere oportet, ut suo loco plenius demonstrabimus.

Res et verba sacramentorum sunt determinata.

52. Cap. 21. disputat Bellarminus, *res et verba sacramentorum ita esse determinata, ut nihil addere, minuere aut mutare liceat*, qua in parte nos sibi habet *ὁμοψήφους*, cum enim sacramentum a Dei institutione unice dependeat, utique quando non facimus quod Deus instituit, sacramentum non erit. Augustinus lib. 6. contra Donatist. c. 25. Quis nesciat, non esse baptismum Christi, si verba evangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint? Quod autem Bellarminus addit, *Lutherum* in lib. de

captiv. Babylon. cap. de Bapt. *statuere*, *non requiri certa verba in sacramentis*, *cum dicat*, *si quis in nomine Domini baptismum suscipiat*, *etiamsi minister impius non det in nomine Domini*, *eum vere esse in nomine Domini baptizatum*, id nequaquam eo trahendum, quod Lutherus statuat, licitum esse verba substantialia institutionis sacramentorum mutare, cujus contrarium in homil. 2. de baptismo et alibi plus millies occurrit, sed quod forma baptismi a Graecis usurpata: *baptizetur servus Christi*, itemque illa ab apostolis usurpata: *Ego te baptizo nomine Christi*, non deroget hujus sacramenti integritati, quodque integritati baptismi nihil decedat, si vel maxime minister interius perversam haeresin contra sacrosanctae Trinitatis articulum foveat, modo institutionem Christi observet, et quod saluti illius, qui in vera fide baptismum accipit, nihil decedat, si vel maxime minister malitiose verba sacramentalia immutet. Quod de Brentio dicit, *ipsum non multum curare praescriptam a Christo baptismi formam in catech.* de eo ex ipsa textus inspectione judicari potest. Causam efficaciae baptismi divinam in literis et syllabis verborum consistere negat, sed ad institutionem divinam revocandam esse docet, nequaquam vero verba institutionis vel mutanda vel omittenda esse statuit. Revocamus autem Bellarmino in mentem: 1. quod quidam ex Scholasticis disputent in lixivio, in urina, in jure carnium, in aqua paludosa etc. fieri posse baptismum, et quod Innocentius VIII. referente Volaterrano lib. 7. Geogr. permiserit Norwegis usum alterius liquoris pro vino in sacra coena. 2. Quod Guilielmus cap. 2. de baptismo personis Trinitatis adjicit B. Mariam virginem. 3. Quod in canone missae verba consecrationis mutilantur, quia omittuntur haec verba, *quod pro vobis traditur*, miscentur aliena, et vocula *enim* judicatur ipsam formam consecrationis ingredi, cum tamen non fuerit a Christo in prima parte
VIII. 242. sacrae coenae usurpata. Ceterum hoc loco notandum, non sonum, sed sensum verborum respiciendum esse, nec qualemcunque accidentalem, sed substantialem verborum mutationem sacramenti integritatem tollere, ut Bellarminus hic recte scribit. Ea solummodo verborum mutatio, quae mutat genuinam sententiam, non autem quae fit salvo et invariato eorum sensu contra Christi institutionem pugnare judicanda est.

Necessitas sacramentorum.

53. Descendemus ad *finem* sacramentorum explicandum, ubi prius de *necessitate* eorum egerimus. Concil. Trident. sess. 7. can. 4. sic statuit: *Si quis dixerit*, *sacramenta novae legis non esse ad salutem necessaria*, *sed superflua et sine eis aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci*, *licet omnia singulis necessaria non sint*, *anathema sit.* Bellarminus lib. 1. de sacram. c. 22. sententiam canonis primum explicat, postea contra Chemnicium defendere nititur. Explicatio continetur his propositionibus: 1. *Nulla sacramenta habent absolutam necessitatem*, *sed omnis eorum necessitas pendet ex praecepto et institutione divina adjuncta naturali congruentia.* **Respondemus:** concedimus hoc, neque absoluta quaedam vel praecepti, vel medii necessitas in sacramentorum institutione animadvertitur, cum per verbum Deus cum hominibus agere potuisset. Interim tamen grato corde agnoscendum, quod Deus ex immensa misericordia imbecillitati nostrae subvenire cupiens verbo addiderit sacramenta, *ut per duas res immobiles* (promissionem scilicet evangelicam et signa externa promissioni addita) *firmius solatium haberemus.* Hebr. 6, v. 18. quo pertinet illud Chrysostomi hom. 60. ad pop.: *Si incorporeus esses* etc. Augustinus lib. 19. contra Faustum c. 11: *Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum et ideo contemta sacrilegos facit, impie quippe contemnitur, sine quo non potest perfici pietas.* Hieronymus in c. 1. Malach.: *Cum sacramenta contemnuntur*, *ipse*, *qui eorum auctor est*, *Deus contemnitur.* 2. *Omnia sacramenta necessaria sunt necessitate praecepti*, *licet non singulis.* Respondemus: concedimus et hanc propositionem sano sensu usurpatam. Baptismus necessarius est necessitate praecepti omnibus et singulis solo necessitatis casu excepto, ut suo loco apparebit; eucharistia necessaria est necessitate praecepti omnibus Christianis adultis, non autem infantibus, qui sese probare non possunt, addenda etiam exceptio necessitatis. 3. *Baptismus et poenitentia necessaria sunt posita institutione divina necessitate medii simpliciter*, *baptismus quidem in omnibus*; *poenitentia iis*, *qui post baptismum letaliter delinquunt.* Respondemus: in hac vero propositione non convenimus. Negamus enim baptismum simpliciter et absolute necessarium esse ad salutem, in casu scilicet necessitatis, *in quo usum sacramenti non contemtus religionis*, *sed articulus necessitatis excludit*, ut loquitur Augustinus lib. 4. contra Don. cap. 22. neque enim *defectus*, *sed contemtus sacramentorum damnat*, docente Bernhardo epist. 77. Distinguimus igitur inter ea, quae absolute et simpliciter ad justificationem et salutem necessaria sunt, qualia esse dicimus gratiam Dei, meritum Christi et fidem, sine quibus in statu naturae corruptae neminem unquam justificari aut salvari dicimus; et inter ea, quae ordinate et conditionaliter ad justificationem et salutem necessaria sunt, qualia esse dicimus verbum et sacramenta, quando enim illa adsunt et adhiberi possunt, nequaquam sunt negligenda, sed propter mandatum Dei et commodum nostrum exemplo omnium piorum in V. et N. T. adhibenda; quando autem non adsunt, nec adhiberi possunt, tunc Deus sine illis in casu necessitatis extraordinarie et immediate operatur fidem ac donat justitiam et salutem. Occurrit tamen hic diversitas accurate notanda. In quibusdam enim, videlicet infantibus natis in ecclesia, qui aut in utero materno moriuntur, aut in lucem editi ante baptismum, statim exstinguuntur, Deus sine verbo praedicato et sacramento usurpato ex gratia propter Christum fidem operatur eosque justitiae et salutis participes reddit; ut plenius fuit demonstratum in VIII. 2

tractat. Germ. de baptismo c. 26. ubi ostendimus, severam illam comminationem Joh. 3, v. 5: *Nisi quis renatus fuerit* etc. contemtui hujus sacramenti, nequaquam vero defectui in casu necessitatis oppositam esse. In quibusdam Deus per verbum sine sacramento itidem ex mera gratia propter Christum fidem operatur, ut apparet in latrone converso Luc. 23, v. 40. in catechumenis, in martyribus primitivae ecclesiae ante baptismum morte abreptis. Atque in hoc posteriori casu non esse absolutam sacramentorum necessitatem ipsum Tridentinum concilium fatetur, ut ex eo patet, quod negat sine sacramentis *aut eorum voto* gratiam justificationis homines adipisci, utique ergo concedit, non ita necessaria esse sacramenta, quin servari possint, qui neque contemtu neque negligentia ea omiserint. Lombardus lib. 4. sent. dist. 4. expresse asserit, *Deum potentiam suam sacramentis non alligasse et esse qui suscipiant rem sacramenti, non sacramentum, ac sine visibili sacramento invisibiliter sanctificentur et salventur.* Confirmat id ex Augustino, qui lib. 4. adv. Donat. c. 22. *exemplum latronis* Luc. 23, v. 40. a Cypriano epist. 73. *citatum se considerantem invenire ait, non tantum passionem pro nomine Christi, id quod ex baptismo deerat, supplere posse, sed etiam fidem conversionemque cordis.* Adjungit Ambrosium de Valentiniano ante baptismum mortuo dicentem in oratione funebri de obitu Valentiniani Imp.: *Quem regeneraturus eram; amisi, sed ille non amisit gratiam, quam poposcit.* Commemorat ex auctore Glossae ordinariae in c. 6. Hebr. *baptismum in aqua, in poenitentia, in sanguine*; ac deinde ad celebrem illam sententiam Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua etc. respondet, *hoc renasci ex aqua et Spiritu significare eam regenerationem, quae fit per aquam et Spiritum sanctum; regenerationem autem illam fieri non tantum per baptismum, sed etiam per poenitentiam et per sanguinem.* Ratione denique ex Scripturis petita rem concludit, *si baptismus sufficit infantibus sanctificandis, multo magis adultis sufficere fidem, de qua Christus ait* Joh. 11, v. 25: *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.* Hanc Lombardi sententiam reliqui Scholastici sequuntur, unde solenne ipsis est distinguere inter baptismum *flaminis, fluminis et sanguinis.* Ergo ne ipsi quidem Pontificii (qui Scholasticos hac in parte sequuntur, ut patet ex Alphonso lib. 3. adv. haeres. verbo baptismus haer. 9. et 10. Hosio in conf. petric. c. 35. Vega lib. 5. de justif. c. 14. Tappero in explic. artic. Lovan. art. 2. etc.) absolute negant, adultos solo desiderio ac voto baptismi salvari posse sine baptismo in actu, qua ratione ipsimet absolutam necessitatem baptismi tollunt, quo pertinet illud Bellarmini lib. 2. de sacram. c. 13. §. 2: *Adulti per fidem et contritionem justificantur, antequam re ipsa ad sacramentum accedant.* Tota igitur quaestio est de parvulis in ecclesia natis, qui cum nec baptismum nec baptismi desiderium habeant, salute aeterna ab ipsis excluduntur, sed propter fundamenta immota pro salute talium infantum alibi ex Scripturis adducta, notari jubemus, quod ne ipsi quidem Pontificii salvis suis hypothesibus talibus infantibus simpliciter omnibus salutem denegare possint. Docent enim, baptismum sanguinis, hoc est mortem pro Christi nomine et gloria susceptam, sine baptismo ad salutem sufficere. At contingere potest, quosdam infantes nondum baptizatos pro Christi nomine mori, ut patet exemplo infantum Bethleëmiticorum Matth. 2, v. 16. atque eorum, qui in hostilibus irruptionibus Christianae fidei nomine perpessis in utero materno miserabiliter interficiuntur; illos ergo non poterunt salute excludere, ideo Vega lib. 5. de justific. c. 14. distinguit votum *in formale et virtuale;* formale votum habere dicit, quotiescunque distincte quis vult baptizari; virtuale votum esse ait vel mortuorum pro Christi fide, vel dilectionem Dei super omnia, vel propositum servandi omnia mandata divina. Quare cum satis sit ad salutem baptismi votum definiente concilio Tridentino et martyres habeant votum definiente Vega, concilii assessore et interprete, et parvuli possint esse martyres teste experientia, restat, baptismum ne quidem parvulis absolute et simpliciter esse necessarium ad salutem. Quaestio ergo remanet de illis infantibus, qui ante baptismum moriuntur neque martyres sunt, num illis simpliciter salus deneganda sit? Atqui etiam illis baptismum flaminis communicari posse non poterunt negare, cum exemplum Johannis Baptistae in utero repleti Spiritu s. Luc. 1, v. 41. evidenter id probet. Sed enim non inviti id quidam ex illis concedunt. Sic enim Gerson, Academiae Parisiensis cancellarius, (quem doctorem consolantissimum, hoc est ad consolationem maxime efficacem vocarunt). in serm. de nativ. Mar. virg.: *Constat, Deum misericordiam salvationis suae non ita legibus communibus traditionis Christianae, non ita sacramentis ipsis alligasse, quin absque praejudicio legis ejusdem possit pueros nondum natos extra uterum intus sanctificare gratiae suae baptismo, vel virtute Spiritus sancti, idque ut parentes pro infante nondum nato, si forte moriturus est, priusquam baptizetur, a Domino petant, admonet et, ne sine baptismo ita decedentibus omnem spem salutis ablatam putent, consolatur.* Gersoni consentit Biel 4. sent. dist. 4. q. 2. ubi art. 3. format hanc quaestionem: *Quale remedium pro parvulis in utero?* respondet autem hoc modo: *Sensum Domini quis novit? eorum, qui nondum in lucem notitiae prodierunt, remedia in sua potestate sola constituit, quos cum voluerit sine exteriori remedio et sanctificare et salvare potest, quod paucis in privilegium factum potest quibuscunque voluit impertiri. Hinc* (inquit) *Gerson consulit, ut parentes devotis orationibus ac bonis operibus parvulis suis gratiam impetrare nitantur, potens est enim Deus in utero sanctificare, quos novit ad nativitatis ortum non perventuros, licet de hoc certitudinem non habeamus.* Bieli assensum suum praebet Cajetanus in p. 3. Thom. Aquin. ad qu. 68. art. 2. et 11. Male id habet Dominicum a Soto, unde in libris de

natura et gratia scribit: *Quidam, nescio quo protecti pietatis obtentu, dicere audent, pueros, qui casu aliquo absque baptismo moriuntur, nihilo se-*
VIII. 245. *cius misericordia Dei, quae defectum supplet baptismi, ab originali peccato liberatos ad regnum admitti coeleste. Atque idem censent tam de pueris jam in lucem editis, quam de illis, qui in maternis uteris ante lucis usuram de vita decedunt. Et quoniam de hac re per ora vulgi circumfertur doctissimus Cajetanus, illum nomino, quem semper tamen non nisi honoris gratia nominare soleo, is enim alias profecto omni auctoritate dignus super quaest. 68. part. 3. (sub correctione tamen et quae sua erat modestia ac religio, nihil pertinaciter asserendo) utrumque ceu probabile profert, ait enim art. 2. quam in casu necessitatis, nempe ubi non est aquae copia, ad salutem puerorum (et loquitur de illis, qui jam nati sunt) sufficere videtur baptismus in voto parentum, praecipue cum aliquo exteriori signo. Et postmodum art. 11. addit (sub eadem censura) parvulos in maternis uteris periclitantes posse pari modo salvari per sacramentum baptismi in voto parentum cum aliqua benedictione seu oblatione ipsius ad Deum cum invocatione Trinitatis, sicut diximus, inquit, de pueris, qui non possunt baptizari. At vero salva semper eximii doctoris auctoritate, haud dubito utramque partem opinionis suae esse falsam.* Haec Sotus. Cajetano tamen assentiuntur Tilemannus Sigebergens. lib. de sacram. c. 1. Thomas Elisius in clypeo piorum adv. haeres. q. 11. art. 3. Georg. Cassander de bapt. infant. part. 1. quorum sententiam etsi Alphonsus lib. 3. adv. haeres. verbo baptismus haeres. 9. Vega lib. 5. de justific. c. 16. et Bellarminus lib. 6. de amiss. gratiae et statu peccati cap. 2. carpant tanquam a nimia erga infantes misericordia profectam; negare tamen non possunt, gratiam et operationem DEI non esse simpliciter sacramentis alligatam, sed posse ex privilegio quem velit e Christianorum infantibus ante baptismum morientibus sine baptismo salvare, ideoque Ambrosius Catharinus, qui Cajetanum damnat ut nova et foeda et catholicis auribus absona nec ferenda dogmatizantem, libro de statu puerorum sine bapt. decedentium concedit ad extremum, *in utero exsistentes baptismi flaminis capaces esse, quia nulla exigitur humana operatio, nec effugit creatura ulla providentiam et operationem Dei, quae sola satis est in baptismo flaminis.* Hugo de Victore citante Thoma 4. sent. dist. 1. q. 3. asserit: *infantes Judaeorum morientes ante diem octavum, qui circumcidi non potuerunt, nihilominus fuisse servatos*; quod confirmat testimoniis R. Aben Ezrae et R. Salomonis. Biel 4. sent. dist. 1. q. 4: *De pueris ante circumcisionem quidam, inter quos Magister* (Lombardus), *dixerunt, quod perierunt, sed hoc nimis durum nec veritati consonum; fuissent enim deterioris conditionis sub lege Moysis quam sub lege naturae et similiter quam foemellae, ideo Hugo et Alexander* (Alensis) p. 4. q. 7. membr. 4. art. 3. *dicunt, quod parvuli illi salvati in fide parentum, quia praeceptum de circumcidendo non obligabat nisi venientes ad octavum diem, praeterea Deus specialiter dispensavit cum filiis Israël in deserto.* Haec Biel. At nunc gratia Dei arctior et adstrictior in Testamento Novo? Albertus Piggius in controv. 1. et Savonarola de triumpho crucis docent, *infantes sine baptismo morientes futuros post judicium beatos naturali beatitudine et in quodam velut paradiso terrestri perpetuo feliciterque victuros*, quos hoc nomine insectatur Bellarminus lib. 6. de amiss. grat. et stat. peccati c. 2. cum Lombardus lib. 4. sent. dist. 1. lit. L. scripsisset, *parvulos ante baptismum defunctos perire;* facultas Parisiensis asscribit: *Hic magister non tenetur.* Thomas p. 3. q. 68. art. 11. ad 1: *Pueri in uteris maternis non possunt subjici actioni humanae, ut per eorum ministerium sacramenta recipiant, possunt tamen subjici operationi Dei, apud quem vivunt, ut quodam privilegio gratiae sanctificationem consequantur.* Atque haec de necessitate baptismi. Poenitentiam omnibus in peccata prolapsis necessariam esse concedimus, nequaquam vero per eam intelligimus sacramentum poenitentiae in sufficienti contritione plenaria peccatorum enumeratione et digna satisfactione consistens, cui postmodum judiciaria sacerdotis absolutio accedat, sed internam et seriam ad Deum conversionem in vera contritione, fide et emendatione vitae. Absolutionem sacerdotis requiri dicimus non
absolute et simpliciter, (ut Bellarminus quidem sta- VIII. 2
tuit scribens, *quosdam vere in Christum credentes in aeternum perire, quod ante moriantur, quam a sacerdote absolvi potuerunt*, lib. 3. de poen. c. 3. arg. 7.), sed fidei confirmandae gratia, proinde ubi deest minister absolvens, is qui veram poenitentiam agit, ab ipso Deo absolvi censendus est. *4. Eucharistia, confirmatio et extrema unctio necessaria sunt necessitate medii ad bene esse posita divina institutione.* Respondemus: de confirmatione et extrema unctione suus erit dicendi locus. Sacramentum eucharistiae concedimus Christianis illis, qui se probare possunt, non arbitrarium, sed necessarium esse tum ratione praecepti *hoc facite*, tum ratione medii sive commodi ex illius usu ad pios redundantis; absolutam tamen et simplicem quandam hujus sacramenti necessitatem non agnoscimus, cum in casu privationis locum habeat illud Augustini, *crede et manducasti.* Sed audiamus, quid Bellarminus hic in nobis desideret. *Convenimus*, inquit, *quod eucharistia sit in praecepto, sed quod sit necessaria ad bene esse ut medium, videmur convenire, sed reipsa non convenimus. Nam dicunt quidem Calvinus in Antidoto et Chemnicius in Examine, sacramenta esse necessaria ut media a Christo instituta, sed inter explicandum ita extenuant hanc necessitatem, ut eam fere tollant. Volunt enim sacramenta solum esse utilia ad alendam fidem, quia repraesentant oculis id, quod verbum offert auribus, unde Apol. confess. art. 13. comparat sacramenta picturae. Sicut ergo picturae non possunt dici necessariae ad salutem, nisi forte hominibus valde rudi-*

bus; ita nec sacramenta secundum ipsorum sententiam. Conatur Chemnicius loco citato refellere hanc similitudinem de pictura et ostendere nescio quam necessitatem; sed non potest negare, similitudinem illam esse in Apologia, quam se in omnibus sequi profitetur. Et praeterea aliis verbis idem dicit; nihil enim vult sacramenta esse aliud nisi ritus, in quibus visibiliter repraesentetur promissio, sicut audibiliter, ut sic loquar, repraesentatur in verbo. Itaque revera non agnoscunt necessitatem, licet mentiantur se agnoscere, sed solum tenuem quandam utilitatem sacramentorum. Haec Bellarminus, cui respondemus: sacramenta non solum dicimus esse promissionum divinarum sigilla, sed etiam media seu organa, per quae Deus offert et fides accipit gratiam et salutem; ratione prioris finis conferuntur picturis, non autem ratione posterioris; ἀπαιδεύτως igitur a Bellarmino infertur, sacramenta conferri picturis, proinde nihilo plus necessitatis et efficaciae sacramentis tribui quam picturis; imo vero comparatio non est extendenda ultra illud tertium, cujus gratia adhibetur. Videatur ipse Chemnicius, qui necessitatem sacramentorum luculentissime exponit, ubi monet; sacramenta quoad nos esse signa confirmantia fidem erga promissionem evangelii, quoad Deum esse organa seu instrumenta, per quae Deus in verbo sua potentia et operatione gratiam promissionis evangelicae credentibus exhibeat, applicet, obsignet, confirmet, augeat et conservet; sacramentis non solum nos certos reddi, quod foris in specie visibili geri cernimus, illud intus virtute et potentia Dei in nobis effici, sed eadem quoque esse externa et visibilia signa et pignora gratiae et voluntatis Dei erga nos, quibus illustri et visibili testimonio testificetur, quod promissio ad singulos pertineat, qui fide eam in usu sacramentorum amplectuntur. Haec omnia ex sequentibus erunt clariora, ubi de fine sacramentorum disputabitur. 5. *Ordo necessarius est non singulis hominibus, sed ipsi ecclesiae in universum necessitate medii simpliciter, posita divina institutione. 6. Matrimonium necessarium est ad bonum esse non singulis hominibus, sed ecclesiae in universum.* De his non est controversia, quamvis ea vere et proprie dicta sacramenta esse negemus.

An Chemnicius mendaciis oneraverit concilium in VIII. 247. Quaestione de necessitate sacramentorum.

54. Bellarminus hoc loco Chemnicium insectatur, quod mendaciis et calumniis concil. Trident. oneraverit: 1. dixerat Chemnicius, *concilium necessitatem sacramentorum opponere justificationi per solam fidem.* Bellarminus dicit, hoc esse mendacium: *Concilium,* inquit, *non damnat eos, quod excludant sacramenta a justificatione quovis modo, sed quod excludant ab immediata acceptione et applicatione justificationis; sed vult, ad id necessario requiri sacramenta, adeo ut si fides in aliquo exsistat quamvis maxima, non tamen justificet, nisi adsit etiam sacramentum in re vel in voto, imo magis requiritur sacramentum, quam fides, nam sine sacramento in re vel in voto nemo justificatur, neque parvulus neque adultus, sine fide autem aliqui justificantur ut parvuli, qui fidem propriam nullam habent, qua recipiunt justificationem.* Respondemus: Bellarminus id ipsum disertis verbis asserit, in quo asserendo Chemnicium mentiri dixerat. Si enim fides etiam maxima non justificat, nisi adsit sacramentum vel in re vel in voto, an non eo ipso sacramentorum necessitas justificationi per solam fidem opponitur? Nos contra pronuntiamus, sacramenta esse quidem necessaria, interim tamen soli fidei justificationem relinqui, cum verbum et sacramenta sint media offerentia, fides sola sit medium recipiens; applicationis vox utrumque complectitur medium offerens et recipiens, ideo non negamus, ad applicationem gratiae tum ministerium verbi ac sacramentorum ex parte Dei, tum fidem ex parte nostra requiri. Ut ergo non excluditur gratia Dei et meritum Christi in ordine causae principalis et meritoriae, quando sola fide justificari dicimur; ita nec sacramentorum necessitas et efficacia excluditur in ordine causae instrumentalis offerentis. Quid de fide infantum statuendum sit, exposuimus in tractat. Germ. de bapt. c. 25. 2. Dixerat Chemnicius, *concilium etiam reliquos ritus confirmationis, extremae unctionis, auricularis confessionis* etc. *inter sacramenta simpliciter ad salutem necesseria referre.* Bellarminus clamat, *hoc esse mendacium, cum non addatur vox simpliciter et communis theologorum sententia, solummodo tria sacramenta doceat esse simpliciter necessaria, sine reliquis posse homines salvari, modo absit negligentia et contemtus.* Respondemus: Cur igitur in genere pronuntiat concilium, *sacramenta novae legis esse ad salutem necessaria,* quae can. 1. praecedente numero septenario sunt inclusa? Quis divinare potuit, quam cujusque sacramenti necessitatem definiant? Adde, quod ne quidem proprie dicta sacramenta sint simpliciter et absolute necessaria, ut sine illis nemo possit salvari, modo absit negligentia et contemtus, quod de eucharistia Bellarminus non negat, de baptismo id demonstravimus superius. 3. Dixerat Chemnicius, *neminem sanum justificationem per solam fidem sic intellexisse, quasi a justificatione excludatur gratia Dei, meritum Christi et ministerium verbi et sacramentorum.* Bellarminus regerit, *Lutherum multis in locis opposuisse fidem sacramentis ac disertis verbis docuisse, ita sola fide homines justificari, ut nulla pars justificationis ad sacramenta pertineat.* Respondemus: Disputat Lutherus contra Scholasticos, qui sacramenta ex opere operato prodesse statuunt, hoc sensu et respectu negat Lutherus justificationem tribuendam esse sacramentis, scilicet solis absque fide usurpatis, perinde ut ipsum Christi meritum nemini prodest sine fide; absit interim, ut a justificatione illud excludatur. Sic enim Lutherus loquitur in loco a Bellarmino citato in lib. de capt. Babyl. cap. de bapt. tom. 2. Jen. Lat. f. 272: *Arbitrati sunt quam plurimi, esse aliquam virtutem occultam spiritualem in verbo et aqua, quae opere-*

tur in anima recipientis gratiam Dei. His alii contradicentes statuunt, nihil esse virtutis in sacramentis, sed gratiam a solo Deo dari, qui assit ex pacto sacramentis a se institutis. Omnes tamen in hoc concedunt, sacramenta esse efficacia signa gratiae, ad quod hoc unico moventur argumento, non videri alioqui, qua ratione novae legis sacramenta praestarent vetustis, si solum significarent. Et hinc impulsi sunt tantum tribuere sacramentis novae legis, ut prodesse ea statuerent etiam iis, qui in peccatis mortalibus sunt, nec requiri fidem aut gratiam, sed sufficere, non posuisse obicem, hoc est actuale propositum denuo peccandi. Haec autem quia pugnant contra fidem et naturam sacramentorum, diligenter sunt cavenda etc. *Differunt figurae legales a sacramentis V. et N. T., quod figurae legales non habent annexum verbum promissionis, quod fidem exigat, unde non sunt signa justificationis, quia non sunt sacramenta fidei,*
VIII. 248. *quae sola justificant* (nota, justificationem diserte tribui sacramentis), *sed sunt sacramenta operis tantum; tota enim eorum vis et natura erit opus, non fides* etc. *At nostra et patrum signa seu sacramenta habent annexum verbum promissionis, quod fidem exigit et nullo alio opere impleri potest; ideo sunt signa seu sacramenta justificationis, quia sunt sacramenta justificantis fidei et non operis, unde et tota eorum efficacia est ipsa fides, non operatio; inde proverbium: non sacramentum, sed fides sacramenti justificat.* Et postea: *Nec verum esse potest, sacramentis inesse vim efficacem justificationis seu esse ea signa efficacia gratiae; haec enim omnia dicuntur in jacturam fidei ex ignorantia promissionis divinae, nisi hoc modo efficacia dixeris, quodsi adsit fides indubitata, certissime et efficacissime gratiam conferant* (audis diserte, quo sensu neget Lutherus, sacramenta esse signa efficacia, scilicet exclusa fide). Pergit Lutherus: *At hoc non modo efficaciam illis tribui probat, quod eo prodesse dicunt omnibus, etiam impiis et incredulis, modo non ponant obicem, quasi ipsa incredulitas non sit omnium obstinatissimus obex* etc. Idem in assert. art. 1. f. 295: *Quia in omni sacramento est verbum promissionis divinae, quod affirmative promittit et exhibet gratiam Dei illi, qui suscipit sacramentum; ubicunque autem Deus promittit, ibi exigitur fides audientis* etc. 4. Dixerat Chemnicius, *ideo necessitatem sacramentorum fidei in justificatione a Pontificiis adjungi, ut fides non sola, sed cum dignitate et merito illius operis gratiam justificationis accipiat.* Bellarminus clamat, *hoc esse mendacium, cum justificationem, quae in sacramentis accipitur, tribuant non dignitati aut meritis operis nostri, sed institutioni divinae et operi Christi.* Respondemus: Bellarminus docet, fidem ipsam non instrumentaliter, sed meritorie ad justificationem concurrere; qua ergo veritatis specie negat, per dignitatem operis nostri ex hypothesi ipsorum gratiam justificationis accipi? Quid? An non poenitentia annumeratur sacramentis? Atqui in ea merito contritionis, confessionis et satisfactionis peccatorum remissione contingere statuunt, utique ergo a promissione gratiae sola fide apprehendenda ad opera nostra homines deducunt. 5. Dixerat Chemnicius, *ideo vocari ab illis novae legis sacramenta, ut sit mutua relatio legis et operum nostrorum in usu sacramenti.* Bellarminus dicit, *per legem non intelligi praeceptum, quo opus imperatur, sed Testamentum Novum.* Respondemus: Atqui in N. T. perfectiores quasdam leges a Christo propositas esse docent, ideo juxta ipsorum hypothesin N. T. et novae legis realiter non differunt; statuunt sacramenta prodesse ex opere operato, utique ergo vi relationis sacramenta erunt praecepta opere adimplenda. Et denuo repetimus, poenitentiam referri ad novae legis sacramenta, in qua nostrorum operum merita et nostras satisfactiones requiri strenue pugnant. 6. Dixerat Chemnicius, *ideo addi mentionem voti, id est pollicitationem certi operis, ad accipiendam gratiam justificationis.* Bellarminus regerit, *per votum intelligi desiderium.* Respondemus: illud ipsum desiderium tantae dignitatis ac meriti esse judicant, ut in illo, non autem in fide promissionem apprehendente justificationis causam constituant. Notum enim est, quid de baptismo sanguinis et flaminis disputent, quod scilicet dignitas operis et meriti in martyrio tanta sit, quae vicem sanguinis Christi in baptismo supplere possit. Item, quod tanta possit esse in aliquo contritio et caritas, ut dignitas ejus vicem virtutis baptismi suppleat. Nos in casu necessitatis votum sive desiderium sacramenti in adultis itidem requirimus, sed alio respectu, quem verbis D. Chemnicii proponemus. *Qui ex auditu verbi veram et justificantem fidem jam habet, is licet acceperit gratiam justificationis, sacramentorum tamen usum nullo modo contemnet, sed eum desiderabit, tum propter divinam institutionem, tum propter fidei confirmationem. Si vero sacramenta contemnit, fides non est vera, cum non retineat essentialem suam proprietatem, quae consistit in mutua relatione verbi et fidei, ut scilicet fides verbum promissionis, ubicunque Deus sua institutione illud proponit, quaerat et apprehendat. Sed si quis ex auditu verbi habeat veram in Christum fidem et tamen non concedatur ipsi facultas, ut possit sacramentis juxta divinam institutionem uti, in tali casu non est statuenda* VIII. 249.
praecisa necessitas sacramentorum ad salutem. Cum latroni in cruce Christum in verbo promissionis fide apprehendenti sine baptismo patuerit aditus ad paradisum. Augustinus lib. 4. contra Donat. c. 22: *Latronis exemplum etiam atque etiam considerans invenio non tantum passionem pro nomine Christi, id quod ex baptismo deerat, supplere posse, sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest.* c. 23: *Latro ille non tamen omnino sine sanctificatione baptismi, quae corporaliter adhibetur, fuit, quia non ejus accipiendae voluntas defuit, sed non accipiendae*

necessitas affuit. c. 24: *In illo latrone, quod ex baptismi sacramento defuerat, complevit omnipotentis benignitas, quia non superbia vel contemtu, sed necessitate defuerat.* c. 25: *Cum vero ex voluntate defuerit, hominem reatu involvit, neque enim ullo modo dicenda est conversio cordis ad Deum, cum Dei sacramentum contemnitur.* Ergo in casu necessitatis non sunt docendi homines, ut opera vel passiones suas cum voto percipiendi sacramenta vice baptismi Dei judicio opponant et meritum justificationis in illis quaerant, sed ut fide verbum promissionis apprehendente certo statuant, etiamsi necessitatis articulo a baptismo excludantur, tamen se in verbo evangelii, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti, vere et apprehendere et accipere gratiam Dei, meritum Christi ad vitam aeternam.

Fines sacramentorum principales.

55. Ceterum cum Deus optimus et sapientissimus nihil faciat aut instituat frustra, ideo etiam sacramentorum sunt certi ac divinitus constituti *fines.* ** Finis sacramentorum duplex est: primarius et secundarius. *Primarius* respectu Dei sacramenta instituentis, offerentis et conferentis, ut sint signa et testimonia divinae erga nos voluntatis, sigilla et pignora divinae gratiae; vel respectu hominum sacramentis utentium, ut fides in his per illa excitetur et confirmetur. *Secundarius*, quo sacramenta dicuntur esse symbola confessionis, notae et tesserae ecclesiae, quibus Dei populus a quovis alio coetu distinguitur. ** Ex eadem distinctione fines sacramentorum constituuntur vel *principales* vel *minus principales.* Fines sacramentorum principales duo sunt: prior, quod sint organa, media et ὀχήματα, per quae Deus offert, exhibet et credentibus applicat promissionem evangelii propriam de remissione peccatorum, justitia et vita aeterna, quod confirmamus hisce argumentis: 1. Quicquid convenit verbo evangelii generatim, id sacramentis non est denegandum. Atqui verbo evangelii convenit, quod sit efficax medium, per quod coelestia bona, videlicet gratia Dei, remissio peccatorum et salus aeterna hominibus offertur et credentibus applicatur. Ergo sacramentis hoc non est denegandum. Majoris veritas patet ex eo, quia sacramenta sunt verbum visibile, sunt velut epitome quaedam evangelii ac omnem suam dignitatem, operationem et virtutem habent ex Dei verbo, quod cum externo elemento in sacramentis divina ordinatione est conjunctum, ut ostendimus superius. Minoris confirmatio petenda est ex his dictis. Esa. 55, v. 10: *Sicut descendit imber et nix de coelis et illuc non revertetur, quin inebriaverit terram eamque germinare fecerit, ut det semen serenti et panem comedenti;* v. 11: *Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, quin imo faciet, quod volui et prosperabitur, quo illud misi.* (Quemadmodum placidus imber est efficax medium, per quod terra redditur frugifera; sic verbum evangelii foecundat corda nostra Spiritus s. gratia.) Rom. 1, v. 16: *Evangelium Christi est potentia Dei ad salutem omni credenti.* Gal. 3, v. 2: *Ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* 1. Tim. 4, v. 16: *Attende tibi et doctrinae, insta in illis, hoc enim faciens et te ipsum salvum facies et eos, qui te audiunt* (nimirum quia doctrina evangelii est medium salutis). Hebr. 4, v. 12: *Vivus est sermo Dei et efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens ad divisionem animae ac Spiritus, compagum quoque ac medullarum.* Immota igitur persistit conclusio, quod sacramentis non sit efficacia illa deneganda. 2. Per quod homines foederi divino inseruntur et in eo conservantur, illud est medium offerens et applicans divinam gratiam ac beneficia coelestia. Atqui per sacramenta homines foederi divino inseruntur et in eo conservantur, ut ex speciali doctrina de circumcisione et baptismo, de agno paschali et sacra coena apparebit. Ergo sunt media offerentia et applicantia divinam gratiam ac beneficia coelestia. 3. De quocunque effectus praedicatur, illud est causa ejusdem vel principalis vel instrumentalis. Atqui de sacramentis praedicatur effectus regenerationis, mundationis, remissionis peccatorum et salutis etc. Ergo sunt ejusdem causa vel principalis, vel instrumentalis. Non principalis, quia hic honor soli Deo competit. Ergo instrumentalis; quod ipsum formulae loquendi de sacramentorum efficacia usurpatae manifeste comprobant. Joh. 3, v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu* etc. Eph. 5, v. 27: *Christus* (causa principalis et meritoria) *mundavit ecclesiam τῷ λουτρῷ τοῦ ὕδατος, lavacro aquae in verbo* (quae est notatio causae instrumentalis). Tit. 3, v. 5: *Deus* (causa principalis) *salvos nos facit* (effectus) *per lavacrum regenerationis et renovationis* (per baptismum, qui est causa instrumentalis). In sacra coena corpus Christi mediante benedicto pane manducandum et sanguis Christi mediante benedicto vino bibendus nobis datur, utique ergo simul offeruntur et credentibus applicantur omnia illa beneficia, quae Christus traditione corporis et effusione sanguinis sui in ara crucis nobis promeruit. Chrysostomus in 1. Cor. 10. hom. 24. p. 175: *Quando corpus Christi propositum videris in ara, dic tecum, propter hoc corpus coelum et quae in eo bona sunt, accepturum me spero, hoc corpus cruci affixum est* etc. De circumcisione et agno paschali dicemus postea. 4. Sacramenta aut sunt instrumenta divinam gratiam offerentia, exhibentia et credentibus applicantia, aut sunt duntaxat signa illum significantia. Posterius dici nequit multis de causis. 1. Sacramentalibus symbolis conjunctum est Dei verbum, quod non nudae significationis, sed efficacis operationis vim habet. 2. Aqua baptismi negatur adhiberi *ad depositionem sordium carnis*, 1. Petr. 3, v. 21. ac proinde non potest talis constitui analogia, quod interior ablutio per sanguinem Christi per ablutionem externam in baptismo tantum significetur. 3. Analogiae illius significativae in propria sede, hoc est in institutione sacramentorum, nulla fit mentio. 4. Scriptura effectum instrumentorum offeren-

Marginalia: **Quod sint organa et media, per quae Deus offert, exhibet et credentibus applicat promissionem evangelii.** — VIII. 250.

tium et applicantium tribuit sacramentis, nequaquam vero nudae significationis officium. 5. Ex hac hypothesi consequetur, Scripturam nullibi verbis propriis et perspicuis de fine sacramentorum loqui, sed omnia dicta prius per confictam illam analogiam explicanda vel potius pervertenda esse. Relinquitur ergo prius; quod scilicet sacramenta sint instrumenta ac media divinam gratiam offerentia, exhibentia et credentibus applicantia, ac proinde sint instar divinae manus, qua Deus Pater vult gratiam suam exhibere, donare, applicare; et Filius Jesus Christus meritum suum communicare credentibus; et Spiritus sanctus efficaciam suam exercere ad salutem omni credenti. Pertinent huc egregia veterum testimonia de fructu baptismi et coenae Dominicae, quae ad specialem sacramentorum ἐξήγησιν proprie pertinent. Quid, quod ipsimet adversarii alicubi fatentur, sacramenta non solum significare, sed etiam conferre gratiam. Calvinus in antid. concil. Trident. sess. 7. can. 5. sacramenta concedit *esse instrumentales conferendae nobis gratiae causas.* Aretius p. 1. probl. 76. f. 915: *Quod ad medias attinet causas, libenter damus, signa sacramentalia inter causas has, hoc est organicas et instrumentales, recenseri, sed in eo dissentimus* (a
VIII. 251. Pontificiis) *quod illi docent, signa illa causam instrumentalem esse dispositivam, hoc est quae dispositum et aptum reddat ad suscipiendam gratiam ex opere operato.* Marloratus in c. 5. Ephes. fatetur, *non σημαντικῶς, sed vere et ὀργανικῶς mundandi effectum de lavacro aquae praedicari.* Ursinus in catech. p. 476: *In sacramentis Deus offert nobis sua beneficia.* Idque ex eorum hypothesi evidenter deducitur. Si enim sacramenta sunt signa obsignantia (ut quidam ex adversariis concedunt), utique etiam sunt media exhibentia. Obsignatio enim est rei exhibitae obsignatio. Aut ergo posita obsignatione ponenda etiam exhibitio, aut negata exhibitione neganda etiam obsignatio.

Quinam in defectu circa hunc sacramentorum finem peccent.

56. Detrahunt huic efficaciae sacramentorum in ἐλλείψει: 1. Qui statuunt, sacramenta nihil aliud esse, quam signa quaedam instituta ad discernendum populum Christianum a gentilibus, sicut Romanis olim toga erat signum, quo discernebantur a Graecis, cujus opinionis auctor fuit Carolstadius referente Luthero in lib. de verbis coenae: Hoc est corpus meus. Hunc errorem suppresso nomine refellit Calvinus lib. 4. instit. c. 14. sect. 13. 2. Qui docent, sacramenta nihil aliud esse, quam allegorias et quasi signa quaedam bonorum operum et vitae spiritualis, quem errorem Anabaptisticum referunt Brentius hom. 25. in Lucam et Chemnicius part. 2. exam. c. de sacram. efficacia et usu. **Schmaltzius quoque Photinianus contra Frantzium disp. 9. p. 289: *Fabulae sunt, aliquam esse internam efficaciam in baptismo vel coena Domini, cum utraque nihil aliud sint quam externae hominum actiones, quibus aliquid, quod in mente ipsorum latet, expressum volunt.*** 3. Qui disputant, sacramenta esse duntaxat signa gratiae vel jam ante extra usum sacramentorum collatae ac perceptae, vel postmodum futuro demum tempore conferendae. Cinglius imprimis scriptis errorem illum sparserat, sic enim scribit in lib. de vera et falsa religione impress. Tiguri anno 1525: *Sacramenta sunt tantum signa vel ceremoniae, quibus homo se ecclesiae probet, ut constet, ipsum esse candidatum aut militem Christi, sic qui reddant ecclesiam totam potius certiorem de hominum fide, quam homines ipsos.* **Idem part. 2. oper. in lib. de baptism. pag. 65: *Quosdam in ea opinione fnisse cernimus, ut signa* (sacramentalia) *in hunc finem data esse docuerint, ut fidem internam confirment et id quod edocti sumus aut quod nobis promissum est, ceu sigillo quodam infallibili obsignent. Qui haec tradidere, a vero quam longissime aberrant.*** Quamvis vero admonitus a D. Luthero et Philippo in colloq. Marpurgensi anno 1529. eam revocarit, ut ex articulo 8. coll. apparet, postea tamen rediit ad vomitum; sic enim scribit in confess. sua anno 1530. art. 7. p. 541: *Credo, imo certo scio, omnia sacramenta tantum abesse, ut gratiam conferant, ut ne adferant quidem aut dispensent.* Item: *Sacramenta dantur* VIII. 1
in publicum testimonium ejus gratiae, quae cuique privato prius adest. Et postea: *Non affert gratiam baptismus, sed gratiam factam esse, cui datur, ecclesia testatur.* in lib. de peccat. orig.: *Signa nihil, quae externae res sunt, quibus in conscientia nihil efficitur.* 4. Huic errori admodum affine, vel potius idem cum eo est, quod Calvinus et qui ipsum sequuntur statuunt, sacramenta esse tantum sigilla gratiam jam ante collatam vel postmodum conferendam et significantia et obsignantia. 5. Ideoque negant, sacramenta esse causas instrumentales gratiae, remissionis peccatorum et salutis. Sic Calvinus lib. 4. instit. cap. 14. sect. 17. diserte negat, *baptismo ablutionem et salutem nostram perfici, aut ipsum purgandi, regenerandi, renovandi virtutem in se continere, vel salutis causam in hoc sacramento percipi.* Idem in catech.: *Sacramentum nihil aliud est, quam externa divinae erga nos benevolentiae testificatio, quae visibili signo spirituales gratias figurat.* Beza p. 2. resp. ad acta coll. p. 115. vocat *palpabilem errorem, quo causativa, ut loquuntur Scholastici, vis conferendae gratiae principalis quidem Deo, instrumentalis autem sacramentis tribuitur.* p. 116: *In regeneratione hominis valde fallitur et in Deum ipsum injurius est, quisquis aut hominibus, per quorum os Deus loquitur, vel ipsi externo Dei verbo, vel sacramentalibus signis Deum existimat vel tantillum divinae illius virtutis suae hominibus renovandis et aeterna vita in Christo servandis attribuere.* p. 118: *Totam illam ordinationem et instrumentalem causam nihil aliud esse quam sacramentalem promissionis sacramentalis adjunctae significationem ex ordinatione divina per signorum et rerum signatarum ἀναλογίαν mentibus ad sacramenta accedentium repraesentata.* in glossa c. 10. Act.: *Baptisma non facit sanctos, sed justificationem tantum obsignat.*

Aretius part. 2. probl. p. 441. reprehendit eos, qui sacramenta appellant signa exhibitiva, addita hac ratione, *quia res ipsae non sint praesentes in sacramentis, quarum sunt signa exhibitiva.* Grynaeus in praefat. theor. theol. ad Joachimum a Berga: *Asseveranter affirmo, inscitiam esse indignam Christi servis nescire, quod per evangelium et sacramenta nos ita erudiat Dominus, ut non per evangelium et sacramenta nos salvari credamus, sed per unum Jesum Christum.* Et paulo post: *Evangelio, baptismo, eucharistiae fidei tribuitur remissio peccatorum, prout fert vocabulorum πρὸς ἓν ratio, quae ita comparata est, ut instrumentis (honestandi eadem gratia) tribuantur effecta, quae alioquin propria sunt principalis causae efficientis.* Idem in disp. Heidelb. anno 1584. th. 21. vocat *papisticum commentum et πρῶτον ψεῦδος, si quis dicat, sacramenta vim justificandi et salvandi habere.* Tossanus in lib. 1. quae contra Marbach. p. 334. dicit, *falso a nobis doceri, quod sacramenta N. T. ideo sint a Deo instituta, ut essent media seu instrumenta, per quae Christum cum remissione peccatorum accipiamus. Sacramenta enim illa non habere revera in se thesauros et coelestia bona, quasi per illa nobis donetur remissio, sed tantum esse signa foederis Dei.* Piscator in bibl. German. ad c. 7. Act. doctr. 1. negat, *efficaciam salvandi esse in sacramentis*, addita ratione, *quia sit in solo Deo.* 6. Denique huc pertinent, qui statuunt, usum sacramentorum tantum per modum commonefactionis excitare fidem, qualis commonefactio etiam a picturis sumi potest. Ursinus in catech. p. 472: *Si sacramenta debent esse adminicula fidei, oportet sensu externo percipi, quo movetur sensus internus.*

Ἔκ-θεσις. 57. Ut de his opinionibus rectius fieri possit judicium, proponimus haec axiomata: 1. Fines secundarii et minus principales non sunt venditandi pro fine principali, nec eidem opponendi. Proinde etsi sacramenta secundario et minus principaliter hunc usum habeant, ut sint notae seu tesserae distinguendi populi Dei ab aliis hominibus, ut admoneant homines bonorum operum et virtutum (sicut baptismus spiritualis mortis et resurrectionis; eucharistia concordiae symbolum est), ex eo tamen non potest aut debet inferri, quod hic vel unicus vel principalis sit sacramentorum finis. 2. Fines principales coordinati non sunt sibi mutuo opponendi; proinde
VIII. 253. etiamsi sacramentorum finis principalis sit obsignare promissionem gratiae, ex eo tamen nec potest nec debet inferri, quod non sint efficacia media et instrumenta, per quae exhibeantur et conferantur coelestia beneficia Christi morte ac sanguine parta. 3. Quod est efficax medium atque organum, per quod Deus beneficia evangelii propria dispensat, illud non est tantummodo signum, siquidem signum pertinet ad locum similium et adjunctorum, organum autem pertinet ad causam instrumentalem. Jam vero sacramenta sunt efficacia media atque organa, per quae DEUS operante Spiritu sancto vult conferre gratiam, ut probant clara et diserta Scripturae testimonia Marc. 16, v. 16. Joh. 3, v. 5. Actor. 2, v. 38. c. 22, v. 16. Rom. 6, v. 3. Gal. 3, v. 27. Ephes. 5, v. 27. Tit. 3, v. 5. 1. Petr. 3, v. 21.

58. Fundamenta, quibus probare conantur, sacramenta esse tantummodo signa et sigilla, non autem causas instrumentales gratiae, potiora haec sunt: *1. In Deo solo est efficacia salvandi. Ergo non in sacramentis.* Respondemus: Causa principalis et instrumentalis non sunt sibi invicem opponendae. Deo soli ut causae principali vis salvandi relinquitur, si vel maxime instrumentalis causa salutis dicantur sacramenta. Declarabimus hoc verbis D. Chemnicii part. 2. exam. cap. de sacramentorum efficacia p. 34: *Deus Pater reconciliat sibi mundum, acceptat credentes, non imputans ipsis peccata eorum, hoc certe modo sacramenta non conferunt gratiam, sicut ipse Deus Pater. Christus est pax nostra, mors Christi est reconciliatio nostra, in sanguine ipsius justificati sumus* etc. *illo certe modo baptismus non purgat peccata, sicut ipse Christus. Spiritus sancti propria est efficacia in collatione et applicatione gratiae. Et sacramenta certe non sunt exaequanda cum Spiritu sancto, ut pari et eadem plane ratione credantur conferre gratiam sicut ipse Spiritus sanctus. Num vero propterea nihil tribuendum sacramentis?* etc. Respondet postea: *Sacramentis tribuitur virtus seu efficacia, non quod in sacramentis extra seu praeter meritum Christi misericordiam Patris et efficaciam Spiritus sancti quaerenda sit gratia ad salutem, sed sacramenta sunt causae instrumentales, ita quod per illa media seu organa Pater vult gratiam suam exhibere, donare, applicare; Filius meritum suum communicare credentibus; Spiritus sanctus efficaciam suam exercere ad salutem omni credenti. Hoc modo manet Deo gloria sua, ut gratia non alibi quaeratur, quam apud Deum Patrem; pretium seu causa remissionis peccatorum et vita aeterna non alibi quaeratur, quam in morte et resurrectione Christi; efficacia regenerationis ad salutem non alibi quaeratur, quam in operatione Spiritus sancti, sacramenta vero illa beneficia in verbo nobis proponunt, afferunt, exhibent et obsignant, atque ita ducunt nos ad Christum, ad gratiam Dei, ad efficaciam Spiritus sancti. Quia enim Deus in iis, quae ad salutem nostram pertinent, per certa media vult nobiscum agere, et hoc fine ipse ordinavit et instituit verbum promissionis evangelii, quod aliquando simpliciter, per se, sive nudum proponitur; aliquando vero vestitum seu visibile factum certis a Deo institutis ritibus seu sacramentis; verbum igitur et sacramenta monstrant nobis, ubi fides debeat quaerere et ubi possit invenire Christum mediatorem, Patrem et Spiritum sanctum, ita ut nobiscum agant, exhibeant, applicent et obsignent beneficia, quae Christus promeruit et de quibus evangelium concionatur.* Haec omnia eruditissime Chemnicius. Quemadmodum igitur gratia Dei et meritum Christi, non excludunt fidem a causa justificationis et salutis instrumentali, ita nec excludunt sacramenta; ut enim

Argumenta adversariorum, quibus probare conantur, sacramenta esse tantummodo signa gratiae. 1. In solo Deo est efficacia salvandi.

fides est quasi manus nostra, qua petimus, quaerimus, apprehendimus et accipimus beneficia evangelii propria; ita verbum et sacramenta sunt quasi manus Dei, qua nobis offert, exhibet et credentibus applicat atque obsignat beneficia Christi.

2. Liberi fidelium jam ante sunt in Dei foedere.

VIII. 254.

2. Liberi fidelium jam ante sunt in foedere propter promissionem Gen. 17, v. 7: *Ero Deus tuus et seminis tui. Ergo per circumcisionem et baptismum non recipiuntur in foedus, sed gratia foederis tantummodo illis obsignatur.* Respondemus: Liberi fidelium non minus quam reliqui sunt *natura filii irae* Ephes. 2, v. 3. *concepti et nati in peccatis* Psalm. 51, v. 7. *ex immundo semine* Job. 14, v. 4. *sunt caro de carne* Joh. 3, v. 6. jam vero *caro et sanguis non hereditabunt regnum DEI*, 1. Cor. 15, v. 50. ergo actu nondum sunt in foedere gratiae et possessione salutis. Quod ad locum Geneseos attinet, in eo proponitur misericors Dei promissio, quod Abrahamum et ipsius semen adeoque omnes, qui sequuntur vestigia fidei Abrahae et ipsorum liberos in foedus gratiae recipere velit, non immediate vel propter carnalem ex parentibus fidelibus generationem, sed in V. T. mediante sacramento circumcisionis, in Novo mediante sacramento baptismi, ideo diserte ibidem additur vers. 10: *Hoc est foedus meum inter me et te et semen tuum, cirumcidetur in vobis omne masculinum* etc. Hanc explicationem luculenter probat locus Actor. 2. ibi enim Petrus ad poenitentiam ad baptismum cohortatur suos auditores v. 38. postea subjungit rationem: *vobis enim et filiis vetris facta est promissio* v. 39. Si infantes Israëlitarum ante circumcisionem in V. et ante baptismum in N. T. fuissent in foedere gratiae actu comprehensi, non potuisset Petrus argumentum exhortationis ad suscipiendum baptismum ex illa promissione desumere. Res ergo eo redit, vi illius promissionis infantibus fidelium patere aditum ad sacramentum initiationis, per quod demum actu ejusdem participes fiunt. Alia autem quaestio est de casu necessitatis, uti suo loco dictum.

3. Quidam infantes absoluto decreto rejecti sunt a salute.

3. Quidam infantes absoluto Dei decreto a salute aeterna rejecti sunt, illis igitur per sacramenta nec offertur nec applicatur Dei gratia, unde Beza disputat, *infantes illos, qui sunt in numero reproborum, non regenerari, si vel millies baptizentur*, in coll. Mompelg. p. 479; *et ex baptismo non nisi probabiliter de salute infantum statui posse relictis Deo arcanis suis judiciis.* ibid. p. 335. 435. 460. etc. Respondemus: figmentum illud absolutae reprobationis alibi evertimus, et potentissime id evertitur his ipsis Scripturae pronuntiatis, quae de sacramentorum efficacia testantur. Cum enim Deus in verbo et sacramentis omnibus offerat suam gratiam et Christi beneficia, ideo non est statuendum, quod absoluto decreto quosdam damnationi addixerit, alias pessima hypocrisis sanctissimo Israëlis tribuetur; proinde cum infantes operationi Spiritus sancti non ponant obicem, id est actuali impoenitentia non resistant, nec hypocrisi sint obnoxii, ideo ipsis omnibus fidem, regenerationem et salutem conferri statuimus, qua de re suo loco plura.

4. Alias sacramenta proderunt ex opere operato.

4. Si sacramenta sunt causae instrumentales divinorum beneficiorum, consequens fuerit, sacramenta prodesse ex opere operato sine fide utentis. Respondemus: negamus connexionem. Ut enim verbum non prodest absque fide Hebr. 4, v. 2. ita nec sacramenta. Ut autem verbum nihilominus est medium, per quod Spiritus sanctus vult operari et accendere fidem in illis, qui verbum audiunt, nec Spiritui sancto resistunt. Rom. 10, v. 17. ita quoque per sacramenta Deus vult accendere, augere et confirmare fidem in illis, qui actuali impoenitentia et hypocrisi non resistunt, de quo paulo inferius plura. **Embdenses im Bericht von dem ganzen Streit und Handel des heil. Abendmahls ann. 1590. cap. 12. daß der Irrthum von dem opere operato, als sollte man von dem bloßen gethanen Werke der Beichte und Empfahung des Sacraments die Gnade Gottes, Vergebung der Sünden und Seligkeit erlangen, gehe allein die Papisten an. Sed in famoso scripto, quod in forma dialogi editum Berlini an. 1614. etiam nostris ecclesiis hic error affricatur.**

5. Quidam baptizantur, qui jam ante sunt regenerati.

VIII. 255.

5. Quidam baptizantur, qui jam ante sunt regenerati Act. 8, v. 38. c. 10, v. 47. *Ergo baptismus non est medium regenerationis, sed ejus tantummodo sigillum.* Respondemus: quamvis tales ante usum baptismi vere sint regenerati, justificati et Dei filii, ex eo tamen efficaciae baptismi nihil decedit, quominus vere et proprie sit lavacrum regenerationis, quod iterum exemplo verbi demonstrari potest. Multi audiunt verbum, qui jam ante sunt regeniti, nihilo tamen minus verbum est et manet *spirituale et incorruptibile illud semen*, per quod renascimur, 1. Petr. 1, v. 23. Jac. 1, v. 18 proinde ut fides et dona Spiritus sancti in regeneratis et vere credentibus per auditum verbi augentur; ita quoque per baptismum in illis, qui jam ante regeniti sunt, fides confirmatur et promissio gratiae obsignatur. Sic ergo Deus Abrahae per circumcisionem et Cornelio per baptismum eandem gratiam, cujus antea primitias acceperant, offert, exhibet, applicat et obsignat, ut plenius eam et uberius habeant, firmius possideant et teneant, ut opus Dei in ipsis inchoatum confirmetur, augeatur et conservetur. Vide Augustinum lib. 4. contra Donat. c. 24. et Chemnicius loc. proxime allegato.

6. Non omnes, qui baptizantur, regenerantur.

6. Exemplum Simonis Magi. Act. 8, v. 22. *testatur, non omnes, qui baptizantur, renasci. Ergo baptismus non erit efficax medium regenerationis.* Respondemus: Plus est in consequente quam antecedens permittit. Quamvis enim non omnes adulti per baptismum regenerentur, illi scilicet qui operationi Spiritus s. resistunt et hypocrisi sua ipsius operationem impediunt; tamen baptismus in se ac per se non desinit esse regenerationis medium, quod iterum exemplo verbi (quod ex accidenti non est in omnibus efficax) et securis (quae non desinit esse instrumentum sectionis, etiamsi lapides non secet) declarare poterit, qui volet.

Exceptiones adversariorum. 1. Dicta

59. Exceptiones potiores hae sunt: *1. Per tropum quendam sacramentalem explicandas esse illas propositiones. Baptismus nos salvat, Christus eccle-*

Scripturae tropus accipienda. *siam mundat per lavacrum aquae in verbo* etc. *ut sit sensus, baptisma significat peccatorum ablutionem et salutem obsignat.* Respondemus: confictum illum tropum disertis Scripturae verbis oppositum excussimus superius; cumprimis vero in tract. Germ. de bapt. c. 13. object. 1. late de eo egimus, nec judicamus necessarium esse, ut plura addantur. At, inquiunt, circumcisio Gen. 17, v. 10. dicitur *pactum Dei* et postea v. 11. dicitur *signum pacti*. Ergo id fit per metonymiam sacramentalem. Respondemus: Praeterquam quod superius admonuimus, signum ab apostolo per *sigillum* explicari, addimus insuper hoc, quod circumcisio totaliter considerata sit ipsum Dei foedus cum Abrahamo; sed cum secundum notam in carne relictam consideratur, vocatur signum foederis in carne. Ipsa amputatio pelliculae non significat, sed in rei veritate est actus ille sacramentalis, per quem circumcisus in foedus Dei recipitur.

2. Instrumentis cohonestandi gratia ea tribui, quae sunt solius Dei propria. *2. Instrumentis cohonestandi gratia ea tribui, quae sunt solius Dei propria.* Respondemus: figmentum illud evertunt clarissima Scripturae effata, quae de verbi et sacramentorum efficacia agunt, quae omnia tantum cohonestandi gratia esse dicta, non autem revera sese sic habere, quis audebit asserere, in quo vel mica quaedam pietatis et debitae erga sacras literas reverentiae? Ac frustra metuitur, ne Deo salutis auctori debitus honor detrahatur, si sacramenta media gratiae et salutis statuuntur, cum ipsemet ea instituerit, ac proinde omnis illa virtus, quam sacramentis tanquam causae instrumentali tribuimus, ad Deum tanquam causam principalem reducatur. Quare vero non auderent adversarii effata illa Scripturae, quae de sacramentorum efficacia et usu tractant, eo referre, quod honoris causa dicta sint accipienda, cum idem in causa meritoria salutis postea tentarint? asserunt enim dicta illa, quae testantur, perire posse eos, pro quibus Christus mortuus est, accipienda κατὰ δόκησιν, quod scilicet et ipsorum et aliorum opinione Christus pro ipsis sit mortuus; cui errori in tract. de elect. et reprob. §. 110. opposuimus hoc theorema juxta assertionem apostolorum Rom. 14, v. 15. 1. Cor. 8, v. 11. 2. Petr. 2, v. 1. Christum pro pereuntibus esse mortuum; quae assertio apostolica non est nuda opinio, sed
VIII. 256. infallibilis veritas; ac proinde gravem esse temeritatem, ea quae κατ' ἀλήθειαν καὶ ὄντως facta in Scripturis asseruntur, ad δόκησιν tantummodo referre. Quid? num de fide etiam hoc asseremus, quod honoris causa ipsi tribuatur instrumenti appellatio? Apage cum honorariis illis figmentis.

3. Sacramenta esse signa. *3. Sacramenta esse signa, ideo non conferre gratiam.* Respondemus: est elenchus oppositorum. Quamvis enim certo modo ac respectu sacramenta sunt signa (videl. respectu adjuncti), non tamen sunt tantum signa, sed etiam media, per quae confertur gratia (non hic est proprius et principalis finis sacramentorum, ut significent) quod superius §. 9. exemplo arcae, propitiatorii, columbae super Christum descendentis, rubi, in cujus corde sive medio loquebatur Deus, et columnae nubis atque ignis in deserto etc. declaravimus. Ipse Beza p. 2. quaestionum q. 12. statuit: *Signa alia esse μνημονευτικὰ, alia σημαντικὰ, ut iris diluvii; alia quae testentur id, cui significando adhibentur, nobis vere dari, sicut in sufflando Christus discipulis dabat Spiritum sanctum.*

60. Quaeritur, hoc loco, an finis ille, quod sacramenta sint efficacia media gratiae et salutis, conveniat etiam V. T. sacramentis? Biel lib. 4. sent. dist. 1. q. 3. proponit quaestionem hoc modo: *Utrum sacramenta veteris legis contulerint gratiam rite utentibus ex opere operato?* recitat autem tres opiniones: *1. Quod sacramenta veteris legis contulerint gratiam ex opere operato, licet non tantam, nec ita directe, sicut sacramenta novae legis.* Hugo l. de sacram. p. 11. c. 1. et 2. *2. Quod non contulerint gratiam, neque ex opere operato, neque ex opere operante, seu per modum meriti, etiamsi in fide et caritate fierent, quia imposuit ea Deus in onus et servitutem;* hanc opinionem tribuit Lombardo. *3. Quod sacramenta V. T. ex vi sacramenti, seu ex opere operato gratiam non conferant,* hujus patronos statuit Alexandrum Alensem, Thomam et communem scholam. Thomas p. 3. q. 62. art. 6. eam sic probat: *Quia sacramenta veteris legis non habebant virtutem quandam ex passione Christi, siquidem signabant tantum passionem Christi et ejus effectus.* Biel hoc utitur argumento: *Omnis gratia est justificativa ejus, cui confertur, sed ex sacramentis veteris legis nemo justificatur.* De circumcisione in specie scribit Lombardus 4. sent. dist. 1. lit. E: *Quod idem contulerit remedium contra peccatum, quod nunc praestat baptismus.* Mox tamen subjungit lit. K: *Quod peccata per circumcisionem solum dimittebantur, sed nec gratiam ad bene operandum adjutricem, nec virtutum possessionem vel augmentum ibi praestitum esse.* Quatuor autem sunt opiniones de effectu circumcisionis, quas recitant Alexander p. 4. q. 7. memb. 7. Thomas 4. sent. dist. 1. q. 9. art. 3. et Biel lib. 6. Concordant in eo, quod circumcisio ex opere operato deleverit culpam originalem, discordant autem quantum ad gratiam: *1. Quidam plane negant, quod circumcisio conferat gratiam. 2. Quidam statuunt, quod gratia non fuerit collata ex vi circumcisionis, sed ex divina liberalitate ablato gratiae impedimento. 3. Quidam disputant, quod ex vi circumcisionis collata fuerit gratia, quantum ad effectus privativos, qui sunt tollere culpam, sed non quantum ad positivos, qui sunt gratificare et habilitare ad opera meritoria. 4. Denique quidam tenent, quod collata fuerit gratia quantum ad privativos et positivos effectus, licet non tam intensos, sicut fit in baptismo; et haec opinio,* inquit Biel, *hodie est communis.* Sed illae disputationes Scholasticorum sublatae sunt in concilio VIII. 257. Florent. ann. 1439. sub papa Eugenio, in quo tale decretum editum: *Sacramenta antiquae legis non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant; nostra vero novae legis et continent gratiam et eam digne suscipientibus conferunt.* Concil. Trident. brevius et obscu-

An sacramenta V. T. etiam fuerint efficacia media gratiae et salutis.

rius de hac quaestione pronuntiat sess. 7. can. 2: *Si quis dixerit, sacramenta novae legis a sacramentis antiquae legis non differre, nisi quia ceremoniae sunt aliae et alii ritus externi, anathema sit.* Bellarminus lib. 2. de sacram. cap. 12. recitat distinctionem Lutheri in libr. de capt. Babyl. c. de baptismo, inter duo genera signorum, quod quaedam habuerint annexum verbum promissionis ac proinde exegerunt fidem, ut signum iridis datum Noë, signum roris in vellere Gideonis, signum in reversione solis datum ab Esaia regi Ezechiae, quae fuerint vera sacramenta; quaedam vero non habuerint annexam promissionem, ut omnes ceremoniae legales, quibus expiabantur homines, vestes, aedes, quae non fuerint proprie sacramenta. Ex hac distinctione Lutheri Bellarminus colligit, *Lutherum frustra invehi in Anabaptistas, quod non plus tribuant baptismo quam lotionibus judaicis, cum ipsemet non multum tribuat baptismo, cum iridem illi aequare non vereatur.* Item: *Paradoxum hoc esse, quod non sint pro sacramentis habendae lotiones ju-*
VIII. 258. *daicae, agnus paschalis, sacrificia; contra vero ea esse sacramenta, quae a nullo ne per somnium quidem vocata sunt sacramenta, ut iridem, vellus Gideonis, umbram horologii Achaz* etc. Respondemus: Recitabimus ipsa Lutheri verba, quibus se contra Bellarmini calumnias satis tuetur. *Error est* (inquit), *sacramenta novae legis differre a sacramentis veteris legis penes efficaciam significationis; utraque aequaliter significabant. Idem enim Deus, qui nos nunc per baptismum et panem* (eucharisticum) *salvat, salvavit Habel per sacrificium, Noë per arcam, Abraham per circumcisionem et alios per sua signa. Nihil itaque differt sacramentum veteris et novae legis, quo ad significationem, modo veterem legem appelles, quicquid in patriarchis et aliis patribus tempore legis operatus est Deus. Nam ea signa, quae in patriarchis et patribus facta sunt, longe sunt discernenda a figuris legalibus, quas Moyses in lege instituit, quales sunt ritus sacerdotales in vestibus, vasis, cibis, domibus et similibus. Ab his enim non modo longissime differunt novae legis sacramenta, sed et ipsa signa, quae pro tempore Deus patribus dedit in lege viventibus, quale fuit Gideonis in vellere, Mannae in sarificio, quale et Esaias obtulit Achas; in iis enim simul promittebatur aliquid, quo fides in Deum exigebatur. In hoc ergo differunt legales figurae a signis novis et vetustis, quod legales figurae non habent annexum verbum promissionis, quod fidem exigat, unde non sunt signa justificationis, quia non sunt sacramenta fidei, sed sunt sacramenta operis tantum etc. Attamen et patrum signa seu sacramenta habent annexum verbum promissionis, quod fidem exigit, ideo sunt sacramenta justificationis.* Ex his manifeste apparet, Lutherum nequaquam hoc loco definire, quae sint proprie dicta V. T. sacramenta, sed signa sacramentalia, quae annexum habent verbum promissionis, distinguere a figuris legalibus, qua in parte cum quaedam signa χαιρικά, ut ros in vellere Gideonis, retrocessio umbrae in horologio Achaz etc. cum sacramentis perpetuis et ordinariis V. T. conveniant, ideo hoc saltem sensu et respectu Lutherus eadem ad sacramenta refert et a figuris legalibus distinguit. Quamvis ergo κατά τι baptismum N. T. sacramentum cum iride vel potius cum arca Noae, exemplo Petri 1. epist. 3, v. 21. conferat; absit tamen, ut baptismatis sacramento nihilo plus quam iridi convenire statuat.

61. Cap. 13. exponit Bellarminus suam sententiam: *Omnes* (inquit) *Catholici conveniunt, sacramenta veteris legis, quae proprie Mosaica dicuntur, non contulisse gratiam ex opere operato.* Fatetur tamen, in duabus quaestionibus adhuc eos discrepare. *Una quaestio est de sacramentis veteribus circumcisione excepta, an justificent ex opere operantis, de qua duae sunt opiniones: Una Magistri in 4. sent. dist. 1. qui id negat; ait enim, sacramenta illa non justificasse, etiamsi in fide et caritate susciperentur, quia data erant, ut essent oneri, non ut justificarent. Secunda est communis theologorum, justificasse omnia illa sacramenta ex opere operantis, id est ex fide et devotione suscipientis; et haec sententia* (inquit Bellarminus) *est verissima, nam generaliter est vera sententia apostoli Roman. 2. factores legis justificabuntur. Quanquam ista justificatio non est proprie sacramentalis, sed est communis omnibus bonis operibus, quae in caritate fiunt, nec est justificatio prima, sed secunda. Altera quaestio est de circumcisione, quae proprie non est sacramentum Mosaicum, sed legis natura, Joh. 7: Circumcisio non est ex Moyse, sed ex patribus. De circumcisione illa duae sunt opiniones: una Alexandri, Bonaventurae, Scoti et Gabrielis, qui admittunt, circumcisionem ex opere operato contulisse justificationem; altera est Thomae, Capreoli, Soti et aliorum, qui docent, circumcisionem vi sua non justificasse, sed justificasse tantum, quatenus fidei protestatio erat et fidem applicabat. Itaque volunt hi auctores, justificatos fuisse veteres ex merito passionis Christi, ut nos justificamur, sed hoc meritum nobis applicari per sacramenta, Hebraeis autem per fidem, quae tamen fides requirebat, ut conditionem sine qua non operabatur sacramentum circumcisionis.* Hanc sententiam Bellarminus judicat probabiliorem. VIII. 2

Bellarmini sententia de efficaci sacramentorum V. T.

62. Ut autem Bellarmini sententia sit illustrior, notandum quid intelligatur per phrasin illam, *sacramenta V. T. contulisse gratiam ex opere operantis*, id est ex fide et devotione suscipientis. Id omnium optime ex oppositione intelligatur. Sacramenta enim N. T. dicunt Scholastici prodesse ex opere operato, hoc est et significari et conferriper ea gratiam, si vel maxime non adsit fides et bonus motus interior in suscipiente; sed sacramenta V. T. dicunt justificasse ex opere operantis, hoc est usum illorum fuisse actum obedientiae legi divinae debitae, cum enim data fuerint praecepta de hujusmodi sacramentis, ideo usum eorum dicunt fuisse impletionem praecepti et propterea ratione virtutis obe-

Quid sit prodesse ex opere operantis et ex opere operato

dientiae per modum meriti fideles tunc in usu sacramentorum accepisse gratiam; id intendit Bellarminus, quando male huc accommodat dictum apostolicum Rom. 2. *factores legis justificabuntur*, cujus genuinam sententiam proposuimus in loco de bonis operibus. Recte autem monet D. Chemnicius: *Hanc sententiam directe et quasi adversa fronte pugnare cum Paulo, qui Rom. 4. ex professo docet et confirmat, circumcisionem non justificasse Abrahamum ex opere operante, seu per modum meriti, sed fuisse signaculum justitiae fidei, cujus proprium est, ut beatitudo sit ejus hominis, cui Deus imputat justitiam sine operibus.* Bellarminus regerit, *apostolum loqui de illis operibus, quae fiunt ex solis liberi arbitrii viribus*, cujus contrarium evidenter ostendimus in tract. de justific. §. 151. uti etiam illud, quod Abrahamus ex operibus dicitur justificatus, expositum fuit ibidem §. 190. Recte igitur addit D. Chemnicius: *Quid audio? Num justis tempore V. T. virtute futurae passionis Christi non data fuit gratia? an vero tantum habuerunt praefigurationem, fore ut post natum Christum primum daretur gratia illis, qui post consummatam passionem Christi credituri essent? Passio certe Christi meritum illud est, propter quod gratia data fuit olim et adhuc datur. Neque enim verum est, veteres olim per virtutem futurae passionis Christi sine certo aliquo medio seu organo, quo illa offerretur et applicaretur, justificatos esse, nos vero per sacramenta sive virtute passionis Christi justificari.* Bellarminus exclamat, *Chemnicium impudenter mentiri et calumniari, quod Florentinum et Tridentinum concilia definiverint, veteres patres non habuisse gratiam Dei ex merito Christi, aut habuisse eam sine ullo organo, seu medio applicante Christi merita, cum concilia nihil horum dicant, sed tantum asserant, hoc esse discrimen inter sacramenta legis veteris et novae, quod nostra conferant gratiam, illa solum eam significaverint, ex quo nondum consequatur, veteres patres non habuisse gratiam aut habuisse sine organo applicato Christi merito. Nam etiamsi non habuerunt eam per sacramenta, tamen habuerunt per fidem, ut etiam nunc adulti per fidem et contritionem justificantur, antequam re ipsa ad sacramentum accedant.* Respondemus: Chemnicius nequaquam tribuit vel conciliis illis, vel Pontificiis, quod gratiam Dei et meritum Christi patribus V. T. simpliciter denegent, sic enim scribit cap. de differ. sacram. V. et N. T. p. 19: *Plana atque, ut arbitror, extra controversiam inter adversarios Pontificios et nos sunt haec capita: Justis, qui fuerunt tempore V. T., a Deo propositam, exhibitam, datam et collatam fuisse gratiam, justitiam, salutem et vitam aeternam propter futuram victimam Filii mediatoris. Salvatos enim fuisse justos tempore V. T. ex Scriptura certissimum est. Nemo autem salvatur sine gratia Dei, illa vero propter solum benedictum semen promittitur et datur. Est et hoc extra controversiam, non aliam fuisse gratiam neque etiam aliam fidem, qua salvati sunt justi tempore V. T. quam nunc tempore N. T. Restabit igitur quaestio: quomodo hoc est, per quod medium, instrumentum seu organon Deus tempore V. T. proposuerit, exhibuerit, dederit et contulerit credentibus gratiam ad salutem. Certum autem est, patres illos habuisse verbum promissionis de benedictione propter futurum semen; habuerunt etiam externos quosdam ritus divina ordinatione* VIII. 260. *huic promissioni gratiae additos et annexos* etc. Nequaquam igitur Chemnicius hoc tribuit Pontificiis, quod denegent veteribus patribus gratiam Dei, meritum Christi et fidem, sed quod organum applicationis, per quod offertur, exhibetur et obsignatur, gratia Dei et Christi meritum ipsis denegent. Quamvis enim Bellarminus obvertat, *veteres habuisse gratiam per fidem*, tamen per fidem non intelligit fiducialem illam apprehensionem promissionis evangelicae in verbo oblatae et sacramentis veluti sigillis obsignatae, sed fidem tantummodo historicam, non instrumentaliter, sed praeparatorie et meritorie justificantem, ut in tract. de justificatione vidimus. Quare cum vera et justificans fides promissionem gratiae in verbo evangelii et sacramentis verbo additis oblatam unice respiciat, consequens est negato eo, quod in verbo evangelii et sacramentis promissio gratiae ex parte Dei fuerit oblata, negari etiam illud, quod gratia Dei et meritum Christi ex parte fidelium in V. T. fuerit recepta, propter mutuam scilicet et perpetuam verbi tum simplicis, tum signis sacramentalibus vestiti et verae fidei relationem. Recte ergo addit Chemnicius: *Verbum quidem promissionis an Pontificii permittere velint, fuisse tale medium seu organon tempore V. T. non plane scio; de sacramentis certe, quibus promissio illa gratiae divina institutione annexa fuit, hoc loco disputatur;* cui aperte et sine circuitione Bellarminus respondere debebat, quid de promissione gratiae (fidei correlata) in V. T. statuat.

63. Ceterum ut status quaestionis rectius percipiatur, notandum est, 1. nos nequaquam negare omnem sacramentorum V. et N. T. differentiam; agnoscit hoc ipse Bellarminus, sic enim scribit lib. 2. de sacram. c. 12. §. 2: *Convenit inter catholicos et haereticos, sex ut minimum esse differentias inter sacramenta legis novae et veteris. Prima, quod nunc sunt alii ritus externi, quam tunc erant. Secunda, quod nunc sunt pauciora sacramenta, quam tunc erant* (si sacramenti vox late accipiatur pro quovis sacrae rei signo, concedimus plura fuisse in V. T. sacramenta quam in N., sed in ecclesia Romana hoc vix habebit locum, in qua tales ceremoniae in immensum fere excreverunt, de quo jam olim conquestus Augustinus epist. 118. ad Januar. Si vero sacramenti vox proprie accipiatur pro signo divinitus instituto, cui promissio gratiae evangelii propriae divina ordinatione annexa, dicimus et V. et N. T. sacramenta binario numero comprehendi, ut apparebit suo loco). *Tertia, quod sint nostra faciliora, ut patet de circumcisione et baptismo. Quarta, quod nostra sint nobiliora, saltem ratione*

Status quaestionis de efficacia sacramentorum V. T.

auctoris, quia nostra ab ipso Christo immediate instituta et promulgata, Mosaica vero a Moyse, si non instituta, tamen promulgata sunt. (Non poterit Bellarminus in illis, quae proprie dictis sacramentis N. T. accenset, omnibus divinam institutionem et promulgationem demonstrare; nos autem libenter hoc acceptamus). *Quinta, quod illa sint figurae nostrorum. Sexta, quod illa essent data ad tempus, id est usque ad adventum Messiae, nostra duratura sint, quamdiu mundus durabit. Colliguntur haec omnia ex Augustino epist. 118. ad Januar. lib. 3. de doctr. Christ. cap. 9. libr. 19. contra Faustum cap. 13. in Psalm. 73.* In his differentiarum capitibus quintum est praecipuum, nempe quod nititur expressis Scripturae pronuntiatis Col. 2, v. 16: *Nemo vos judicet in cibo aut in potu aut in parte diei festi, aut neomeniae, aut sabbathorum v. 17. quae sunt umbra futurorum; corpus autem Christi Hebr. 10, v. 1. Lex umbram habet futurorum bonorum, non ipsam rerum imaginem.* Augustinus l. d. id sic effert: *Sacramenta V. T. fuisse praenuntiativa Christi venturi; sed sacramenta N. T. esse annuntiativa exhibiti Christi; in sacramentis V. T. fuisse veritatem promittentem, in Novo exhibentem; in Veteri significationem promittentem, in Novo res redditas.* Ipsa ergo substantia sacramentorum V. T. fuit alia et diversa a sacramentis N. T. in agno paschali fuit figura carnis et sanguinis Christi, non autem ipsa caro et sanguis Christi;
VIII. 261. sed in coena Domini est ipsa substantia, quia mediante benedicto pane et vino datur verum corpus et verus sanguis Christi. Huic principali et primario discrimini sacramentorum accedit alterum ex symbolo externo sacramentali, quod non idem est in sacramentis omnibus, sed in singulis peculiare et distinctum, sicut etiam ipsa actio sacramentalis est cuique sacramento propria. Augustinus lib. 19. contra Faust. c. 16: *Aliis ritibus res annuntiari debuerunt completae, quam his, quibus adhuc complendae praenuntiabantur.* Reliqua differentiarum capita sunt secundaria et minoris momenti. 2. Quaestio ergo hoc loco non est de substantia, sed de fine sacramentorum V. ac N. T. an scilicet praeter has differentias modo assignatas sit discrimen in fine eorum principali, qui est offerre, exhibere, applicare et obsignare gratiam, quod Pontificii affirmant, nos vero negamus. Interim tamen libenter damus, *sicut modus revelationis in N. T. illustrior est, lux fidei major et mensura gratiae uberior; ita etiam per sacramenta N. T. gratiam Christi luculentius, plenius, perfectius et uberius dispensari credentibus; nunc enim consummato redemtionis mysterio figuris successit veritas, umbris corpus; ac Filius Dei in assumta carne, in qua habitat plenitudo divinitatis, nobis adest, ut ex ejus plenitudine omnes accipiamus gratiam pro gratia, id quod in V. T. nondum erat factum, sed futurum promittebatur. Quodsi igitur promissio de futura incarnatione et redemtione potentia Dei fuit ad salutem sub V. T. major certe, uberior et plenior erit gratia, postquam in N. ipsum complementum rerum illarum factum est in Christo, qui ut Deus et homo communicat se credentibus;* quae sunt verba Chemnicii in hoc cap. de discr. sacram. sub fin. Pontificii autem hisce differentiis non sunt contenti, sed simpliciter negant, Deum per V. T. sacramenta gratiam exhibuisse et contulisse credentibus. 3. Accurate observanda est hoc loco distinctio Lutheri in libr. de capt. Babyl. cap. de bapt. quod quaedam figurae V. T. fuerint tantum *signa significativa*, quae non habuerunt annexum verbum promissionis; de illis signis hoc loco non quaeritur, fuerunt autem etiam in V. T. signa quaedam, quae ex institutione divina annexum habuerunt *verbum promissionis gratiae*, quod verbum fidem exigit, quae gratiam accipiat, de illis veterum sacramentis dicimus, quod ex institutione divina eundem habuerint usum et finem, quem habent sacramenta N. T. 4. Tale signum, cui verbum promissionis gratiae annexum, fuit cumprimis circumcisio, per quam Deus gratiam suam obtulit, exhibuit, confirmavit et obsignavit omnibus fide hoc sacramentum suscipientibus, quod proinde non fuit tantum signum significativum, sed etiam virtute promissionis exhibitivum atque obsignativum gratiae. Quamvis vero Bellarminus lib. 2. de sacram. c. 13. §. 5. scribat: *Circumcisionem proprie non esse sacramentum Mosaicum, sed legis naturae, cum non sit ex Moyse, sed ex patribus Joh. 7, v. 22.* recte tamen ad sacramenta V. T. refertur, cum nomine V. T. hoc loco intelligatur totum illud tempus, quod adventum Messiae praecessit.

Argumenta partis affirmantis, quod sacramenta V. T. fuerint efficacia media gratiae. I. Promissio evangelii pertinet etiam ad V. T.

64. Hisce praesuppositis argumenta nostrae sententiae producemus. 1. Promissio gratiae evangelii proprie ad tempus tam V. quam N. T. pertinet. Ergo etiam sacramenta verbo promissionis addita tam in V. quam in N. T. sunt gratiae media et sigilla. Antecedens patet ex omnibus promissionibus evangelicis de Messia et beneficiis ipsius in V. T. editis, Gen. 3, v. 15: *Semen mulieris conteret caput serpentis.* Gen. 22, v. 18: *In semine tuo benedicentur omnes gentes* etc. cumprimis ex apostolicis illis pronuntiatis Act. 15, v. 11: *Per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi* (patres V. T.). Rom. 3, v. 30: *Unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide et praeputium per fidem* (hoc est Judaeos in V. et Christianos in N. T. ut apparet ex v. 29.). Rom. 4, v. 9: *Abrahae reputata est fides ad justitiam.* Hebr. 13, v. 8: *Jesus Christus heri et hodie, ipse etiam in secula.* Apoc. 13, v. 8: *Agnus occisus est ab origine mundi.* Idem ergo Deus ju- VIII. 26
stificans, idem justificationis meritum, eadem promissio gratiae, eadem fides, eadem justitia, eadem salus in Christo et propter Christum tam in V. quam N. T. qui in illo quidem promissus, in hoc vero exhibitus. Quamvis enim Christus in V. T. nondum fuerit exhibitus, neque dum passione ac morte sua redemtionis pretium persolverit, beneficia tamen Christi et fructus passionis ejus non possunt nec debent credentibus V. T. denegari, cum ad tempus

utriusque T. ratione decreti divini, ratione promissionis et ratione efficaciae extendantur, inde vulgatum illud: *passio Christi profuit, antequam fuit; et beneficia Christi valent tam antrorsum, quam retrorsum.* Sicut creditor aliquis dimittere potest debitorem ob solutionem futuram, quam alius bonae fidei homo ipsius loco spopondit; sic Deus in V. T. credentibus remittere poterat et vere remittebat peccatorum debita iisque justitiam Christi imputabat propter futuram ἀπολύτρωσιν et solutiotionem, quam se praestiturum Filius Dei recipiebat et quae coram Deo jam inde ab aeterno praesentissima erat. Quando justi V. T. dicuntur credidisse in Messiam venturum, id nequaquam sic intelligendum, quod tantum praefigurationem quandam gratiae in Christo promissae habuerint, fore scilicet ut post natum Christum demum gratia daretur illis, qui post consummatam passionem Christi credituri essent, sed quod ipsimet credendo in Christum promissum vere et actu participes facti gratiae Dei et beneficiorum Christi, quod virtute futurae passionis Christi etiam V. T. tempore data ipsis sit gratia, siquidem passio Christi et meritum illud propter quod non solum in N. T. datur gratia, sed etiam jam olim in V. T. credentibus fuit data. Adventum et passionem Christi crediderunt futura, sed gratiam Dei et beneficia adventus ac passionis fide amplexi sunt praesentia. De antecedente igitur nullum potest esse dubium, connexio probatur ex eo, quod sacramenta nihil aliud sint, quam verba visibilia; ritus externi promissioni gratiae additi; signa, quibus promissio gratiae veluti vestitur. Si ergo conceditur, per verbum promissionis in V. T. oblata et exhibita fuisse a Deo credentibus gratiam et salutem, quomodo sacramentis illud adimi potest, quae nihil aliud sunt, quam verba visibilia? cum eadem sit ratio et idem usus verbi et sacramentorum. Eaedem causae institutionis sacramentorum in V. et N. T. locum obtinent, benignitatis scilicet divinae demonstratio et fidei confirmatio. Tam in V. quam N. T. locum habet illud Chrysostomi hom. 63. ad pop. Antioch.: *Si incorporeus esses, nude tibi ipsa dona incorporea Deus tradidisset, quoniam vero conjuncta est corpori anima tua, in sensibilibus intelligenda tibi traduntur.* Augustinus lib 19. contra Faust. c. 16: *Si eadem res aliter enuntiatur facienda, ut de Christo passuro, resurrecturo* etc. *aliter enuntiatur facta, ut de Christo passo, resuscitato* etc. *quid mirum, si aliis mysteriorum signaculis passio et resurrectio Christi futura promissa est, aliis jam facta enuntiatur? quid enim sunt aliud quaeque corporalia sacramenta, nisi quaedam quasi verba visibilia sacrosancta?* Lutherus tom. 1. in Genes. p. 42: *Hoc omnes sacrae historiae comprobant, quod misericors Deus per superabundantem gratiam suam semper juxta verbum constituit aliquod externum et visibile signum suae gratiae, ut homines externo signo et opere ceu sacramento admoniti certius crederent, Deum favere et misericordem esse.* Bellarminus hoc argumentum leviter attingit; sub fin. c. 17. respondet, ex loco Hebr. 13. *nihil aliud concludi posse, quam sacramenta vetera idem significare, quod nostra significent, nimirum Christum, qui erat in V. T. latens in figuris et vaticiniis; imo ne hoc quidem ex illo loco concludi posse, cum apostolus loquatur de fide et doctrina, non de sacramentis ac velit credi Christum esse aeternum, non temporalem.* Respondemus: Christus Jesus est heri et hodie, non solum ratione aeternitatis, sed etiam ratione beneficiorum, quae in verbo et sacramentis tam in V. quam N. T. hominibus offeruntur et credentibus applicantur, ut constat ex dictis superius allegatis. Quare cum organum receptionis beneficiorum Christi ex parte nostra idem sit in V. et N. T. VIII. 263. videlicet fides, quomodo negari potest, idem etiam organum applicationis esse ex parte Dei in V. et N. T. videlicet verbum et sacramenta? Unus et idem Christus est in verbo promissionis et sacramentis illi annexis tam in V. quam N. T. credentibus propositus. Una est atque eadem fides, quae et in verbo promissionis et in sacramentis promissioni gratiae tam in V. quam N. T. annexis eandem gratiam, justitiam, remissionem peccatorum, salutem et vitam aeternam quaerit et accipit. Obvertere autem quis posset: *Patres V. T. ante institutionem circumcisionis nulla habuerunt sacramenta. Ergo a promissione gratiae ad sacramenta non poterit argumentum duci.* Respondemus: Defectum illum sacramentorum suppleverunt (ratione illius finis, de quo jam agimus, qui est confirmatio fidei) sacrificia divinitus instituta et jam inde ab origine mundi in ecclesia patrum usitata. Gregorius lib. 4. moral. c. 2: *Quod apud nos baptismus, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii.* Augustinus 15. de civ. Dei c. 16. circa finem: *Utrum aliquod fuerit, vel si fuit, quale fuerit corporale atque visibile regenerationis signum ante diluvium, sicut Abrahae circumcisio est imperata, sacra historia tacet, sacrificasse tamen Deo etiam illos antiquissimos homines non tacet, quod et in duobus primis fratribus claruit, et Noë post diluvium, cum de arca fuisset egressus, hostias Deo immolasse legitur.* Quamvis enim in sacrificiis Deo aliquid ab hominibus fuerit oblatum, quo respectu a sacramentis formaliter differunt, tamen quia vicissim mediantibus illis sacrificiis Deus aliquid dabat hominibus, hoc est sua conferebat dona et bona, et in futurum sacrificium Messiae mentes fidelium convertens, fidem eorum confirmabat, ideo non abs re, hoc quidem respectu, sacramentorum vice defuncta esse sacrificia, pronuntiamus. Vide D. Hunnii tractatum de sacram. in genere c. 1. tom. 1. col. 982. Accesserunt insuper crebrae visiones et apparitiones divinae, quibus patriarcharum fides itidem non mediocriter fuit confirmata. Ut enim sacrificia mortis et passionis; ita apparitiones illae incarnationis Filii Dei symbola fuerunt.

65. Circumcisioni divinitus institutae annexa fuit promissio gratiae: *Ero Deus tuus et seminis tui post te,* Genes. 17, v. 7. Ergo circumcisio fuit

2. Circumcisioni fuit annexa promissio gratiae.

medium, per quod exhibita et credentibus applicata atque obsignata fuit gratia. Ut autem argumentum hoc illustrius fiat et contra insultus adversariorum firmissime subsistat, notare jubemus sequentia fundamenta: 1. Vox haec: *Ero Deus tuus et Deus seminis tui post te*, non est legalis concio, sed vere evangelica promissio, qua Deus receptionem in foedus gratiae et omnia ad salutem necessaria circumcisis offert et credentibus applicat atque obsignat: *Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti*, Rom. 1, v. 16. Quare cum haec promissio evangelica sit praecipua pars circumcisionis, videlicet verbum signo externo additum, ideo non potuit sacramentum tali promissione munitum et, ut sic loquar, animatum esse inefficax. 2. Verbis illis: *Ego ero Deus tuus et Deus seminis tui post te*, sponderi hominibus fide sacramentum hoc recipientibus Dei gratiam, specialem praesentiam et inhabitationem, remissionem peccatorum, donationem Spiritus sancti et vitam aeternam manifeste patet ex aliis Scripturae locis. Lev. 26, v. 12: *Habitabo in eis et ero ipsorum Deus, et ipsi erunt mihi populus.* Jer. 31, v. 33: *Scribam legem meam in corda ipsorum et erunt mihi in populum et ego ero ipsis in Deum;* v. 34: *et peccatorum eorum non recordabor amplius.* Matth. 22, v. 32: *Deus non est Deus mortuorum, sed viventium.* 2. Cor. 6, v. 18: *Ero vobis in patrem et vos eritis mihi in filios et filias, dicit Deus omnipotens.* Ex his et similibus dictis apparet, verborum illorum: *Ego ero Deus tuus et Deus seminis tui*, hunc esse sensum: Ego condonabo vobis peccata, recipiam vos in filios, donabo vobis Spiritum sanctum et post mortem resuscitabo vos ad vitam aeternam. Proinde per circumcisionem obstringebat se Deus, quod circumcisis
VIII. 264. haec omnia ex gratia dare velit. **In prologo *Echa Rabbethi*, id est expositionis planctus Jeremiae sic dicitur: *Deus sanctus et benedictus promisit nobis, se erepturum nos de gehenna per meritum circumcisionis. Et ubi hoc dixit? apud Zachariam dicentem: etiam tu per sanguinem pacti tui emisisti captivos tuos de puteo, in quo non sunt aquae.*** 3. Deus ipse dicit, se per circumcisionem inire pactum cum Abraha et semine ejus, Gen. 17, v. 10: *Hoc est foedus meum, quod servabitis inter me et vos et semen tuum post te, omne masculinum in vobis circumcidetur.* Sicut olim foedera non modo in tabulas publicas referebantur, sed in aes incidi vel lapidibus insculpi solebant, quo magis testata et celebris esset eorum memoria; ita Deus in carne Abrahae et posterorum ipsius foedus suum incidi et quasi insculpi voluit. Chaldaica paraphrasis nominat *pactum inter verbum Dei et Abrahamum* Gen. 17, v. 2. pactum autem intercedit personis, intelligitur igitur verbum ὑποστατικὸν Filius Dei, ex quo consequens est, Abrahamum et ipsius posteros per circumcisionem in possessionem beneficiorum Christi fuisse immissos. Jam vero Deus cum infideli non potest inire foedus; utique ergo circumcisio fuit medium, per quod operatus est Deus fidem in cordibus infantum circumcisorum, per quam bonorum in promissione circumcisioni annexa oblatorum facti sunt participes, Hebr. 11, v. 6: *Sine fide impossibile est Deo placere.* 4. Circumcisionem in carne Deus appellat pactum aeternum, Gen. 17, v. 7: *Erigam foedus meum inter me et te et semen tuum post te in generationibus suis, ut sit foedus aeternum.* Jam vero pactum aeternum cum Deo in homine nondum regenerato non habet locum; utique ergo circumcisio fuit efficax medium regenerationis et per consequens etiam gratiae. 5. Augustinus lib. 16. de civ. Dei c. 27. lib. 2. de pecc. orig. c. 30. lib. 2. de nupt. et concup. c. 11. et Beda in c. 2. Luc. argumentum ducunt ex comminatione contemtui hujus sacramenti opposita. *Masculus, cujus praeputii caro circumcisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo* Gen. 17, v. 14. Quodsi namque circumcisionis contemtores a consortio ecclesiae et spe salutis aeternae excluduntur, necesse est, ut illa sit medium, per quod in communionem sanctorum et hereditatem vitae aeternae circumcisi adsciscantur. Confirmatur argumentum ex analogia baptismi. Qui nunc dicit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei* Joh. 3, v. 5. ipse tunc dicebat: *Masculus, cujus praeputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo.* Ut ergo ex illa comminatione a contrario sensu colligitur, baptismum esse regenerationis et salutis medium; ita quoque de circumcisione idem erit dicendum. 6. Si circumcisio non fuisset salutare medium, quo gratiae Dei veteres facti fuissent participes, non potuissent ex ea tam efficaces consolationes contra omnis generis pericula depromere, quod Jonathan 1. Sam 14, v. 6. et David 1. Sam. 17, v. 26. fecisse constat. 7. Deut. 30, v. 6: *Circumcidet Dominus cor tuum et cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo.* Seminis nomine intelliguntur non solum liberi adulti, sed etiam infantes, ut apparet ex institutione circumcisionis, ubi propter promissionem illam: *Ero Deus tuus et Deus seminis tui*, infantes die octavo jubentur circumcidi. Jam vero cor infantum nullo alio medio quam hoc sacramento circumcidi potuit, quod ipsum etiam vox circumcisionis adhibita luculenter ostendit. Ergo circumcisio fuit salutare medium, per quod non solum praeputium carnis, sed etiam cordis in infantibus fuit ablatum. **Jos. 5, v. 9. cum Israëlitae in promissam terram Canaan introducti ex mandato Dei circumcisi essent, dicit Deus ad Josuam: *Hodie abstuli a vobis opprobrium Aegypti*, id est omnis generis abusus, superstitiones, rebellionem et alia peccata, quae Israëlitae in Aegypto didicerant quaeque illis in itinere per desertum adhaeserant, utique ergo circumcisio est efficax medium remissionis peccatorum.** 8. Apost. Rom. 4, v. 11. circumcisionem vocat σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως. Jam vero non solum Abrahamo et domesticis ejus adultis, sed etiam Isaaco et reliquis infantibus circumcisio fuit adhibita: utique ergo et illis fuit signaculum justitiae fidei. Atqui VIII. 2[illegible]
non per nativitatem carnalem, ex qua fuerunt *filii*

irae Eph. 2, v. 3. nec per auditum verbi fidem et regenerationem accipere potuerunt. Ergo ut per circumcisionem eam adepti fuerint, necesse est. 9. Idem baptismum vocat circumcisionem ἀχειροποίητον, quod per illam *evacuetur corpus peccati* Col. 2, v. 11. at quomodo constabit haec comparatio inter utrumque sacramentum, nisi etiam per circumcisionem corpus peccatorum carnis fuisset exutum? 10. Nisi praeputium cordis, hoc est peccatum, per circumcisionis sacramentum ab Israëlitis fuisset ablatum, non possent accusari, quod *praeputium sibi ipsis fecerint*, 1. Macc. 1, v. 16. quodque *circumcisionem in praeputium per inobedientiam converterint* Rom. 2, v. 15. quomodo enim circumcisione cordis se ipsos privare potuissent, quam nunquam essent adepti? *Privatio praesupponit habitum*, dicunt philosophi. 11. Apostolus Rom. 2, v. 28. et 29. *circumcisionem cordis in Spiritu a circumcisione carnis distinguit. Non is qui in manifesto, sed is qui in abscondito, Judaeus est; neque quae in manifesto in carne, est circumcisio, sed circumcisio cordis; in spiritu, non in litera, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est*, hoc est verus Judaeus is est, qui habet cor circumcisum, atque ea demum vera circumcisio est, quae fit in Spiritu in corde. Jam vero infantes Israëlitici circumcisi fuerunt veri Judaei et circumcisio eorum fuit vera circumcisio, siquidem actuali impoenitentia et incredulitate non restiterunt operationi Spiritus sancti. Ergo Spiritu in cordibus sunt circumcisi, hoc est regenerati et renovati, alioqui coram Deo non solum ab ethnicis non distarent, sed illis etiam pejores essent, utpote praeputium cordis circumcisione carnis occultantes. Vicissim circumcisio vera ea demum judicanda, quae laudem habet non ex hominibus, sed ex Deo, hoc est quam Deus ipse in corde administrat, non quam homines foris adhibent. Atqui talis est infantum circumcisio dicente Scriptura: *Dominus circumcidet cor seminis tui*, Deut. 30, v. 6. utique ergo vera et salutaris est, cum spirituali, scilicet cordis, circumcisione conjuncta. 12. Cum in synodo apostolica Hierosolymitana Actor. 15. de abrogatione circumcisionis tractaretur, Petrus hoc argumento obtinet, circumcisione in N. T. non amplius opus esse, cum absque illa Deus *fide purificet corda* ethnicorum baptizatorum v. 9. Talis ergo est Petri collectio: Si circumcisio gentibus esset imponenda, eam solummodo ob causam id fieri deberet, ut per illam fide corda purgarentur. Jam vero Deus per baptismum absque circumcisione corda illorum fide purgat. Ergo circumcisione non est opus. Quodsi ergo effectum illum purgandi corda fide circumcisioni deneges, argumentationi apostolicae sua non constabit integritas, quod absit. 13. In eadem concione additur v. 11. *credimus, nos per gratiam Dei servari* ὃν τρόπον, *eodem modo, quo et illi* (patres nostri); modus autem, quo nostri infantes salvantur, alius non est quam per baptismum ordinarium illud regenerationis et salutis in N. T. medium; necesse igitur est, ut priscis temporibus Israëlitarum infantes per circumcisionem facti fuerint purgati et salvati. 14. Gentiles Ephes. 2, v. 12. dicuntur fuisse *sine Christo, sine spe, sine Deo, alieni a promissionibus*, nimirum quia non fuerunt in foedus Dei per circumcisionem recepti. Ergo Israëlitis haec obtigerunt per circumcisionem, quod fuerint cives populi Dei, fide in Messiam promissum salvati. Addo etiam hoc argumentum: Quies sabbathi excludebat opera servilia, Exod. 20, v. 10. Quies sabbathi non excludebat circumcisionem, Joh. 7, v. 23. Ergo circumcisio non est opus quoddam servile poenae et oneris loco impositum, sed potius sanctum et salutare sacramentum.

Exceptiones Bellarmini: 1. Comminationem additam pertinere tantum ad adultos.

66. Excipit Bellarminus lib. 2. de sacram. c. 17. *1. comminationem illam circumcisioni additam, quod masculus, cujus praeputii caro non fuerit circumcisa, delenda sit de populo* etc. *de adultis solum intelligendam esse.* Respondemus: Bellarminus hac in parte Augustino diserte contradicit, quod non dissimulat. Fatemur, gravissimam illam comminationem adultos potissimum concernere, eos scilicet, VIII. 266.
qui sacramentum hoc contemserunt et adspernati sunt, cum in Hebraeo sit הֵפֵר, quod significat violare, contemnere, negligere, frangere; hoc innuens Chald. versio Onkelosii verba comminationis sic reddidit: *masculus habens praeputium, qui non circumciderit carnem praeputii sui, peribit homo ille de populo suo*, nec tamen ad solos adultos haec comminatio pertinet. Quamvis enim Israëliticos illos infantes, qui non sua aliqua culpa, sed parentum (nondum ab ecclesia Israëlitica per manifestam apostasiam separatorum) negligentia (quod Eliezero Moysis filio contigit) vel ex necessitate quadam inevitabili (quod parvulis in deserto natis ibidemque demortuis accidit) hoc sacramento privati sunt, temere non damnemus, cum pro contemtoribus sacramenti et transgressoribus divinae ordinationis non possint haberi; quin etiam illos infantes, qui in utero vel ante octavum diem moriuntur, a comminatione illa liberos esse, indubitanter pronuntiemus, cum ante diem octavum nemini conferri debuerit circumcisio (alia tamen ratio est infantum, qui nascuntur ex apostatis, Israëliticae religionis et sacramenti hujus contemtoribus, illi enim, quia jam a populo Dei abscissi erant, ideo illorum incircumcisi parvuli infidelium gentilium liberis similes redditi, ut monet D. Hunnius tract. de sacram. c. 2. q. 15.) Quae omnia quamvis ita se habeant, manet interim vis argumenti, quod secuti Augustinum ex hoc loco ducimus. Quia contemtoribus circumcisionis comminatur Deus deletionem ex populo; ergo circumcisio est salutare medium, per quod in populum Dei et foedus gratiae facta fuit receptio. *At*, inquit Bellarminus, *millies Deus minatur mortem non servantibus praecepta; ergo circumcisio fuit solummodo praeceptum quoddam ceremoniale.* Respondemus: imo vero sacramentum fuit a reliquis figuris legalibus distinctum, quod testatur promissio eidem addita. Repetimus ergo denuo collationem circumcisionis et baptismi. Quemadmodum contemtoribus baptismi dicitur Joh. 3, v. 5: *Nisi quis renatus*

fuerit ex aqua et Spiritu, non intrabit in regnum coelorum; ita quoque contemtoribus circumcisionis in V. T. dicitur: *Masculus, cujus praeputii caro non fuerit circumcisa, delebitur de populo suo.* Ergo ut baptismus in N., ita circumcisio in V. T. est medium regenerationis, receptionis in foedus Dei et aeternae salutis. Comminatio addita baptismo non evincit baptismum esse praeceptum quoddam legale proprie dictum, sed salutare medium, per quod regeneratio et salus nobis obveniunt; ita comminatio circumcisioni addita itidem non evincit, circumcisionem esse praeceptum quoddam legale, sed itidem salutare medium regenerationis humanae. Est igitur in argumento Bellarmini fallacia causae. Deus non servantibus praecepta comminatur mortem. Ergo ex comminatione circumcisioni addita patet, quod circumcisio sit praeceptum. Atqui an non ipsi baptismo in N. T. comminatio addita? an non promissionibus maxime evangelicis ἀντιθετικῶς comminatio additur? Joh. 3, v. 36: *Qui non credit in Filium, non videbit vitam, sed ira Dei manet super ipsum.* 1. Joh. 5, v. 12: *Qui non habet Filium, non habet vitam.* Ecquis vero diceret, vel baptismi sacramentum, vel promissiones evangelicas ad legem proprie sic dictam pertinere? Quo sensu et respectu sacramenta referri possint ad praecepta, exposuimus in tract. de leg. ceremon. §. 11. Ceterum quod Bellarminus verba comminationis, *peribit anima ejus de populo suo,* tantummodo de temporali aliqua poena, non autem de morte aeterna intelligit, in eo sequitur Rabbinos, quorum aliqui per exterminationem intelligunt mortem praematuram ante tempus legitimum, videlicet ante annum 52. quidam vero deletionem nominis et posteritatis; sed et veritati et sibi ipsi contradicit; illud, quia trans-
VIII. 267. gressoribus pacti divini et contemtoribus sacramentorum non temporalis solum, sed et aeterna poena constituta est; hoc vero, quia comminationem praeceptis legalibus additam aeternas poenas includere, ne ipse quidem Bellarminus negat. Ergo si circumcisio ex ipsius hypothesi est praeceptum legale, utique etiam comminatio illi addita aeternam poenam continebit. Mercerus in c. 17. Gen. non de punitione quadam corporali per magistratum, sed de excommunicatione ecclesiastica intelligit. Quae de significatione foederis contra Augustinum Bellarminus disputat, nobis non adversantur; non negamus, per pactum in hac comminatione πρώτως et principaliter pactum circumcisionis a contemtoribus irritum factum intelligendum esse, interim secundario et ex consequenti ad pactum cum Adamo factum non absurde ab Augustino reducitur; ideo enim contemtoribus circumcisionis tam gravis poena constituitur, quia a peccato originali (quod est transgressio pacti cum Adamo primitus initi) nemo liberari potest nisi per regenerationem, cujus salutare medium et sacramentum est circumcisio. Vide omnino ipsum Augustinum lib. 16. de civ. Dei c. 27. ubi pulcherrime de illa pacti transgressione disputat. Ita quoque quae de Moyse Bellarminus contra Augustinum disputat, quod ipse solum, non autem filius in periculo fuerit, itidem facilem habent explicationem. Quamvis enim solus Moyses ob neglectam filii circumcisionem in praesentissimum vitae periculum incidisse dicatur, ex eo tamen non potest inferri, contemtores circumcisionis temporalem solummodo poenam manere, vel Moysis filio circumcisionem non fuisse regenerationis medium; quin imo *Dominus voluit Moysen occidere,* dicit textus, hoc est doloribus corporis, terroribus conscientiae et sensu mortis ipsum afflixit, cui poenae sanctum virum non subjecisset, nisi contemtus circumcisionis, unici illius medii, per quod infantes V. T. regenerati sunt, cum tanto periculo infantis ac reatu parentis conjunctus fuisset.

67. 2. Altera Bellarmini exceptio διαῤῥήδην negat, circumcisioni fuisse annexam promissionem remissionis peccatorum et vitae aeternae; primo, *quia apostolus et Augustinus docent, meliores esse promissiones T. V. quam N.,* qua de re paulo post dicetur; secundo, *quia Abraham, cui primum imperata est circumcisio, justissimus fuit ante ejus susceptionem, Genes. 12. Rom. 4. Ergo circumcisioni non fuit addita promissio de remissione peccatorum.* Respondemus: egregia vero ratio, Davidis et apostoli Pauli, imo vero ipsius Christi pronuntiatis manifeste opposita. David pronuntiat, omnes sanctos et justos precari a Deo peccatorum remissionem Psalm. 32, v. 6. Paulus docet, Abrahami in medio pietatis cursu constituti justificationem consistere in remissione peccatorum Rom. 4, v. 7. Christus quotidiana peccatorum remissione omnes justos indigere pronuntiat Matth. 6, v. 12. qua ergo veritatis specie inferri potest, Abraham fuit justus ante circumcisionem; ergo non indiguit promissione de remissione peccatorum sacramento circumcisionis confirmanda et obsignanda? Circumcisio fuit *signaculum justitiae fidei,* docente apostolo Rom. 4, v. 11. justitia fidei consistit in remissione peccatorum, docente eodem v. 6. utique ergo circumcisio fuit signaculum promissionem de remissione peccatorum confirmans et obsignans. Quamvis igitur gratia Dei et justitia fidei non de novo per circumcisionem demum Abrahae fuerit collata, eidem tamen itidem fuit organum VIII. 268.
conferens respectu augmenti et confirmationis fidei ceterorumque donorum, quae cum regeneratione cohaerent. Accedamus propius. Baptismus confertur etiam illis, qui ante ejus susceptionem vera fide in Christum peccatorum remissionem acceperunt, ecquis vero inde colligere poterit, baptismo non esse additam promissionem de remissione peccatorum? quin imo ut Spiritus sanctus per baptismum in cordibus infantum operatur fidem, per quam remissionis peccatorum participes fiunt, in cordibus adultorum credentium eandem confirmat et obsignat; ita quoque in circumcisione res sese habet. Sacramenta non solum sunt media excitandae et generandae, sed et confirmandae atque obsignandae fidei; id superius declaravimus exemplo verbi praedicati. Ex verbo tanquam incorruptibili semine renascimur, interim

2. Circumcisioni non fuisse additam promissionem remissionis peccatorum.

tamen praedicatio verbi non est inanis sonus circa illos, qui jamdum regeniti sunt, sed medium fidei augendae et confirmandae. Tertio, *in circumcisionis institutione tantummodo mentio fit promissionis corporalis et terrenae de multiplicatione seminis et possessione terrae Canaan. Ergo circumcisioni non fuit annexa promissio de remissione peccatorum et vita aeterna.* Respondemus: quamvis spirituales promissiones sub involucris corporalium primis patribus fuerint propositae, ex eo tamen cum Anabaptistis non est inferendum, quod solae terrenae promissiones ipsis datae. Promissio de multiplicatione seminis inclusam habet promissionem Christi ex posteris Abrahae nascituri, in quo omnes gentes sint benedicendae, Gal. 3, v. 16. Fatetur ipse Bellarminus, *promissionem terrenam fuisse figuram promissionis coelestis et spiritualis dandae illis, qui non carne, sed corde circumciderentur, idque patriarchas, prophetas et alios viros perfectos illius temporis intellexisse;* addit autem, *solam promissionem terrenam ad V. T. pertinere et contrarium asserere, esse nihil aliud, quam ex lege evangelium facere.* Respondemus: de discrimine legis et evangelii, uti et V. ac N. T., egimus in tractatu de evangelio latissime, ubi ostendimus, quae et quales sint utriusque testamenti promissiones. Nomine V. T. aliquando intelligitur totum illud tempus ante Christi adventum et incarnationem; aliquando vero pactum illud legale, in quo Deus observantibus legem promisit vitam aeternam. A T. V. priore sensu accepto evangelicas de Christo et ipsius beneficiis promissiones excludere est ex sanctissimis patriarchis et prophetis carnales et mundanos homines facere, qua de re suo loco dictum fuit uberrime. *Quamvis enim gratia Dei promanet ex N. T. cum impetretur nobis per Christum ejusque passionem et mortem; tamen ipsa illa Dei gratia cum adjunctis beneficiis fuit utrique populo communis, virtute sua etiam retro se extendens ad omnes eos, qui sub V. T. credebant in venturum Messiam,* ut recte scribit D. Hunnius tract. de sacram. c. 2. qu. 7.

68. Sed quid fiet promissioni illi vere evangelicae: *Ero Deus tuus et Deus seminis tui*, quam circumcisioni annexam esse sole meridano clarius est? Bellarminus invenit, quod regereret: 1. *Verbis his non significari promissionem remissionis peccatorum vel vitae aeternae, sed tantum peculiaris ejusdem protectionis, qualis debetur populo peculiari, quomodo Deus malorum in populo Israëlitico fuit Deus.* Respondemus: ostendimus superius ex collatione Scripturarum verum sensum hujus promissionis. Concedimus, peculiaris protectionis promissionem illis verbis contineri, sed nihil quicquam praeter temporalem illam protectionem illis verbis promitti, id vero negamus. Peculiaris illa protectio gratiosam Dei inhabitationem includit, gratiosa Dei inhabitatio reconciliationem praesupponit, quia in cordibus nondum sibi reconciliatorum Deus non inhabitat sua gratia; reconciliatio praesupponit peccatorum remissionem, quia Deus cum nemine in gratiam redit, nisi prius remittantur peccata, *quae inter Deum et homines dividunt* Esa. 59, v. 2. Absurdum igitur est, insignem illam promissionem de corporalibus et temporalibus beneficiis tantummodo intelligere, cum Christus ex verbis illis, *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob* Exod. 3, v. 6. colligat, Matth. 22, v. 32. Abrahamum, Isaacum et Jacobum post mortem adhuc vivere. Nec est, quod Bellarminus regerat, *universum* VIII. 269.
Israëliticum populum, cui multi admixti erant mali, sine discrimine dici populum Dei, id enim notum est per synecdochen intelligi debere, quemadmodum ecclesia dicitur domus Dei, populus sanctus, cives Hierosolymae coelestis etc. propter electos in ecclesia, non quod omnibus externa solum societate ecclesiae admixtis haec encomia competant. 2. *Verba ista non tam promissionem Dei, quam obligationem populi sonare, ut sit sensus: non habebitis alium DEUM quam me.* Respondemus: subordinata non sunt sibi invicem opponenda. Et Dei promissio et populi obligatio verbis illis continentur. Obligati fuerunt Israëlitae circumcisionis foedere cum Deo vero inito, ne ullum alium praeter hunc unicum verum DEUM agnoscerent, colerent, invocarent; interim tamen manet hoc, quod Deus peculiariter sese huic populo per pactum illud itidem obligaverit, siquidem obligatio reciproca promissa continet. 3. *Christum ex verbis mosaicis, ego sum Deus Abraham etc. nihil aliud colligere quam resurrectionem, quae bonis et malis communis erit.* Respondemus: imo vero non solum resurrectionem, sed et animarum beatam immortalitatem et *resurrectionem vitae* (Joh. 5, v. 29.) ex verbis colligit, ut ipse sonus verborum manifeste comprobat: *Deus non est Deus mortuorum, sed viventium, omnes enim vivunt ei*, Luc. 20, v. 38. at quando vivunt Abraham, Isaac et Jacob? in coelesti beatitudine et felicitate. Quando Deus se vocat alicujus Deum, significat, quod ipsum gratia sua complectatur, in omnibus periculis, adeoque in media morte ipsi affuturus et ex terrae pulvere tandem ad vitam aeternam eundem resuscitaturus sit, ut superius demonstravimus. 4. *Gentiles fuisse sine Deo, sine Christo, sine spe, sine promissionibus, non quia caruerunt circumcisione, sed quia caruerunt vera fide et notitia veri Dei, alioquin etiam inter gentiles, qui verum Deum colebant, ut olim Job, et postea Cornelius centurio etc. non erant sine Deo, sine Christo et sine spe, etiam circumcisi non fuissent.* Respondemus: proselytorum duo fuerunt genera, quidam sola religione; quidam vero et religione et cohabitatione fuerunt Judaeis conjuncti et permixti. Primo generi liberum erat, sive circumcidi, sive a circumcisione abstinere vellent, ut patet in Naaman, Cyro, Dario etc. qui signaculum illud corpore non susceperunt, fide autem in venturum Messiam salvati sunt et ad populum civitatemque Dei pertinuerunt. Augustinus lib. 18. de civ. Dei c. 47. qui vero in terra promissa inter ipsos Judaeos habitare, connubia cum illis contrahere et agnum paschalem una

cum illis manducare voluerunt, illos etiam circumcidi oportuit, ut colligitur ex Gen. 17, v. 13. c. 34, v. 14. Exod. 12, v. 47. etc. Quamvis ergo quidam proselyti vera in Christum fide ex auditu verbi concepta regeniti et salvi facti sint, ex eo tamen non potest inferri, circumcisionem non esse medium regenerationis et salutis, cum et catechumeni sine baptismo regenerentur et salventur, ex quo baptismi ipsius efficaciae et dignitati nihil quicquam decedit. 5. *Paulum Coloss. 2. non tribuere eundem effectum baptismo et circumcisioni, sed circumcisionem figuram baptismi constituere; jam vero figurae et rei figuratae non potest esse eadem vis et efficacia.* Respondemus: Apostolus permutatione illa vocabulorum circumcisionis et baptismi significat, nos qui in N. T. per baptismum habemus expoliationem corporis peccatorum carnis, accepisse et habere idem, quod Israëlitae tempore V. T. per circumcisionem acceperunt. Ut enim circumcisio fuit *signaculum justitiae fidei*, Rom. 4, v. 11. ita baptismus est *stipulatio bonae conscientiae erga Deum per resurrectionem Christi*, 1. Petr. 3, v. 21. quo pertinent argumenta de effectu circumcisionis superius producta. Quod Bellarminus dicit, *non esse eandem vim figurae et rei figuratae*, in eo sibi ipsi contradicit; disputat enim lib. 2. de missa c. 2. sacrificia in lege naturae et Moysis fuisse propitiatoria, et tamen fuisse typos sacrificii missatici. Nec ullum habet robur, quod Bellarminus addit, *circumcisioni non posse tribui exspoliationem a corpore peccatorum, cum non totum corpus, sed unam tantum particulam circumciderit*, quid enim, num baptismus non exspoliat corpus peccatorum carnis? et tamen adspersione perfici potest, ut suo loco demonstratum fuit.

VIII. 270. 69. 3. Agnus paschalis fuit non solum memoriale praeteriti, videlicet mirandae liberationis populi Israëlitici ex Aegypto, sed etiam figura futuri, videlicet spiritualis redemtionis a tyrannide diaboli et servitute peccati per Christum, *agnum illum DEI, qui tollit peccata mundi*, Joh. 1, v. 29. c. 19, v. 36. 1. Cor. 5, v. 7. 1. Petr. 1, v. 19. Quamvis vero mactatio, sanguinis effusio et assatio agni paschalis illustris admodum figura esset sacrificii Christi et effusionis sanguinis ipsius in cruce, quo respectu agnus paschalis sacrificium, hoc est figura sacrificii dicitur; hoc tamen prae sacrificiis V. T. proprie sic dictis peculiare habet, quod de carne agni nihil incendebatur Domino in altari, nec ullae partes cedebant sacerdotibus, sed tota in aedibus Israëlitarum manducabatur, qua circumstantia ad naturam sacramentorum proprie accessit et fuit typus eucharistiae, in qua non amplius typica caro et typicus sanguis CHRISTI, sed verum corpus et verus sanguis illius accipitur, manducatur et bibitur. Nec vero dubium, manducatione agni illius paschalis, qui tam perspicue designabat Christum (ab omni peccati macula immunem, segregatum a peccatoribus, in medio aetatis flore ad occisionem ductum et sanguine largiter in ara crucis effuso redemtionis opus perficientem) fidem Israëlitarum non mediocriter fuisse *confirmatam, quod beneficia Christi* veri illius agni tam certo ad se pertinuerint, quam vere carnes agni paschalis comederent; et quemadmodum sanguis agni paschalis postibus aedium Israëliticarum illitus prohiberet angelum vastatorem, ne in primogenitos Israëlitarum irrueret; ita quoque sanguis Christi hyssopo verbi per fidem cordibus adspersus infernalem vastatorem arceret et ad vitam aeternam credentes conservaret, quo pertinet illud Hebr. 11, v. 28: *per fidem* (in promissum Messiam) *Moyses fecit pascha.* Proinde sicut usu sacrae coenae, hoc est manducatione corporis et bibitione sanguinis Christi in sacramento coenae, quae in locum agni paschalis successit, confirmatur fides piorum in N. T. quod habet ipsum corpus et εἰκόνα; ita manducatione agni paschalis et illitione sanguinis illius confirmata fuit fides piorum in T. V. quod habuit tantummodo *umbram futurorum bonorum*, Col. 2, v. 17. Hebr. 10, v. 1. Quemadmodum usus sacrae coenae externus nemini prodest sine fine; ita quoque manducatio agni paschalis nemini profuit sine fide in Messiam promissum. Quemadmodum non nisi baptizatis patet aditus ad usum sacrae coenae; ita quoque proselyti non nisi prius circumcisi et per sacramentum initiationis populo Israëlitico inserti ad esum agni paschalis admissi fuerunt, Exod. 12, v. 43. 48. Ex quibus omnibus sic colligimus: Ritus agni paschalis non solum fuit typus Christi, sed etiam confirmatio divinae promissionis de Messia exhibendo, manuductio ad manducationem Christi spiritualem ac proinde salutare sacramentum, quo fides Israëlitarum fuit confirmata et beneficia Christi credentibus applicata. Ergo sacramenta V. T. itidem fuerunt efficacia media spiritualium beneficiorum credentibus collatorum.

3. Agnus paschalis fuit figura sacrificii Christi.

70. 4. Quamvis duo solum ordinaria et perpetua fuerint V. T. sacramenta proprie et specifice sic dicta, *circumcisio* scilicet Genes. 17. et *agnus paschalis* Exod. 12. ex quibus illud initiationis, hoc continuationis in foedere ac confirmationis sacramentum dici potest; tamen plura fuerunt καιρικὰ sive temporaria V. T. sacramenta, utpote *transitus per mare rubrum*, Exod. 14, v. 22; *commoratio sub nube*, Exod. 13, v. 21; *esus mannae*, Exod. 16, v. 14; *aquae de petra eruptio et potio*, Exod. 17, v. 6. quae erant visibilia invisibilis gratiae Dei signa et testimonia fidei confirmationem spectantia, inde apostolus 1. Cor. 10, v. 1. scribit: *Patres nostri omnes sub nube fuerunt et omnes per mare transierunt;* v. 2: *et omnes in Moysen baptizati sunt in nube et in mari;* v. 3: *et omnes eandem escam spiritualem manducaverunt;* v. 4: *et omnes eundem potum spiritualem biberunt (bibebant autem de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus).* Ex quo apparet, apostolum conferre transitum per mare rubrum et commorationem sub nube cum baptismo nostro; esum mannae et aquae de petra eruptae potionem cum sacra coena in N. T. quippe quorum typi in temporariis illis sacramentis VIII. 271.

4. Sacramenta V. T. temporaria confirmarunt fidem.

fuerint Israëlitis propositi. (Lutherus in c. 4. Genes.: *Facies Domini in V. T. fuerunt columna ignis, nubes, propitiatorium; in N. T. baptismus, coena Domini, ministerium verbi et similia. His enim nobis se ostendit Deus tanquam signo visibili, quod sit nobiscum, quod nos curet, quod faveat nobis.)* Referas etiam huc mirabilem octo animarum in arca conservationem tempore universalis cataclysmi Genes. 7, v. 6. quam Petrus itidem cum baptismo illius ἀντιτύπῳ confert, 1. epist. 3, v. 21. itemque rorem in vellere Gideonis, Judic. 6. umbram solis in horologio Achas retrogradam Esa. 38. quae omnia hactenus conveniunt cum sacramentis, quod fuerint confirmandae fidei et promissionum divinarum obsignandarum salutaria media, quamvis in eo a sacramentis proprie sic dictis differant, quod fuerint saltem καιρικὰ et temporaria, non autem perpetua et ordinaria sacramenta; et quod quibusdam horum promissio tantum de corporalibus beneficiis, non autem de spiritualibus bonis, puta de remissione peccatorum salute et vita aeterna fuerit addita. Ex quibus omnibus sic colligimus: Si temporaria illa V. T. sacramenta fuerunt fidei signacula et gratiae divinae testimonia, multo magis perpetuis et ordinariis V. T. sacramentis hoc tribuendum erit. Sed verum prius. Ergo et posterius. Bellarminus excipit: 1. *Chemnicium secum apertissime pugnare, cum manna et aquam de petra scaturientem inter sacramenta refert, cum in definitione sacramenti requirat, ut sit ceremonia, quae duret quamdiu religio duret;* qua de re quid statuendum sit, ex dictis patet. Definitio sacramenti de ordinariis et perpetuis, non autem temporariis sacramentis agit. 2. *Chemnicium in eo etiam sibi repugnare, quod cum Calvino admittat hoc loco, eucharistiam nihilo esse praestantiorem, quam fuerit manna Judaeorum, interim non advertat, Calvinum ista argumenta proferre ad probandum, in eucharistia non esse corpus Domini nisi tropice, quomodo fuit in manna, cujus contrarium ipsemet doceat.* Respondemus: sacramenta V. et N. T. dupliciter conferri possunt vel ratione essentiae, vel ratione efficientiae. Ratione essentiae nequaquam statuit Chemnicius esse eadem V. et N. T. sacramenta, quin potius diserte scribit, non solum in signis seu ritibus externis esse discrimen inter sacramenta V. et N. T., sed etiam in eo, quod lex sive V. T. habuerit umbram futurorum bonorum, sed N. T. ipsam imaginem sive corpus ipsum Col. 2, v 17. Hebr. 10, v. 1. proinde etiam sacramenta, quippe quae naturam testamenti, cui addita sunt, sequuntur. Id Chemnicius ex Augustino in Psalm. 73. tract. 45. in Joh. lib. 19. contra Faustum c. 3. sic effert: *Sacramenta V. T. fuerunt praenuntiativa Christi venturi, sacramenta N. T. sunt annuntiativa Christi exhibiti.* Ratione efficientiae identitatem quandam V. et N. T. sacramentis tribuit Chemnicius, sic enim scribit: *De sacramentis veterum proprie sic dictis manifestissimum est, quod ex institutione divina eundem habuerint usum et finem, quem sacramenta N. T., unum et eundem Christum in verbo promissionis sacramentis illis annexo credentibus proposuerunt, eadem fuit fides, quae et in verbo promissionis in sacramentis, quae promissioni gratiae annexa erant, eandem gratiam, justitiam, remissionem peccatorum, salutem et vitam aeternam quaesivit et accepit, sicut nunc in N. T.* Postea addit: *Distinguendum esse inter ipsam incarnationem et redemtionem; atque inter virtutem seu gratiam incarnationis, quae eadem est in V. et N. T.* cujus distinctionis neglectu Scholasticos deceptos fuisse recte monet. Denique etiam efficientiae ratione discrimen quoddam sacramentis V. et N. intercedere subjungit: *Sicut modus revelationis* (inquit) *in N. T. illustrior est, lux fidei major et mensura gratiae uberior; ita etiam per sacramenta N. T. gratiam Christi luculentius, plenius, perfectius et uberius dispensari credentibus libenter damus; nunc enim consummato redemtionis mysterio figuris successit ipsa veritas et umbris corpus.* Haec omnia D. Chemnicius satis clare et perspicue. Quare cum ne efficientiae quidem VIII. 272.
respectu omnimodam identitatem sacramentis V. et N. T. tribuat, qua veritatis specie dici potest, quod ratione essentiae sacramenta V. et N. T. eadem esse statuat et hac ratione veram praesentiam corporis et sanguinis Christi a sacra coena exulare jubeat? Cum ne quidem proprie sic dicta et ordinaria V. T. sacramenta modis omnibus eadem cum N. T. sacramentis statuat; qua veritatis specie ipsi tribui potest, quod καιρικὸν et extraordinarium mannae et aquae ex petra profluentis sacramentum cum eucharistia modis omnibus idem esse statuat? 3. Bellarminus probat, *apostolum nequaquam asserere, quod eadem fuerit Israëlitarum et nostra esca, sed quod illorum omnium eadem fuerit.* Respondemus: libenter damus, Israëlitas in suis sacramentis non habuisse ipsum essentiale corpus et sanguinem Christi, quemadmodum nos in sacramento coenae; interim ut eadem Dei gratia, eadem passionis Christi virtute et eadem fide sancti V. T. fuerunt salvati, qua nos in N. T. salvamur; ita quoque sacramenta V. T. proprie sic dicta eundem habuerunt usum et finem, quem N. T. sacramenta, videlicet promissionem gratiae externis ritibus confirmare et beneficia coelestia credentibus applicare. 4. *Esum mannae, potum aquae ex petra profluentis, transitum per mare rubrum* etc. *non habuisse promissionem gratiae annexam, cum et bestiis haec fuerint communia.* Respondemus: ordinaria V. T. sacramenta, circumcisio et agnus paschalis, habuerunt promissionem gratiae evangelii proprie annexam, quod ad temporaria illa sacramenta attinet, illa non conveniunt omni ex parte cum sacramentis ordinariis, interim tamen fuerunt itidem testimonia divinae gratiae et confirmationes fidei in credentibus, qua ratione cum sacramentis conferuntur. 5. *Manna et aquam de petra scaturientem vocari cibum et potum spiritualem non propter effectum, sed propter causam, quia utrumque erat productum per miraculum opera angelorum et pro-*

pter significationem. Respondemus: sane ex opere operato sine fide non profuerunt illa sacramenta (quo Bellarminus hoc loco spectat), interim tamen credentibus fuerunt gratiae divinae testimonia et fidei confirmationes, cum in hisce typis salutaria Christi beneficia non solum ob oculos sibi proposita eminus conspexerint, sed et vera fide eadem sibi applicarint. Interim nequaquam cum Calvino statuimus, in eucharistia tantummodo signum absentis corporis Christi, quale olim fuit manna, nobis exhiberi, sed mediante benedicto pane verum Christi corpus, mediante benedicto vino verum Christi sanguinem nobis exhiberi tote corde credimus, qua ratione non solum a temporariis mannae et aquae sacramentis, sed etiam ab ordinario agni paschalis sacramento eucharistiae sacramentum plurimum differre statuimus. *6. Apostolum non a pari, sed a fortiori argumentari, hoc sensu: Si Judaei puniti sunt, quod contemserint figuras sacramentorum nostrorum et ingrati fuerint Deo, a quo beneficia illa acceperant, quando justius puniendi sunt Christiani, qui contemnunt sacramenta ipsa et ingrati sunt Deo, a quo acceperunt beneficia longe majora.* Respondemus: non negamus, apostolum a fortiori argumentari, interim ex eo non potest inferri, quod sacramenta V. T. ratione generalis finis et usus non conveniant, sed hoc tantum ex eo sequitur, quod ratione essentiae discrimen aliquod ipsis intercedat, siquidem agnus paschalis fuit typus corporis et sanguinis Christi, quae in eucharistiae sacramento vere, realiter et substantialiter nobis distribuuntur. De Augustini sententia paulo post dicetur.

5. Sacrificia confirmarunt fidem. 71. 5. Quamvis discrimen fuerit inter sacrificia et sacramenta ratione δόσεως καὶ λήψεως: in sacramentis enim acceperunt aliquid a Deo; in sacrificiis ex institutione Dei ipsi aliquid obtulerunt; ut et ratione actionis externae: in sacramentis enim Deus cum hominibus egit, in sacrificiis homines egerunt cum Deo; in illis amputabatur praeputium, comedebatur agnus paschalis etc. in his adhibito igne, thure, oleo, sale etc. victima cremabatur vel tota, vel certe pars illius aliqua; interim ratione finis, qui est confirmatio fidei, sacramenta et sacrificia quodammodo conveniunt. Quanquam enim in sa-
VIII. 273. crificiis ab hominibus offerebatur et dabatur aliquid Deo, id quod in sacramentis locum non habebat; tamen quia vicissim mediantibus sacrificiis Deus aliquid dabat hominibus, hoc est sua conferebat dona et bona et in futurum sacrificium Messiae mentes fidelium convertens fidem eorum confirmabat, ideo hoc respectu quaedam sacrificiorum et sacramentorum convenientia statui potest, unde D. Hunnius in tract. de sacram. c. 1. q. 15. recte statuit, *defectum sive carentiam sacramentorum in patribus, qui ante et post diluvium usque ad Abrahamum vixerunt, supplevisse ratione dicti finis, qui est fidei confirmatio, ritum et cultum sacrificiorum, qui jam inde ab origine mundi in ecclesia patrum duravit, ut Abelis et Noahi exemplo liquet.* Ex quibus sic colligimus: Si per sacrificia V. T. confirmata fuit fides piorum, per quam in futurum unicum propitiatorium sacrificium Christi, in ara crucis offerendum, respicientes remissionis peccatorum, gratiae Dei et vitae aeternae facti sunt participes, non erit hoc sacramentis V. T. denegandum. Sed verum prius. Ergo et posterius. Levit. 4, v. 35: *Cremabit sacerdos super altare incensum Domini rogabitque pro eo et pro peccato ejus et dimittetur ei.* Num. 15, v. 25: *Offerent Domino incensum pro se et peccato* etc. Bellarminus excipit, *sacrificia vetera voluisse ad expiationem peccati quoad poenam temporalem et quoad immunditiem legalem, non quoad culpam et poenam gehennae, nisi quatenus erant quaedam signa protestantia fidem in Christum.* Exceptio Bellarmini. Respondemus: sane sacrificia ex opere operato non valuerunt ad remissionem culpae vel poenae, interim tamen quia typi fuerunt unici illius propitiatorii sacrificii in N. T. ideo in vera fide Christum mediatorem ejusque sacrificium respiciente oblata fuerunt ἱλαστικὰ sive propitiatoria, ut disertis verbis toties in Moyse appellantur, non respectu operis operati, sed ratione fidei in Christum, cujus exercitium et objectum in illa sacrificandi actione fuit propositum. Primus enim ac praecipuus sacrificiorum finis fuit commonefactio de futuro sacrificio Messiae in ara crucis offerendo, ut ostendimus in tractatu de legibus cerem. §. 16. videntes igitur mactationem et immolationem animalium viderunt typum passionis et mortis, hoc est sacrificii ipsius Christi. Propter finem illum sacrificiorum Abel *fide majorem seu pretiosiorem hostiam obtulisse dicitur* Hebr. 11, v. 4. nimirum quia in typo sacrificii respiciebat futurum Christi sacrificium, ex quo solo peccatorum remissionem sperabat et consequebatur; quo pertinent omnia Scripturae dicta, in quibus dicitur agnus Dei Esa. 53, v. 7. Joh. 1, v. 29. 36. 1. Petr. 1, v. 19. Apocal. 13, v. 8. etc. illis enim docetur, sacrificia V. T. fuisse typos Christi, veri illius agni pro peccatis mundi in cruce oblati. Quamvis igitur sacrificiis non sit tribuenda vis expiandi peccata per se, vel dignitate personae sacrificantis, vel ex opere operato, ut hypocritae sibi persuadebant, quos hoc nomine per prophetas passim redarguit Dominus Esa. 1, v. 11. Hos. 6, v. 6. Mich. 6, v. 7. Psalm. 50, v. 13. quo respicit epist. ad Hebr. c. 10, v. 4: *Impossibile fuisse* pronuntians, *sanguine taurorum et hircorum auferri peccata;* tamen non neganda est illa vis sacrificiis sub ratione typi et umbrae, quatenus scilicet adumbrabant verum illum et unicum pontificem ac mediatorem Jesum Christum ejusque sacrosanctam victimam, qua *se ipsum obtulit Deo in odorem bonae fragantiae* Eph. 5, v. 2. atque hoc unico sacrificio *perfectos reddidit omnes, qui sanctificantur* Hebr. 10, v. 14. Si quis vero dubitat, an Israëlitarum ecclesia hoc mysterium intellexerit, ei non solum vaticinia prophetica de Christi passione et morte, cumprimis vero apocalypticum illud, *quod agnus Dei occisus sit ab origine mundi,* Apocal. 13, v. 8. sed et cumprimis haec theoremata consideranda proponimus: Noverant pii Israëlitae

ex concionibus prophetarum, Deum ipsum testatum esse, se placari velle sanguine victimarum; noverant etiam illud, Deum rursus diserte affirmare, se non delectari sacrificiis, imo malle misericordiam, quam sacrificium. Haec duo cum specietenus inter se pugnarent, sic certe conciliari debuerunt, ut populus doceretur, posteriore assertione illud notari, quod sacrificia nec sua vi et natura, nec ex opere operato
VIII. 274. ad placandum DEUM quidquam valeant; priore vero propositione illud testatum fieri, quod in victimis earundemque oblatione conspiciendus proponatur ipse promissus Messias ejusdemque sanguis ac meritum, in quo solo fide apprehenso obveniat credentibus peccatorum expiatio. Ex quibus facile judicari potest de iis, quae Bellarminus hoc loco de fine et usu sacrificiorum disputat. Quod enim dicit, *non esse sacrificia instituta pro omnibus peccatis*, illud ex quotidianis illis oblationibus, quae fiebant mane et vesperi, ex solenni illo sacrificio, quod summus pontifex quotannis semel ingrediens sanctuarium pro suis ac totius populi peccatis offerebat, ex distinctis sacrificiis pro peccato per errorem commisso et pro delicto ultroneo; ex ritu imponendi peccata populi hirco in desertum emisso etc. falsitatis convincitur. Quod addit, *sacrificia placuisse ex devotione et obedientia offerentium*, id epistola ad Hebraeos c. 11, v. 4. rectius fidei in Christum tribuit etc.

Dicta vetera de efficacia sacramentorum V. T. 72. De sacramentis V. T. sic disputat Augustinus lib. 19. contra Faustum c. 13: *Prima sacramenta cum suo adventu Christus implevisset, ablata sunt et alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.* in Psalm. 73: *Mutata sunt sacramenta, facta sunt faciliora, salubriora, feliciora. (Num vero,* scribit Chemnicius, *sacramenta V. T. ideo omnino nec salubria, nec felicia erunt, quia N. T. sacramenta praedicantur salubriora et feliciora? aut quia sacramentorum N. T. praedicatur virtus major et utilitas melior, num ideo plane nulla virtus aut nulla omnino utilitas sacramentorum V. T. certe quae secundum magis et minus comparantur, licet gradu differant, in uno tamen et eodem genere conveniunt? Felicitatem igitur, utilitatem, virtutem et salutem Augustinus sacramentis V. T. eo ipso tribuit, quod praedicat N. T. sacramenta feliciora salubriora, virtute majora et utilitate meliora, et hoc libenter damus; sicut modus revelationis in N. T. illustrior est, lex fidei major et mensura gratiae uberior; ita etiam per sacramenta N. T. gratiam Christi luculentius, plenius, perfectius et uberius dispensari credentibus, sed ex eo nondum sequitur, nullo plane modo per sacramenta V. T. gratiam Christi fuisse dispensatam.)* Idem lib. 19. contra Faustum multis argumentis hoc agit, in diversis signis, sacramentis seu ritibus utriusque testamenti res non esse diversas, sed easdem, c. 15. movet quaestionem, *utrum tantum profuerit antiquis justis fides passuri et resurrecturi Christi, quantum nunc prodest fides passi et resuscitati? an ipsa effusio sanguinis agni Dei, quae facta est pro multis in remissionem peccatorum, aliquid utilitatis et purgationis dederit etiam his, qui hoc futurum credentes antequam fieret, ex vita migraverant?* Et istam sane quaestionem eo loco non definit; alibi vero lib. 1. ad Bonifacium c. 21. diserte scribit: *Quantalibet virtute fuisse praeditos antiquos existimes, non eos salvos fecit nisi fides mediatoris, qui in remissionem peccatorum sanguinem suum fudit.* Videamus igitur, quae ex hoc fundamento, quod est certae et immotae veritatis, Augustinus ulterius deducat. c. 14. lib. 19. contra Faustum scribit: *In hac vita nemo justus esse potest, nisi qui fide vivit; gratia enim, justitia, salus, vita aeterna fide accipienda sunt.* Postea addit: *Antiqui justi, qui sacramentis illis intelligebant venturam praenuntiari revelationem fidei, ex illa, licet adhuc operta et abscondita, munere tamen pietatis intellecta esse ipsi vivebant.* (Agnoscat lector, inquit Chemnicius, connexionem argumentorum. Antiqui justi acceperunt remissionem peccatorum propter Christum mediatorem, remissio autem peccatorum non nisi fide accipitur, fides vero antiquorum objectum habuit non nudum tantum verbum, verum etiam sacramenta illius temporis et ex illa fide in sacramentis munere pietatis intellecta justi vivebant.) c. 16. confert verbum et sacramenta: *Si eadem res aliter enuntiatur facienda ut de Christo passuro, resurrecturo et aliter enuntiatur facta ut de Christo passo, resuscitato* etc. *quid mirum, si aliis mysteriorum signaculis passio et resur-* VIII. 275.
rectio Christi futura promissa est, aliis jam facta annuntiatur? quid enim sunt aliud quaeque corporalia sacramenta nisi quaedam quasi verba visibilia sacrosancta? (Si concedimus, inquit Chemnicius, per verbum promissionis in V. T. oblata et exhibita fuisse a Deo credentibus gratiam et salutem, quomodo sacramentis illud adimemus, quae nihil aliud sunt quam visibilia verba? ut eadem sit ratio et idem usus verbi et sacramentorum.) cap. 14. correlativa facit, sicut fidem et verbum seu promissionem, ita etiam fidem et sacramenta; quod ergo fides accipit, hoc Deus per verbum et sacramenta offert et exhibet; verba Augustini haec sunt: *Tunc ergo occulta erat fides, nam eadem credebant, eadem sperabant omnes justi et sancti etiam temporum illorum, et promissiva erant omnia illa sacramenta omnisque ritus ille sacrorum, nunc autem revelata est fides.* cap. 16: *Adversus calumniosam imperitiam Fausti demonstrare suffecerit, quanto errore delirent, qui putent, signis sacramentisque mutatis etiam res ipsas esse diversas, quas ritus propheticus praenuntiavit promissas et quas ritus evangelicus annuntiavit impletas; aut qui censent, cum res eaedem sint, non eas aliis sacramentis annuntiari debuisse completas quam his, quibus ad*huc complendae praenuntiabantur. (Quae vero sunt res eaedem in utriusque testamenti sacramentis nisi beneficia evangelii ad salutem necessaria?) Haec omnia Dn. Chemnicius ex Augustino produxe-

rat, sed Bellarminus ad ea nihil respondet. Hugo de S. Victore p. 12. de sacramentis c. 10: *Tria sacramentorum genera inveniuntur fuisse sub lege scripta; quaedam specialiter ad remedium, quaedam vero ad obsequium, quaedam ad cultum divinum. Prima instituta fuerunt quasi ad necessitatem, ut in eis homo sanctificaretur, qualis circumcisio fuit, hostiae pro peccato et pro delicto et cetera quaedam, quae specialiter ad emundationem et remissionem instituta fuerunt. Secunda quasi ad exercitationem fuerunt proposita, ut in eis devotio fidelium exerceretur, quales fuerunt hostiae pacificorum, quae offerebantur a fidelibus ob reconciliandam sibi gratiam divinam. Tertia instituta fuerunt quasi ad praeparationem quandam, ut essent quasi quaedam instrumenta ad cetera sacramenta tractanda et sanctificanda, quale fuit tabernaculum et atrium et omnia utensilia, quae continebantur in eis; nec non et sacra indumenta ministrantium ceteraque omnia, quae ad exornandum cultum divinum fuerunt instituta.* De circumcisione in specie statuunt Ambrosius in c. 2. Luc. Augustinus lib. 16. de civ. Dei c. 17. lib. 6. contra Faustum c. 3. et Bernhardus sentent. 2. de assumt. virginis; serm. 3. de circumcisione, quod fuerit *signum regenerationis et purgationis delictorum* (non nude significativum, sed efficax). Idem Augustinus ut et Beda atque alii ex veteribus (referente D. Gesnero in c. 17. Gen. sub finem) ex ceremoniis externis ratiocinati sunt, circumcisionis effectum fuisse remissionem peccati, fidem justificantem et salutem aeternam. Nam ideo in membro genitali circumcisio fiebat, ut quidquid damnationis e carnali nativitate infantes contraxerant, per hunc ritum illis adimi et resecari constaret. Ideo sanguis profundebatur, ut sanguine Christi peccata aboleri ejusque meritum per circumcisionem infantibus applicari certum esset. Ideo denique magno cum dolore character iste carni imprimebatur, ut perpetuum esset signum, cruciatus et dolores Christi circumcisis accomodari et conferri. Augustinus lib. 16. de civ. Dei c. 26: *Quid aliud circumcisio significat quam vetustate exuta naturam renovatam?* Idem homil. 50: *Circumcisionem patres nostri pro baptismo habebant.* **Idem lib. 2. de nupt. et concup. ad Valerium c. 11: *Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei, quod erat tunc signaculum justitiae fidei, ad significationem purgationum valebat parvulis originalis veterisque peccati, sicut et baptismus ex illo valere coepit ad innovationem hominis, ex quo est institutus. Non quod ante circumcisionem justitia fidei nulla esset, quippe cum adhuc incircumcisus ex fide justificatus fuerit ipse Abraham, sed quod superioribus temporibus non fuit sacramentum aliquod justificationis ex fide.* Beda in c. 2. Luc.: *Erat circumcisionis typus et figura multiformis. Nam et signaculum fuit et dictum est justitiae fidei ipsi Abrahae et semini ejus et indicium purgandi eos, qui ad hoc semen fidemque pertinerent, ab omni inquinamento carnis et Spiritus et prophetia nascituri de hoc semine salvatoris, qui homines in praesenti per baptismum ab omni mortiferae actionis pollutione mundaret et in futurum per resurrectionem ab universa mortis ipsius corruptione in perpetuum liberaret et praecipue donum signabat remissionis, quod solveret a peccato praevaricationis Adae, quod donum per hujusmodi circumcisionem eo tempore ministrari eidem gratiae legisque latori Deo complacuit. Qui enim nunc dicit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei, ipse tunc dicebat: Masculus, cujus praeputii caro circumcisa non fuerit, peribit anima illius de populo meo.* Idem in c. 8. Cant. super verba *Pone me ut signaculum* etc.: *Circumcisio dicitur signaculum justitiae fidei, per circumcisionem namque, quam in carne accepit, signabatur, quod fides illa, quam et ante circumcisionem jam acceperat, ad mundationem cordis valeret et corporis, quam et nos modo sine circumcisione carnis habemus.*** Augustinus lib. 4. de bapt. c. 24. talem VIII. 276.
instituit circumcisionis et baptismi collationem: *Quid valeat in parvulis baptismi sacramentum, ex circumcisione carnis veraciter conjicere possumus* etc. *Sicut in Abraham praecessit fidei justitia et accessit circumcisio signaculum justitiae fidei, ita in Cornelio praecessit sanctificatio spiritualis in dono Spiritus sancti et accessit sacramentum regenerationis in lavacro baptismi. Et sicut in Isaac, qui octavo suae nativitatis die circumcisus est, praecessit signaculum justitiae fidei et quoniam patris fidem imitatus est, secuta est in crescente ipsa justitia, cujus signaculum in infante praecesserat; ita et in baptizatis infantibus praecedit regenerationis sacramentum, et si Christianam tenuerint pietatem, sequitur in corde conversio, cujus mysterium praecessit in corpore.* Rupertus lib. 5. in Genes. c. 31: *Circumcisionis susceptio exspectandi seminis illius professio est, quisquis circumciditur, semen quod Abrahae promissum est, signo illo venturum se exspectare profitetur.* Hugo de S. Victore lib. 1. de sacrament. p. 12. c. 2: *Circumcisionis sacramentum semini Abrahae sanctificando et signando datum est; sanctificando, ut justificaretur; signando, ut a reliquis gentibus discerneretur.* **Pererius disp. 4. in c. 4. Rom. fluctuat in hac quaestione (an sanctam antiquae legis causaverint gratiam, an vero eam solum figuraverint) ac disputat in utramque partem, eo tamen tandem inclinat, ut dicat, *per circumcisionem quidem etiam datam fuisse gratiam, sed minorem quam per baptismum.*** Ipsimet Rabbini vetustam circumcisionis benedictionem hanc recitant: *Deus vivus pars nostra et protector noster praecepit erui animam nostram ab inferis propter foedus suum, quod posuit in carne nostra.* Item: *Benedictus Dominus Deus noster, rex omnis terrae, qui nos sanctificavit suis mandatis nobisque dedit foedus circumcisionis.* Gloss. ordin. in c. 4. Rom.: *Duae sunt res sacramenti circumcisionis, scilicet circumcisio a peccatis in praesenti et ab omni corruptione in futuro, conferebat autem hoc*

suo tempore, quod baptismus nostro. De agno paschali scribit Ambrosius in 1. Cor. 5. quod fuerit *exemplum salvatoris et signum salutis.* Anselmus in 1. Cor. 10: *Signum baptismi, quod Hebraei acceperunt, tantundem valuit eis credentibus, quantum valet nobis ipse baptismus.* De manna pane illo coelitus depluto disputans Augustinus tract. 26. in Johannem sic scribit: *Quare manducaverunt patres vestri et mortui sunt? quia quod videbant, credebant, quod non videbant, non intelligebant, ideo patres vestri, quia similes estis illorum. Nam quantum pertinet fratres mei ad mortem istam visibilem et corporalem, numquid nos non morimur, quod manducamus panem de coelo descendentem? Sic sunt mortui et illi, quemadmodum et nos sumus morituri, quantum attinet ad mortem hujus corporis visibilem atque carnalem. Quantum autem pertinet ad illam mortem, de qua terret Dominus, quia mortui sunt patres eorum. Manducavit manna et Moyses, manducavit manna et Aaron* etc. *Man-*
VIII 277. *ducaverunt ibi multi, qui Domino placuerunt et mortui non sunt. Quare quia visibilem cibum spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustaverunt, ut spiritualiter satiarentur. Nam et nos hodie accipimus visibilem cibum, sed aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti. Quam multi de altari accipiunt et moriuntur et accipiendo morientur* etc. *Sacramenta illa fuerunt, in signis diversa sunt, sed in re, quae significatur, paria sunt. Apostolum audi: nolo enim vos ignorare fratres, quia patres omnes sub nube fuerunt* etc. *et omnes eandem escam spiritualem comederunt, spiritualem utique eandem, nam corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud; spiritualem vero quam nos, sed patres nostri, non patres illorum; quibus nos similes sumus, non quibus illi similes fuerunt.* Et adjungit: *et omnes eundem potum spiritualem biberunt; aliud illi, aliud nos, sed specie visibili quidem, tamen hoc idem significante virtute spirituali. Quomodo enim eundem potum? bibebant, inquit, de spirituali sequente petra, petra autem erat Christus; inde panis, inde potus. Petra Christus signo, verus Christus in verbo et in carne* etc. tract. 45: *In signis diversis eadem fides; si in signis diversis, quomodo in verbis diversis? quia verba sonos mutant per tempora et utique nihil aliud sunt verba quam signa; significando enim verba sunt, fide manente signa variata. Ibi petra Christus, nobis Christus, quod altari Dei ponitur et illi pro magno sacramento ejusdem Christi biberunt aquam profluentem de petra, nos quid bibamus, norunt fideles. Si speciem visibilem attendas, aliud est; si intelligibilem significationem, eundem potum spiritualem biberunt.* Bellarminus excipit, *Augustinum non dicere, sacramenta nostra et vetera esse paria quoad efficaciam, sed tantum quo ad significationem, cum alibi scribat, sacramenta N. T. esse virtute majora, utilitate meliora.* Respondemus: Comparatio duorum non est alterius exclusio. Quamvis igitur sacramenta N. T. sint salubriora, feliciora, virtute majora, utilitate meliora, inde tamen non inferendum, quod sacramenta V. T. nullo plane modo sint salubria, utilia et efficacia, cujus contrarium diserte statuit Augustinus, in diversis signis rem significatam eandem statuens, per rem vero intelligit sacramenti fructum, sic enim subjungit tractat. 26. in Joh.: *Sacramentum sumitur a quibusdam ad vitam, a quibusdam ad exitium; res vero ipsa, cujus est sacramentum, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicunque ejus particeps fuerit.* Idem lib. de poenit. utilit.: *Quicunque in manna Christum intellexerunt, eundem quem nos cibum spiritualem comedunt.* In enarrat. Psalm. 77. non procul ab init.: *Idem itaque in mysterio cibus et potus illorum qui noster; sed significatione idem, non specie, quia idem ipse Christus, illis in petra figuratus, nobis in carne manifestatus.*

Argumenta Bellarmini contra spiritualem efficaciam sacramentorum V. T. 1. Prophetae docent sacramenta V. T. non justificasse.

73. Videamus argumenta Bellarmini, quibus contra nos pugnat lib. 2. de sacram. c 14: *Prophetae,* inquit, *et apostoli miro consensu docent, sacramenta vetera non justificasse, cum de nostris contrarium asserant. Prima testimoniorum classis petitur ex prophetis.* Ps. 39 (40, v. 7): *Sacrificium et oblationem noluisti, aures autem patefecisti mihi, holocaustum et pro peccato non postulasti; ubi Scriptura non negat, Deum velle sacrificia, cum ipse ea fieri jusserit, sed negat ea velle ad expiandum peccatum.* Ps. 50 (51, v. 18): *Si voluisses sacrificium, nempe ad expiandum peccatum, dedissem, utique holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus.* Esa. 1: *Quo mihi multitudo victimarum vestrarum? quis requisivit haec de manibus vestris?* Jerem. 11: *Numquid carnes sanctae auferent a te malitias tuas, in quibus gloriaris?* Amos. 5: *Si obtuleritis mihi holocausta et munera vestra, non suscipiam et vota pinguium non respiciam.* Ex quibus sic infert Bellarminus: *Si sacrificia non justificabant, multo minus justificabant aliae ceremoniae, nullae enim ceremoniae habent clariores promissiones de remissione peccatorum quam sacrificia.* Respondemus: 1. moneri poterat, esse discrimen aliquod inter sacrificia et sacramenta; ideo dicta, VIII. 278.
quae de sacrificiis agunt, non esse hujus loci propria. Sed enim cum superius concesserimus, per sacrificia itidem fuisse fidem piorum V. T. confirmatam et mediante hac fide in unicum sacrificium Christi respiciente coelestia beneficia ipsis distributa, quin et defectum sacramentorum in patribus ante circumcisionis institutionem per ritum sacrificiorum fuisse suppletum, ideo non repudiamus argumenta ex sacrificiis in hac quaestione ducta. 2. Facile concedimus Bellarmino, quod ex his dictis evincere conatur, sacrificia non justificasse, vel gratiam contulisse ex opere operato sine fide offerentis; probandum vero erat, quod sacrificia ne quidem τυπικῶς respectu fidei in Christum, cujus illustris typus in eis proponebatur, fuerint ἱλαστικά, cujus contrarium superius demonstraverimus. 3. Ipse Bellarminus concedit, *nullas ceremonias V. T. habuisse clariores promissiones de remissione peccatorum quam*

sacrificia; qua ergo veritatis specie dici potest, *sacrificia plane nihil ad remissionem peccatorum et justificationem valuisse?* Inter verbum promissionis et fidem est perpetua relatio; ergo si sacrificia habuerunt claras promissiones de remissione peccatorum, utique ex parte hominum requisita fuit fides Christi sacrificium respiciens et bona in verbo promissionis oblata recipiens. 4. Concedit etiam Bellarminus c. 17. seq. *sacrificia placuisse Deo ex devotione et obedientia offerentium*, id quod c. 13. sic explicat, *justificasse sacramenta vetera ex opere operantis, id est ex fide et devotione suscipientis.* Quodsi ergo ex fide placuerunt Deo sacrificia piorum, utique fides in exercitiis et ritibus illis sacrificiorum respexit Christum (suum correlatum) et remissionem peccatorum a Deo accepit; fidem enim non tanquam opus aliquod meritorium, sed ut instrumentum ad justificationem concurrere ostendimus suo loco. 5. Quid ergo fiet dictis illis propheticis? res ipsa testatur, ea non posse absolute et simpliciter intelligi de sacrificiis, qualia esse debebant ex ordinatione Dei; cum enim Deus ipse instituerit sacramenta, quomodo absolute et simpliciter ea repudiaret? Intelligenda igitur erunt de sacrificiis, qualia esse putabantur ex superstitiosa Judaeorum persuasione. Reprehenduntur et refutantur his dictis falsae opiniones, quas homines externis illis ritibus neglecta promissione et fide affingebant, quasi ex opere operato prosint, si vel maxime non adsit interior conversio et vera fides unicum Christi sacrificium respiciens. 6. Id ostendunt circumstantiae textus in singulis dictis. Locus Ps. 40, v. 7. proprie agit de Messia, quod non per sanguinem taurorum et hircorum juxta legis praescriptum offerendum, sed per *proprium sanguinem ingressurus sit sanctum sanctorum* Hebr. 9, v. 12. ex quo infert auctor epist. Hebr. 10, v. 4. *impossibile esse, sanguine taurorum et hircorum expiari peccata*, sed solus Christi sanguis habet virtutem *emundandi conscientiam ab operibus mortuis* sive peccatis. Quod ergo patres V. T. justificati sunt, hoc affirmat auctor epistolae, factum esse non virtute sanguinis pecudum, sed quod sub typis et umbris illorum sacrificiorum fides aliud objectum intuita sit et apprehenderit promissionem de futura victima Filii Dei mediatoris. Esa. 1, v. 11. additur itidem causa, quare Deus Israëlitarum sacrificia improbet, v. 15. *quia manus ipsorum sanguine plenae;* nequaquam vero rejiciuntur sacrificia, quasi simpliciter Deo non placeant et sint per se mala et inefficacia, sed quia ab hominibus hypocritis, impiis et impoenitentibus offerebantur et quidem hac opinione, quod hae ceremoniae per se, ex opere operato ita Deo sint acceptae, ut propterea ipsis favere et reconciliari cogatur, etiamsi in hypocrisi et vitae impietate perseverarent; hac, inquam, opinione non solum offerebant, sed et cumulabant sacrificia, *quo mihi multitudo victimarum vestrarum?* dicit Dominus. Quid ergo mirum, quod talia sacrificia ab impiis et hypocritis perversa hac opinione oblata Deo non placuerint? cum Proverb. 15, v. 8. *victimae impiorum* dicuntur *Deo abominabiles;* cum 1. Sam. 15, v. 22. expresse Deus testetur, *obedientiam sibi magis probari quam sacrificia;* cum Genes. 4, v. 4. *ad Abel* prius et postea demum *ad sacrificium ejus* respexisse dicatur. De ipsis precibus illorum hypocritarum dicit Dominus Esa. 1, v. 15: *Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam;* VIII. 279. ecquis vero negare velit, preces esse efficacia media impetrandorum beneficiorum? Locus Jer. 11, v. 15. itidem se ipsum satis explicat. *Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit*, dicit Dominus, *scelera multa*, et nihilominus propter externa sacrificia sibi favorem meum et omnem felicitatem pollicentur: *Numquid carnes sanctae auferent a te malitias tuas, in quibus gloriata es?* Quid vero mirum, sacrificia illis non profuisse ad peccatorum expiationem, in quibus non solum secure pergebant, sed et de iis gloriabantur, quasi re praeclare gesta? Idem judicium de reliquis dictis. Nam et Ps. 51, v. 18. loquitur David de sacrificiis sine contritione et fide in Christum oblatis, ut ostendit oppositio. Est ergo in argumento Bellarmini fallacia a dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Sacrificia sine fide in Christum oblata non placebant Deo. Ergo simpliciter ei non placebant. Sacrificia impiorum, hypocritarum, in peccatis secure pergentium non justificabant. Ergo sacrificia nullo modo ad justificationem quicquam conferebant.

2. Apostoli docent sacramenta V.T. non justificasse Rom. 3: Quae utilitas circumcisionis.

74. Alteram dictorum classem Bellarminus complet ex verbis apostolorum. *1. Rom. 3, v. 2: Quae utilitas circumcisionis? multum per omnem modum, primum quia credita sunt illis eloquia Dei; ubi illud primum non est nota ordinis, sed significat potissimum seu praecipuum. Solum ergo, auctore Paulo, Judaei circumcisi praestabant gentibus incircumcisis, quod illi habuerint legem Dei et oracula, circumcisio igitur non justificabat; nam alioqui praestitissent Judaei etiam gentibus justitia, quod Paulus refutare intendit, Judaeos et gentes sub peccato esse ostendens; ibidem dicit, ex operibus legis non justificari omnem carnem, at circumcisio est opus legis. Denique circumcisio tantum masculis data, non feminis, quomodo ergo est remedium contra peccatum?* Respondemus: Apostolus in praecedentibus tam Judaeos quam gentes peccati reos convicerat; ne ergo judicaretur praerogativas populo Israëlitico concessas negare, praedicat summum illud beneficium Judaeis concessum, quod sint populus Dei peculiaris, cui verbum suum crediderit, quem in foedus, receperit, cujus est *ἡ υἱοθεσία καὶ ἡ δόξα καὶ διαθήκη καὶ ἡ νομοθεσία καὶ ἡ λατρεία, καὶ αἱ ἐπαγγελίαι*, Rom. 9, v. 4. Sic hoc loco dicit: *τί οὖν τὸ περισσὸν τοῦ Ἰουδαίου, ἢ τίς ἡ ὠφέλεια τῆς περιτομῆς?* quasi dicat, an ergo nullae sunt populi Israëlitici praerogativae? Nonne per circumcisionem foedus cum ipso iniit Deus? Nullane circumcisionis utilitas? postea subjicit: *multum per omnem modum.* Sed quid hoc facere poterit ad minuendam circumcisionis dignitatem et efficaciam? de qua seq. cap. v. 11. apostolus testatur, quod

fuerit *signaculum justitiae fidei*. At, inquit Bellarminus, *si circumcisio justificasset, Judaei gentibus praestitissent justitia, quod apostolus ibidem refutat.* Respondemus: Non simpliciter negat apostolus, Judaeos praestitisse gentibus justitia (alias consequens foret, nullos in populo Israëlitico ante Christum fuisse justificatos), sed ex operibus legis tam Judaeos quam gentes coram Deo justificatos fuisse negat, cum perfecta legis impletio tam Judaeis, quam gentibus sit impossibilis. *At*, inquit Bellarminus, *an non circumcisio fuit opus legis? Si ergo circumcisio justificasset, Judaei ex operibus legis justificati fuissent.* Respondemus: Abrahae et sanctis patriarchis non solum legem divinam fuisse notam, sed etiam datam illis promissionem evangelicam de venturo *semine, in quo benedicendae sunt omnes gentes*, huic promissioni ritus circumcisionis fuit additus tanquam salutare medium et sacramentum, per quod ipsi et posteri eorum usque ad Christi adventum reciperentur in foedus Dei; hoc igitur sensu et respectu circumcisio non pertinuit ad legem, quemadmodum et sacrificia, quatenus fuerunt typi et umbrae unici sacrificii a Christo praestiti, non ad legem, sed ad evangelium pertinuerunt, qua de re plura suo loco. Foemellas Israëliticas quod attinet, etsi illae signum foederis in carne non reciperent, tamen ab ipso foedere et gratia Dei non erant exclusae, quia originem ducebant a circumcisis et erant semen cirsumcisi Abrahae, cui facta est illa promissio: *Ero Deus tuus et Deus seminis tui*, ideo ex hoc foedere se consolari poterant,
VIII. 280. ut apparet exemplo Judithae, c. 9, v. 15. et habebantur pro circumcisis Exod. 12, v. 48. *2. Rom. 4: Apostolus ex professo probat, Abrahamum non in circumcisione, sed in praeputio fuisse justificatum, ut inde admoneat, circumcisionem non esse datam, ut justificaret.* Respondemus: Quamvis Abrahamus ante circumcisionem fuerit justificatus, ita ut circumcisio ipsi non fuerit medium justitiae fidei primum conferendae, sed obsignandae, ut apostolus ibidem loquitur; ex eo tamen non potest, nec debet inferri, quod infantibus Israëliticis non fuerit medium ordinarium, per quod fide donati in foedus Dei recepti, regenerati, justificati et salvati fuerint. Abraham ante acceptam circumcisionem jamdum erat justificatus, regeneratus et Spiritu sancto donatus, ideo haec beneficia per circumcisionem ei obsignabantur, quin et fides confirmabatur, dona Spiritus augebantur etc. Sed parvulorum alia est ratio, qui ante perceptam circumcisionem ordinarie non erant justificati et regenerati, illis igitur gratia Dei et justitia fidei de novo plane conferebatur per circumcisionis sacramentum et collata obsignabatur. Refero huc pulcherrimum locum ex Luthero in c. 17. Genes. p. 195: *In Abrahamo circumcisio est merum signum sine repraesentatione, id est sic est signum, ut non faciat, quod significet; sed tantum significet* etc. *Sed alia ratio fuit posteritatis Abrahae. Eam circumcisio non invenit justam, ut Abrahamum. Itaque sic fuit signaculum justitiae, ut justitia per eam repraesentaretur;* id colligit ex comminatione addita et subjungit: *Quare circumcisio in posteritate Abrahae fuit efficax, hoc est attulit justitiam, non ratione operis tantum, quod mere passivum fuit, sed promissionis Dei, quae cum hoc passivo opere conjuncta fuit. Quodsi promissionis ratione valuit circumcisio et promissio non nisi fide accipi potest, non solum hoc sequitur, quod parvuli circumcisi recepti in populo Dei justificati sunt, sed quod parvuli cooperante Spiritu sancto habeant fidem* etc. Quid, num Bellarminus feret sic argumentantem? Verbum praedicatum non est medium primitus accendendae fidei in illis, qui jam fide sunt donati. Ergo etiam in reliquis convertendis non est medium fidei accendendae? Ipse Bellarminus c. 13. praeced. §. 2. scribit: *Adulti in N. T. per fidem et contritionem veram justificantur, antequam re ipsa ad sacramentum accedant.* Si quis ex eo colligere velit, sacramenta N. T. non justificare, nunquam id concedet Bellarminus, cur ergo sibi ipsi contradicens, ex eo, quod Abrahamus adultus ante circumcisionem justificatus fuerit, colligere conatur, circumcisionem non esse datam, ut justificaret? *3. 1. Cor. 7: Circumcisio nihil est et praeputium nihil est; ubi ita Paulus circumcisionem ut praeputium, despicit, cum agitur de justificatione? 4. Galat. 4: Quomodo iterum convertimini ad infirma et egena elementa, quibus iterum servire vultis? ubi elementorum nomine intelligitur circumcisio et aliae figurae legales. 5. Gal. 6: Nec circumcisio aliquid valet, nec praeputium, sed nova creatura; ubi nova creatura opponitur tam circumcisioni, quam praeputio, quod esset ineptum, si circumcisio faceret novam creaturam. 6. Phil. 3: Repudiatur justitia ex lege, et circumcisio per contemtum vocatur concisio.* Respondemus: haec et similia dicta non detrahunt circumcisioni efficaciam, vim et dignitatem, quam olim habuit ante Christi adventum, sed eam, quae post Christi passionem et mortem ac baptismi institutionem extra et praeter Dei verbum eidem affingebatur, ut circumstantiae textus manifeste ostendunt, notanter enim dicit apostolus Galat. 6, v. 15: *In Christo Jesu nec circumcisio aliquid valet, nec praeputium,* quin imo non solum inutilem, sed et noxiam esse statuit circumcisionem sub opinione necessitatis, cultus et justificationis susceptam. Gal. 5, v. 2: *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam, si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest* etc.
Hinc ortum trahunt disputationes Scholasticorum de circumcisione in N. T. Thomas, Richardus, Durandus, Petrus de Palude etc. Distinguunt tria tempora circumcisionis, *unum usque ad passionem Domini, alterum a passione usque ad publicationem evangelii, tertium post publicationem evangelii.* In primo, dicunt, tempore fuit *utilis* circumcisio; in secundo fuit *licita*, sed nec utilis, nec necessaria; in tertio fuit *mortifera*. Scotus et Biel quatuor tempora ponunt etc. Quod si Bellarminus haec dicta Scripturae in medium adducta de circumcisione ante Christum populo Israëlitico praecepta accipere velit, VIII. 281.

Rom. 4: Abraham justificatus in praeputio.

1. Cor. 7: Circumcisio nihil est.

Galat. 4: Quomodo convertimini ad egena elementa.

Galat. 6: Nec circumcisio aliquid valet, nec praeputium.

Phil. 3: Videte concisionem.

consequens fuerit, eam non solum non justificasse, sed etiam inutilem, imo et noxiam fuisse. *7. Col. 2: Omnia sacramenta vetera dicuntur umbrae futurorum, corpus autem Christi.* Respondemus: rectissime, illa significabant Christum venturum, nostra exhibent praesentem et annuntiant exhibitum; manet interim firmum fixum, sacramenta vetera ratione finis itidem fuisse efficacia media salutis. Est enim duplex analogia sacramentalis: una sacramenti integri ad finem et effectum, altera vero partium sacramenti inter sese. Illa est proportio seu ratio sacramenti totius ad usum spiritualem. Sic circumcisio sacramentalis significat, efficit, applicat et obsignat fide utentibus circumcisionem spiritualem; haec est proportio sive σχέσις elementi externi ad rem coelestem, quae σχέσις sive relatio et proportio alia est in sacramentis V. et N. T. unde natum discrimen inter signa sive symbola σημαντικά, quae spectant ad V. T. et signa sive symbola προσφερόμενα καὶ μεταδοτικά exhibitiva et conferentia, quae spectant ad N. T. juxta axioma theologicum: *De quolibet sacramento judicari debet ex propria institutionis sede. At*, inquit Bellarminus, *apostolus ibidem circumcisionem vocat manu factam et proinde baptismum non manu factum, quia principalis baptizans est Deus. Item nihil tribuit circumcisioni nisi carnem expoliare et eam baptismo opponit.* Respondemus: non solum principalis baptizans in N. T., sed etiam principalis circumcidens in V. T. est Deus, ut patet Deut. 30, v. 6. instrumentalis tam baptizans, quam circumcidens est manus hominis; quando baptismus vocatur περιτομὴ ἀχειροποίητος, respectus habetur ad externam tantum praeputii amputationem, non quo circumcisio in V. T. juxta Dei ordinationem administrata fuerit externa tantum praeputii amputatio sine omni effectu et fructu spirituali, sed quia in N. T. sine verbo, mandato et promissione Dei usurpata talis est. Quod Bellarminus dicit, *circumcisioni nihil tribui nisi exspoliationem carnis*, id ex corrupta translatione latina originem trahit, in Graeco enim est, *ἐν τῇ ἀπεκδύσει τοῦ σώματος τῶν ἁμαρτιῶν, in exspoliatione corporis peccatorum.* Invertimus igitur argumentum. Si circumcisioni tribuitur exspoliatio corporis peccatorum carnis, utique effectum habuit spiritualem; quia per corpus peccatorum carnis intelligitur vetus homo, ut constat ex Col. 3, v. 5. vidit hoc Bellarminus, ideo statim subjungit: *in textu Graeco haberi in exspoliatione corporis peccatorum carnis*, sed mox addit, *hanc partem conjungendam cum illa, circumcisi estis videlicet in baptismo, non autem cum illa, circumcisione non manu facta* etc. Cur ergo (malum) ipse praecedente linea cum circumcisione manu facta illam particulam conjunxit? torquere hoc est, non interpretari Scripturas. De re ipsa diximus superius §. 65. membro 9. et §. 68. membro 5. *8. Hebr. 7: Reprobatio fit praecedentis mandati propter infirmitatem et inutilitatem, loquitur autem apostolus de mandatis ceremonialibus, quorum praecipuum erat circumcisio.*

Col. 2: Sacramenta V. T. fuerunt umbra.

Hebr. 7: Reprobatio fit praecedentis mandati.

Respondemus: quo sensu et respectu sacramenta V. T. ad leges ceremoniales referantur, exposuimus in tractatu de legibus cerem. et forensibus §. 11. Bellarminus ipse non poterit absolute et simpliciter circumcisionem ad mandata ceremonialia referre, cum in hoc ipso capite §. 5. scribat: *Circumcisio non est proprie sacramentum Mosaicum, sed legis naturae*, ex quo ita inferimus: Mandata ceremonialia proprie sic dicta sunt Mosaica, hoc est per Moysen promulgata. Circumcisio non est institutum ac sacramentum Mo- VIII. 282.
saicum. Ergo non est mandatum ceremoniale proprie sic dictum. *9. Hebr. 9: Ceremoniae veteres dicuntur fuisse justitiae carnis et sanctificasse quidem inquinatos, sed solum ad emundationem carnis.* Respondemus: distinguendum inter ceremonias mere legales et inter ritus, quibus addita fuit promissio gratiae. Deinde ritus illi dupliciter considerantur, vel ante Christi adventum, vel post illum; priori consideratione a Deo ipso praecepti et utiles sunt: posteriori consideratione, cum jam corpus adesset, fuerunt inutiles. Denique prior consideratio illorum rituum vicissim duplex est, quales scilicet fuerint in se et quales fuerint ratione typicae significationis. Quamvis enim ex sua natura et ex opere operato sine fide utentium non habuerint effectum spiritualem; tamen credentibus fuerunt exercitium et obsignatio fidei in futurum Messiam, quem ratione typicae significationis praefigurabant. *10. Hebr. 10: Lex dicitur umbram habuisse, non ipsam rerum imaginem, nec potuisse accedentes perfectos facere, non potuisse auferre peccata et mundare conscientiam et Deum hostias et oblationes noluisse, nec ei placuisse, quod intelligi debet in ordine ad justificationem ex opere operato, nam alioqui negari non potest, quin ei placuerint ex obedientia et devotione offerentis, nam vocantur odor suavissimus. Levit. 1.* Respondemus: de his omnibus judicium fieri potest ex illis, quae antea in medium producta sunt. Nec V. nec N. T. ex opere operato prosunt, sed oportet accedere fidem, quae est correlatum promissionis evangelicae in verbo et sacramentis oblatae.

Hebr. 9: Ceremoniae veteres fuerunt justitiae carnis.

Hebr. 10: Lex umbram habuit.

75. Hisce responsionibus nostris exceptiones quasdam opponit Bellarminus. 1. Dixerat Lutherus, *Scripturas, cum negant, sacramenta vetera justificasse, debere intelligi de illis, quae non habent annexam promissionem.* Bellarminus obvertit, *circumcisionem, sacrificia et ablutiones leviticas omnino habuisse annexam promissionem et tamen impossibile dicitur Hebr. 10 sacrificiis et ablutionibus Judaicis remitti peccata.* Respondemus: distinctio Lutheri in ceremonias mere legales et ritus, quibus annexa est promissio gratiae, valde utilis est ad quaedam sophismata adversariorum diluenda, ea scilicet quae petunt ex ceremoniis mere legalibus; nequaquam vero eo fine a Luthero tradita est, quod omnibus adversariorum argumentis, etiam illis, quae de circumcisione et sacrificiis proferunt, accommodari vel possit vel debeat, quid enim argutiis illis respondendum sit, ex superioribus liquet. 2. Dixerat Chemnicius, *Scripturam, quando reprehendit tan-*

Exceptiones Bellarmini.

quam inutilia sacramenta vetera, non loqui de illis secundum se, sed ut perperam intelliguntur a Judaeis, id est de nudis ceremoniis, remota promissione et fide in Christum. Bellarminus regerit: *1. Non esse quaestionem, an sacramenta illa ex fide prodessent, id enim etiam Scholasticos fateri, quum dicunt, sacramenta fuisse utilia ex opere operantis; sed quaestionem esse, an praeterea ex divina institutione fuerint utilia, ut sacramenta.* Respondemus: Bellarminus ex falsa hypothesi conatur responsionem nostram infringere ideoque principium petit. Esse utile, ut sacramentum, ipsi est prodesse ex opere operato; atqui paulo post ostendemus, nullum sacramentum prodesse ex opere operato. Sacramenta V. T. prodesse ex fide, ipsi est prodesse ex opere operantis, qua ratione quod fidei in Christum unice competit, operibus humanis tribuitur, ac fidem non ratione instrumenti promissionem gratiae apprehendentis, sed ratione meriti gratiam Dei promerentis, ad justificationem concurrere praesupponitur, quod falsum esse ostendimus suo loco. *2. Ex nostra hypothesi non tantum veteribus, sed etiam novis sacramentis convenit, quod sine promissione et fide nihil prosint; jam vero Paulum ita distinguere nova a veteribus, ut dicat nostra regenerare, salvare, mundare, justificare.* Ephes. 5. Tit. 3. 1. Cor. 1. *Vetera esse elementa egena, nihil valere, nihil esse.* 1. Cor. 7. Gal. 5. Hebr. 10. Respondemus: de posteriori dictorum istorum classe actum fuit §. praecedente. Si absolute et simpliciter, etiam
VIII. 283. respectu V. T. assertiones illas apostolicas Bellarminus accipit, concedere cogetur, ne quidem ex opere operantis profuisse vetera sacramenta, fuisse non solum inutilia, sed et noxia. *3. Apostolum in his locis dicere, quod ceremoniae illae fuerint inutiles ad justificandum, ubi dicit, fuisse figuras et umbras rerum nostrarum.* Col. 2. 1. Cor. 10. Hebr. 10. *Velle igitur apostolum, quod sacramenta illa fuerint inutilia ad justificandum, non solum ut falso exponebantur a Judaeis, sed etiam secundum se, et ut erant sacramenta a Deo instituta.* Respondemus: Nulla est in hoc argumento συνάφεια, ut apparet ex distinctione temporis. Quod enim apostolus sacramentis veteribus tribuit, fuisse eadem figuras et umbras futurorum bonorum, id facit respectu habito ad tempus praecedens Christi incarnationem et passionem. Vicissim, quod sacramenta vetera dicit inutilia ad justificandum, cum sint egena elementa, id facit respectu habito ad tempus sequens Christi incarnationem et passionem. Distinctae hae quaestiones et diversae considerationes sacramentorum veterum non sunt confundendae, nisi quis studio velit caecutire. *4. Si Paulus solum dicere vellet, sacramenta vetera sine fide nihil prodesse, non conferret cum praeputio, nec diceret: Circumcisio nihil est, praeputium nihil est. 1. Cor. 7. et Gal. 6. neque circumcisio, neque praeputium aliquid valet. Praeputium enim non solum sine fide nihil est et nihil valet, sed absolute nihil est et nihil valet.* Respondemus: recurrit idem sophisma a dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Tempore N. T. Christo jam exhibito, mortuo et resuscitato circumcisio nihil est. Ergo etiam V. T. tempore circumcisio nihil fuit ac nihil valuit. Quid enim? si tempore V. T. circumcisio tam fuit inutilis et inefficax, quam est praeputium, cur ergo Deus circumcisionem instituit? Cur apostolus eam vocat signaculum justitiae fidei? Cur ipse Bellarminus eam ex opere operantis profuisse asserit? In *Christo Jesu nec circumcisionem nec praeputium quidquam valere* notanter apostolus asserit, nequaquam vero omnem efficaciam circumcisioni tempore V. T. detrahit. Sed et huic solutioni, quod Paulus loquatur de sacramentis veteris legis pro eo tempore, quo jam erant per Christum abrogata, Bellarminus refragatur. 1. *Paulus* (inquit) *Rom. 2. scribit: Circumcisio quidem prodest, si legem observes. Ubi indicat, se loqui de eo, quod conveniebat circumcisioni, cum adhuc vigeret. Nam post abrogationem non prodest, sed obest, ut idem asserit Galat. 3. Vult igitur Paulus dicere, circumcisionem, quando vigebat, fuisse utilem, non quidem, quod ipsa justificaret, sed quia circumcisi habebant legem Dei et poterant facilius quam alii, nosse Dei voluntatem.* Respondemus: Dn. Chemnicius c. 9. Harmon. p. 190. confert hunc locum cum eo, qui habetur Gal. 5, v. 2: *Si circumcidamini, Christus nihil vobis prodest*, ac statuit, Paulum loqui de circumcisione, quatenus non usurpatur ut signaculum gratuitae justitiae fidei, tunc enim est obligatio totius legis servandae. Ex circumstantiis textus apparet, apostolum loqui de circumcisione, non qualis fuit in sese, respectu institutionis divinae, vel respectu infantum Israëliticorum, sed qualis fuit in adultis incredulis et impoenitentibus a circumcisione cordis et Spiritus seclusa. Ut enim de hypocritis, qui sine fide circumcisionem carnis susceperunt et corde incircumcisi manserunt, nihil dicamus, dubium non est, multos ex Judaeis, qui in infantili aetate fuerunt circumcisi et participes facti renovationis internae et circumcisionis spiritualis, postquam adoleverunt, seductos idololatria, aliisve peccatis, gratia Dei excidisse et incircumcisos corde et auribus factos; eorum igitur inanem fiduciam in circumcisione carnis apostolus reprehendit. Superbiebant Judaei cumprimis circumcisione ac propter eam gentibus se praeferebant, apostolus igitur ipsis respondet: Circumcisio quidem prodest, si legem observes, hoc est plurimum tibi profuerit circumcisio, confirmabit fidem tuam, erit obsignatio foederis divini, in quod receptus es, si tamen veram fidem habueris, per quam Messiae beneficia tibi imputantur et si doneris Spiritu sancto, ut jam incipias ex animo secundum legem vivere. Si vero praevaricator legis es, si ex incredulitate impie contra legem Dei vixeris, circumcisio tua praeputium
facta est, tum perinde est, ac si praeputium adhuc VIII. 284.
haberes. Ex eo vero non potest inferri, circumcisionem non fuisse medium regenerationis in infantibus, ac signaculum justitiae fidei in credentibus,

siquidem etiam Christiano recte dici potest: Si credideris in Christum et pie vixeris, baptismus tibi proderit. Si vero non credideris ac scelerate vixeris, perinde est, ac si non esses baptizatus. D. Hunnius aliam profert dicti apostolici explicationem priori ὑπάλληλον. Circumcisio signum erat foederis, quod cum homine Deus inibat. Ergo necesse erat, ut ea sibi adjunctam haberet plenariam satisfactionem et impletionem totius divinae legis. Ratio est, quia Deus cum nemine init foedus gratiae, nisi incommutabili et aeternae suae justitiae plene satisfiat. Quoniam vero Abraham et alii fideles non poterant perfectam illam impletionem ipsimet praestare, requirebatur, ut fide apprehenderent alienam, hoc est eam, quam Christus legi praestiturus erat, atque hac ratione reddebatur eis circumcisio salutaris, quippe adjunctam habens obedientiam legis perfectissimam, licet ipsorum respectu alienam per fidem tamen imputatam et propriam redditam. Itaque jam erat circumcisio sic a lege ad promissionem gratiae redacta, ut *Abrahamo esset sigillum justitiae fidei*, Rom. 4, v. 11. *2. Idem apostolus, ubi 1. Cor. 7. dicit, circumcisionem nihil esse, loquitur pro tempore, quo vigebat; nam paulo ante dixerat: Circumcisus vocatus est? non adducat praeputium. In praeputio vocatus est? non circumcidatur. Et est sensus, perinde esse, utrum quis ex judaismo ad fidem Christi veniat, an ex gentilismo; loquitur ergo de illis, qui fuerant circumcisi vigente lege et postea ad fidem Christi venerant, et illos monet, ne glorientur praeter caeteros ob circumcisionem olim acceptam, quia nihil est.* Respondemus: imo vero manifestissimum est, apostolum loqui de circumcisione respectu illius temporis, quo erat abrogata. Postquam enim Christus passione et morte sua V. T. finem imposuit et circumcisionem abrogavit, *nihil est circumcisio*, id est non promovet amplius quicquam in rebus ad salutem pertinentibus, *ac praeputium nihil est*, id est nihil impedit nec quidquam promovet ad salutem aeternam; loquitur ergo apostolus de adultis in N. T. qui jam vera fide in Christum justificati sunt, illis circumcisionem et praeputium nihil esse docet, id est parum referre, sive olim circumcisi fuerint, sive minus, nec debere post receptam Christi fidem, vel circumcisionem suscipere vel praeputium adducere. *3. Paulus dicit Gal. 4. antiquos patres sub elementis hujus mundi servientes.* Respondemus: ceremoniae mosaicae in N. T. vere sunt infirma et egena elementa, postquam adveniente corpore umbrae illae cessarunt, sed in V. T. fuerunt typi Messiae et proinde exercitia fidei. *4. Philipp. 3. dicit, se non habere fiduciam in carne, id est non magni facere, quod circumcisus sit octavo die, contemnit igitur circumcisionem, quam acceperat, cum adhuc vigeret.* Respondemus: pseudo-apostoli jactitabant, se esse Israëlitas et circumcisos, ideo Christianos, qui ex gentibus ad Christum conversi erant, alto supercilio contemnebant et externa legis justitia insolescebant; apostolus igitur ad retundendam pseudoapostolorum insolentiam ostendit, se non minus posse gloriari in carnali praerogativa et justitia legali, quam ipsi, si eae res commendatione dignae essent; se vero haec omnia nihil aestimare respectu agnitionis Christi et beneficiorum per Christum, quorum non minus conversi ex gentibus, quam Judaei participes reddantur. Comparate igitur de circumcisione apostolus loquitur. Quae praeterea adducit Bellarminus, ex praecedentibus intelligi et explicari possunt.

76. Cap. 15. producit Bellarminus dicta patrum. Dicta Patrum. Respondemus: 1. Collocat in prima acie Philonem et Josephum, qui non faciant mentionem hujus finis, quod circumcisio instituta fuerit in remedium peccati. At quis a Philone et Judaeis exspectabit verum institutae circumcisionis finem? Audiamus Philonem et apparebit, quam frigide hac de re disputet. Sic autem scribit libr. de circumcis. p. 514: *Causae circumcisionis sunt primo, ut caveatur carbunculus, qui facilius praeputiatis innascitur; deinde ut totum corpus purius sit, ne quid sordium ibi haereat; tertio, quod haec particula habet cordis similitudinem, ambae enim generationi serviunt,* VIII. 285. *ab altera spiritus animales, ab altera geniturae proficiscuntur; quarto propter fecunditatem, recta enim semen ejaculatur.* Atque haec ex patribus se accepisse Philo dicit, postea addit de suo, quod *circumcisione significata fuerit excisio voluptatum et arrogantiae, qui sunt graves animae morbi.* Josephus causam circumcisionis alibi se expositurum pollicetur. 2. Quando veteres negant, circumcisionem et alia veterum sacramenta ad peccati remissionem et justitiam quidquid conferre, intelligendum id est vel respectu habito ad tempus N. T. in quo sacramenta vetera sunt antiquata et abrogata; vel respectu operis operati, quod sine vera fide in Christum non profuerint; vel respectu habito ad N. T. sacramenta, quae sunt virtute majora et utilitate meliora; vel respectu illorum rituum, qui non habuerunt annexum verbum promissionis. 3. Assignatio finis unius non excludit alterum. Circumcisio discernebat Israëlitas a gentibus, erat figura baptismi, erat admonitio de corruptione originali, quod ex ipsa origine generationis vitiatum sit, quod ex carne nascitur; erat commonefactio de Messia ex semine Abrahae nascituro etc. interim tamen etiam erat medium, per quod infantes Israëlitici in foedus gratiae recipiebantur, ac *signaculum justitiae fidei*, ut ex institutionis sede et Rom. 4, v. 11. manifeste apparet. 4. Augustinus in Psalm. 73. sacramenta V. T. dicit *promisisse salvatorem*, sed N. T. sacramenta *dare salutem*; illa vocat *praenuntiativa Christi venturi*, haec vero *annuntiativa Christi exhibiti;* illa vocat *promissiones rerum complendarum*, haec vero *indicia completarum.* Respondemus: distinguendum est inter incarnationem, passionem mortem Christi, adeoque totum opus redemtionis a Christo peractum; et inter salutarem fructum incarnationis, passionis et mortis, adeoque totius operis redemtionis a Christo praestitae.

Quando Augustinus dicit, in verbo et sacramentis V. T. fuisse *veritatem promittentem*, in novo *exhibentem; in veteri significationem promittentem*, in novo *res redditas*, id intelligit de incarnatione, passione et morte Christi, adeoque toto opere redemtionis a Christo praestitae, nequaquam vero de virtute et gratia incarnationis ac redemtionis, quam certe justis in V. T. exhibitam esse negari nulla veritatis specie potest. *Observandum est*, inquit Chemnicius, *hoc discrimen, quod idem Christus, licet aliter verbo et sacramentis in V. T. venturus praenuntiatus fuerit et mysterium redemtionis complendum; aliter vero verbo et sacramentis in N T. Christus annuntietur exhibitus et mysterium redemtionis completum; virtus tamen incarnationis et redemtionis Christi est eadem; eadem etiam gratia ad salutem necessaria, quam Deus non minus tempore V. T. proposuit, quam in novo quam etiam veterum fides non minus certo accepit in verbo et sacramentis, quam nunc in novo accipitur. Sicut in diversis verbis, ita etiam in signis diversis non est diversa, sed eadem fides, idem ergo etiam Christus, eadem gratia ad eandem justitiam et salutem.* At, inquit Bellarminus, expresse tamen Augustinus sacramenta N. T. *vocat virtute majora et utilitate meliora.* Respondemus: huic ἐνστάσει jamdudum Chemnicius satisfecit concedens, sicut modus revelationis in N. T. illustrior est, lux fidei major et mensura gratiae uberior; ita etiam per sacramenta N. T. gratiam Christi luculentius, plenius, perfectius et uberius dispensari credentibus; sed ex eo nondum consequens esse, quod nulla plane virtus aut utilitas fuerit sacramentorum V. T. Quod epist. 19. ad Hieron. Augustinus scribit, *praecepta veterum sacramentorum fuisse non bona, quia eis non justificantur homines, umbrae enim sunt praenuntiantes gratiam, qua justificamur*, id intelligendum est de sacramentis legalibus sine fide in Christum, quem praefigurabant, usurpatis. Sic enim declarat Augustinus se ipsum qu. 25. in Num.: *Si per se attendantur sacramenta, nullo pacto possunt mederi; si autem res ipsae, quarum haec sacramenta sunt, inquirantur, in eis inveniri poterit purgatio peccatorum.* tract. 45. in Joh.: *In signis diversis fides eadem, sicut in diversis verbis* (si promissio et fides eadem, utique etiam eadem justifi-
VIII. [illegible] cationis gratia). Quodsi explicationem illam Bellarminus non admittit, utimur ea libertate, quam ipsemet Augustinus in eadem epistola nobis concedit, ut ex canonicis scriptis veterum sententias aestimemus.

[illegible] 77. Cap. 16. producit cardinalis Bellarminus quatuor rationes: *1. Nullum potest dari sacramentum V. T. quod habeat annexam promissionem gratiae. Ergo nullum eorum justificabat.* Respondemus: Contrarium ostendimus superius. Quomodo vero Bellarminus probat antecedens? 1. Hebr. 8: *Christus dicitur melioris testamenti mediator, quod in melioribus promissionibus sancitum sit; quae vero sint illae meliores promissiones, declaratur ibidem ex c. 3. Jerem.: Propitius ero iniquitatibus eorum.* Respondemus: Ergone patres V. T. non habuerunt promissionem de remissione peccatorum, de gratia Dei et salute aeterna? Sane promissio de remissione peccatorum est beneficium N. T. interim tamen patribus V. T. ea non est deneganda. Proinde quamvis V. T. non habuerit promissionem de remissione peccatorum, nihilo tamen minus circumcisio V. T. tempore fuit efficax medium, per quod promissio de gratuita remissione peccatorum fuit obsignata et fidelibus applicata, eo enim sensu dicitur signaculum justitiae fidei, Rom. 4, v. 11. illam autem efficaciam non habuit ex T. V., sed ex N., in quo demum Christus justitiam aeternam adducturus erat; dicitur tamen et est V. T. sacramentum, quatenus Christum venturum respiciebat. *2. Augustinus in Psalm. 73. dicit, promissiones V. et N. T. esse diversas, ut ipsa etiam sacramenta sunt diversa, tum enim promittebantur res terrenae, nunc autem coelestes.* Respondemus: Ergone dicemus, Augustinum sensisse, patres in V. T. tantum terrena promissa habuisse et prorsus destitutos fuisse promissione spirituali de remissione peccatorum, justitia coram Deo et vita aeterna? At contrarium contra Manichaeos alibi docet. Hoc autem vult Augustinus, ex promissis sumendum esse judicium de sacramentis, ut ergo promissa terrena in V. T. fuerunt figurae spiritualium promissionum, ita etiam sacramenta illarum promissionum significasse futuram οἰκονομίαν salvatoris. Inter ipsas autem spirituales promissiones in V. et N. T. tale constituit discrimen, quod in V. T. sint promissiones Christi venturi, in N. autem sint annuntiationes Christi exhibiti; interim tamen promissio de venturo benedicto semine in V. T. non minus fuit potentia Dei ad salutem, quam annuntiatio de Christo exhibito in N. T. *3. Lutherus in lib. de capt. Babyl. cap. de euchar. negat, V. T. habuisse promissionem remissionis peccatorum.* Respondemus: repetenda est distinctio superius tradita. Substantia V. T. non continuit promissionem de remissione peccatorum, interim tamen patres, qui vixerunt tempore V. T. habuerunt illam promissionem de remissione peccatorum, quia tempore V. T. non solum lex, sed etiam evangelium de gratia Dei, remissione peccatorum et vita aeterna credentibus in Christum donanda in ecclesia Israëlitica sonuit, quae promissio per circumcisionem fuit ipsis applicata et obsignata. *4. Sacrificium Abel, iris, vellus Gideonis, horologium Achas non habuerunt promissionem remissionis peccatorum.* Respondemus: ordinaria et proprie dicta sacramenta V. T. fuerunt circumcisio et agnus paschalis; reliqua analogiam quandam cum sacramentis obtinent in confirmatione fidei. Abel ex sacrificii incensione, Noahus ex iride, Gideon ex madefactione velleris, Ezechias ex regressu umbrae certiores facti sunt de Dei gratia, utique etiam de remissione peccatorum, cum Deus neminem in gratiam recipiat, nisi remissis propter Christum mediatorem peccatis. Ex quibus omnibus apparet, primam

Bellarmini rationem niti falsa hypothesi, quod scilicet sacramenta V. T. non habuerint annexam promissionem gratiae. 2. Ratio: *Lex non justificat. Ergo nec sacramenta veteris legis justificant.* Respondemus: Bellarminus ipse subjungit: *In sanctis V. T. itidem fuisse justificationem a peccatis, non quidem per T. V. aut ejus sacramenta, sed per T. N. ad quod illi pertinebant et ad cujus participationem fide ac desiderio pertingebant.* Agnoscat igitur, discrimen esse inter ritus mere legales et inter sacramenta, quibus promissio gratiae annexa fuit, quae cum fuerint signacula justitiae fidei, hactenus et hoc respectu ad legem moralem referri non possunt. Si pii V. T. itidem fuerunt fide justificati, utique fides ipsorum habuit certum quoddam objectum, videlicet promissionem gratiae, huic promissioni itidem ut in N. T. additi fuerunt certi ritus excitandae et confirmandae fidei causa instituti. 3. Ratio: *Promissiones annexae veteribus sacramentis implebantur, etiamsi homines non crederent.* Respondemus: falsum hoc est de sacramentis proprie sic dictis. Quae Bellarminus pro confirmatione hujus rationis adducit, exposita sunt superius. Circumcisioni non solum annexa fuit promissio de terra Canaan et multiplicatione generis, sed etiam de gratia Dei et salute. Sacrificia non solum fuerunt typi mortis et passionis Christi, sed etiam media, per quae Deus in futurum Messiae sacrificium mentes fidelium convertens fidem eorum confirmabat et peccatorum remissionem per fidem illis conferebat. 4. Ratio: *Nostra sacramenta dicuntur salvare, regenerare, justificare; de sacramentis veteribus tale quid nuspiam legitur.* Respondemus: sacramenta V. T. regenerant, justificant, salvant non ex opere operato sine fide utentis, sed quia sunt efficacia media excitandae, augendae, confirmandae et obsignandae fidei, id quod patebit ex sequentibus.

VIII. 287.

An sacramenta N. T. conférant gratiam ex opere operato.

78. Accedimus igitur ad gravissimam et intricatissimam illam controversiam, *an sacramenta N. T. conferant gratiam ex opere operato*, quod nos negamus, Pontificii vero affirmant. Nequaquam dicimus, sacramenta N. T. esse nuda tantum signa (contrarium enim superius contra *μυστηριομάχους* evicimus), sed toto corde credimus, confitemur et propugnamus, sacramenta ex ordinatione et institutione Dei esse media atque organa efficacia, per quae Deus gratiam suam, remissionem peccatorum et salutem non solum offerat, sed etiam conferat, applicet atque obsignet; interim tamen addimus ex parte nostra, ad salutarem sacramentorum usum requiri fidem seu cor fidele, quod est ὄργανον ἀντιληπτικόν, quo gratia in sacramentis oblata apprehendenda est et acceptanda, unde ortum est axioma: *Sacramenta sine fide non prosunt utentibus.* Huic sententiae nostrae oppositus est canon 8. sess. 7. concil. Trident.: *Si quis dixerit, per ipsa novae legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.* Antequam vero hujus canonis sententia et fundamenta proponantur, nostram prius sententiam exponemus et fulcris argumentorum confirmabimus. Expositio sententiae nostrae requiritur uberior propter Bellarminum. Is enim lib. 2. de sacram. c. 2. hanc sententiam nobis tribuit, quod statuamus, *sacramenta non habere immediate ullam efficientiam respectu gratiae, sed esse nuda signa; tamen mediate aliquid efficere, quatenus videlicet excitant vel alunt fidem, qua homines justificantur, quod tamen ipsum, id est excitare fidem non faciunt, nisi repraesentando.* Quo refert verba Lutheri in lib. de capt. Babyl. cap. de bapt.: *Baptismus neminem justificat, nec ulli prodest, sed fides in verbum promissionis.* In assert. art. 1: *Nos dicimus, non sacramenta, sed solam fidem justificare.* Respondemus: absolute loquendo fidem non opponimus sacramentis et eorum efficaciae, cum sint invicem subordinata. Sacramenta sunt media offerentia et exhibentia ex parte Dei, fides est medium recipiens et apprehendens ex parte nostra. Quemadmodum igitur manus donans et manus recipiens non sunt opposita, sed relata et subordinata, ita quoque sacramenta et fides non sunt sibi invicem opponenda. Quando autem Lutherus sacramenta et fidem opponere videtur, non sacramentum, sed fidem sacramenti justificare asserens, loquitur comparate respectu habito ad disputationes Scholasticorum, quod sacramenta prosint ex opere operato, sine fide et bono motu utentis, inde in catechesi sacramentum baptismi et fidem Lutherus conjungit his verbis: *Baptismus operatur remissionem peccatorum, liberat a morte et diabolo ac donat aeternam salutem omnibus hoc credentibus, ut verba et promissiones Dei sonant;* et in homiliis de baptismo passim repetit: *Baptismum operari regenerationem ac renovationem, abluere peccata, donare aeternam mundiciem et salutem* etc. Neque hac in parte aliter sensit argumentis adversariorum suorum convictus (ut Bellarmino videtur), sed idem quod prius senserat, explicatius proposuit. Sic enim Lutherus eo ipso in loco, quem Bellarminus allegat, videlicet in libr. de captivit. Babylon. cap. de bapt.: *Sacramentis inesse vim efficacem justificationis seu esse ea signa efficacia gratiae dicitur in jacturam fidei ex ignorantia promissionis divinae, nisi hoc modo efficacia dixeris, quodsi adsit fides indubitata, certissime et efficacissime gratiam conferant. At non hoc modo efficaciam illis tribui probat, quod ea prodesse debent omnibus etiam impiis et incredulis, modo non ponant obicem, quasi ipsa incredulitas non sit omnium obstinatissimus et hostilissimus obex gratiae* etc. Et postea: *Ubicunque est promissio divina, ibi requiritur fides. Estque utrumque tam necessarium, ut neutrum sine altero efficax esse possit. Neque enim credi potest, nisi adsit promissio, nec promissio stabilitur, nisi credatur; ambae vero si mutuae sint, faciunt veram et certissimam efficaciam sacramentis, quare efficaciam sacramenti citra promissionem et fidem quaerere est frustra niti et damnationem invenire.* Haec omnia Lutherus, ex quibus sole meridiano

Sententiae nostrae declaratio.

VIII. 288.

clarius elucescit, quo respectu negaverit sacramenta esse efficacia signa gratiae, nimirum sine fide et ex opere operato. Urget Bellarminus, *sacramentis hac ratione non immediatam, sed mediatam tantummodo efficaciam gratiae tribui, quatenus scilicet excitant fidem, idque non nisi repraesentando.* Respondemus: sacramenta sunt organa immediata ex parte Dei, mediata vero ex parte nostra, hoc est Deus gratiam suam, remissionem peccatorum et vitam aeternam in sacramentis offert omnibus, sed non nisi vere credentibus haec beneficia confert, applicat et obsignat; hanc fidem, per quam sacramenta sunt nobis salutaria, in infantibus per sacramentum initiationis efficit, non solum exterius repraesentando, sed efficaciter interius operando; in adultis itidem per sacramenta fidem excitat, auget et confirmat, non solum exterius repraesentando, sed efficaciter interius etiam operando, modo actuali impoenitentia, incredulitate et hypocrisi divinae operationi non resistant. Concludit tandem Bellarminus: *Lutherani (quibuscunque verbis Catholicorum utantur) non possunt ullo modo sentire, quod nos sentimus, sacramenta esse veras et immediatas causas justificationis, nisi recedant a primo illo suo principio, sola fides justificat.* Respondemus: quemadmodum vox *sola* a justificatione non excludit gratiam Dei ab ordine caussae principalis, obedientiam et satisfactionem Christi ab ordine causae meritoriae; ita quoque non excludit efficaciam verbi et sacramentorum ab ordine causae instrumentalis ex parte Dei; sed nostra opera, nostra merita, nostras satisfactiones ab ordine causae instrumentalis ex parte nostra excludit, ut suo loco plenius docuimus.

Argumenta pro confirmatione nostrae sententiae. 1. Scriptura ad salutarem fructum sacramentorum requirit fidem.

79. Producimus igitur haec sententiae nostrae fundamenta: 1. Scriptura ad salutarem fructum sacramentorum requirit fidem. Ergo sacramenta non prosunt ex opere operato sine fide. Antecedens confirmatur ex illis dictis, quae vel explicite, vel implicite fidem requirunt ab illis, qui fructus sacramentorum participes fieri cupiunt. Prioris generis est classicum illud Marc. 16, v. 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*, quo pertinet etiam illud Actor. 8, v. 36: *Cum pergerent in via, dixit eunuchus: ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* v. 37: *dixit vero Philippus, si credis ex toto corde, licet; respondens autem ille dixit:* Credo Filium Dei esse Jesum Christum. Lutherus in cap. 48. Genes.: *Nostrae doctrinae caput est, sacramenta*
VIII. [illegible]. *non operari gratiam sine fide. Nam eunuchus in Actis ad Philippum dicens: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? audit: Si credis ex toto corde, licet. Non vult eum baptizare, nisi credat; non dicit: Baptismus prodest tibi et justificat te, sive credas, sive non.* Posterioris generis haec sunt: Actor. 2, v. 38: *Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus sancti.* (Jam vero fides est pars essentialis, potissima et quasi anima verae poenitentiae, ut ostendimus suo loco.) Actor. 22, v. 16: *Baptizare et ablue peccata tua invocato nomine Domini Jesu.* (Jam vero oratio Deo placens ex fide debet proficisci, Rom. 10, v. 14: *Quomodo invocabunt eum, in quem non crediderunt?*) Tit. 3, v. 5: *Ex misericordia sua nos salvavit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus s.* v. 6: *quem effudit in nos opulenter per Jesum Christum salvatorem nostrum.* (Jam vero in Christo non sumus, nisi per veram fidem; utique ergo ab efficacia baptismi non potest excludi fides.) 1. Cor. 11, v. 24: *Qui edit et bibit indigne, judicium sibi manducat.* (Indigni autem sunt, qui non agunt veram ac seriam poenitentiam, qui semet ipsos non probant, qui non discernunt corpus ac sanguinem Domini etc. ad quae fidem requiri manifestissimum est.) Excipit Bellarminus lib. 2. de sacram. c. 9, ex dicto Christi Marc. 16, *non posse colligi, quod baptismus non salvet, sed quod solus baptismus non salvet, quemadmodum ex eo, quod Paulus dicit 1. Cor. 13, v. 2. fidem sine caritate non prodesse, nequaquam colligi possit, fidem nihil prodesse.* Respondemus: Scriptura disertis verbis asserit, *baptismum nos salvare* 1. Petr. 3, v. 21. absit igitur, ut statuamus contrarium, baptismum scilicet nos non salvare. Hoc vero dicimus, baptismum et alia sacramenta nos non salvare absque fide, id quod ex dicto illo Christi: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*, evidenter colligitur, siquidem in subjecto fidem et baptismum conjungit, cui in praedicato salus tribuitur. At, inquis, *Lutherus in assert. art. 1. diserte scribit: non baptismus, sed fides baptismi salvat.* Respondemus: baptismum sine fide salvare negat, nequaquam vero absolute et simpliciter baptismo efficaciam salutis detrahit, sic enim ibidem addit: *Necessaria est fides suscepturo sacramentum, qua credat, se consecuturum id, quod sacramentum promittit et donat, ut sic verum sit, quod dicitur: non sacramentum, sed fides sacramenti justificat. Cum enim in omni sacramento sit verbum Dei, ut dicit B. Augustinus, accedit verbum ad elementum et fit sacramentum. Ubicunque autem verbum Dei est, ibi fides hominis in ipsum requiritur.* Quod Bellarminus hoc loco addit, *eum, qui non fuerit baptizatus, condemnatum iri*, de eo superius dictum fuit, an scilicet absolute et simpliciter etiam in casu necessariae privationis baptismus ad salutem sit necessarius, quod negamus, cum ipse Christus hoc innuat, non addens: qui non baptizatus fuerit, condemnabitur, sed *qui non crediderit, condemnabitur.*

2. Scriptura ubique justificationem tribuit fidei, quae ex parte nostra requiratur.

80. 2. Scriptura ubique justificationem tribuit fidei, quae ex parte nostra requiratur ad recipienda beneficia in verbo et sacramentis oblata. Ergo sacramenta non prosunt ad justitiam et salutem sine fide. Antecedens ex infinitis dictis Scripturae patet. Habac. 2, v. 4. Rom. 1, v. 17. Hebr. 10, v. 38: *Justus ex fide vivit.* Rom. 4, v. 3: *Credidit Abraham Deo et imputatum est illi ad justitiam;* v. 11: *et signum accepit circumcisionis signaculum justitiae fidei.* Rom. 10, v. 10: *Corde creditur ad ju-*

stitiam. Excipit Bellarminus: *1. Scripturam non dicere, quod justus ex sola fide vivat, proinde relinqui locum suum sacramentis, alioqui non solum sacramenta, sed etiam DEUS et meritum Christi et alia excluderentur.* Respondemus: utrumque asserit Scriptura et nos ex ea, justum ex fide vivere et suum locum sacramentis relinquendum esse; hoc vero est, quod negamus, sacramenta ex opere operato sine fide prodesse. VIII. 290. Quemadmodum enim nec Dei gratia, nec meritum Christi sine fide cuiquam ad justitiam obtingit, ita quoque sacramenta non justificant sine fide. *2. Etiamsi his verbis Scriptura non dicit, justum ex sacramentis vivere, idem tamen dicit aliis verbis; hominem enim per baptismum regenerari quid aliud est, nisi baptismum dare vitam?* Respondemus: ecquis vero nostrum hoc negat? an non ipse Bellarminus cap. 2. praecedente recitat verba Chemnicii: *Sacramenta sunt causae instrumentales, ita quod per illa media seu organa Pater vult gratiam suam donare, exhibere, applicare; Filius meritum suum communicare credentibus; Spiritus sanctus efficaciam suam exserere ad salutem omni credenti. 3. Sensum dicti prophetici non esse eum, quod justus homo fiat aut reputetur ex fide, sed quod justus ex fide constanter exspectet, quod Deus promisit.* Respondemus: de tota hac re late egimus in tractat. de justificat. §. 121.

3. Abraham ante circumcisionem fuit justus; circumcisio fuit signaculum justitiae fidei.

81. 3. Rom. 4, v. 10: *Quomodo imputata est Abrahae fides ad justitiam, cum esset in circumcisione, an in praeputio? non in circumcisione, sed in praeputio;* v. 11: *et signum accepit circumcisionis signaculum justitiae fidei, quae fuerat in praeputio.* Abraham ante institutam et susceptam circumcisionem fide fuit justus, circumcisio fuit obsignatio justitiae fidei. Ergo sacramenta non prosunt ex opere operato absque fide, sed fidei excitandae, confirmandae et obsignandae serviunt. Bellarminus excipit: *1. Apostolum non dicere, quod circumcisio fuerit signum propositum ad exercendam fidem, sed quod fuerit data Abrahamo, ut signaculum justitiae fidei, hoc est factum hoc privilegium Abrahamo, ut ipse primus haberet circumcisionis sacramentum, quia id meruerat ejus obedientia et fides.* Respondemus: pessima haec est textus apostolici depravatio. Apostolus ex professo ibi docet, Abrahamum non ex operibus, sed fide esse justificatum, atque illius justificantis fidei σφραγῖδα et obsignationem fuisse circumcisionis sacramentum; glossa Bellarminiana textui directe est opposita, qua de re paulo post dicemus uberius. *2. Non esse eandem rationem circumcisionis et baptismi, cum de circumcisione Paulus dicat: circumcisio nihil est,* 1. Cor. 7, v. 19; *de baptismo autem: salvos nos fecit per lavacrum regenerationis,* Tit. 3, v. 5. Respondemus: distinguenda sunt tempora, ut concordet Scriptura. Paulus loquitur de circumcisione, non qualis fuit ex Dei ordinatione in V. T., sed qualis fuit post Christi adventum et resurrectionem; aliquamdiu enim apostolorum tempore observabatur, ut cum honore synagoga sepeliretur.

4. Aqua ideo est lavacrum regenerationis, quia annexum habet verbum.

82. 4. Ephes. 5, v. 26: *Christus mundat ecclesiam lavacro aquae in verbo;* hic declarat apostolus, quomodo baptismus sit lavacrum regenerationis, nimirum quia non est simpliciter aqua, sed annexum habet verbum promissionis, in quo fides quaerit, apprehendit et accipit gratiam Patris, meritum Filii et efficaciam Spiritus. Tit. 3, v. 5. baptismus vocatur *lavacrum regenerationis*, sed illud ita declarat apostolus: *Deus secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis.* Unde vero hoc habet baptismus, ut sit lavacrum regenerationis et renovationis? respondet apostolus: est lavacrum regenerationis et renovationis *Spiritus sancti;* sicut et Christus haec conjungit Joh. 3, v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu* etc. quomodo vero? *per Jesum Christum salvatorem nostrum, ut ipsius gratia justificati heredes simus vitae aeternae.* Sic Petrus dicit 1. epist. 3, v. 21. *baptisma nos salvos facere et esse stipulationem bonae conscientiae erga Deum,* sed addit *per resurrectionem Christi.* Ergo sacramenta non prosunt ex opere operato sive ex vi actionis sacramentorum sine fide utentis, sed quia continent verbum promissionis certis a Deo institutis ritibus vestitum, in quo fides gratiam Dei et remissionem peccatorum quaerit et apprehendit, ideo VIII. 291. conferre gratiam dicuntur. Excipit Bellarminus, *per verbum Ephes. 5. non intelligi verbum concionale, sed practicum et consecratorium,* de qua distinctione quid statuendum sit, diximus superius. Dicti Petrini, quod baptisma nos salvet per resurrectionem Christi, hunc dicit esse sensum, *quia cum baptizamur, repraesentamus Christi resurrectionem emergendo ex aquis, et quia baptismus facit justificando nos, ut in novitate vitae ambulemus, quando Christus per resurrectionem novam vitam vivere coepit.* Quamvis vero hanc explicationem non omnino improbemus, cum effectus baptismi sit non solum regeneratio, sed renovatio, tamen nondum assequitur genuinum sensum atque emphasin dicti apostolici; hoc enim proprie sibi vult apostolus, quod summa illa beneficia, quae in baptismo et per baptismum hominibus offeruntur et credentibus applicantur, videlicet gratia Dei, remissio peccatorum et salus aeterna, ex morte, passione et resurrectione Christi ad nos descendant; stipulatio igitur illa sive foedus bonae conscientiae, quod in baptismo Deus nobiscum init, fundatur in Christo, *qui mortuus est propter peccata nostra et resurrexit propter justitiam nostram,* Rom. 4, v. 25. *Si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati servabimur per vitam ipsius,* Rom. 5, v. 10. Maximus serm. de pasch.: *Resurrectio Christi defunctis est vita, peccatoribus venia, sanctis gloria.*

5. In sacramentis continetur promis-

83. 5. Promissio et fides sunt correlata. In sacramentis continetur promissio. Ergo etiam requiritur fides, quae promissionem sibi applicet, sine

sio; jam vero promissio et fides sunt relata.

qua fide sacramentum non prodest. Excipit Bellarminus lib. 2. de sacrament. c. 11. tribus vitiis hoc argumentum laborare: *1. Verbum promissionis requiri quidem in sacramenti institutione, at non requiri in ipso usu sacramenti.* Respondemus: imo vero non solum in institutione requiritur fides promissionis verbum apprehendens, sed etiam in ipso usu sacramenti, alias eucharistiam nemo acciperet ad judicium; agnoscere hoc videtur ipse Bellarminus subjungens, *fidem requiri, ut conditionem et ut quae applicet homini sacramentum* (rectius dixisset fructum sacramenti). Item: *Utrumque esse necessarium, hoc est sacramentum et fidem et unum sine altero non sufficere.* Verissima haec sunt. Neque enim promissio in sacramentis proposita nobis prodest sine fide, neque fides locum habet sine promissione, sunt enim correlata. Quae Bellarminus profert, ut probet, verbum promissionis requiri tantum in sacramenti institutione, non autem in ipso usu, ea hoc solum efficiunt, quod ad sacramenti integritatem essentialem non requiratur fides utentis, sed ex eo inferri nec potest, nec debet, fidem non requiri ad usum sacramenti salutarem. *2. Etsi in usu requireretur semper promissio et consequenter fides, non inde posset concludi, fidem esse quae justificat, diceremus enim, fidem requiri ut conditionem et ut quae applicaret homini sacramentum, sicut fides in aegroto requiritur, quae tamen non sanat aegrotum, sed pharmacum.* Respondemus: Fides, quae ad salutarem usum sacramentorum requiritur, non est tantum generalis quaedam notitia, sicut in aegroto bona persuasio de medici fidelitate, eruditione et industria, sed est fiducialis apprehensio, qua beneficia coelestia in verbo evangelii et sacramentis oblata nobis applicamus; proinde non solum est qualiscunque conditio, quae abesse vel adesse potest in salutari usu sacramentorum, sicut persuasio illa in aegroto, sine qua pharmacum itidem potest prodesse, sed est unicum illud et necessarium instrumentum, quo oblata in verbo evangelii bona amplectimur, sine qua fide non solum non ad salutem, sed etiam ad exitium sacramentis utimur. Exceptio Bellarmini procedit ex ea hypothesi, quod vis et efficacia conferendi gratiam inhaereat sacramentis ut accidens quoddam physicum, vel ut calor igni et vis sanandi pharmaco, influens et agens in animam,
VIII. 292. etiam non interveniente fide. *3. Etiamsi et promissio et fides in sacramento justificaret, non tamen inde concludi posset, quod illi concludunt, solam fidem agere, sacramentum autem nihil efficere, sed concluderetur, utrumque esse necessarium et unum sine altero non sufficere.* Respondemus: fidem et sacramenta nequaquam opponimus, sed subordinata esse statuimus. Sacramenta ex opere operato efficacia esse negamus. Sacramenta nihil efficere, sed esse nuda signa, nunquam diximus. Recognoscat Bellarminus ea, quae ex Chemnicio superius c. 2. adduxit: *Sacramenta sunt causae instrumentales, ita quod per illa media seu organa Pater vult gratiam suam exhibere, donare, applicare; Filius meritum suum communicare credentibus; Spiritus sanctus efficaciam suam exserere ad salutem omni credenti;* quae catholicissime dicta esse ipse Bellarminus ibidem agnoscit. Quae de casu privationis, in quo fides etiam sine sacramento justificat, adduntur, ea ex quaestione de necessitate sacramentorum superius pertractata intelligi et explicari possunt.

84. 6. Ad participationem cujuscunque doni requiruntur haec quatuor: persona offerens et medium oblationis; persona accipiens et medium apprehensionis. Atqui in salutari usu sacramentorum fit participatio coelestium donorum, videlicet gratiae Dei, remissionis peccatorum et salutis aeternae. Ergo requiritur non tantum Deus offerens sacramenta, per quae offert et Christianus accipiens, sed etiam fides apprehendens. Dn. Chemnicius id declarat hoc modo: *Duplex est* (inquit) *in hac doctrina causa instrumentalis. Una est quasi Dei manus, qua per verbum et sacramenta offert; exhibet, applicat et obsignat credentibus beneficia redemtionis; altera est quasi nostra manus, quod fide scilicet petimus, quaerimus, apprehendimus et accipimus ea, quae Deus nobis per verbum et sacramenta offert et exhibet. Neque enim talis est sacramentorum efficacia, quasi Deus per illa infundat et imprimat gratiam ad salutem etiam non credentibus seu accipientibus* etc. Et paulo ante: *Sicut evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti, non quod magica quaedam vis caracteribus, syllabis aut sono verborum inhaereat, sed quia est medium, organum seu instrumentum, per quod Spiritus sanctus efficax est proponens, offerens, exhibens, distribuens et applicans meritum Christi et gratiam Dei ad salutem omni credenti; ita etiam sacramentis tribuitur virtus seu efficacia, non quod in sacramentis extra seu praeter meritum Christi, misericordiam Patris et efficaciam Spiritus sancti quaerenda sit gratia ad salutem, sed quia sunt causae instrumentales* etc. Bellarminus excipit: *1. Verbum et sacramenta non justificare eodem modo, sed diverso plane, ita ut unum, hoc est verbum, praecedat fidem; alterum, hoc est sacramentum, sequatur fidem.* Respondemus: Quemadmodum alibi Bellarminus statuit duplicem justificationem primam et secundam, ita mirum non est, quod hoc loco diversos justificationis modos statuat; nos autem ex Scripturis sacris non nisi unam justificationem atque unum justificationis modum novimus; justificamur enim fide, quae gratiam Dei et remissionem peccatorum per Christum nobis partam et in verbo evangelii et sacramentis oblatam amplectitur. Et verbum et sacramenta pertinent ad classem causarum salutis instrumentalium ex parte Dei, quibus ex parte nostra correlate respondet fides. Nec perpetuae veritatis est sacramentum sequi fidem, quia baptismus est ordinarium illud medium, per quod Spiritus sanctus fidem in infantibus excitat et mediante hac fide coelestium beneficiorum eosdem participes facit. *2. Verbum potest dici manus Dei,*

6. Ad participationem doni requiritur medium apprehensionis.

quia offert salutem, non autem quia re ipsa operatur vel applicat, contra vero sacramentum dicitur manus, quia applicat re ipsa Christi meritum et operatur gratiam. Respondemus: Imo vero Dei verbo tribuenda est virtus non solum offerendi, sed etiam operandi et credentibus applicandi salutem, *quia evangelium est potentia Dei ad salutem omni*
VIII. 293. *credenti,* Rom. 1, v. 16. Bellarminus regerit, *per evangelium eo loco intelligi posse non concionem, sed mysteria ipsa evangelii, ut incarnationem, passionem, sacramenta* etc. At circumstantiae textus et fidei analogia evidenter ostendunt, de praedicatione evangelii apostolicum pronuntiatum intelligendum esse. *Paratus sum* (inquit apostolus v. 15.), *etiam vobis, qui Romae estis, evangelizare;* v. 16. *non enim pudet me evangelii, siquidem est potentia Dei ad salutem omni credenti. At,* inquit Bellarminus, *si accipiatur evangelium pro concione, dico ibidem explicari, quomodo evangelium salvet, quia apostolus subjungit; justitia enim Dei revelatur in eo ex fide in fidem; at nusquam scriptura ita exposuit modum salvandi in sacramentis.* Respondemus: Evangelii praedicatio est potentia Dei ad salutem non solum quia revelat mysterium salutis, sed etiam quia est efficax medium, per quod fides excitatur, augetur et confirmatur, per quam salutis reddimur participes, ut loco huic parallela evidenter comprobant. 1. Tim. 4, 16: *Attende tibi ipsi et doctrinae, persiste in his; id enim si feceris, te ipsum salvabis et eos, qui te audiunt.* Joh. 17, v. 20: *Per verbum apostolorum dicimur credere.* Rom. 10, v. 17: *Fides est ex auditu, auditus autem per verbum.* Inde verbum dicitur, *incorruptibile illud semen, ex quo renascimur* 1. Petr. 1, v. 23. Jac. 1, v. 18. *quod potest animas nostras salvare,* v. 21. Proinde gratia Dei in verbo nobis oblata non est otiosa, sed efficax, ac proinde recte vocatur manus non tantum offerens, verum etiam operans, siquidem Deus per verbum et per sacramenta operatur. Frivolum est, quod Bellarminus regerit, si *verbum et sacramenta eodem modo justificarent, videlicet excitando, augendo et confirmando fidem, consequens fore, eodem modo justificare verbum, quo Deus, vel fides, vel passio Christi;* at manifestum est, confusionem fieri distinctarum causarum. Deus est causa justificationis principalis, passio Christi est causa meritoria, verbum et sacramenta sunt causae instrumentales ex parte Dei, fides est causa instrumentalis ex parte nostra; qui distinctos hos causarum ordines confundit, non docet, sed seducit. *3. Verbum non praedicatur nisi intelligentibus, nec prodest nisi intelligatur et credatur; ad sacramentum exhibetur et prodest etiam non intelligentibus ut infantibus et amentibus. Ergo verbum et sacramenta non justificant eodem modo.* Respondemus: Quamvis baptismus administretur et prosit etiam non intelligentibus, hoc est plenum rationis usum nondum exserentibus, ex eo tamen effici non potest, baptismum prodesse ex opere operato, siquidem est medium, per quod Spiritus sanctus in infantibus operatur fidem, qua baptismus illis redditur salutaris. Quemadmodum igitur verbum non prodest absque fide Hebr. 4, v. 2: *Non profuit illis sermo auditus non admixtus fidei iis, qui audierunt;* et tamen *ex auditu verbi est fides,* Rom. 10, v. 17. ita quoque baptismus non prodest absque fide. Marc. 16, v. 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit;* et tamen est medium, per quod fides accenditur, in illis puta, qui actuali impoenitentia et hypocrisi Spiritus sancti operationi non resistunt, quales sunt infantes. *4. Fides dicitur manus nostra, non quia apprehendat promissionem et sola hoc modo justificet, sed quia removet obstacula et disponit animam, ubi necessaria talis dispositio, alioqui non prodesset baptismus non solum infantibus et amentibus, sed etiam adultis et sanis, si in ipso momento baptismi paululum distraherentur animo.* Respondemus: Ostendimus suo loco, fidem in justificatione apprehendere divinas promissiones easque sibi applicare. Et quae foret illa relatio manus divinae, nempe sacramenti, et nostrae, nempe fidei, quae removeat obstacula et disponat animam? Relata enim sunt offerre et apprehendere, dare et accipere, disponere autem animam et obstacula removere non habet relationem ad dare et offerre. Quae de evagatione animi in adultis tempore baptismi adduntur, facilem habent explicationem. *Per fidem Christus habitat in cordibus nostris,* Ephes. 3, v. 17. quamvis igitur actu explicato non semper se exserat fides, ipsa tamen et per ipsam Christus in corde habitat tam diu, donec volun- VIII. 294.
taria incredulitate et peccatis contra conscientiam fides atque una inhabitatio Christi et Spiritus sancti excutiantur. Atque haec sunt potiora sententiae nostrae fundamenta; quae Bellarminus ex Cinglio et Calvino adducit, ea non agnoscimus pro nostris, cum in illis oppositio fiat inter causam principalem et organicam, quem elenchum oppositionis inter causas subordinatas ipsimet superius redarguimus. Quae de modo, quo Deus in sacramentis agit, de differentia instrumentorum, quibus utitur Deus et quibus utuntur homines, de origine animae etc. spinose magis quam fructuose disputat, cum gravi judicio sunt legenda.

85. Ex patribus haec afferimus testimonia. **Justinus in dial. cum Tryph. sub fin. scribit, *per aquam et fidem regenerationem fieri generis humani.* (Dicta patrum.) Clemens Alexandrinus 1. paedag. c. 6. de baptismo: *Haec vincula* (tenebrarum et ignorantiae) *quam celerrime remittuntur humana quidem fide, divina vero gratia, cum remittuntur peccata uno mandato paeonio, nempe verbali baptismo.* Cyprianus lib. 4. epist. 7. *diabolum in baptismo fide credentis excludi.* Et Hieronymus lib. 4. in Ezech. c. 16. *baptismum nihil prodesse sine fide,* adserunt. Idem in c. 3. ad Galat.: *Si quis hoc corporeum et quod oculis carnis adspicitur, aquae tantum accipit lavacrum, non est indutus Dominum nostrum Jesum. Nam et Simon ille de Actibus apostolorum acceperat lavacrum aquae, verum quia Spiritum sanctum*

*non habebat, indutus non erat Christum.*** Augustinus tract. 53. in Joh.: *Non prosunt sacramenta Christi, ubi resistitur fidei Christi, fides autem Christi est credere in eum, qui justificat impium, credere in mediatorem, sine quo interposito non reconciliamur Deo.* Tractat. 80. in Joh.: *Jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis. Quare non ait: mundi estis per baptismum, quo loti estis, sed ait: propter verbum, nisi quia et in aqua verbum mundat; detrahe verbum et quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum* etc. *Unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat? nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur. Nam et in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens; hoc est verbum fidei, quod praedicamus* etc. *unde in Actis apostolorum legimus: fide mundans corda eorum. Et Petrus apostolus: sic nos baptisma salvos facit, non depositio sordium carnis, sed conscientiae bonae interrogatio, hoc est verbum fidei praedicamus.* **Idem lib. qq. ex N. T. c. 59. p. 527: *Qui baptismum putat carnali ratione consistere, hic non est spiritualis, nec donum coeleste poterit consequi, qui se per aquam, non per fidem immutari credat. Aqua enim cernitur, sed qui non videtur, Spiritus operatur, ut fides in eo sit.* In sent. Prosperi, ut citatur in jure canonico c. Verus dist. 4. de consecr.: *Verus baptismus constat non tam ablutione corporis quam fide cordis quemadmodum apostolica doctrina tradidit dicens: Fide mundans corda eorum et alibi. Salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio in Deum.* **Excipit Bellarminus lib. 1. de sacram. in genere c. 20. uti etiam lib. 2. de sacram. c. 10. *illud quia creditur non significare actum fidei, sed objectum, cum nulla actualis fides sit in rigore necessaria ad baptismum, ut appareat in parvulis.* Atqui hoc procedit ex falsa illa hypothesi, quod infantes baptisati non habeant fidem, cujus contrarium demonstravimus suo loco. Quod Augustinus infantibus alicubi fidem plane derogare videtur, id explicandum est non de fide simpliciter, sed de modo fidei, qualis est in adultis, de quibus Augustinus dicit: *Credens scit se credere,* hoc est adultus et doctrinae capax fidelis exercet suam fidem auditu, meditatione et apprehensione verbi praedicati, piis precibus et similibus pietatis studiis, quibus conatur non modo fidem retinere, sed etiam majora subinde fidei in-
VIII. 295. crementa capere, luctatur cum diffidentia et dubitatione et fidem suam exserit testimoniis externis, ita enim se ipsum interpretatur epist. 23: *Parvulum etsi nondum fides illa, quae in credentium voluntate consistit, jam tamen ipsius fidei sacramentum fidelem facit. Nam sicut credere respondetur, ita fidelis vocatur, non ad rem ipsam mente annuendo, sed ipsius rei sacramentum percipiendo.* epist. 25: *Habet fidem propter fidei sacramentum.* lib. 1. de peccat. merit. et remiss. c. 19: *Dicet aliquis, quomodo infantes vocantur ad poenitentiam? numquid tantillus potest aliquid poenitere? Huic respondetur: si propterea poenitentes dicendi non sunt, quia sensum poenitendi nondum habent, nec fideles dicendi sunt, quia similiter sensum credendi nondum habent. Si autem propterea recte fideles vocantur, quia fidem per verba gestantium quodammodo profitentur, cur non prius etiam poenitentes habentur, cum per eorundem verba gestantium diabolo et huic seculo renuntiare monstrantur?* Ergo quod Bellarminus dicit, Augustino propositum esse docere, quod baptismus vim mundandi habeat a verbo, vere quidem dicitur, sed non plene; ex eo enim ulterius colligitur, ad salutarem baptismi fructum requiri fidem, quae est verbi correlatum, sic enim Augustinus serm. 30. de verb. Domini: *Baptismum quod semel adhibetur, per fidem mundat, fides autem intus est, non foris, unde dicitur in Actibus apostolorum: fide mundans corda eorum.* Agnoscunt id quidam ex ipsis Pontificiis, qui alienam fidem in infantibus propterea requiri statuunt, quos Bellarminus hic sugillat. Idem Augustinus lib. 3. quaest. in Levit. q. 84: *Dominus dicit: Ego sanctifico Aaronem et Moysi dicit: Sanctificabis eum. Quando ergo et Moyses sanctificat et Dominus? non enim Moyses pro Domino, sed Moyses visibilibus sacramentis per ministerium suum, Dominus autem invisibili gratia per Spiritum sanctum, ubi est totus fructus et omnis utilitas etiam visibilium sacramentorum. Nam sine ista sanctificatione invisibilis gratiae visibilia sacramenta quid prosunt?* etc. *Nihil profuit Simoni Mago visibilis baptismus, cui sanctificatio invisibilis defuit* etc. Postea ex latronis exemplo colligit, invisibilem sanctificationem quibusdam affuisse et profuisse sine visibilibus sacramentis, quae pro temporum diversitate mutata sunt, ut alia tunc fuerint et alia modo sint, visibilem vero sanctificationem quae fieret per visibilia sacramenta sine ista invisibili posse adesse, non posse prodesse; nec tamen ideo sacramentum visibile contemnendum esse, quia contemtor ejus invisibiliter sanctificari nullo modo potest. Bellarminus excipit, *gratiam invisibilem a sacramento sensibili separari posse, non quod sacramentum non sit invisibilis gratiae causa, sed quod possit impediri effectus ejus per obicem vel indispositionem subjecti.* Respondemus: haec quidem recte opponuntur Calvino, quod sacramentum non sit solum signum, sed et causa gratiae, puta instrumentalis, non autem satisfaciunt nostro argumento. Si enim sacramenta prodessent ex opere operato etiam sine fide, utique gratia invisibilis semper conjuncta esset visibili sacramento. Effectum sacramentorum per obicem impediri posse recte dicitur, sed addendum, quod incredulitas sit fortissimus ille obex, qui operationem Spiritus sancti per verbum et sacramenta nobiscum agentis impedit. Idem Augustinus lib. 21. de civit. Dei c. 25. reprehendit eos, qui sentiebant, *non posse damnari eos, qui sacramenta percipiunt baptismi et coenae Domini, licet nec fidem nec bonam vitam teneant*

statuunt igitur, sacramenta prodesse ex opere operato sine fide. Bellarminus excipit, *illos non solum credidisse, quod sacramenta justificent ex opere operatò, sed etiam credidisse, quod non possit amitti gratia et salus semel accepta in sacramento per quaecunque peccata postea accedentia, quae sit Lutheri sententia, hominem scilicet baptizatum non posse salutem suam perdere quantiscunque peccatis, nisi nolit credere.* lib. de capt. Babyl. c. de bapt. Respondemus: De vero sensu illorum verborum Lutheri diximus in tract. de bonis operibus. Opinio-
VIII. 296. nem illam, quod gratia Dei et salus in sacramento semel accepta per quaecunque peccata amitti non possit, rejicimus et detestamur. Manet interim argumentum nostrum. Si sacramenta prosunt ex opere operato, utique qui baptizantur et sacra coena utuntur, non damnari possunt, licet sint sine vera fide et conversione. Si namque vis conferendi gratiam et salutem est in sacramentis velut vis sanandi in pharmaco, utique sacramenta etiam prosunt sine fide, sicut pharmacum sine fide operationem suam exserit. Referenda huc dicta omnia, in quibus Augustinus negat, sacramenta prodesse sine poenitentia et fide. lib. 3. de bapt. c. 14. lib. 5. c. 8. contra epist. Parm. c. 6. etc. **Petrus Chrysologus serm. 50: *Sol lippientibus oculis non lucem tribuit, sed tenebras, vinum vires febrientium non reparat, sed enervat; sine medico vitae poculum fit letale; sic perfidis perniciosum est sine fide fidei sacramentum.*** Gregorius in Ezech.: *Nobis per fidem omnia in baptismate peccata laxantur.* Theodoretus in Levit. q. 19: *Qui credit Christo salvatori, sacrosancti baptismatis aqua lustratus peccatorum maculis abstergitur.* Alanus de sacram. c. 31: *Gratiam in anima hominis Deus operatur per sacramenta tanquam per instrumentalem causam non alia ratione, nec minus vere quam homo dicitur scribere per calamum.* Hugo lib. 5. de sacram. part. 9, c. 2: *Dona gratiae spiritualia quasi quaedam antidota sunt invisibilia. In sacramentis visibilibus quasi quibusdam vasculis homini porriguntur, jam sicut quod est in vase, non est de ipso, neque ex ipso, sed cum ipso hauritur; sic gratia non est a sacramentis neque de sacramentis, sed oritur a fonte aeterno et ab illo hauritur ab anima in ipsis sacramentis.* Thomas p. 3. q. 62. art. 3: *Gratia non dicitur esse in sacramento, sicut in subjecto, neque sicut in vase, prout vas est locus quidam, sed prout vas dicitur instrumentum alicujus operis faciendi.* art. 5: *Per fidem Christus habitat in nobis, ideo virtus Christi copulatur nobis per fidem, virtus autem remissiva peccatorum specialiter quodammodo pertinet ad ipsius passionem, ideo per fidem passionis ipsius specialiter liberantur homines a peccato, ideo quod virtus sacramentorum ordinatur ad tollenda peccata, praecipue est ex fide passionis Christi.* p. 3. q. 61. art. 4: *Sicut antiqui patres salvati sunt per fidem Christi venturi, ita nos salvamur per fidem Christi jam nati et passi; sunt autem sacramenta quaedam signa protestantia fidem, qua homo justificatur.* Bonaventura, Scotus, Durandus, Richardus, Occam, Marsilius, Gabriel in 4. sent. dist. 1. vel. 2. docent, *solum Deum producere gratiam, ita ut sacramenta non sint causae physicae, nisi sine quibus non fieret effectus;* Bonaventura disputat, *gratiam non inesse sacramentis essentialiter, sed ministerialiter et instrumentaliter.* sic enim scribit 4. sent. dist. 1. q. 3: *Nullo modo dicendum est, quod gratia continetur in ipsis sacramentis essentialiter, tanquam aqua in vase aut medicina in pixide, imo hoc intelligere est erroneum, sed dicuntur continere per gratiam, quia eam significant.* Atque iterum: *Gratia est in anima, non in signis visibilibus.* Rursus: *Ad illud, quod objicitur, quod remissio peccatorum latet in baptismo, dicendum est, quod hoc intelligitur de latentia signati in signo, quod quidem ulteriorem habet rationem, quam rationem significandi, non tamen essentialiter continendi in se, sed quia ipsum quod significat, continetur in anima.* Horum modestia non placet Bellarmino, qui disputat lib. 2. de sacrament. c. 12. resp. ad arg. postr. *sacramenta esse causas efficientes etiam physicas, sed instrumentales.*

86. Scholastici de opere operato varie disputant, quorum opiniones videri possunt apud D. Chemnicium in exam. concil. Trident. cap. de opere operato. Nos Bellarminum audiemus, qui doctrinam Romanae ecclesiae de efficacia sacramentorum speciose admodum pingit et hanc quaestionem de opere operato intricatissimam reddit. lib. 2. de sacram. c. 1. monet: 1. *non esse eum quaestionis statum, an sacramenta sint causae primariae, sed an sint instrumenta Dei, hoc est an Deus per sacramenta nos justificet, non autem an sacramenta sine Deo.* Respondemus: Sacramenta esse causas instrumentales justificationis facile concedimus, id vero improbamus, quod quidam ex Scholasticis statuunt, in ipsis sacramentis ponendam aliquam virtutem supernaturalem, supra virtutem naturalem, quae sit quaedam res absolute spiritualis, ac virtutem illam esse ens absolutum, licet non completum, hoc est volunt efficaciam illam conferendi gratiam et operandi salutem inhaerere sacramentis, ut accidens quoddam physicum, velut calor inhaeret igni, conducens ex opere operato non interveniente fide. Cui opinioni recte se opponit Chemnicius graviter et nervose sic scribens cap. de sacram. effic.: *Sacramentis tribuitur virtus illa et efficacia, non quod in sacramentis extra seu praeter meritum Christi, misericordiam Patris et efficaciam Spiritus sancti quaerenda sit gratia ad salutem, sed sacramenta sunt causae instrumentales, ita quod per illa media seu organa Pater vult gratiam suam exhibere, donare, applicare, Filius meritum suum communicare credentibus, Spiritus sanctus efficaciam suam exserere ad salutem omni credenti. Hoc modo manet Deo gloria sua, ut gratia non alibi quaeratur, quam apud Deum Patrem, pretium seu causa meritoria remissionis peccatorum et vita aeterna non alibi quaeratur, quam in Christo et in operatione Spiritus sancti;*

Bellarmini sententia de efficacia sacramentorum ex opere operato. VIII. 297.

sacramenta vero illa beneficia in verbo nobis proponunt, afferunt, exhibent et obsignant atque ita ducunt nos ad Christum, ad gratiam Dei, ad efficaciam Spiritus. Quia enim Deus in iis, quae ad salutem nostram pertinent, per certa media vult nobiscum agere et ad hunc usum ipse ordinavit et instituit verbum promissionis evangelii, quod aliquando simpliciter per se sive nudum proponitur, aliquando vero vestitum seu visibile factum certis a Deo institutis ritibus seu sacramentis. Verbum igitur et sacramenta monstrant nobis, ubi fides debeat quaerere et ubi possit invenire Christum mediatorem, Patrem et Spiritum sanctum, ita ut nobiscum agant, exhibeant, applicent et obsignent beneficia, quae Christus promeruit et de quibus evangelium concionatur. Et in usu sacramentorum fides non quaerit aut respicit essentialem aliquam virtutem seu efficaciam inhaerentem ipsis externis sacramentorum elementis, sed in promissione, quae annexa est sacramento, quaerit, apprehendit et accipit gratiam Patris, meritum Filii et Spiritus sancti. Haec omnia D. Chemnicius, quo pertinet illud Hugonis modo citatum, quod *gratia non sit a sacramentis, neque de sacramentis, sed oriatur a fonte aeterno et hauriatur ab anima in ipsis sacramentis.* Itemque illud Thomae p. 3. q. 62. artic. 1: *Sacramenta instrumentaliter causant gratiam; causa principalis agit per virtutem suae formae, quo modo causa salutis non est adscribenda nisi soli Deo. Causa instrumentalis non agit nisi per motum, quo movetur ab agente principali, unde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti. Aqua baptismi abluendo corpus secundum virtutem propriam abluit animam, in quantum est instrumentum virtutis divinae.* Haec Thomas rectissime. Quin imo ipse Bellarminus id quodammodo agnoscit, sic enim scribit lib. 2. de sacram. cap. 11. resp. ad postr. arg. membr. 3: *Sacramenta sunt causae instrumentales,*
VIII. 238. *virtus autem divinitus insita non est aliqua nova qualitas divinitus inhaerens spiritualis vel corporalis, sed solum motus sive usus Dei. Per hoc enim quod Deus utitur hac actione sacramentali ad gratiam producendam, elevat eam et facit eam attingere effectum supernaturalem, quem non posset attingere, si a quocunque alio moveretur,* (ubi obiter nota, ex his verbis immediate sequi, quod nihil habeat rationem sacramenti extra usum a Deo institutum. Si enim virtus sacramentorum non est quaedam qualitas inhaerens, sed solum motus sive usus Dei, utique extra usum a Deo institutum non tribuenda est sacramentis virtus seu efficacia aliqua). 2. notat, *non esse controversiam de modo, quo sacramenta sint causae, an physice attingendo effectum, an moraliter tantum, et rursum si physice, an per aliquam qualitatem inhaerentem, an per solam Dei motionem, ista enim ad quaestionem fidei non pertinent, sed solum generatim, an sacramenta sint verae et propriae causae instrumentales justificationis.* Respondemus: Recte facit Bellarminus, quod dissensiones Scholasticorum non dissimulat; quidam enim statuunt, sacramenta esse causas justificationis morales tantum, non physicas, ut Bonaventura, Scotus, Durandus, Richardus, Marsilius etc. quos ex recentioribus sequuntur Ledesmius 4. sent. dist. 1. q. 3. art. 1. et Canus in relect. de sacram. Quidam vero statuunt, sacramenta esse causas physicas, quorum sententiam Bellarminus judicat tutiorem et probabiliorem. Rursus quidam statuunt, sacramenta esse causas physicas per aliquam qualitatem inhaerentem, ut Alensis, Thomas, Durandus; quidam vero statuunt, sacramenta agere physice attingendo effectum per solam Dei motionem, quorum sententiam Bellarminus approbat. Sic Bonaventura, Richardus de Media Villa, Scotus, Occam, Thomas de Argent. tenent, quod Deus constituit sacramenta tanquam certa signa gratiae, quam ipse producit in anima suscipientis sacramentum, aut ipso sacramento effectum gratuitum ordinatum ad hominum salutem, nec ponendam esse aliquam virtutem supernaturalem in eorum usu, quos sequitur Biel lib. 4. sent. dist. 1. q. 3. Vide Alph. Virvesium Phil. 2. ubi tres opiniones Scholasticorum de efficientia sacramentorum recitat: 1. quod sacramenta causent gratiam; 2. quod causent dispositionem quandam in anima suscipientis; 3. quod sacramentum sit signum eatenus efficax, quatenus nunquam illi deest effectus divinae propitiationis; hanc postremam sententiam ipse amplectitur. Quamvis vero ad excusandas illas dissensiones Scholasticorum Bellarminus obvertat, *haec non pertinere ad quaestionem fidei, sed sufficere, ut sciamus, sacramenta esse causas gratiae, cum sit hoc commune multis mysteriis fidei, ut habeamus ex Scripturis, esse aliquid et tamen ignoremus modum, ut Deum esse trinum et unum, Christum esse Deum et hominem, resurgere corpora eadem, Christum esse totum in eucharistia* etc. id tamen dissensiones ipsas nondum tollit, quae manifeste ostendunt, figmentum de efficacia sacramentorum ex opere operato sine fide esse dubium et incertum; tutissimum igitur esse ex Scripturis sentire et cum Scripturis loqui de sacramentorum efficacia, in quibus simplex, plana et vera sententia de hac quaestione proponitur. Quod Bellarminus assertionem de efficacia sacramentorum ex opere operato confert cum praecipuis illis et fundamentalibus fidei Christianae articulis, de eo quid statuendum sit, quilibet facile agnoscit; probent prius ex Scripturis rem ipsam, postea non accusabimus eos ulterius, quod de modo convenire non possint. 3. Dixerat Chemnicius, *Dogma de opere operato non servare ὑποτύπωσιν sanorum verborum, ut ipsa peregrina verborum forma Scripturae et antiquitati ignota manifeste indicet;* Bellarminus regerit, *nullam esse hic novitatem, nisi quod contra regulam grammaticae operatum passive accipiatur, quod tamen non sit novum, cum Hebr. 13. vox promeretur itidem contra grammaticae regulas passive usurpetur.* Respondemus: barbarismum barbarismo tegere est lutum luto purgare. Quis enim unquam bonorum auctorum

VIII. 299. operari passive dixit? Hebr. 13, v. 16. Graecus textus habet vocem εὐαρεστεῖται, delectatur; mirum quod Bellarminus non attulerit locum Gal. 5, v. 6: Fides per caritatem ἐνεργουμένη, operata, hoc est mota seu agitata, ita enim passive alibi ipse Bellarminus hunc locum operatur. 4. Tribuit Bellarminus Luthero et Chemnicio, quod *falsa expositione operis operati Catholicos* (Romanenses) *praegravarint, affirmant* (inquit) *opus operatum significare opus meritorium seu dignitatem operis ex parte ministri vel suscipientis, quae est falsa expositio et testis ignorantiae vel malitiae ipsorum.* Respondemus: nec Lutherus nec Chemnicius hoc dicunt, quod Pontificii per opus operatum intelligant opus meritorium, seu dignitatem operis ex parte ministri vel suscipientis, sed vere et fideliter ipsorum sententiam referunt et explicant. *Scholastici* (inquit Chemnicius) *communiter distinguunt inter sacramenta V. et N. T., quod illa conferant gratiam ex opere operantis, haec vero ex opere operato.* Mox ex Biele lib. 4. sent. dist. 1. qu. 3. addit explicationem: *Ex opere operante sacramenta dicuntur conferre gratiam, per modum meriti, quod scilicet sacramentum foris exhibitum non sufficit ad gratiae collationem, sed ultra hoc requiritur bonus motus seu devotio interior in suscipiente, secundum cujus intentionem confertur gratia tanquam meriti condigni vel congrui praecise et non major propter exhibitionem sacramenti. Ex opere operato sacramentum dicitur conferre gratiam, ita quod ex eo ipso, quod opus illud, puta sacramentum, exhibetur, nisi impediat obex peccati mortalis, gratia confertur utentibus sic, quod praeter exhibitionem signi foris exhibiti non requiritur bonus motus in suscipiente.* Vides, ipsis Scholasticorum verbis Chemnicium explicare operis operati significationem. Quod Lutherus lib. de capt. Babyl. cap. de bapt. dicit, *Scholasticos ex sacramento fecisse praeceptum, ex fide opus*, rectissime dicitur, quia non respiciunt verbum promissionis sacramentis annexum, quod fidem exigit et nullo opere impleri potest, sed saltem de opere operantis et opere operato disputant. Quando Chemnicius scribit cap. de efficacia et usu sacram., *fuisse quosdam, qui virtutem sacramentorum in ipso opere, quo sacramenta vel celebrantur vel suscipiuntur, constituerunt, ita ut sacramenta dicerentur conferre gratiam ex dignitate et merito operis, quod exercet vel ille qui celebrat, vel qui suscipit*, non explicat proprie opinionem Scholasticorum, quid per opus operatum intelligant (quod sequenti capite demum aggreditur), sed digitum intendit tum ad opiniones Scholasticorum de sacramentis V. T. quod contulerint gratiam ex opere operantis, tum ad id quod Scholastici duplex statuunt opus operans, primo scilicet in ministro celebrante seu administrante sacramentum, ita Gabriel Biel in can. miss. lect 26. dicit: *Missa valet uno modo ex opere operante, hoc est ex merito personali personae celebrantis, propter quod confert Deus petita a sacerdote eis, quibus orationem et missae sacrificium applicat; alio modo ex opere operato, hoc est ex ipsa consecratione, oblatione et sumtione non habendo respectum ad personalem sanctitatem aut meritum sacerdotis* etc. Deinde vero constituunt etiam opus operans in illo, qui sacramento utitur, bonum scilicet motum interiorem, ut devotionem seu fidem suscipientis. Utrique vero operi operanti opponunt opus operatum, alio atque alio respectu. 5. Pergit Bellarminus ac negat, *vim operis operati excogitatam esse ad excludendam fidem et poenitentiam internam in negotio justificationis.* Calumniam et mendacium vocat expositionem illam, *quod conferre gratiam ex opere operato sit conferre gratiam peccatori sine fide et bono motu cordis.* Respondemus: id vero disertis verbis Scholastici asserunt. Albertus in c. 6. Joh: *Opus operatum est perfectio externi operis sine motu interno.* Mensingerus addit: *Quia sancti in V. T. fide accipiebant gratiam in usu sacramentorum, oportet ergo N. T. sacramenta majoris esse efficaciae, ut conferant gratiam ex opere operato, etiamsi non accedat opus operans suscipientis, hoc est fides seu devotio interior.* Petrus de Palude 4. sent.
dist. 1. quaest. 1: *In sacramentis novae legis non* VIII. 300.
per se requiritur, quod homo se disponat, ergo per ipsum sacramentum disponitur, et sic probabile est in omni sacramento novae legis, quod justificat ex opere operato etc. *Et si dicatur opus operatum non esse a sacramento, sed a Deo in sacramento vel cum sacramento, istud non valet, quia ita sacramentum novae legis non distaret a sacramento veteris legis, quia oportebat etiam in veteri lege dispositionem fieri in parvulis a Deo.* Biel ibidem qu. 3: *Sacramentum dicitur conferre gratiam ex opere operato sic, quod praeter exhibitionem signi foris non requiritur bonus motus in suscipiente.* Inde cardinalis Cajetanus nomine Leonis X. pontificis Romani a Luthero abjurationem doctrinae exigens, hunc articulum inter alios conceptis verbis ipsi proposuit: *Fides non est necessaria accessuro ad eucharistiam.* Quod Bellarminus obvertit, *concilium Tridentinum diserte statuere, quod justificationis initium fiat a fide et poenitentia*; de hoc effugio paulo post dicemus. 6. Tandem igitur post ambages hasce Bellarminus edisserit, quid per opus operatum sit intelligendum. *Ex omnibus illis* (inquit), *quae in justificatione, quam recipit aliquis, dum percipit sacramenta, concurrunt, id quod active, proxime et instrumentaliter efficit gratiam justificationis, est sola actio illa externa, quae sacramentum dicitur, et haec vocatur opus operatum accipiendo passive operatum, ita ut idem sit sacramentum conferre gratiam ex opere operato, quod conferre ex vi ipsius actionis sacramentalis a Deo institutae, non ex merito agentis vel suscipientis.* Respondemus: si per opus operatum tantummodo exclusum intelligeretur meritum agentis vel susci-
pientis, quod scilicet sacramentorum virtus et effi- VIII. 301.
cacia non ex ministri operantis aut hominis suscipientis dignitate ac merito aestimanda sit, sed ex

Dei auctoris institutione potentia et operatione in solidum dependeat, facile nos sibi haberet Bellarminus ὁμοψήφους, neque enim de modo illo loquendi odiose vellemus dimicare, aut certe diceremus illud: mentem tene, linguam corrige, quod jam olim Chemnicius Alphonso et Groppero respondit, qui itidem scripserant, termino operis operati ministri et suscipientis meritum atque dignitatem tantummodo excludi. Sed nec Scholastici nec Pontificii hoc solummodo excludunt, sed ipsam etiam fidem, quae promissionem gratiae sacramentis annexam respicit, apprehendit sibique applicat. Negat Bellarminus fidem excludi: *Voluntas* (inquit), *fides et poenitentia in suscipiente adulto necessario requiruntur ut dispositiones ex parte subjecti, non ut causae activae, non enim fides et poenitentia efficiunt gratiam sacramentalem, neque dant efficaciam sacramenti, sed solum tollunt obstacula, quae impedirent, ne sacramenta suam efficaciam exserere possent, unde in pueris, ubi non requiritur dispositio, sine illis rebus fit justificatio.* Respondemus: hic demum descendimus ad punctum quaestionis. Fidem ad sacramentorum usum salutarem requiri, dicimus nos: idem videntur dicere Pontificii, sed ὅμοια μὲν λαλοῦμεν, ἀνόμοια δὲ φρονοῦμεν. Nec enim semper, nec eodem modo fidem requirunt Pontificii. Prius patet ex eo, quia in infantibus negant requiri fidem ad salutarem baptismi usum, cum per aetatem credere nondum possint. At nos ex immotis Scripturae fundamentis demonstramus, infantes baptizatos vere credere, ideoque duplici munere fungi baptismum in infantibus: tum quod sit efficax medium, per quod Spiritus sanctus in illis excitat fidem; tum quod sit salutare organum, per quod coelestia beneficia ipsis offeruntur, per fidem applicantur atque insuper etiam obsignantur. Posterius patet ex eo, quia Pontificii fidem nuda notitia definiunt (Bellarminus eam *rectius per ignorantiam quam per notitiam definiri* disputat 1. de justific. c. 7. §. penult.) et generali tantum assensu; nos autem fidem definimus fiduciali apprehensione promissionis gratiae, quae in verbo evangelii et sacramentis offertur. Pontificii requirunt fidem vel ut dispositionem (in illis, qui primam justificationis gratiam recipiunt) vel ut meritum (in illis, qui secunda justificatione justificantur), nos fidem requiri dicimus, ut instrumentum quo oblata in verbo et sacramentis bona amplectimur. Quamvis igitur fides et poenitentia non efficiant gratiam sacramentalem neque dent efficaciam sacramento (absolute scilicet loquendo de sacramentorum efficacia), hanc enim habent ex Dei institutione et ordinatione; tamen ex parte nostra et relate de efficacia sacramentorum loquendo fides justificans (cujus anteambulo est contritio et pedisequa bona opera) requiritur, ut unicum et salutare illud organum, per quod beneficiorum, quae in sacramentis nobis offeruntur, reddimur participes et suam etiam in nobis efficaciam sacramenta exserunt ad salutem aeternam. Nequaquam igitur docemus, virtutem sacramentorum pendere ex fide nostra, sed fidem requiri dicimus, ut sacramenta nobis sint salutaria. Nec Chemnicius vel ullus nostrorum dixit, nullam esse sacramentorum efficaciam nisi ad alendam fidem per modum objecti repraesentantis divinam promissionem (quod Bellarminus hoc loco nobis tribuit), sed diserte dicimus, sacramenta esse fidei excitandae, augendae et confirmandae organa, non nude repraesentando, sed vere efficiendo. Sonora voce profitemur, sacramenta esse causas instrumentales, per quas non solum nobis offertur, sed et confertur atque obsignatur gratia, addimus autem fidem requiri, ut oblatam in sacramentis gratiam apprehendamus nobisque applicemus. Conjungimus igitur instrumentum offerens et apprehendens organum, per quod Deus offert nobis suam gratiam et remissionem peccatorum, ac per quod nos oblata illa bona recipimus. Haec omnia si probe observentur, facile judicari potest de illis, quae non solum contra Chemnicium cap. 1. sed etiam pro defensione operis operati cap. 3. 4. 5. 6. 7. et 8. Bellarminus profert, ea enim nihil aliud probant, quam sacramenta non esse nuda signa, sed etiam efficacia media, per quae Deus coelestia beneficia hominibus offert et credentibus applicat, id quod rejectis tricis Scholasticis et corruptelis jam ante notatis ταῖν ἀμφοῖν non solum amplectimur, sed etiam contra Calvinianos strenue propugnamus.

VIII. 302.

Posterior principalis sacramentorum finis, quod sint sigilla promissionum divinarum.

87. Egimus hactenus de sacramentorum fine principali priore, quod scilicet sint organa, media et ὀχήματα, per quae Deus offert, exhibet et credentibus applicat promissionem evangelii propriam de remissione peccatorum, justitia et vita aeterna; succedit finis principalis posterior, quod sint σφραγῖδες, sigilla et signacula promissionem divinae gratiae credentibus exhibitam obsignantia. In sacramentis enim Deus gratiam suam offert, oblatam credentibus applicat et applicatam eisdem obsignat, id quod hisce confirmatum damus argumentis.

Argumenta nostrae sententiae.

1. Circumcisio est signaculum justitiae fidei. Ergo et reliqua sacramenta.

1. Sigilli proprium est testificari, confirmare et obsignare id, cui annectitur. Sacramenta sunt sigilla promissionum divinarum, quia Rom. 4, v. 11. circumcisio dicitur σφραγίς, *sigillum, justitiae fidei.* Ergo sacramenta testificantur, obsignant et confirmant divinas promissiones. Si circumcisio in V. T. fuit sigillum justitiae fidei, et baptismus in N. T. erit sigillum justitiae fidei. Sed verum prius. Ergo et posterius. Consecutio probatur tum a pari, quia baptismus aeque est sacramentum ac circumcisio, tum a minori ad majus, quia major est efficacia sacramentorum N. quam V. T. Excipit Bellarminus lib. 1. de sacram. c. 17: *1. Quae de sola circumcisione dicuntur non posse referri ad omnia sacramenta.* Respondemus: imo vero omnia sacramenta conveniunt in causa efficiente (quia solius Dei est instituere sacramenta, quippe qui solus sacramentis gratiam tribuere potest, ut ostendimus superius §. 26.) et in causa finali generica (quia unus et idem finis est, propter quem verbo suo Deus semper addidit

sacramenta, ut ostendimus superius §. 64.); jam vero esse signaculum justitiae fidei pertinet ad finem circumcisionis, utique ergo ad reliqua etiam sacramenta referri potest. *2. Circumcisionem vocari sigillum justitiae fidei, non autem promissionum divinarum.* Respondemus: subordinata non sunt sibi invicem opponenda. Divina promissio et justitia fidei sunt subordinata, cum relate sese mutuo respiciant, fides nititur divinis promissionibus velut immotae basi ac fulcro et divinae promissiones respiciunt et exigunt fidem, absque qua nemini prosunt, Rom. 4, v. 14: *Si qui ex lege heredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio.* Quemadmodum apostolus circumcisionem vocat sigillum justitiae fidei Rom. 4, v. 11. ita Moyses eam vocat *signum foederis.* Gen. 17, v. 11. Dicuntur igitur circumcisio et in genere omnia sacramenta sigilla justitiae fidei, quod promissio gratiae iis velut sigillo ad literas appenso confirmetur, ut quilibet nostrum de illa certior fieri possit. Origenis interpretatio in hoc loco, quod circumcisio sit sigillum justitiae fidei, *quia claudebat et obsignabat justitiam fidei, quae suo tempore patefacienda erat*, textui non satisfacit, quia Abrahamus non solum futuram demum sperabat fidei justitiam (sicut adventum, incarnationem et passionem Christi sperabat), sed justitiae illius per fidem vere particeps erat, ut apostolus versu proxime praecedente docet, et in signaculum justitiae fidei circumcisionem suscipiebat; concinnior ergo Chrysostomi et Theophylacti interpretatio, quod circumcisio vocetur sigillum justitiae fidei, *quia fuit data Abrahamo in signum et testimonium justitiae, quam acquisierat per fidem.* Si circumcisio est testimonium, utique testificatur, confirmat et obsignat. Lyranus hoc loco: *Abraham accepit circumcisionem, ut esset signaculum justitiae fidei latentis in mente. 3. Fuisse hoc privilegium solius Abrahae et non posse trans-*
VIII. 303. *ferri ad alios, quasi circumcisio, in quocunque esset, testificatio esset justitiae illius.* Respondemus: imo vero non de solo Abrahamo id verum est, sed de circumcisione in genere propter Dei institutionem et promissionem Gen. 17. Nisi enim circumcisio fuisset etiam reliquis Israëlitis sigillum et obsignatio foederis ac divinarum promissionum, quomodo ex circumcisione potuissent efficaces consolationes petere in periculis? David contra Goliathum pugnaturus in animam sibi revocat circumcisionem 1. Sam. 17, v. 26. et 36. Sic etiam Jonathan c. 14, v. 6. Adde quod in hoc ipso c. 4. ad Rom. Abraham proponitur velut exemplar justificationis et pater omnium credentium. Jam vero ad justificationem etiam pertinet obsignatio justitiae fidei per ordinarium sacramentum. Ergo ea non potest ad solum Abrahamum referri. Praeterea ad quos spectat foedus et promissio foederalis, ad illos etiam pertinet foederis et promissionis signaculum. Jam vero ad semen Abrahae etiam pertinet foedus et promissio foederalis, Genes. 17, v. 7: *Ero Deus tuus et Deus seminis tui.* Ergo etiam ad semen illud pertinebit foederis et promissionis signaculum sive obsignatio. Recte igitur Augustinus lib. 4. de bapt. contra Donatistas c. 24. statuit, *etiam Isaaco die nativitatis octavo circumciso hoc sacramentum fuisse signaculum justitiae fidei.* Bellarminus regerit: *1. Paulus haec duo conjungit, quod Abraham acceperit signum circumcisionis et quod fuerit pater omnium credentium. Jam vero posteri Abrahae non sunt patres omnium credentium. Ergo ad illos non pertinebit signum circumcisionis.* Respondemus: eodem modo quis argutari posset, ne quidem externam circumcisionem ad posteros Abrahae pertinere. Apostolus conjungit haec duo, quod Abraham acceperit signum circumcisionis et quod fuerit pater omnium credentium. Jam vero posteri Abrahae non sunt patres omnium credentium. Ergo ad illos non pertinebit signum circumcisionis. Quemadmodum autem huic argutiae recte obvertitur divina institutio, ita quoque Bellarminianae isti eadem obverti debet, quod scilicet circumcisionem Deus instituerit in signum et confirmationem foederis. Connexio verborum apostolicorum haec est: Accepit quidem Abraham circumcisionem, quae erat signum foederis, sed circumcisio non justificavit eum, quippe qui justus erat ante susceptam circumcisionem; fuit autem circumcisio signaculum justitiae fidei, quae fuerat in praeputio, hoc est, fuit obsignatio et confirmatio divini illius beneficii, quod esset gratis ex fide in futurum Messiam justificatus etiam tum, cum adhuc haberet praeputium, ut hac ratione sit pater omnium credentium in praeputio, ut imputetur etiam ipsis justitia. Hoc est pronuntiavit Deus Abrahamum justum ante circumcisionem, ut sit pater eorum spiritualis, qui adhuc habent praeputium, sicque illi exemplo Abrahae in Christum credant et per fidem justificentur. Invertimus ergo Bellarmini argumentum hoc modo: In quo Abrahamus proponitur pater omnium credentium et exemplar justificationis, illud non potest ad solum Abrahamum referri. Jam vero in eo, quod justitia fidei per ordinarium sacramentum fuerit obsignata, proponitur Abraham ut pater omnium credentium et exemplar justificationis. Ergo. Nimirum sacramentorum ratio ac natura semper est eadem respectu omnium et singulorum credentium, cum toti ecclesiae sint instituta. Ergo ut non alia circumcisio, nec alia fidei justitia, ita nec alia obsignatio promissionum fuit in Abrahamo quam in reliquis Judaeis credentibus. *2. Paulus distinguit signum a signaculo, ut indicaret, circumcisionem omnibus esse signum, sed non omnibus signaculum.* Respondemus: apostolus vocem signi ἐξηγητικῶς declarat per vocem signaculi, sicut et Augustinus exemplo apostoli sacramenta vocat et signa et signacula. Quod ad rem ipsam attinet, facile concedimus, respectu adultorum sacramenta esse quibusdam tantum (scilicet vere credentibus) actu signacula, interim tamen potentia sunt et manent omnibus signacula, eo enim fine Deus sacramenta dispensat, ut omnibus offerat et per fidem applicet atque obsignet promissionem gratiae; quamvis igitur impoenitentibus et incredulis actu non applicetur atque obsignetur promissio

VIII. 204. gratiae, tamen sacramenta ob id non desinunt in se esse id quod sunt, videlicet divinarum promissionum signacula et gratiae divinae testimonia. Infantum alia est ratio, qui cum actuali impoenitentia et incredulitate non resistant Spiritui sancto, ideo divina gratia in sacramentis infallibiliter illis exhibetur, applicatur et obsignatur. Atque haec sufficiunt ad textus apostoli explicationem, nec tamen improbamus eorum sententiam, qui statuunt, circumcisionem diverso respectu vocari et *foedus* et *signum foederis*, Gen. 17. quia circumcisio totaliter considerata est ipsummet pactum Dei cum Abrahamo et ipsius posteris initum; at vero cum secundum notam in carne relictam consideratur, vocatur signum foederis in carne, quo scilicet foederatus a non foederato discernitur. *3. Scriptura nuspiam circumcisionem vocat sigillum, nisi hoc loco, ubi de Abrahamo agitur, quod est argumentum manifestum, soli Abrahamo circumcisionem fuisse sigillum.* Respondemus: quod Abrahamo, quatenus credidit, tribuitur, id omnibus credentibus recte assignatur, ut toto hoc capite apostolus docet. Jam vero Abrahamo, quatenus credidit, tribuitur, quod circumcisio fuerit ipsi signaculum justitiae fidei. Ergo id omnibus, qui tempore V. T. insistunt vestigiis fidei ejus, tribui potest, quod scilicet circumcisio fuerit ipsis signaculum justitiae fidei, sicut credentibus in N. T. baptismus est tale signaculum. Accedit argumentum ex institutione et fine circumcisionis, de quo superius.

1 Baptismus est interrogatio bonae conscientiae. 1. Petr. 3, v. 21. 88. 2. Baptismum ita describit Petrus 1. epist. 3, v. 21. *quod salvos nos faciat, non quo carnis sordes abjiciantur, sed quo fit, ut bona conscientia Deum interroget per resurrectionem Jesu Christi,* ubi per ἐπερώτημα Oecumenius intelligit pignus et arrhabonem, quia baptismus testis est conscientiae nostrae, quod simus in Dei gratia propter Christum, *qui propter peccata nostra mortuus est et resurrexit propter justificationem nostram*, Rom. 4, v. ult. utique ergo baptismus obsignat foedus gratiae et promissionem salutis, ut baptizati fiducialiter possint Deum in precibus suis compellare *clamantes Abba Pater*, Rom. 8, v. 15. Galat. 4, v. 16. Hujus loci est observatio illa, quod LXX interpretes vocabulo ἐπερωτᾶν utuntur, quando in V. T. Israëlitae dicuntur interrogare os Domini. Si baptismus est interrogatio et stipulatio bonae conscientiae ad Deum, utique etiam est testimonium et sigillum divinae VIII. 205. erga nos voluntatis, unde fides nostra confirmatur. Sed verum prius. Ergo et posterius. Bellarminus excipit, *locum hunc admodum obscurum esse, ac recitatis diversis ejusdem explicationibus tandem concludit, Petrum non loqui de testimonio vel pacto Dei sed conscientiae nostrae, et baptismum salvos nos facere non obsignando et testificando, sed re ipsa justificando animam, sicut aqua diluvii non salvavit arcam Noae testificando vel obsignando promissiones, sed re ipsa elevando arcam in sublime, ne obrueretur cum ceteris hujus mundi aedificiis.* Respondemus: 1. obscuritas non est in verbis apostoli, sed in animo Bellarmini; 2. docet enim Petrus, baptismum esse interrogationem, quam inter Deum et peccatorem, qui baptizatur, agitur de bona conscientia erga Deum propter Christum, hoc est quomodo Deus erga baptizatum affectus sit et quid conscientia baptizati de gratia Dei sibi promittere debeat. Vid. D. Chemnicium c. 17. harmon. p. 16. 3. Oecumenius fatente Bellarmino per interrogationem intelligit pignus et arrhabonem, utique ergo comprobat nostram sententiam. 4. Augustino et Basilio tribuit Bellarminus, quod per interrogationem bonae conscientiae intelligant μετωνυμικῶς ablutionem internam, ex qua oritur pax et quies conscientiae et proinde responsio bonae conscientiae et etiam interrogatio apud Deum, quia audet cum fiducia Deum accedere et interrogare, hoc est cum eo colloqui eumque rogare pro se et aliis. Quamvis vero explicatio illa non exstet diserte in locis Augustini et Basilii a Bellarmino allegatis, tamen nobis non adversatur, sed potius explicationem nostram confirmat. Si enim ex baptismo hic fructus ad nos redit, ut conscientia nostra sit pacata et tranquilla utque cum fiducia possimus Deum accedere, utique baptismus est testimonium divinae erga nos voluntatis et signaculum justitiae fidei, quia teste apostolo *justificati fide demum pacem habemus apud Deum* Rom. 5, v. 1. 5. Vanum igitur est effugium illud, quod Petrus non loquatur de testimonio seu pacto Dei, sed nostrae conscientiae. Haec enim non sunt opposita, sed subordinata et relata, ex confirmatione enim conscientiae nostrae per baptismum recte infertur, quod baptismus sit signaculum divinarum promissionum et testimonium divinae erga nos voluntatis, id quod ipsa vox interrogationis manifeste demonstrat, esse scilicet in baptismo interrogationem conscientiae nostrae et responsionem Dei, sicut in V. T. Israëlitae in tabernaculo foederis interrogabant os Domini, ut de ejus voluntate certi redderentur. 6. Pari ratione committitur fallacia oppositionum in altero responsionis Bellarminianae membro; baptismus nos a peccatis abluit, justificat et salvat. Ergo non est sigillum divinae erga nos voluntatis; imo vero utroque munere baptismus fungitur; non solum offert et applicat nobis divinam gratiam, sed eandem etiam in cordibus nostris obsignat, salvat nos tanquam instrumentum divinum; et salutem illam obsignat tanquam sigillum vel signaculum, sicut per circumcisionem Israëlitae in foedus Dei fuerunt recepti et per eandem foedus illud in eis fuit obsignatum. Genes. 17, v. 7. Rom. 4, v. 11. 7. Invertimus igitur comparationem Bellarmini: Quemadmodum arca Noae non solum re ipsa conservavit octo animas in diluvio, sed etiam fuit testimonium et pignus divinae gratiae; ita et baptismus et salvat nos et est conscientiae bonae interrogatio apud VIII. 206.
Deum. Bellarminus inter aquas diluvii et aquam baptismi comparationem instituit, sed id videtur coactius, quia aquae diluvii neminem conservarunt, sed omnes perdiderunt, hic autem sermo est de

conservatione, ideo pronomen ᾧ referendum est ad totam sententiam proxime praecendentem de servatis in arca octo animabus, fatemur interim, talem comparationem exemplo veterum institui posse, quod vetus noster Adam in aqua baptismi submergatur et mortificetur, sicut in aquis diluvii periit omnis caro.

3. Spiritus, aqua et sanguis in terris testari dicuntur. 1. Joh. 5.

89. 3. Manifestum sententiae nostrae testimonium exstat 1. Joh. 5, v. 8. (quod tamen Bellarminus non attingit): *Tres sunt, qui testificantur in terris: Spiritus, aqua et sanguis, et hi tres unum sunt*, nimirum Spiritus sanctus in ministerio evangelii Joh. 15, v. 26. 2. Cor. 3, v. 8. 1. Joh. 5, v. 6. aqua in baptismo Eph. 5, v. 26. sanguis in coena Domini, 1. Cor. 11, v. 25. etc, Quidam perspicuum hunc textum malunt de veteris jamque aboliti testamenti
VIII. 307. aqua expiatoria et sanguine sacrificiorum intelligere et interpretari, quam de sacramentis N. T. at circumstantiae textus evidenter ostendunt contrarium, loquitur enim Johannes de tempore N. T. quod in eo Christus ad nos veniat per aquam et sanguinem. Porro quod apostolus dicit, Christum ad nos venisse, id non significat otiosum quendam adventum, sed quod Christus nobiscum egerit ac veluti transegerit; at per quae media? per aquam et sanguinem, quae sunt duo N. T. sacramenta, additur usus illorum mediorum, quod testentur, Christum servatorem venisse, opus redemtionis perfecisse ac illa memorialia et media nobiscum agendi reliquisse etc. additur etiam testis tertius, videlicet Spiritus sanctus, is enim non solum in ministerio evangelii publice de Christo testatur, sed etiam privatim in corde cujusque vere credentis; si enim Christum per duos illos testes ad nos venientem fide recipimus, ille mox tertium dat testem in corda nostra, qui spiritui testimonium reddit, quod simus filii Dei. Sicut Christus in institutione coenae affirmat, suum sanguinem in coena datum confirmare ac stabilire illud foedus suum nobiscum initum; ita Johannes hoc loco asserit, sanguinem testari de Christo et ipsius beneficiis. Quidam ut evidentiam hujus loci subterfugiant, per sanguinem intelligunt Christi passionem. Atqui 1. Christus proprie et accurate loquendo non venit ad nos per passionem, per quam cum Patre coelesti potius egit, offerendo ei se ipsum in sacrificium; sacramenta autem sunt medium illud, per quod Christus nobiscum agit et beneficia suae passionis ac mortis distribuit. 2. Passio non magis testatur de Christo, quam Christus de passione; dudum ea ex oculis evanuit, nec est perpetuo in terris, ut testificetur de Christo, interim tamen efficaciam ejus coram Deo esse perpetuam ac memoriale ejusdem perpetuum in sacra coena nobis proponi, non negamus. 3. Per aquam ipsi intelligunt baptismum, quod et rei evidentia manifeste comprobat, ergo per vocem sanguinis alterum N. T. sacramentum intelligere debent. 4. Passio Christi est causa meritoria beneficiorum Christi, jam vero sanguis inter testes beneficiorum Christi hoc loco refertur. Quidam per aquam intelligunt sanctificationem, per sanguinem vero justificationem. Atqui 1. talis significatio harum vocum vix occurret in sacris literis. 2. Sensus ille non convenit scopo apostoli; agit enim Johannes de mediis, per quae Christus ad nos venit seu nobiscum agit, non autem de ipsis beneficiis, quae veniens affert. 3. Interna illa beneficia non sunt media testificantia, sed ipsa Christi bona, de quibus per aquam et sanguinem testimonium datur. 4. Renovatio non differt ab inhabitatione Spiritus sancti, quare secundum istorum interpretationem voce aquae et Spiritus idem bis diceretur, cum tamen testes illi numero ternario diserte includantur. 5. Denique quod testimonium in terra VIII. 30
praestat renovatio ac justificatio? atqui Johannes hic agit de publicis testibus, qui adhuc in terra quotidie coram omnibus testentur. Quidam accipiunt hunc locum de aqua et sanguine, quae ex latere Christi in cruce pendentis profluxerunt. Respondemus: haec interpretatio nostrae non repugnat, sed eandem potius confirmat, quia ut passim docent veteres, sanguis et aqua, quae ex Christi latere profluxerunt, sunt duorum N. T. sacramentorum, baptismi et sacrae coenae materia, per quae colligitur Deo in his terris ecclesia, sicut ex costa, quam Deus ex latere Adae dormientis acceperat, aedificata est Eva. Vide Chrysostomum, Cyrillum, Theophylactum in c. 19. Joh. Ambrosium lib. 10. in Luc. c. 105. Augustinum lib. 2. de symb. c. 6. lib. 15. de civit. Dei c. 26. tract. 9. 15. et 120. in Joh. etc. Damascenum lib. 4. orthod. fidei c. 10. etc.

4. Sacramenta χαιριχ V.T. confirmarunt divinas promissiones.

90. 4. Lutherus argumentum ducit ex analogia. Quemadmodum signum roris in vellere confirmavit Gideonem Jud. 6. et umbra horologii retrocedens Ezechiam Esa 38. ita quoque sacramenta confirmant divinam promissionem et sunt testimonia divinae voluntatis. Bellarminus excipit, *haec et similia non esse ad rem, cum miracula non pendeant a verbo, sed ex se vim habeant, ideoque recte adhibeantur ad probandum, Deum aliquid promisisse, sed sacramenta nullam vim habent sine verbo.* Respondemus: signa illa miraculosa non dicimus omni ex parte cum sacramentis convenire, sed tantum in hoc tertio, quod quemadmodum Deus extraordinarie mirabilibus illis signis promissionem suam certis quibusdam hominibus confirmaverit, ita quoque promissionem gratiae per ordinaria sacramenta omnibus fide ea utentibus confirmet et obsignet. Nota enim est Deo carnis nostrae infirmitas, quod soli verbo et nudis ejus promissionibus non acquiescamus, sed externa quoque signa velut fidei adminicula postulemus, ideo heredibus promissionis abundantius ostensurus consilii sui immobilitatem, verbo addidit sacramenta in oculos incurrentia, quae qnamvis omnem suam efficaciam habeant ex verbo, tamen praeter verbum ritus in oculos incurrentes continent, qua ratione fidem nostram mirifice confirmant. Quod Bellarminus addit, *certissimos nos esse, Deum non posse fallere, ideo non indigere signo confirmativo,* id procedit ex inani persuasione, quod fides nostra divinas promissiones

respiciens, tam firma ac fortis sit, ut nulla indigeat confirmatione, cujus contrarium cujusque vere pii conscientia testatur. *At*, inquit Bellarminus, *si quis non credit verbo, is nec signis credit, qui vero credit verbo, non eget signis.* Respondemus: ex hoc fundamento non solum sacramentorum, sed etiam omnium miraculorum usus everti posset; convenit grato animo potius agnoscere et praedicare, quod ad fidei nostrae confirmationem instituta sint sacramenta, quam his ac similibus argutiis divinae institutioni obstrepere.

5. Agnus paschalis fuit confirmatio divinae promissionis.

91. 5. Non solum circumcisio dicitur sigillum justitiae fidei Rom. 4, v. 11, sed et de agno paschali dicitur Sap. 18, v. 7. quod patres V. T. eo vescebantur, *ἵνα ἀσφαλῶς εἰδότες οἷς ἐπίστευσαν ὅρκοις, ἐπευθυμήσωσιν*, *ut securi promissionis bono essent animo et salutem justorum praestolarentur, certi τῶν αὐτῶν ὁμοίως καὶ ἀγαθῶν καὶ κινδύνων μεταλήψεσθαι, eadem similiter cum bona tum mala perferre ac pati*, v. 9. Ergo ritus agni paschalis fuit ipsis confirmatio divinae promissionis de venturo Messia atque opere spiritualis redemtionis, cujus typus in corporali illa liberatione ex Aegypto proponebatur; hanc promissionem divinitus confirmatam fide intuiti ad quaevis mala et pericula subeunda parati erant, sicut et de coena Dominica agni paschalis antitypo Cyprianus dicit epist. 56. f. 153: *Gravior nunc et ferocior pugna imminet, ad quam fide*
VIII. 309. *incorrupta et virtute robusta parare se debent milites Christi considerantes, idcirco, se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, ut possint et ipsi propter Christum sanguinem fundere.* Quo pertinet etiam haec collatio. Quemadmodum pars utraque confoederatorum ad confirmationem pacti mutuo initi de eadem victima foederali participat; ita quoque Christus inter Deum et nos foedus sanctissimum sanciens corpus et sanguinem suum non modo Deo Patri in ara crucis obtulit, sed etiam in coena manducandum et bibendum nobis praebet. Damascenus ex veteribus sacram coenam vocat *ἀῤῥαβῶνα τῆς μελλούσης ζωῆς καὶ βασιλείας* etc.

Dicta patrum.

92. Patribus usitatum est sacramenta vocare *signacula* et *sigilla*. Tertullianus lib. de poenit. baptismum vocat *fidei obsignationem*. Basilius lib. 3. contra Eunom. fol. 678. *ἔστι τὸ βάπτισμα σφραγὶς τῆς πίστεως.* ** *Baptismus est sigillum fidei, fides vero confessio deitatis. Credere enim prius oportet, deinde baptismo obsignari.* De Spiritu sancto c. 12: *Fides et baptisma duo salutis modi sunt inter se cohaerentes et inseparabiles, fides enim perficitur per baptismum; baptismus vero fundatur per fidem et per eadem nomina utraque res impletur. Sicut enim credimus in Patrem et Filium et Spiritum sanctum; sic etiam baptizamur in nomen Patris et Filii et Spiritus sancti. Et praecedit quidem confessio ad salutem inducens, consequitur autem baptisma obsignans nostram confessionem ac pactum.* Bellarminus respondet *sigillum et obsignationem fidei idem esse ac publicam approbationem fidei ejus, qui baptizatur.* Sed graeca verba Basilii sunt satis manifesta *ἐπακολουθεῖ τὸ βάπτισμα ἐπισφραγίζον ἡμῶν τὴν συγκατάθεσιν.* Jam vero *συγκατάθεσις* non est nuda confessio, sed *pactum*, ut Erasmus et Cornarius verterunt. Idem in exhort. ad bapt. vocat sigillum et symbolum mysticum etc.** Augustinus de catech. rudib. c. 26: *Sacramenta sunt visibilia rerum divinarum signacula.* lib. 4. de baptismo c. 24: *Circumcisio est signaculum justitiae fidei.* Neque id diffitetur Bellarminus, excipit autem, *patres nequaquam hoc velle, quod sacramenta sint signacula divinarum promissionum, sed aliquo horum trium modorum loqui de signaculis. 1. Signacula vocant sacramenta, quia obsignant fideles et tanquam nota quadam eos separant ab iis, qui non sunt de grege vel de exercitu Domini.* Respondemus: aliud est nota et signum, quo fideles ab infidelibus distinguuntur, aliud signaculum fidei et promissionis divinae in ipsis fidelibus. Non negamus, secundarium hunc esse sacramentorum finem, quod sint notae confessionis ac notae atque tesserae ecclesiae, quam distinguunt ab aliis quibusvis coetibus, manet interim principalis ille finis sacramentorum, quod sint divinarum promissionum et fidei signacula. Recognoscat Bellarminus sua verba 1. de sacram. c. 15. §. Haec sententia: *Etsi* (inquit) *sacramenta illum usum habeant, quod distinguunt religionem veram a quibusdam falsis, tamen non est hic solus vel praecipuus sacramentorum usus. 2. Vocant sacramenta signacula, quia claudunt intra se rem sacram, hoc est invisibilem gratiam, id enim, quod clauditur, obsignari solet, ut Apoc. 5. liber signatus sigillis septem.* Respondemus: generalis illa mysteriorum ratio, quod rem sacram intra se clausam et opertam habeant, non opponenda est fini principali et primario sacramentorum, ideo enim sacramenta sunt divinae gratiae sigilla, quia eandem VIII. 310.
non solum offerunt et sano sensu clausam habent, sed etiam nobis obsignant et confirmant. Usus sigillorum non solum is est, quod literae illis claudantur, ne ab aliis legantur, sed praecipue etiam iste, quod ea, quae in literis continentur, obsignent et confirment, praesertim si patentibus, uti vocant, literis appendantur. Nec tam priori quam posteriori respectu sacramenta dicuntur sigilla. *3. Vocant baptismum sigillum atque obsignationem fidei, quia baptismus est publica approbatio et testificatio fidei ejus, qui baptizatur.* Respondemus: finis baptismi secundarius et minus principalis non debet opponi primario et principali. Est omnino baptismus nota professionis fidei respectu hominum, interim etiam *est interrogatio sive stipulatio bonae conscientiae erga Deum*, 1. Petr. 3, v. 21. est sigillum divinarum promissionum, quae ex vi relationis fidem nostram requirunt; proinde baptismus et sacramenta reliqua sunt obsignationes fidei nostrae et Dei. Dei, ut promittentis et exhibentis; fidei nostrae ut assentientis et fiducialiter apprehendentis. *4. Denique vocari potest baptismus sigillum fidei, quia perficit et absolvit quodammodo hominem fidelem.* Respondemus: ad perfectionem hominis fidelis etiam

hoc pertinet, ut habeat divinarum promissionum indubitatum sigillum ac testimonium, ac proinde in exceptionibus hisce perpetuus est elenchus oppositorum. Recognoscat Bellarminus sua verba lib. 2. de sacram. c. 8. rat. 5: *Sacramenta instituta sunt, ut nos certos reddant remissionis peccatorum et gratiae Dei. Ergo non solum operantur objective repraesentando, sed efficiendo re ipsa quod significant. Antecedens admittitur ab omnibus, sed maxime ab adversariis. Catholici enim docent, ex sacramentis gigni in nobis moralem quandam certitudinem remissionis peccatorum, non tamen infallibilem; at adversarii volunt, absolutam certitudinem gigni ex sacramentis.* Atqui si sacramenta instituta sunt, ut nos certos reddant de remissione peccatorum et gratia Dei, utique erunt divinarum promissionum et fidei nostrae signacula.

Argumenta Bellarmini, quod sacramenta non sint sigilla promissionum. 1. Essent efficaciora ad fidem quam ipsa Dei verba.

93. Videamus argumenta, quibus Bellarminus lib. 1. de sacram. c. 14. contra Chemnicium evincere conatur, sacramenta non esse sigilla promissionum gratiae obsignantia. *1. Si sacramenta confirmarent promissiones Dei instar miraculi vel sigilli, essent notiora et efficaciora ad fidem quam ipsa Dei verba. At nihil fingi potest majus et efficacius verbo; atque experientia docet, facilius intelligi, si quid verbo dicatur, quam si nutu significetur. Quid autem sunt sacramenta, si cum verbis comparentur, nisi nutus quidam?* Respondemus: argumentum hoc procedit ex falsa hypothesi, quae sacramentum pro externo tantum elemento accipit. Atqui requiritur quidem elementum externum ad quodlibet sacramentum, sed oportet, ut etiam accedat verbum juxta celebre illud D. Augustini dictum tr. 80. in Joh.: *Accedat verbum ad elementum et sit sacramentum*, unde D. Lutherus in qq. catecheticis: *Aqua simplex non est baptismus, sed verbum Dei cum aqua et aqua cum verbo baptismum constituunt.* Quod si hanc hypothesin probe tenemus, facile apparet, sacramenta esse certo respectu notiora et efficaciora nudo ac simplice verbo. Notiora sunt, quia non solum aurium sensui sese ingerunt, sed etinm signa visibilia in oculos incurrentia addunt; efficaciora sunt, quia per ea fit applicatio gratiae unicuique individuo, sicque fides nostra usu sacramentorum non leviter confirmatur et erigitur. Intelligenda autem illa efficacia respectu nostri. Quamvis enim promissiones Dei in verbo evangelii propositae sint certissimae, tamen ut a nobis recipiuntur respectu nostrae imbecillitatis, non ita certo acceptantur, nisi testimonio sacramentorum confirmentur. *At*, inquit Bellarminus, *cum sacramenta non sciantur esse Dei sigilla, nisi quia Scriptura hoc dicit, si creditur verbo sine sacramentis, quorsum sacramenta? si non creditur, certe nec sacramenta creduntur esse sacramenta, proinde nihil operantur.* Respondemus: opponuntur ea, quae
VIII. 311. sunt subordinata. Verbum Dei nos instruit de essentia et fructu sacramentorum, nihilominus sacramenta obsignant promissiones verbi, cujus ratio pendet ex ritibus visibilibus verbo additis et ex speciali sacramentorum applicatione. Quamvis enim generalis illa fides de veritate verbi divini omnino requiratur ad salutarem usum sacramentorum, ex eo tamen inferri nequit, specialem fidem de remissione peccatorum et gratia Dei non confirmari usu sacramentorum, cum in illis proponatur nobis verbum visibili ritu quasi vestitum, cumque in specie ad nos fiat applicatio eorum, quae in genere verbum Dei offert ac promittit. D. Mylius in explicat. August. conf. art. 13. de usu sacram. p. 183: *Aliud sunt fidei initia, aliud progressus ejusdem; aliud primitiae, aliud incrementa et robur ejusdem. Jam si, ut Chrysostomus loquitur, angeli essemus, quibus vel praeter verbum nullo signo opus esset, vel quorum fides nullis adversitatum aut infirmitatum quassaretur procellis, ex verbo utraque simul acquirerentur. Nunc et sensuum adminiculis in hac vita mens nostra vehementer indiget et carnis infirmitatibus fides nostra atque afflictionum procellis magnopere quatitur et privatae atque ad individuum personae pertinentis gratiae cura non raro angitur; tum ergo primitias quidem fidei homo retinet, incrementa autem quaerit ex usu sacramenti. Accedit ergo hac ratione ad usum sacramenti fides, sed languidior, infirmior, consternatior; ibidem vero alitur, ut fiat confirmatior et vegetior.* *2. Nuspiam in propria institutionis sede sacramenta dicuntur testimonia promissionum, sed ubique describuntur ut instrumenta justificationis.* Respondemus: utrumque verum est, sacramenta esse efficacia media remissionis peccatorum, justificationis, salutis etc. eademque esse sigilla divinarum promissionum, repetimus igitur argumenta superius pro confirmatione nostrae sententiae in medium allata. Donatio Spiritus sancti certe medium est, per quod divina beneficia nobis contingunt, nihilo tamen minus Spiritus sanctus dicitur *arrha et pignus nostrae hereditatis*, 2. Cor. 1, v. 22. Ephes. 1, v. 14. dicimur *obsignari Spiritu sancto*, 2. Cor. 1, v. 21. Ephes. 4, v. 30. *3. Si sacramenta essent solum testimonia promissionis et gratiae, vel supervacanea vel certe parum necessaria essent. Nam habemus alia testimonia longe efficaciora, siquidem bona opera sunt testimonia adeptae justitiae longe meliora quam ablutio aquae vel sumtio eucharistiae.* Respondemus: nequaquam dicimus, esse hunc unicum sacramentorum finem, quod sint promissionum divinarum sigilla et testimonia, sed conjungimus finem alterum principalem, quod sint media divinam gratiam, remissionem peccatorum et salutem aeternam exhibentia, conferentia et applicantia fide scilicet ea utentibus. Ex bonis operibus testimonium fidei et internae renovationis a posteriori peti posse non negamus, sed unum testimonii genus ex parte nostra non excludit alterum, quod ex institutione Dei est promissionum divinarum signaculum et fidei nostrae confirmandae medium a priori. Quodsi nullam nisi ex operibus fidei justificantis superest testimonium et confirmandae illius medium, quid fiet in gravissimis illis tentationibus, quibus vere pii ut plurimum sunt obnoxii? De quibus

2. Sacramenta nuspiam in propria institutionis sede dicuntur testimonia promissionum.

3. Sequeretur, quod sint supervacanea vel parum necessaria.

supercilioso illi hominum generi propriae justitiae persuasione turgido parum constat, in illis anima hominis tentati non invenit bonorum operum testimonium, ibi vero deducendus homo tentatus ad promissiones evangelicas in verbo oblatas et sacramentis velut sigillis confirmatas, ut ex desperationis barathro eluctetur.

4. Frustra baptizarentur infantes et amentes.

4. Si sacramenta solum essent testimonia promissionum ad excitandam fidem instituta, frustra baptizarentur infantes et amentes, quos certum est non posse actu credere. Respondemus: De fide infantum suus erit dicendi locus, hac vice repetimus, sacramenta non esse solum testimonia divinarum promissionum objectiva repraesentatione

VIII. 312.

fidem excitantia (quam sententiam Bellarminus nobis tribuit), sed etiam efficacia et salutaria media per quae Spiritus sanctus fidem in cordibus operatur et divinam gratiam offert ac credentibus vere applicat et confert.

5. Saepenumero essent falsa testimonia.

5. Si sacramenta essent testimonia gratiae, quae in particulari alicui confertur, saepenumero falsa essent, nimirum cum sacramentum ministratur homini, qui fingit se credere, cum revera non credat. Respondemus: *Hominum incredulitas Dei veritatem et fidem non evertit,* Rom. 3, v. 3. *Si enim non credimus, ille fidelis permanet, seipsum negare non potest,* 2. Tim. 2, v. 13. Proinde homini incredulitas et hypocrisis integritati sacramentorum nihil quicquam derogat, atque inde est, quod illi, qui in impoenitentia et hypocrisi sua baptizantur, si postea convertuntur, novo non indigeant baptismo, nimirum quia baptismus non desinit esse integer et verus, si vel maxime per hominum impoenitentiam et incredulitatem salutaris ejus fructus impediatur. Hujus responsionis veritatem ipse Bellarminus agnoscere cogitur, disputat enim, sacramenta N. T. conferre gratiam ex opere operato; interim tamen negare non potest, multos uti sacramentis, qui tamen non fiunt actu participes illius gratiae, imo ad judicium suum sacramentis uti, agnoscat igitur, sacramenta non desinere esse quod sunt, quamvis hominum impoenitentia et incredulitas salutarem eorum efficaciam impediant. Hinc facile judicari potest, quid statuendum sit de eo, quod Bellarminus hoc loco disputat, *sacramenta esse ex nostra hypothesi absoluta, non autem conditionata gratiae testimonia.* Sacramenta in sese ac respectu Dei offerentis semper sunt media et testimonia gratiae, sive homo credat, sive non credat; sed respectu nostri non sunt media et testimonia gratiae, nisi accedat fides oblata in verbo et sacramentis bona apprehendens, id est sacramenta sine fide sunt vera et integra, non autem salutaria, sunt et manent quod dicuntur, nequaquam vero prosunt.

Secundarii ac minus principales fines sacramentorum.

94. Atque haec dicta sint de principali ac primario sacramentorum fine, eodemque gemino, quod scilicet sint organa, media et ὀχήματα, per quae Deus offert, exhibet et credentibus applicat promissionem evangelii propriam de remissione peccatorum, justitia et vita aeterna; et quod sint signacula et sigilla divinae gratiae confirmandae in nobis fidei ergo instituta. **Finis sacramenti minus principalis in genere est quadruplex: 1. Discriminans, sacramenta namque sunt etiam symbola confessionis, notae et tesserae ecclesiae. 2. Disciplinae conservans, sacramenta sunt publicorum congressuum nervi. 3. Obligans, sacramentis obligamur Deo ad fidem et obedientiam. 4. Informans, sacramenta sunt typi et simulacra virtutum: baptismus mortificationis veteris Adami Rom. 6, v. 3. eucharistia mutuae dilectionis 1. Cor. 10, v. 17.** Secundarii et minus principales sacramentorum fines enumerari possunt complures, utpote: 1. Quod sint symbola confessionis, notae ac tesserae ecclesiae, quibus populus Dei ab aliis coetibus distinguitur. Sicut Deus se ipsum ab idolis gentilium distinguit, ita etiam ecclesiam suam a coetibus idololatricis vult esse distinctam; sicut milites tesseris et oves ex notis impressis dignoscuntur, ita Deus ecclesiam certis notis voluit esse insignitam. 2. Quod sint nervi publicorum congressuum, ut enim praedicatio verbi, ita quoque administratio sacramentorum est pars publici ministerii, ideoque non nisi in casu necessitatis privatim peragi debet. Referendum huc, quod Augustinus lib. 19. contra Faustum c. 14. scribit, *homines in nullum unquam religionis nomen absque sacramentis convenisse.* 3. Quod sint velut oppignorationes, quibus Deo ad fidem et obedientiam adstringimur. 4. Quod sint typi ac simulacra virtutum, praecipue dilectionis. Sic baptismus significat mortificationem veteris Adami et resurrectionem novi hominis Rom. 6, v. 3. sacra Domini coena est symbolum concordiae, *unum enim corpus sumus, qui* VIII. 313.
de uno pane participamus, 1. Cor. 10, v. 17. etc. Lombardus 4. sent. dist. 1. lit. c. sacramenta dicit esse instituta *propter humiliationem, eruditionem et exercitatinnem. Propter humiliationem quidem, ut dum homo in sensibilibus rebus, quae natura infra ipsum sunt, ex praecepto creatoris se reverendo subjicit, ex hac humilitate et obedientia Deo magis placeat et apud eum mereatur, cujus imperio salutem quaerit in inferioribus se, etsi non ab illis, sed per illa a Deo. Propter eruditionem etiam instituta sunt, ut per id, quod foris in specie visibili cernitur, ad invisibilem virtutem, quae intus est, cognoscendam mens erudiatur; homo enim, qui ante peccatum sine medio Deum videbat, per peccatum adeo hebetatus est, ut nequaquam divina queat capere nisi humanis exercitatus. Propter exercitationem similiter instituta sunt, quia cum homo otiosus esse non possit, proponitur ei utilis et salubris exercitatio in sacramentis, qua vanam et noxiam declinet occupationem* etc. Quibus similia ex Thoma et Bonaventura paulo post proferemus etc. (Atqui non propter humilitatis exercitium, sed propter fidei confirmationem potissimum instituta sunt sacramenta, cujus finis utpote principalis mentio non erat omittenda.) Sed haec omnia ex speciali cujusque sacramenti explicatione petenda et illustranda sunt.

An sacramenta quaedam

95. Ad generales sacramentorum fines referunt Scholastici, quod quaedam sacramenta imprimant

Inprimant characterem.

animae characterem, quem nos nec Scripturae testimoniis nec rationibus evidentibus probari posse dicimus. Quamvis enim 1. non negemus, baptismum a sacra coena etiam per hoc adjunctum distingui, quod ille semel tantum, haec autem saepius eidem homini ministretur, tamen causam hujus rei non quaerimus in tali quodam charactere, qualem Pontificii statuunt, sed in divina institutione ac propria horum sacramentorum natura atque fine. 2. Quamvis etiam non negemus, internam Christi gratiam, quae signum aliquod spirituale et character animae impressus sano sensu dici possit, per sacramenta fidelibus conferri et obsignari, tamen non magis ex uno, quam ex alio quovis sacramento, energiam seu qualitatem illam spiritualem proficisci existimamus. Placet igitur nobis illud Bielis lib. 4. sent. dist. 6. q. 2: *Nomen character non est multum usitatum in Scriptura nec apud originales scriptores*, ex quo postea format hanc conclusionem: *Characterem esse ponendum, nec ratio necessaria demonstrat, nec evidens auctoritas probat. Omnes namque auctoritates ex Dionysio, Augustino, Damasceno, Magistro (Lombardo) adductae vere et magis pertinenter ad mentem ponentium exponuntur de baptismatis sacramento aut forma sacramentali, quam de aliquo realiter animae impresso.* Item *illud, quod solum dependet ex voluntate divina contingenter et libere causante, non potest probari ratione naturali esse vel non esse nisi sola experientia; nulla autem experientia probat characterem esse, quia omnia quae illi attribuuntur, aeque solvuntur sine charactere, sicut cum charactere. Item omnia illa inveniuntur in eucharistia et circumcisione.* Huc referenda sunt ea quae Bellarminus lib. 2. de sacram. c. 19. propos. 2. ex Durando scribit: *Durandus* (ait) *docet, characterem esse ens rationis, id est respectum advenientem ex deputatione ad certum officium, qualis est relatio in doctoribus, praetoribus* etc. *quae sententia vix distinguitur ab haeresi hujus temporis* etc. *Haeretici enim non negant, quin sit aliqua rationis relatio in ministris, quae non sit in aliis, qui non sunt deputati ad ministrandum.* Scotus in 4. sent. dist. 6. q. 9. agnoscit, *de charactere in sacris literis nulla exstare testimonia*, interim tamen ob ecclesiae auctoritatem credendum putat.

Sententia Scholasticorum de charactere. VIII. 314. VIII. 315.

96. Ceterum de charactere sic disputant Scholastici: 1. Quod sit spiritualis quaedam qualitas animae. 2. Quod in tribus tantum sacramentis imprimatur, videlicet in baptismo, confirmatione et ordine; rationem addunt hanc, quia character est quaedam spiritualis potestas ad agendum aliquid secundum certum statum, jam vero saltem tria illa sacramenta ponunt hominem ad certum statum, ad aliquod spirituale exercitium. 3. Quod detur ad significandum, cum sit signum sacramentale ad disponendum, quia disponit ad gratiam gratum facientem, ad assimilandum, quia configurat nos Christo et ad distinguendum, quia ab aliis hominem distinguit. 4. Quod character ille sit indelebilis. Dissentiunt autem 1. de quidditate characteris. Alexander Alensis 4. sent. dist. 6. varias opiniones recitat, ipse eam amplectitur, quod sit qualitas absoluta, quem sequuntur Thomas et Bonaventura. Monet autem Thomas p. 3. q. 63. art. 2. quosdam posuisse, quod character sit in quarta specie qualitatis, quosdam, quod sit in prima. Plures opiniones recenset Bonaventura sic enim scribit. 4. sent. dist. 6. q. 1: *Dixerunt aliqui, quod characteristicatio non est aliud quam consignatio et character idem est quod signum, et hoc signum nihil addit supra potentias animae, quod sit quidam absolutum, sicut nec est signatio in circulo, unde est pura relatio* (intelligit autem Bonaventura Durandum, qui in 4. sent. dist. 4. q. 1. dicit: *Character non est aliquid reale distinctum ab anima, sed solus rationis respectus.* Scotus vult esse *relationem realem), sed illud non potest stare, quia character dicit aliquam assimilationem et configurationem ad Christum, sed illa assimilatio fundatur super qualitatem* etc. *Propterea dixerunt aliqui, quod etsi character dicat relationem, dicat nihilominus qualitatem aliquam, super quam fundatur, ideo posuerunt characterem in secunda specie qualitatis. Sed illud non potest stare, quia ista est naturalis potentia vel impotentia, quae consequitur naturam. Praeterea alii dixerunt, quod character non tantum sit ad disponendum, sed etiam ad distinguendum, ideoque sit passibilis quaedam qualitas in tertia specie qualitatis. Sed illud non potest stare, quia non dicitur passibilis qualitas, quae infert passionem sensui interiori vel intellectui. Alii dixerunt, quod character importet quandam configurationem, ideoque sit in quarta specie qualitatis, quae est forma et circa hoc aliquid constans est figura. Sed istud non videtur posse stare, quia configuratio in spiritualibus non est similis terminorum clausioni, sed est similitudinis impressio. Alii ergo dixerunt, quod non sit in specie quadam qualitatis, sed qualitas infusa. Sed hoc videtur quaerere fugam* etc. *Dicendum igitur, quod character sit habitus non quidem proprie prout distinguitur contra dispositionem, sed communiter prout utrumque comprehendit, scilicet omnem qualitatem animae disponentem sive facile mobilem sive difficile, sive perfectam sive imperfectam. Character enim quia est perpetuus, ideo est habitus; quia non perficit, sed disponit ad ulteriorem perfectionem gratiae, ideo est dispositio.* Haec omnia Bonaventura, quibus non obstantibus disputat Biel l. d. *aeque probabiliter defendi posse, quod character sit relatio quaedam, quam quod sit absoluta quaedam qualitas.* 2. Dissentiunt etiam de subjecto characteris. Quidam enim dixerunt, quod character sit in tota anima; quidam, quod in cognitiva propter rationem signandi; quidam, quod sit in voluntate, quia disponit ad caritatem; quidam, quod in tota imagine propter rationem configurandi, quod amplectitur Bonaventura dicto loco q. 3. Sed Thomas p. 3. q. 63. art. 4. contra statuit, *subjectum recipiens characteris non esse animae potentiam, sed ejus essentiam.* 3. De causis excogitati characteris Biel 4. sent. dist. 6.

q. 2. art. 3. *Quod non imprimatur character, nisi per sacramentum sensibile, ejus finalis ratio non* VIII. 316. *est nisi institutio divina, sed unde illa institutio cognoscatur seu revelata sit, non est certum, sicut omnia de charactere dicta magna ex parte voluntaria sunt et modica ratione fulcita.* Thomas igitur p. 3. q. 63. art. 1. producit hanc rationem: *Sacramenta novae legis ordinantur ad remedium contra peccata, deinde ad perficiendam animam in his, quae pertinent ad cultum Dei, quicunque autem ad aliquid certum deputatur, consuevit ad istud consignari, sicut milites olim corporalibus characteribus insigniri solebant, jam vero homines per sacramenta deputantur ad aliquid spirituale.* Scotus hanc excogitavit rationem: *Congruum est ad formam perfectam supernaturalem ponere aliquam dispositionem naturalem ex parte subjecti recipientis, jam vero gratia est forma supernaturalis perfecta sufficiens ad salutem.* Sed (inquit Biel) *congruitas haec etiam locum habet in sacramento poenitentiae.* Alii dicunt: *Congruum est, Deum non instituisse sacramenta sua vana, praesertim in nova lege, ergo congruit, quod semper sacramenta sua habent aliquem effectum in suscipiente, sed non semper habent gratiam. Ergo alium scilicet impressionem characteris.* Sed (inquit Biel) *ista congruitas habet locum in omni sacramento.* Alii dicunt, congruum esse, ut receptus in familiam Christi distinguatur a non recepto per aliquid intrinsecum permanens in eo, quia licet Christus posset distinguere, tamen perfectior est distinctio in se et comparatione ad omnem ecclesiam militantem et triumphantem. *Atqui Christus* (inquit Biel) *non indiget charactere isto, quia sine eo cognoscit baptizatum, neque ecclesia, quia est invisibilis.* Auctoritas aliqua de charactere habetur c. Majores extr. de baptismo. *Illa sola* (inquit Biel) *aliquid facit, licet posset exponi, quod per characterem intelligatur ipsum sacramentum.* Postea recte disputat initerabilitatis sacramentorum causam non esse characteris impressionem, sed divinam institutionem, *quia*, inquit, *minus manifestum est characterem esse, quam baptismum iterari non posse, secundum enim ab institutione baptismi fuit certum, primum hodie nondum evidenter est certum. Praeterea qui sacramenta instituit, eo modo instituit, quo voluit, causa autem voluntatis divinae non est inquirenda.* Concludit tandem Biel art. 3. dub. 1. *Magis consonare determinationi ecclesiae quae non potest errare, characterem ponere; esse etiam insuper pro eo aliquas congruentias. Cui non placet haec solutio* (inquit), *quaerat aliam.* Argute! 4. De effectibus characteris diversimode scribunt. Alexander Alensis p. 4. q. 19. membr. 2. notat, quod plures sint effectus. Occam in 4. q. 2. reducit ad *sex: primo est signum gratiae non ex natura, sed ex institutione divina; secundo est signum configurativum Christo et ceteris characterem habentibus, Christo configurat, quia per ipsum habens characterem ascribitur familiae Christi, etiam configurat Christo per imitationem, quia disponit ad gratiam, in qua est similitudo creaturae ad creatorem sufficiens, licet non perfecte; tertio distinguit ab aliis rem talem non habentibus; quarto disponit ad gratiam sacramenti, per quod imprimitur; quinto est signum rememorativum sacramenti; sexto est signum obligativum ad observantiam divinae legis.* 5. De causis, propter quas character ille sit indelebilis varie disputant. Alexander Alensis lib. de membr. 5. rationem petit a posteriori: *Non deletur ille character virtute creata, quia est forma supernaturalis a Deo solo, neque a Deo, quia nihil donorum suorum tollit nisi per demeritum, sed respectu characteris nullum est demeritum, quia actu mortaliter peccanti imprimitur.* Thomas p. 3. q. 63. art. 4. aliam assignat rationem: *Quia character* (inquit) *est quaedam participatio sacerdotii Christi in fidelibus, quod est aeternum.* Bonaventura 4. sent. dist. 6. q. 5: *Communis opinio est, quod character est proprietas indelebilis. Sed in hujus indelebilitatis causa differenter sentiunt diversi. Quidam enim dicunt, quod quia character est in anima secundum substantiam vel essentiam et ipsa est perpetua et invariabilis, ideo et character. Sed istud supra improbatum. Alii dicunt, quod quia est in anima secundum potentiam cognitivam, quae non subjacet variabilitati ut voluntas, ideo etiam est* VIII. 317. *invariabilis. Sed hoc non valet, quia per ignorantiam expelluntur habitus cognitivi, sed non character. Tertii dicunt, quod sicut ex matrimonii obligatione contrahitur vinculum indissolubile, quamdiu vivitur, ita ex consimili in susceptione sacramentorum, quia ibi est quoddam matrimonium spirituale, ideo character semper durat. Sed quamvis istud dici posset de baptismo, non tamen in aliis sacramentis. Dicendum igitur, quod perpetuitas characteris principaliter sumitur ab ejus conditione et natura, est enim habitus infusus impressus ad distinguendum, cui indirectio vel obliquatio potentiae non repugnat, quare cum character sit proprietas exsistens in subjecto perpetuo, in quo non potest habere repugnantiam, ideo ejus impressio est perpetua.* Haec isti; rectius dixissent, characterem esse indelebilem, quia nunquam scribitur. 6. Dissentiunt in eo, an circumcisio impresserit characterem. Scotus 4. sent. dist. 6. q. 9. affirmat addita hac ratione, quia *ita circumcisio erat prima salutis janua in lege Mosaica, sicut baptismus in nova.* Sed Alensis, Thomas, Bonaventura, Paludanus etc. negant, quia *circumcisio fuit sacramentum V. T. cujus sacramenta fuerunt sacramenta carnalia, characterem autem esse signum spirituale.* Item consequens fore, *circumcisum non posse baptizari.* Biel 4. sent. dist. 7. q. 2. art. 3. dub. 5. statuit, *utrumque dici posse, cum pro nulla parte sint rationes necessariae, sed tantum persuasivas et debiles, sicut in tota ista materia, de charactere.* 7. Disputant etiam de personis, quibus per sacramenta talis character imprimitur. Si enim quaeras, an Christo in baptismo sit impressus, id negant, quia *Johannis baptismus non impresserit characterem*

et quia Christus ab instanti conceptionis habuerit plenitudinem omnis potestatis. Si quaeras, an Mariae per baptismum impressus fuerit character, respondent itidem, quod non, *cum baptismus nihil gratiae ei contulerit, quippe quae in conceptione omnem gratiam fuerit consecuta;* quibusdam tamen et inter hos Bieli videtur aeque probabile, quod characterem receperit.

Bellarmini sententia de charactere. 97. Bellarminus lib. 2. de sacrament. c. 19. de charactere has format propositiones: *1. Quod sit signum aliquod spirituale animae in quibusdam sacramentis impressum. 2. Quod non sit relatio, sed absoluta qualitas. 3. Quod tria habeat officia, aptum scilicet facere ad cultum divinum, configurare Christo et distinguere ab aliis. 4. Quod sit in sola anima tanquam in subjecto. 5. Quod sit indelebilis. 6. Quod in tribus tantum sacramentis imprimatur, in baptismo scilicet, confirmatione et ordine. 7. Quod nec circumcisio nec ullum sacramentum veteris legis impresserit characterem in anima. 8. Quod nullus in Christo character fuerit creatus.* Has propositiones tanquam certas et indubitatas Bellarminus proponit, interim tamen inficiari haud
VIII. 318. potest, varias, imo etiam contrarias Scholasticorum opiniones de illis ipsis haberi, ut ex illis, quae §. proxime praecedente diximus, intelligi potest. Cap. 20. ex Scripturis characterem probare nititur. Protestatur autem, *1. non esse mirandum, si non inveniantur tot et tam expressa testimonia de charactere, sicut de gratia, cum gratia sit effectus principalis, character secundarius; cum gratia sit effectus omnium sacramentorum, character aliquorum tantum, ac proinde vera ratio sacramenti possit sine charactere consistere* (quod probe notari jubemus, si enim veritas et integritas sacramentorum sine charactere consistit, cur de eo magnopere laboramus?) *denique cum notitia gratiae magis sit necessaria quam characteris. 2. Non deesse quidem loca Scripturae, ex quibus posset colligi character, sed tamen adjungendam esse explicationem patrum et ecclesiae* (hoc est pontificis Romani, ut docet ultima resolutio gloriosi illius nominis). Ex quo intelligi potest, qualia et quam firma Scripturarum testimonia pro adstruendo charactere sint exspectanda. Videamus tamen, quae sint illa emendicata a Scripturis suffragia.

Argumenta pro charactere. 1. 2.Cor.1: Qui unxit nos Deus et signavit nos etc. 98. Producit 1. haec testimonia 2. Cor. 1: *Qui unxit nos Deus et signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Eph. 1: *In quo et credentes signati estis Spiritu promissionis s. qui est pignus hereditatis.* Eph. 4: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemtionis.* Respondemus: 1. quot alembicis opus foret, ut ex hisce dictis talis character, qualem Bellarminus modo descripsit, eliquari possit, cum nec nomen nec res illius characteris in his dictis contineatur? 2. Repetimus igitur verba Bielis: *Characterem esse ponendum nec ratio necessaria demonstrat, nec evidens auctoritas* (Scripturae vel patrum) *probat.* 3. Dicta apostolica in medium allata diserte et perspicue loquuntur de Spiritu s. qui datur credentibus *et facit eos reges et sacerdotes coram Deo*, Apoc. 1, v. 6. sicut in V. T. reges et sacerdotes externo oleo consecrabantur, qui a capite Christo in membra corporis ipsius mystici descendit, sicut in V. T. *unguentum a capite Aaronis descendebat super oram vestimentorum ejus* Ps. 133, v. 2. *qui est unctio docens nos de omnibus, ut simus θεοδίδακτοι* Esa. 54, v. 13. Joh. 6, v. 45. 1. Joh. 2, v. 27. sicut prophetae in V. T. hunc internum doctorem habebant; quo respectu dicimur ungi Spiritu sancto. Sed et idem *Spiritus dat testimonium spiritui nostro, quod simus filii Dei*, Rom. 8, v. 16. et hac ratione obsignat corda nostra ac certos nos reddit de divina gratia, ut fiducialiter clamare possimus abba pater Galat. 4, v. 6. quo respectu dicimur *signati Spiritu sancto.* Idem Spiritus est *arrha et pignus hereditatis nostrae*, quemadmodum enim sponsae arrha sive arrhabo datur, ut de amore sponsi et nuptiis futuris confirmetur; ita quoque Spiritus sanctus in corde piorum testatur de dilectione coelestis sponsi, a quo olim ad coelestes nuptias sint introducendi, Apoc. 19, v. 7. 4. Ab hac explicatione non dissentit, quod quidam dicunt, haec Scripturae testimonia intelligenda esse de obsignatione promissionum, quam Spiritus s. in corda fidelium imprimit, ut fides magis magisque confirmetur, quia Spiritus sanctus ea ratione ac modo nos de Dei gratia, υἱοθεσίᾳ et salute aeterna confirmat, ut promissiones evangelicas, in quibus haec summa beneficia offeruntur, nobis applicet easdemque ad nos in specie pertinere testetur. 5. Frustra igitur Bellarminus regerit, *apostolum semper dicere, nos obsignari, non autem promissiones nobis factas;* at subordinata haec sunt, dum enim promissiones sigillo Spiritus sancti credentibus obsignantur, simul etiam ipse homo credens obsignatur, hoc est certus redditur de promissionibus divinis sicut, Joh. 3, v. 33. dicitur: *Qui accepit testimonium ejus, signavit, quia Deus verax est*, dum scilicet verbis et promissionibus divinis fidem adhibet. 6. Ex quibus omnibus manifeste apparet, haec Scripturae dicta esse a proposita quaestione aliena, quia de solis credentibus accipienda sunt, ut per se patet, at Bellarminus characterem illum VIII. 319.
suum inprimi dicit omnibus, qui baptizantur, confirmantur et ordinantur, sive credant sive non credant. Sic enim scribit in hoc capite: *Multi cum charactere damnabuntur et multi sine charactere salvabuntur. At omnes salvantur, qui signantur Christi cruce, id est quibus applicatur meritum crucifixi, cujus figura est signum crucis* etc. 7. Testimonium illud Spiritus sancti internum, de quo apostolus in his dictis loquitur, fuit etiam in piis veteribus; jam vero negat Bellarminus, sacramenta V. T. impressisse characterem. 8. Sed et principium petitur in argumento Bellarmini. Credentes obsignantur Spiritu sancto, id est Spiritus sanctus effunditur in corda credentium ac testimonium dat spiritui ipsorum, quod sint filii Dei et heredes vitae aeternae. Ergo obsignatio illa fit mediante tali charactere. At-

qui probandus erat prius iste character. 9. Ex nuda appellatione signi nimis jejuna est concludendi ratio in hoc argumento; quia omnia sacramenta sunt signa, ut Bellarminus concedit, nec tamen omnia imprimunt characterem docente eodem. 10. Vox ἀπολυτρώσεως in loco Eph. 4, v. 30. admodum coacte exponitur de die regenerationis per baptismum, quia apostolus dicit, credentes esse signatos Spiritu sancto usque ad diem redemtionis, id est Spiritum sanctum esse in ipsis instar sigilli, quo Deus illos confirmet, quod ab omni malo eos tandem liberaturus sit et corpora ipsorum ad beatam immortalitatem resuscitaturus. 11. Si vel maxime omnia illa, quae Bellarminus ex his dictis apostolicis exsculpere conatur, per summam liberalitatem concederentur (scilicet locum 2. Cor. 1. accipiendum esse de charactere in confirmatione, textus Ephes. 1. et 4. de charactere in baptismo impresso) nondum tamen evictus foret ille character; quia in baptismo et confirmatione illum imprimi tantum probaretur, sed quid fiet de ordine, in quo itidem illum imprimi docent?

2. Circumcisio relinquebat characterem in corpore.

99. Secundo loco producit Bellarminus *figuram et vaticinium V. T. Circumcisio fuit figura baptismi. At ille relinquebat in corpore quoddam cauterium magis quo praefiguratus fuit character in anima baptizati. Vaticinium habetur Esa. 66: Omnes gentes et linguae venient et videbunt gloriam meam et ponam in eis signum.* Respondemus: Si ex circumcisione (figura baptismi) petitur probatio hujus characteris, consequens fuerit, in solo baptismo eum imprimi, aut argumentum probans erat angustius quaestione probanda. 2. Figurae nihil probant, nisi ex sensu literali firmum prius propositum sit fundamentum. Recognoscat Bellarminus sua verba lib. 3. de verbo Dei c. 3. *ex solo sensu literali ducuntur firma et apodictica argumenta.* 3. Per signum Esa. 66. fatetur Bellarminus signum crucis intelligi posse, quod in credentibus ponitur, quando per fidem meritum Christi crucifixi eis applicatur. 4. Addimus autem, locum illum de praedicatione ac divulgatione evangelii in toto orbe rectissime exponi hoc sensu, sicut in portubus ad mare collocatur aliquod conspicuum signum ad quod nautae cursum suum dirigunt; ita erigam vexillum evangelii, ut ad illud cursum suum Judaei et gentes dirigere atque ad portum salutis appellere possint, quam explicationem confirmant sequentia. *Emittam ex eis qui salvati fuerint ad gentes in mari* etc. Sic Esa. 11, v. 10: *in die illa radix Jesse*, id est surculus natus ex radice Jesse *stabit in signum populorum*, id est Christus in evangelio publice propositus erit instar vexilli erecti, ad quod populi certatim confluent. Lyranus accipit de signo crucis, quod apparebit in die judicii, cum in praecedentibus verbis de extremo judicio agatur.

3. Exod. 12: Signantur postes.

100. Tertio loco Bellarminus reprehendit alios Papistas, qui huc trahunt figuram agni paschalis Exod. 12. ubi *signantur postes et superliminaria sanguine agni.* Item vaticinium Ezech. 9: *Signa*
VIII. 320. *thau in frontibus gementium*, haec enim loca de signo crucis rectius exponi dicit. Mirum vero, quod omiserit locum omnibus ferme Scholasticis in hac materia πολυθρύλλητον Ps. 4, v. 1: *Signatum est super nos lumen vultus tui.* Atqui David loquitur de piis in V. T. quos charactere illo destitutos fuisse ipsimet Scholastici plerique omnes docent, Hebraea veritas sic habet: *Leva vel extolle super nos lumen vultus tui*, uti etiam Hieronymus vertit, id est declara erga nos gratiam benevolentiae tuae, accende nobis lucem verbi, ut veritatem in tenebris hujus seculi perspiciamus, nec fallacibus terrenae vitae bonis adhaerescamus etc. Quae ex patribus c. 21. Bellarminus producit, ad illa respondemus verbis Bielis: *Omnes auctoritates ex veteribus adductae vere et magis pertinenter ad mentem ponentium exponuntur de baptismatis sacramento aut forma sacramentali quam de aliquo realiter animae impresso.* Formetur enim integra definitio characteris et applicentur ad eam dicta patrum, tum liquido apparebit, ex vetustioribus scriptoribus parum roboris characteri accedere. *Dicunt, Spiritum sanctum nos obsignare in baptismo, baptismum formare hominem ad alia sacramenta, Deum dare tesseras militantibus signatos nos esse Dei Spiritu* etc. quae omnia non inviti recipimus, inde autem nondum potest formari character ille, pro quo Bellarminus pugnat characteris nomine. 1. Quandoque designant ritum ipsum ac formam baptismi. Augustinus de gestis cum Emerito: *Attendo fidem in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti, iste est character imperatoris mei, de isto charactere militibus suis vel potius comitibus suis, ut hunc imprimerent iis, quos congregabant castris ejus, praecipit dicens: Ite, baptizate* etc. 2. Quandoque donum et gratiam Spiritus sancti; Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto c. 6: *Spiritu signamur, ut splendorem et imaginem ejus et gratiam tenere possimus, quod est utique spirituale signaculum.* Vide etiam Theodoretum, Primasium, Anselmum, Theophylactum in 2. Cor. 1. Ne ipse quidem Lombardus characteris mentionem facit in tali quidem significatione et sententia, qua usurpatur Scholasticis. Quod enim dicit, eos, qui ab haereticis servato Christi charactere baptizati sunt, non esse rebaptizandos, intelligit formam verborum baptismi a Christo traditam. Biel ergo dicit, *unam solummodo auctoritatem esse, quae aliquid faciat pro charactere,* quod scilicet Innocentius III. in c. Majores extra de bapt. et ejus effect. *de impressione characteris in baptismo loqui videatur, sed et illum ipsum locum dicit posse aliter intelligi, cum quidem etiam glossa ibi tale dicat de charactere.* Addit autem Dn. Chemnicius, ex auctore isto (Innocentio) colligi posse, quale sit dogma de charactere. Bellarminus regerit, *fuisse unum ex laudatissimis pontificibus;* at qualis fuerit, tamen auctor decretalium exstitit, de quibus jam olim tritum sermone proverbium, quod recitat Duarenus in praefatione de beneficiis et minister. eccles. *male actum esse cum rebus humanis, cum decretis alae accesserint;* ut interim nil dicamus de eo, quod auctoritatem imperatoriam proculca-

verit et variis bellis orbem terrarum concusserit, quae Bellarmino videntur leviora.

Rationes pro charactere. 1. Deus infundendo certas qualitates ad sacramenta vel officia homines deputat.

101. Cap. 22. producit Bellarminus agmen rationum, videamus quid illis insit roboris. *1. Deus cum diligit, diligendo facit bonum et pulchrum infundendo gratiam; et cum vult sibi credi, in se sperari, se diligi, infundit habitum fidei, spei et caritatis. Igitur eodem modo credibile est, cum Deus aliquem deputat et consecrat ad sacramenta vel danda vel recipienda, vel alia ministeria, quod id non faciat per simplicem deputationem, ut homines facere solent, sed infundendo certas qualitates, quibus illi fiant apti et idonei ad talia officia, vel ministeria, et eas qualitates vocamus characteres.* Respondemus: 1. repetimus ex Biele, quod nulla proferri possit ratio necessaria, quae demonstret, imprimi characterem, cum omnia, quae attribuuntur characteri, aeque possint solvi sine charactere,
VIII. 321. sicut cum charactere. 2. Quid deceat Deum facere in sacramentorum dispensatione, discitur ex institutione divina, non ex imaginatione humana. 3. Per sacramentum poenitentiae itidem disponitur homo ad eucharistiam. Ergo ex hypothesi hujus argumenti etiam poenitentiae sacramento imprimetur talis character. 4. Dona illa, quae per salutarem usum sacramentorum Spiritus sanctus distribuit (quas Bellarminus infusas qualitates vocat) possunt iterum amitti et per peccata contra conscientiam re ipsa amittuntur, jam vero de charactere suo dicunt, quod sit indelebilis. 5. Characterem suum vocant signum, signi proprium est signare, at qualitates illae sunt internae, quid ergo signant? Recte igitur Biel: *Nec Christus indiget charactere isto, quia sine eo cognoscit baptizatum, nec ecclesia, quia est invisibilis.*

2. Baptismus etiam sine fide susceptus aliquid sacramentale confert.

102. 2. *Baptismus confert aliquid sacramentale, etiamsi sine fide detur et percipiatur. Ergo confert aliquem effectum sacramentalem praeter gratiam, quae non datur sine fide.* Respondemus: 1. Qui sint veri effectus baptismi, exponitur suo loco; proinde non sequitur: Baptismus confert aliquid sacramentale. Ergo imprimit characterem; quidnam enim sit illud sacramentale, discendum est ex Scripturis. 2. Scholastici argumentum formant hoc modo: Congruum est, Deum non instituisse sacramenta sua vana, praesertim in nova lege. Ergo congruit, quod sacramenta novae legis semper habeant aliquem effectum in suscipiente. Jam vero non semper habent gratiam. Ergo alium scilicet characterem. Sed recte respondet Biel, *hanc congruitatem locum habere in omni sacramento, cum tamen tribus tantum sacramentis impressio illius characteris tribuatur.* 3. *At*, inquit Bellarminus, *non repetitur baptismus etiam sine fide suscipientis administratus, sicut sacramenta reliqua.* Respondemus: etiam extrema unctio non repetitur denuo, in qua tamen characterem imprimi non concedunt. Veras causas, propter quas baptismus non iteretur, paulo post expediemus.

3. Non potest alia dari causa, cur baptismus non sit repetendus.

103. 3. *Vera causa, cur baptismus non sit repetendus, non potest dari alia nisi character.* Respondemus: Biel recte disputat, causam initerabilitatis non esse characteris impressionem, sed divinam institutionem, quia inquit, *minus manifestum est, characterem esse, quam baptismum iterari non posse. Secundum enim ab institutione baptismi fuit certum, primum hodie nondum evidenter est certum; praeterea qui sacramenta instituit, eodem modo instituit, quo voluit, causa autem voluntatis divinae non est inquirenda.* Hactenus Biel. Repetimus igitur fundamenta, quae Dn. Chemnicius in exam. can. 11. de baptismo proponit, quibus probat, iterationem baptismi non esse licitam: 1. Pactum gratiae et foedus pacis, quod in baptismo initur et obsignatur, non est momentaneum, sed perpetuum, ita ut per poenitentiam ad illud redire possimus, Esa. 45, v. 10: *Foedus pacis meae non movebitur* etc. Vide tract. Germ. de baptismo c. 17. §. 1. Ergo non opus est baptismum iterare. Si enim iteraretur, fieret injuria fidei ipsius Dei, quasi nostra incredulitas fidem Dei everteret Rom. 3, v. 3. 2. Tim. 2, v. 13. Bellarminus regerit, hanc rationem non esse solidam, ideo totus est in eo, ut ostendat, pactum Dei in baptismo nobiscum initum non esse perpetuum. *1. Apostolus Hebr. 6. negat, posse hominem peccantem post baptismum redire ad pactum baptismi.* Respondemus: de hoc textu late egimus in tract. de poenit. §. 16. sermo ibi est de peccato in Spiritum sanctum, quod constat non remitti, nequaquam igitur ad peccata in genere trahi debet. Ostendimus enim in tractat. Germ. de bapt. c. 17. ex immotis fundamentis, quod homo peccator in vera et seria poenitentia vera fide respicere possit ac debeat ad foedus gratiae in baptismo initum. *2. Cum quis sine fide baptizatur, non facit Deus pactum cum illo ullum, pactum enim est inter duos consentientes.* Respondemus: Bellarminus infantibus fidem actualem denegat, sequetur igitur, cum illis nullum iniri pactum in baptismo, quod num Anabaptistis concedere velit, VIII. 322.
mature deliberet. Circumcisio diserte vocatur pactum cum Abrahamo et semine ipsius divinitus initum, et tamen jubentur etiam infantes circumcidi, quos actuali consensu fuisse praeditos Bellarminus vix concedet. Genes. 9, v. 9. erigit Deus pactum suum non solum inter homines, sed etiam inter irrationalia animalia. Quod attinet adultos, qui sine fide baptizantur, dicimus ex parte Dei illorum baptismum itidem esse verum et ratum ac gratiam foederalem illis offerri, ideoque si postea convertantur, non opus habent, novo baptismo, sed foederis in baptismo cum ipsis divinitus initi salutarem fructum fide participant. *3. Sicut baptismus est pactum, ita etiam verbum Dei, quod tamen quotidie repetitur.* Respondemus: forma foederis ut et promissio gratiae foederalis in verbo proponitur, sed foedus ipsum in baptismo nobiscum ordinarie sancitur. Dispar igitur est ratio praedicationis verbi et administrationis baptismi. Quanquam enim et verbum et baptismus sint organa, per quae Deus

An pactum in baptismo initum sit perpetuum.

salutem in nobis operatur, tamen aliter nobiscum agit Deus per verbum, aliter per baptismum; illud quotidie voluit repeti et inculcari, ut fides confirmetur, augeatur et nutriatur; sed per baptismum foedus aeternum nobiscum init, sicut per circumcisionem cum Israëlitis olim iniit, ac proinde baptismus repeti non debet. 4. *Eucharistia non minus continet pactum Dei quam baptismus et tamen repeti potest.* Respondemus: de repetitione eucharistiae exstat disertum Christi mandatum: *hoc facite, quotiescunque feceritis* etc. Nequaquam vero novum pactum nobiscum in coena Deus erigit, sed primum illud, quod in baptismo nobiscum iniit, per usum sacrae coenae confirmatur, aut si ex parte nostra per peccata graviora contra conscientiam admissa violatum fuerit, redintegratur ac renovatur. Refero huc insignem locum ex D. Chemnicio in tract. de coena Domini c. 11. p. 472: *Novum Testamentum* (inquit) *est foedus illud gratiae, quod describitur Jerem. 31: Propitius ero iniquitatibus eorum et peccatorum eorum non memorabor. Ero eis in Deum et ipsi mihi erunt in populum. Hoc foedus erga Deum Patrem sancitum et confirmatum est, effusione sanguinis Christi in cruce; sed oportet singulos salvandos in hoc foedere comprehendi et in eo permanere. Et Spiritu quidem per baptismum in foedus illud recipimur et per verbum in eo conservamur; sed pavidae mentes solicitae sunt, an certo et firmiter sint in hoc foedere, hoc desiderant, hoc optant, ut certi esse possint, se in hoc foedere gratiae perpetuo mansuros et perseveraturos. Filius Dei igitur certo pignore et arrhabone in coena sua vult fidem nostram confirmare, ut certi simus, nos in foedere esse et comprehendi, atque adeo testificatur, se nos potenter velle in foedere illo conservare* etc. *Nos miseri foedus illud gratiae, in quod per baptismum recepti sumus, saepe violamus, saepe transgredimur et frangimus; et per fidem quidem in vera poenitentia ad foedus illud redimus et in illud recipimur, ut tamen fides eo pleniorem habeat πληροφορίαν, nos post lapsus vere, certo et constanter in foedus illud recipi et restitui, ipse Filius Dei praebet nobis ex poculo benedictionis hauriendum illum suum sanguinem, qui est N. T. sanguis, atque ita praebendo nobis sanguinem illum sancit et confirmat nobis testamentum.* Haec omnia dulcissimis verbis Chemnicius. Porro repetenda hoc loco argumenta illa omnia, quae testantur, efficaciam baptismi se per omnem vitam extendere, unde colligitur non novo post nostram ἔκπτωσιν nos indigere foedere, sed pristini tantummodo renovatione. Vide tract. Germ. de bapt. c. 17. per totum. 5. *Falsum est, pactum Dei esse perpetuum illi, qui fidem frangit, ita ut promissio servanda sit, qualemcunque se praebeat is, cui promissio facta est. Nam promissiones Dei sunt conditionatae, promittit enim, se fore patrem et sponsum in baptismo, si nos perseveremus esse filii et sponsae.* Respondemus: bene est, promissionem foederalem conditionatam esse non negamus, sed conditionem illam bimembrem esse dicimus, nimirum si vel in fide, pietate et nova obedientia constanter perseveremus, vel in peccata prolapsi per veram conversionem ad Deum redeamus; quo pertinet pulcherrimus locus Jerem. 3, v. 1: *Vulgo dicitur: Si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo duxerit virum alterum, numquid re-* VIII. 323.
vertetur ad eam ultra? tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus; v. 4: *ergo saltem amodo voca me, Pater meus, dux virginitatis meae tu es* etc. Quemadmodum igitur maritus uxorem, quam in adulterio deprehensam bono jure repudiare poterat, retinens non ad aliud quam conjugii semel contracti foedus revocat; ita Deus sponsam adulteram fornicantem cum amatoribus multis non ad aliud quam semel initum spiritualis conjugii pactum reverti jubet. Hanc namque consolationem ad foedus baptismi recte accommodari ostendit exemplum a conjugio sumtum Ephes. 5, v. 26. In obstinata pertinacia et finali impoenitentia non negamus locum habere, quod Zach. 11, v. 10. dicitur: *tuli virgam meam, quae vocabatur amabilis et confregi eam, ut irritum facerem foedus meum* etc., sed per peccata infirmitatis et lapsus quotidianos ita nos excidere baptismi foedere, ut per veram poenitentiam non pateat iterum reditus ad pactum semel nobiscum initum, id vero negamus. Augustinus lib. de nupt. et concupiscentia ad Valer. cap. 33: *Sic accipiendum est, quod ait apostolus: Christus dilexit ecclesiam* etc. *ut eodem lavacro regenerationis et verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundentur atque sanentur, non solum peccata, quae omnia nunc remittuntur in baptismo, sed etiam quae posterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur, non ut baptisma quoties peccatur, toties repetatur, sed quia ipso quod semel datur, fit, ut non solum antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur.* Lutherus in lib. de captiv. Babyl. cap. de bapt. tom. 2. Jen. Lat. fol. 271: *Si filii Israël ad poenitentiam reversuri primo omnium exitum de Aegypto memorabant et hac memoria ad Deum, qui eduxerat eos, revertebantur, quae memoria et hoc ipsum praesidium eis toties a Moyse inculcatur et a Davide repetitur; quanto magis nos nostrum de Aegypto nostra exitum debemus memorare et ejus memoria redire ad eum, qui nos eduxit per lavacrum regenerationis novae, cujus memoria in hoc ipsum nobis commendata est.* Ceterum quod Bellarminus dictum apostolicum Rom. 3, v. 3: *Numquid incredulitas hominum fidem Dei evacuabit?* ad promissiones absolutas, qualis erat de mittendo Messia, restringit, id non convenit cum scopo apostoli, qui generaliter commendat veritatem Dei in suis promissis, quam negat per hominum incredulitatem everti, et pertinent huc loca parallela. Psalm. 116, v. 11: *Omnis homo mendax* (Deus autem verax). Rom. 11, v. 29: *Dona et vocatio Dei sunt ἀμεταμέλητα.* 2. Tim. 2, v. 13: *Si non credimus, ille fidelis permanet, se ipsum negare non potest.*

2. De iteratione baptismi nullum exstat mandatum.

104. Secunda ratio Chemnicii, quod baptismus non sit iterandus, petitur ex divina institutione. De sacramentis judicandum est ex Dei verbo, praesertim ex propria institutionis sede. Jam vero nec in descriptione institutionis baptismi, nec alibi uspiam in verbo Dei vel docetur vel requiritur, ut baptismus iteretur. Ergo. Declaratur hoc argumentum ex collatione. In institutione eucharistiae Christus diserte addit Luc. 22, v. 19: *Hoc facite in mei commemorationem.* 1. Cor. 11, v. 25: *Hoc facite, quotiescunque biberitis* etc. Sed de baptismo tale quippiam non habetur. Excipit Bellarminus, *Chemnicio responderi posse, quod Lutherus Carolostadio de voce sacramenti respondit in libr. contra coelestes prophetas, non esse quidem scriptum, ut baptismus repetatur, sed neque esse scriptum, ut non repetatur;* et sicut Augustinus lib. 7. de trinitat. c. 4. de nomine trium personarum inquit: *Dicimus in Deo tres personas, non quia Scriptura dicit, sed quia non contradicit.* Respondemus: dispar est ratio inter vocabula sacramenti, trinitatis personae etc. et inter iterationem baptismi. Illorum enim fundamenta in Scripturis exstant, hoc est res vocabulis illis denotatae et expressae in sacris literis habentur, ideo ex libertate Christiana illis in ecclesia utimur; sed anabaptismus non solum nullum in Scripturis fundamentum habet, verum etiam primaevae institutioni repugnat, quia mandatum Christi
VIII. 324. de baptizandis omnibus gentibus ex praxi apostolica sic intelligendum esse constat, quod semel tantum baptismus conferendus sit, non autem saepius iterandus, siquidem apostoli non nisi semel hominem baptizarunt. Bellarminus §. Jam vero in hoc ipso capite regerit: *non possunt ullam causam assignare, cur Deus prohibuerit, temere dicunt Deum prohibuisse. Unde enim sciunt ipsi, Deum id prohibuisse?* Atqui non solum causas reddimus, quare baptismus non sit iterandus, sed etiam si vel maxime nullam possemus dare causam, nondum tamen temere diceremus, Deum prohibuisse, quid enim? num divinorum consiliorum semper a nobis possunt reddi rationes et quidem apodicticae, quales hic a nobis Bellarminus exigit, cum alibi congruentiis suis e Scriptura qualitercunque consutis nos contentos esse jubeat.

3. Circumcisio non admittit iterationem. Ergo nec baptismus.

105. Tertia ratio Chemnicii ab exemplis et ab analogia circumcisionis petita talis est. Nullum habemus in Scripturis exemplum, semel vere baptizatos, quando post lapsum ad poenitentiam conversi fuerunt, iterum baptizatos esse; sed Corinthiis et Galatis lapsis Paulus proponit promissionem et consolationem baptismi prius suscepti, 1. Cor. 6, v. 11. c. 12, v. 13. Galat. 3, v. 27. ita quoque Petrus poenitentia de sua abnegatione acta non modo de credentibus reliquis, sed etiam de se ipso pronuntiat, *baptisma nos salvat,* 1. epist. 3, v. 21. Referenda huc exempla omnium eorum, quos apostoli baptizarunt, descripta Act. 2, v. 38. c. 8, v. 12. 13. 38. c. 9, v. 19. c. 10, v. 44. 47. c. 16, v. 15. c. 18, v. 8. 1. Cor. 1, v. 14. 15. 16. de quorum nullo memoratur, quod denuo baptizatus fuerit. Sicut ergo in V. T. post circumcisionem lapsos, quando poenitentiam egerunt, non legimus iterum circumcisos fuisse, sed quod per poenitentiam redierint ad foedus circumcisionis, quod perpetuum erat; ita quoque eadem ratio est baptismi in N. T. qui in locum circumcisionis successit Col. 2, v. 11. Bellarminus excipit: *1. Exemplum anabaptismi haberi* Actor. 19. Respondemus: per inficiationem. Ostendimus enim in tract. de baptismo c. 7, §. 14. anabaptismum ex hoc loco probari neutiquam posse. Et si vel maxime baptizati a Johanne ibidem a Paulo fuissent rebaptizati, id tamen Bellarmini causam non juvaret, is enim baptismum Johannis et Christi negat idem fuisse sacramentum lib. 1. de baptismo c. 20. *2. Si exempla patrum velimus respicere, debere nos omnino rebaptizare, cum Cyprianus et alii Africani nec non plurimi in Asia rebaptizarint.* Respondemus: magna diversitas est inter exempla apostolorum et patrum ecclesiasticorum, sicut et inter scripta utrorumque. Exempla et dicta patrum non constituimus regulas dogmatum, sed ex Scripturis de illis judicamus, ut probe constat Bellarmino. Adde quod Cyprianus et ipsius coëpiscopi non simpliciter propugnarint anabaptismum, sed baptismi ab haereticis collati veritatem et efficaciam impugnarint. *3. Circumcisionem ideo non fuisse repetitam, quia imprimebat in carne indelebilem characterem, idem ergo de baptismo statuendum esse, quod in anima eum imprimat.* Respondemus: principalis causa non iteratae circumcisionis fuit divina institutio et perpetuitas foederis per circumcisionem initi. Impressio characteris, quo Judaei ab aliis hominibus non circumcisis distinguebantur, fuit secundarius tantummodo finis. Repetimus igitur argumentum Chemnicii, quod sicco pede Bellarminus transiit. Quemadmodum ex parte Dei semper mansit ratum ac firmum illud foedus, quod cum circumcisis Israëlitis Deus iniit, ad quod per poenitentiam post lapsum redierunt; ita Corinthii et Galatae lapsi a Paulo revocantur et remittuntur ad promissionem et consolationem baptismi prius suscepti. Ergo ut circumcisio, ita quoque baptismus non est iterandus. Epiphanius contra Catharos ita colligit: *Non est irrita facienda prior invocatio veri Dei facta super baptismo, id enim non posset fieri sine abusu et contumelia nominis divini, imo sine abnegatione totius christianismi.*

4. Semel tantum nascimur. Ergo semel per baptismum renascimur.

106. Quarta Chemnicii ratio petita est ab analogia carnalis generationis et spiritualis regenerationis. VIII. 325
Sicut semel in hanc vitam nascimur, ita regeneratio per baptismum nobis semel tantum necessaria est. Bellarminus excipit: *1. Chemnicium hanc rationem furatum esse Catholicis, cum eam habeat* Thomas p. 3. q. 66. art. 9. Respondemus: non solum Thomas et reliqui Scholastici, uti et Joh. Ferus in c. 3. Joh. hanc rationem proferunt, sed etiam Augustinus, cujus et nomen et locum expresse assignavit Chemnicius, ideoque ex Thoma hanc rationem furatus dici nequit. Sic enim Augustinus tract. 11. in Joh.: *Recte intellexit Nicodemus nativitatem*

carnis. Sic et tu intellige nativitatem Spiritus, quando intellexit Nicodemus nativitatem carnis etc. *Quando uterus non potest repeti, sic nec baptismus.* tract. 12. in Joh.: *Regeneratio spiritalis una est, sicut generatio carnalis una est. 2. Esse solum congruentiam, veram autem causam esse characteris impressionem.* Respondemus: characteris mentionem nullam ibi facit Augustinus, sed iterationem baptismi prohibitam esse ex analogia generationis carnalis satis apposite deducit. *3. Non solum per baptismum, sed etiam per verbum et fidem regeneramur, et tamen fidei actus et conciones saepe repetuntur.* Respondemus: una est hominis regeneratio, cujus causa efficiens principalis est Spiritus sanctus, media sive causae instrumentales regenerationis ex parte Dei sunt verbum et sacramenta, ex parte nostra fides, quam etiam ipsam Spiritus sanctus per media illa accendit, auget et confirmat. Quando igitur illi baptizantur, qui per verbum tanquam spirituale semen jamdum regeniti sunt, illi non opus habent regeneratione per baptismum, sed baptismus ipsis est confirmatio et obsignatio regenerationis. *Sicut in Abraham praecessit fidei justitia et accessit circumcisio signaculum justitiae fidei,* Rom. 4, v. 11; *ita in Cornelio praecessit sanctificatio spiritualis in dono Spiritus sancti et accessit sacramentum regenerationis in lavacro baptismi* (scribit Augustinus lib. 4. de baptismo cap. 24.). Quando vero baptizati et per baptismum renati peccatis vel moriuntur vel infirmantur, illi vel sanantur vel resuscitantur (inquit Chemnicius), hoc est quando baptizati in peccata prolapsi per veram poenitentiam ex morte peccatorum resurgunt, non indigent nova per baptismum regeneratione, sed spiritualiter sanati et resuscitati redeunt ad pristinum illud foedus in baptismo cum ipsis initum. *4. Etiamsi generatio corporalis una tantum sit naturaliter, tamen supernaturaliter potest repeti, imo re ipsa repetetur in resurrectione, quam Dominus vocat regenerationem,* Matth. 19. Respondemus: regeneratio universalis quae fiet post hanc vitam, distinguenda omnino est ab ea, quae per verbum et sacramenta fit in hac vita, cum non sint ejusdem generis. Augustinus lib. 20. de civitat. Dei c 5: *Quod ait in regeneratione, procul dubio mortuorum resurrectionem nomine voluit regenerationis intelligi. Sic enim caro nostra regenerabitur per incorruptionem, quemadmodum est anima nostra regenerata per fidem.* Syrus reddidit בְּעָלְמָא חַדְתָא in seculo novo. Invertimus igitur argumentum: Quemadmodum *παλιγγενεσία* illa in fine seculi non nisi semel futura est; ita quoque *παλιγγενεσία*, quae fit in hac vita per baptismum, non nisi semel tantum fit. *5. Non est eadem ratio corporalis et spiritualis generationis, nam ut mors corporalis tantum una est, ita etiam nativitas corporalis; at mors spiritualis multiplex est, cur igitur non possit etiam multiplex esse spiritualis regeneratio?* Respondemus: morti corporali non respondet generatio corporalis, sed resuscitatio corporalis, neque enim qui semel moriuntur, per generationem, sed per resuscitationem ad vitam revocantur; ita quoque qui post baptismum in peccata mortalia incidunt, non indigent nova per baptismum regeneratione, sed spirituali per verbum Christi resuscitatione, de qua Joh. 5, v. 25: *Amen amen dico vobis, venit tempus et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei et qui audierint, vivent;* et Apoc. 20, v. 6: *Beatus et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima, in hos secunda mors non habet potestatem. 6. Ordinatio non est generatio et tamen non potest repeti.* Respondemus: novit Bellarminus, nos non agnoscere ordinationem pro sacramento proprie et specifice sic dicto. Neque argumentum Augustini est cum quaestione reciprocum; baptismus est lavacrum spiritualis regenerationis, ergo non debet repeti; notum VIII. 226.
enim est, etiam alias actiones et passiones praeter regenerationem non posse repeti. *7. Qui sine fide baptizantur, revera non regenerantur et tamen rebaptizari non possunt, et contra qui sunt regenerati ante baptismum per fidem et contritionem et desiderium baptismi, nihilominus baptizantur, ut patet exemplo Cornelii Actor. 10.* Respondemus: de posteriori baptizatorum genere diximus superius, de priore genere dicimus, eos, qui sine fide baptizantur, tum quidem per baptismum non regenerari, interim tamen si postea ex evangelio fidem concipiant, vere regenerari nec novo indigere baptismo, propter baptismi prius suscepti veritatem et foederis divini inviolabilitatem.

107. Atque hae sunt quatuor illae rationes Chemnicii, quibus baptismi iterationem improbandam esse ostendit, quas cum Bellarminus Marcionis (de quo Nicet. lib. 4. thes. orth. fid. haeres. 14.) et Hemerobaptistarum (de quibus idem lib. 1. haeres. 41.) causam strenue propugnans evertere conatur, non tam Chemnicium, quam pios veteres, qui rationibus illis usi sunt, impugnat. Quod rationes attinet reliquas, quibus veteres in hac quaestione utuntur, eas ipse Chemnicius agnoscit non esse adeo solidas ut priores, igitur in examine eorum, quae Bellarminus contra illas rationes affert, non immorabimur. Recensebimus tamen eas propter venerandam caniciem patrum, quam proterve hoc in loco conculcat Bellarminus. Dicunt ergo, baptismum non esse iterandum: *1. Quia baptizamur in Christi mortem,* Rom. 6, v. 3. mors autem Christi semel duntaxat peracta Rom. 6, v. 9. Basilius de Spiritu sancto cap. 14: *Unum novimus salutiferum baptisma, quandoquidem una est pro mundo mors et una ex mortuis resurrectio, quarum figura est baptismus.* Augustinus de vera et falsa poenitent. c. 3: *Sicut semel Christus crucifixus est, sic baptismus iterandus non est, una enim morte sua omnes redemit, ut amplius mori non oporteat, quod videns ecclesia intellexit, non iterandum baptismum.* Damascenus lib. 4. orth. fid. c. 10: *ὥσπερ ἅπαξ ἐτελέσθη ὁ τοῦ κυρίου θάνατος, οὕτως καὶ ἅπαξ δεῖ βαπτίζεσθαι.* Unde infert, repetitionem baptismi legitime collati esse *ἀνασταύρωσιν Χριστοῦ.* *2. Quia qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus,* Joh. 13,

Rationes secundariae, propter quas baptismus non sit iterandus.

v. 10. jam vero per baptismum lavamur a peccatis, ergo non indigemus quotidiana per baptismum mun-
VIII. 327. datione, sed saltem pedum lotione, hoc est vitiosorum affectuum et concupiscentiarum mundatione. Augustinus de fide ad Petrum c. 36: *Firmissime tene et nullatenus dubites, non solum intra ecclesiam catholicam, sed etiam apud haereticos, qui in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti baptizentur, esse posse* etc. *ideo baptisma etsi ab haereticis fuerit administratum, modo in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti fuerit factum, venerabiliter agnoscendum et ob hoc nullatenus iterandum esse juxta dictum Christi: Semel lotus non indiget, nisi ut pedes lavet.* Idem tract. 57. in Joh.: *Baptismo quidem homo totus abluitur, sed dum isto postea vivit in seculo, humanis affectibus terram velut pedibus calcans, ipsa scilicet conversione hujus vitae contrahit, unde dicat: dimitte nobis debita nostra, ac sic etiam inde mundatur ab eo, qui pedes lavit discipulis suis, nec desinit interpellare pro nobis.* 3. Quidam locum Hebr. 6, v. 4. huc accommodant: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, rursus renovari.* Baptismum enim apostolus vocat *lavacrum regenerationis*, Tit. 3, v. 5. et veteres vocant φώτισμα illuminationem. Vide Cyrill. lib. 5. in Joh. c. 17. Epiphan. contra Catharos, Thom. p. 3. p. 84. art. 10. resp. ad 1. Gloss. ordin. Hebr. 6. etc. 4. *Quia unum dicitur baptisma*, Ephes. 4, v. 5. non solum unitate substantiae dispensationis et effectus, sed etiam usus legitimi. 5. Quia baptismus est sacramentum initiationis et Christianismi investitura, jam vero semel tantum ingressu in ecclesiam opus habemus. Biel 4. sent. dist. 6: *Per baptismum adscribimur familiae Christi, quod semel tantum necessarium.* Vide concil. Nicen. can. 19. Araletanse 1. can. 8. Carthag. 4. cap. Non licet et sequentia dist. 4. de consecrat. Repetimus autem denuo, posteriores has rationes non nisi cum prioribus conjunctas efficaciter concludere contra Anabaptistas. Quod Bellarminus existimat, eas robur suum accipere ab impressione characteris, quae fiat per baptismum, ad illud respondemus verbis Bielis: *Minus manifestum est characterem esse, quam baptismum iterari non posse.*

Usus doctrinae de sacramentis.

108. Atque haec dicta sint de sacramentis in genere, quorum omnium verus ac salutaris usus consistit in his membris: 1. ut debitas pro sacramentorum institutione Deo praepotenti agamus gratias. Nota fuit ipsi carnis nostrae imbecillitas, quod soli verbo ac nudis ejus promissionibus acquiescere nequeamus, sed externa quoque signa velut adminicula postulemus, Jud. 6, v. 17. 2. Reg. 20, v. 8. Joh. 4, v. 48. ideo verbo addidit sacramenta, promissionum divinarum signacula et fidei nostrae sustentacula. Quod in verbo nobis promisit, id signis ac ritibus sacramentalibus velatum oculis quasi subjicit. Hanc insignem benevolentiam humiliter agnoscamus et grato corde celebremus. Pulchre Hugo lib. 1. de sacram. part. 9. c. 4: *Ipsa medicina ipsa sunt sacramenta;* c. 3: *Deus medicus, homo aegrotus, sacerdos minister, gratia antidotum, vas sacramentum.* Bonaventura in 4. sent. dist. 1. disputat: *Sacramentorum institutionem fuisse congruam tum ex parte Dei, tum etiam ex parte nostri. Ex parte Dei* (inquit) *est: 1. misericordia, qua homini, qui male gratiam propter voluntatis vertibilitatem servaverat, sacramentum praepararetur, ad quod recurrens gratiam certo inveniret. 2. Justitia, qua hominis, qui per superbiam cecidit, humiliationem requirat, ut suscipiendo sacramenta, quae infra eum sunt, se humiliaret. 3. Sapientia, ut sicut homo a visibilibus occasionem ad lapsum receperat, ita in sacramentis visibilibus gratiam inveniret. Ex parte nostri itidem fuit congruum: 1. Homo lapsus coecatus fuit in rationali, ideo data sunt ei sacramenta visibilia et sensibilia ad eruditionem. 2. Elatus fuit in irascibili, ideo data sunt ad humiliationem. 3. Fastidiens in concupiscibili, ideo dari debuit ad exercitationem.* Eodem fere modo Thomas p. 3. qu. 61. art. 1. dicit: *Sacramenta triplici ratione fuisse necessaria: 1. ex conditione humanae naturae, cujus proprium est, ut per corporalia et sensibilia in spiritualia et sensibilia perveniat; 2. ex statu hominis, qui peccando se subdidit per affectum corporalibus rebus, ibi autem debet medicinale remedium adhiberi, ubi patitur morbum; 3. ex studio actionis humanae, quae praecipue circa corporalia versatur* etc. Sed enim proprius ac principalis finis institutionis sacramentorum est fidei nostrae confirmatio. 2. Ut sacramentis divinitus propter nos institutis crebro ac reverenter in vera poenitentia ac fide utamur, ne salutis nostrae pro- VIII. 328.
terve prodigi ac in Deum ipsum injurii videamur, Esa. 7, v. 13. vere enim et graviter pronuntiat Augustinus lib. 19. contra Faustum c. 11: *Sacramentorum vis contemta sacrilegos facit, impie quippe contemnitur, sine quo non potest perfici pietas.* lib. 3. qq. in Levit. qu. 84: *Contemtor visibilis sacramenti invisibiliter sanctificari nullo modo potest.* Et Hieronymus in c. 1. Malach.: *Cum sacramenta contemnuntur, ipse, qui eorum auctor est Deus, contemnitur.* Quod contra Archonticos, Ascodrutas et Ascodrupitas (de quibus Theodoretus lib. 1. haeret. fab. Epiphanius haeres. 40.) et Messalianos sive Euchitas (de quibus Epiphanius haeres. 80. Augustinus haeres. 57.) Anabaptistas, Enthusiastas et alios sacramentorum contemtores fulminis instar habendum. Accedat autem debita in usu sacramentorum reverentia, siquidem *qui manducat et bibit indigne, sibi ipsi judicium manducat et bibit*, 1. Cor. 11, v. 29. in quem locum sic commentatur Ambrosius: *Devoto animo et cum timore accedendum ad communionem docet, ut sciat mens, reverentiam se debere ei, ad cujus corpus sumendum accedit.* Item: *Nihil differt ab infideli, qui inconsiderate ad mensam Domini accedit.* Augustinus tractat. 27. in Joh.: *Multi modo nobiscum manducant et bibunt temporaliter sacramenta, qui habebunt in fine aeterna tormenta.* 3. Ut orthodoxiam et sinceritatem hujus articuli contra omnes

μυστηριομάχους ac sacramentiperdas, qui sacramenta divinitus instituta vel suis additamentis contaminant, vel detrahendo mutilant, vel aliis modis pervertunt, fideliter ac strenue propugnemus. *Quae major potest esse servi gloria, quam pro institutis Domini sui zelare?* Augustinus lib. 16. contra Faustum c. 14: *Si antiqui justi pro illis nuntiativis sacramentis et rerum nondum impletarum figuris omnia dura et horrenda perpeti parati fuerunt et plerique perpessi sunt, quanto magis nunc pro baptismo Christi, pro eucharistia Christi, pro signo Christi ad omnia perferenda paratior debet esse Christianus, cum illae fuerint promissiones rerum complendarum, haec sint indicia completarum.* 4. Ut memores sacramenti fidelitatis, quo in usu sacramentorum Deo obstringimur, velut spirituales milites adversus Satanam, mundum et carnem strenue pugnemus. Tertullianus in exhort. ad Mart. p. 367: *Vocati sumus ad militiam Dei vivi jam tum, cum in sacramenti verba respondimus. Proinde vos benedictae, quodcunque hoc durum est, ad exercitationem virtutum animi et corporis deputate. Bonum agonem subiturae estis, in quo agonotheta Deus vivus est, xystarchus Spiritus sanctus, corona aeternitatis brabeium, angelicae politiae substantia in coelis gloria in secula seculorum.* Cyprianus lib. 1. epist. 2. non longe a princ.: *Quos excitamus et hortamur ad proelium, non inermes et nudos relinquamus, sed protectione sanguinis et corporis Christi muniamus et cum ad hoc fiat eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarium volumus, munimento Dominicae saturitatis armemus. Nam quomodo docemus aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis sanguinem Christi denegamus? aut quando ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos ad bibendum prius in ecclesia poculum Domini jure communicationis admittimus?* lib. 4. epist. 6: *Gravior nunc et ferocior pugna imminet, ad quam fide incorrupta et virtute robusta parare se debent milites Christi considerantes, idcirco se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, ut possint et ipsi propter Christum sanguinem effundere.* Hieronymus ad Heliodor. epist. 1: *Recordare tirocinii tui diem, quo Christo in baptismate consepultus in sacramenti verba jurasti, quid facis in prima domo delicate miles? ubi vallum? ubi fossa? ubi hiems acta sub pellibus?*

Definitio sacramenti.

109. Ex superioribus omnibus talis constitui potest sacramenti definitio: sacramentum est sacra et solennis actio divinitus instituta, qua Deus mediante hominis ministerio sub visibili et externo elemento per verbum certum bona coelestia dispensat ad offerendam singulis utentibus ac credentibus applicandam atque obsignandam promissionem de gratuita remissione peccatorum evangelii propriam.

LOCUS DECIMUS NONUS

DE CIRCUMCISIONE ET AGNO PASCHALI.

I.

IX. 1. Connexio cum loco praecedente.

Egimus hactenus de sacramentis in genere; restat ut in specie de illis disseramus. *Sacramenta alia sunt V., alia N. T.* Sacramenta V. T. sunt, quae ante Christi adventum instituta eminus ipsum monstrarunt et figuris quibusdam adumbrarunt, quo demum exhibito et partes officii a Patre coelesti sibi demandati exsequente abrogata sunt. Sacramenta N. T. sunt, quae a Christo instituta ipsum exhibitum testantur et praesentem offerunt duratura in ecclesia usque ad mundi finem. Antequam vero in specie de utriusque testamenti sacramentis agamus, prius de convenientia et discrimine eorum tractandum fuerit.

Convenientia sacramentorum V. et N. T.

Esse aliquam sacramentorum utriusque testamenti *convenientiam*, nemo facile negaverit, cum non solum conveniant: *1. appellatione*, sed etiam *2. genere proximo*, *3. causa efficiente principali*, quae est Deus unicus sacramentorum auctor. Ut idem est Deus ac Dominus, tam in V. quam in N. T. ita quoque idem utrobique sacramentorum auctor; *4. causa finali generica*, quae est promissionem evangelii propriam de remissione peccatorum offerre, exhibere et credentibus applicare, eandemque obsignare et confirmare; *5. materia et forma generica* sive partium *συσταταιχαῖν* numero, quatenus scilicet omne sacramentum constat materia et forma, hoc est quatenus omne sacramentum proprie sic dictum est actio sacra et solennis divinitus instituta, quae versatur circa certum objectum peculiari verbo institutionis et promissionis determinatum; *6. usu*, utrobique enim fides requiritur, ut sint salutaria.

IX. 2. Differentia eorundem.

2. Interim tamen unicuique sacramento est sua quaedam propria materia et forma specifica, per quam est id, quod est et ab omnibus aliis distinguitur, de qua ex propria institutionis sede judicari rectissime potest et omnino etiam debet. Vide ea quae superius dicta sunt §. 45. et 46. uti etiam §. 63. Etenim cum omne sacramentum sequatur naturam sui testamenti et vero V. T. habuerit *tantummodo umbram futurorum*, hoc est figuras et significationes Christi suo tempore exhibendi passuri et morituri; novum autem hujusmodi figuris et umbris destituatur et praesentem offerat Christum jam exhibitum et pro nobis passum et mortuum juxta expressa dicta Col. 2, v. 16. 17. Hebr. 10, v. 1. 2. ideo primaria ac praecipua sacramentorum differentia consistit in eo, quod sacramenta V. T. fuerint praenuntiativa Christi venturi, sed sacramenta N. T. *sint annuntiativa Christi exhibiti*, ut loquitur Augustinus in Psalm. 73., hoc est illa fuerunt umbrae et figurae, non ipsum corpus et expressa ac viva imago; haec vero continent ipsum corpus et imaginem solidam, non autem umbras et figuras; proinde ipsa substantia sacramentorum V. T. fuit alia et diversa a sacramentis N. T. Exempli gratia agni paschalis substantia non fuit ipsum corpus, ipsa expressa imago, ipsa veritas, nempe caro et sanguis Christi, sed illius umbra et figura; sed substantia coenae Dominicae est ipsa vera substantialis caro et sanguis Filii Dei incarnati, non nuda tantum ejus figura. Quo pertinent dicta patrum. Ambrosius de his qui init. myst. c. 9: *Considera, uter praestantior sit panis angelorum, an vero Christi caro, quae utique est corpus vitae? Illis aqua ex petra fluxit, tibi sanguis e Christo.* Hieronymus in c. 1. epist. ad Tit. tantum interesse dicit *inter sacram coenam et panes propositionis, quantum inter umbram et corpus, inter imaginem et veritatem, inter exemplaria futurorum et ea ipsa, quae per exemplaria figurantur.* Chrysostomus in c. 5. poster. ad Cor.: *Pro manna habemus corpus Dominicum, pro aqua petrae sanguinem ex latere.* Theodoretus in c. 11. prior. ad Corinth. coenam agni paschalis et dominicam conferens *hanc esse verum illius archetypum* scribit. Huic principali et primario sacramentorum discrimini accedit alterum ex symbolo sacramentali externo, quod non est idem in omnibus sacramentis, sed in singulis proprium et peculiare, sicut etiam actio sacramentalis est sua cuique sacramento propria.

3. Ex quibus omnibus colligimus, differre sacramenta V. T. a sacramentis N. T. *tum in materia, tum in forma.* Materia sive objectum est *res terrena et coelestis;* forma *est actio sacramentalis.* Res terrena in circumcisione est praeputium; in paschate est caro et sanguis agni paschalis; in baptismo est aqua; in coena Dominica panis et vinum, quae omnia non esse eadem, sed diversa, liquido conspicuum. Res coelestis, nempe Christus θεάνθρωπος, in V. T. sacramentis significabatur et adumbrabatur per typos et figuras sacramentales tanquam exhibendus in plenitudine temporis; sed in sacramentis N. T. praesens exhibetur et datur per symbola sacramentalia tanquam media sive organa exhibitiva. Patet hoc non solum ex cujusque sacramenti institutione, sed etiam ex re ipsa, quia V. T. fuit tempus umbrarum, sed in N. T. figurae V. T. complementum et perfectionem suam in Christo exhibito sunt adeptae, illis igitur non amplius est locus. Atque immotum est illud argumentum: Si in sacra coena tantummodo figuram sui corporis et sanguinis Christus instituere voluisset, nequaquam abrogasset agnum paschalem, quippe cujus mactatio, assatio et αἱματεκχυσία longe clarius, manifestius et evidentius significabat Christi passionem, mortem et sanguinis effusionem, quam panis et vinum. Denique forma sive actio sacramentalis alia est in quolibet sacramento. Circumcisionis forma est amputatio praeputii juxta Dei mandatum; paschalis forma est agni paschalis certis ritibus segregati, mactati et assati manducatio ac sanguinis in superliminari et postibus illitio. Baptismi forma est ho-
II. 3. minis ablutio, hoc est aspersio aquae vel immersio in aquam facta in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti; coenae Dominicae forma est manducatio corporis Christi cum pane benedicto et bibitio sanguinis Christi cum vino benedicto. Praecipuis hisce differentiarum capitibus possunt alia quaedam secundaria addi, utpote quod sacramenta V. T. pertinuerint tantum ad populum Israëliticum, sed N. T. sacramenta ad ecclesiam ex Judaeis et gentibus collectam; quod illa durare debuerint ad Christi usque adventum et ministerium; haec vero ad finem usque mundi, 1. Cor. 11, v. 26: *Quotiescunque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat;* quod haec sint *virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora* etc. Augustinus 3. de doctr. Christ. c. 9. lib. 19. contra Faust. c. 13. Sed hae et similes differentiae sunt secundariae ac momenti minoris.

Calvinianorum sententia de differentia sacramentorum.

4. Qui Calvinum sequuntur, statuunt, sacramenta V. et N. T. esse eadem quoad substantiam, differre autem tantummodo quibusdam accidentibus, videlicet *signis et ritibus, modo significandi, duratione, amplitudine, claritate* etc. Orth. cons. p. 63: *Eadem praesentia, conjunctio et perceptio rerum cum signis per fidem statuenda in V. et N. T. sacramentis, quae externa tantum et visibili specie, quatenus illa Christum promissum et venturum, haec vero exhibitum testantur et significant, inter se discernuntur.* **Ibid. p. 129: *Constat, quod non solum nullum inter V. et N. T. sacramenta discrimen statuatur, quantum attinet ad res ipsas, sed nec quoad modum praesentiae et conjunctionis rerum cum signis.* Beza in qq. et resp. part. 2. p. 27: *Tantum signis et verbi perspicuitate nostra a veteribus differre* ait, *non re interna, non instrumento applicationis, non fine neque effectu.*** Ursinus in explicat. cat. p. 480: *Idololatria est non solum quaerere aliam Christi κοινωνίαν, quam sit in verbo, sed etiam aliam Christi κοινωνίαν in N. T. sacramentis quaerere, quam quae fuit in V. T. sacramentis.* p. 482: *Oportet unionem sacramentalem talem esse, quae omnibus sacramentis conveniat, alioqui non esset unio sacramentalis, sed coenalis vel baptismalis.* Fundamentalis doctrina de coena Heidelberg. Germ. edita p. 10: *Invisibilia spiritualia dona, quae visibilibus significantur et obsignantur, eadem sunt in omnibus sacramentis.* Admon. Neost. contra Form. Conc. p. 44: *Liquet, omnia sacramenta monstrare et promittere communionem Christi et beneficiorum ejus unam et eandem.* Bucanus loc. 46. p. 603: *Sacramenta V. et N. T. differunt: 1. adjunctis externis et temporis circumstantia, nam illa μέχρι καιρῶν διορθώσεως, usque ad tempus directionis, haec vero ad finem seculi durare debent. 2. Significandi modo seu conditione; vetera enim praenuntiarunt Christum tanquam venturum, nova eundem tanquam exhibitum declarant. 3. Diversitate seu qualitate signorum, seu signis et ritibus multum diversis. 4. Numero significandi, mensura, virtute et facilitate* etc., *sed* (inquit) *haec tamen non efficiunt, quo minus sacramenta nostra et veterum, quoad substantiam attinet, sint eadem.*

Quid de ea statuendum.

5. Hac de re ut rectius fieri possit judicium, observanda sunt sequentia. 1. Opinionem illam, quod sacramenta V. et N. T. sint eadem quoad substantiam, niti duabus illis hypothesibus, primo quod unum tantum quoad substantiam sit foedus ac testamentum, non autem duo diversa, cum sit unus reconciliationis modus, una fides atque una salutis via omnibus mundi temporibus; constitui autem duo foedera propter externas quasdam ac minus principales circumstantias, quae in utroque testamento sint diversae; de qua hypothesi quid statuendum sit, late ostendimus in tractatu de evangelio §. 119. et seqq. deinde quod forma sacramentorum N. T. non minus consistat in analogia significativa ac IX. 4.
σχέσει quadam figurativa, quam forma sacramentorum V. T. de qua hypothesi itidem egimus superius §. 48. Cum ergo duae illae hypotheses, quibus velut cruribus doctrina de essentiali identitate sacramentorum utriusque testamenti innititur, falsae sint, facile apparet, quid de ea sit judicandum. 2. Accurate distinguendum esse inter substantiam et usum sive finem sacramentorum. Quamvis enim sacramenta V. et N. T. conveniant fine generali, quod in omnibus promissio gratiae offeratur et credentibus applicetur, confirmetur atque obsignetur, ex eo tamen inferri nec potest nec debet, quod omnium sacramentorum eadem sit substantia, im-

motum enim manet illud apostolicum: *lex* sive V. T. *umbram habuit futurorum bonorum, novum autem ipsam εἰκόνα* sive substantiam rerum olim adumbratarum; proinde sacramenta V. T. sunt σημαντικὰ et adumbrativa Christi exhibendi, N. autem T. sacramenta sunt μεταδοτικὰ καὶ προσφερόμενα Christi exhibiti. 3. Differentias sacramentorum secundarias in externis quibusdam circumstantiis positas non tollere principale ac primarium differentiae caput, sed potius praesupponere, ideo enim sacramenta N. T. duratione, amplitudine, claritate, facilitate, efficacia etc. a sacramentis V. T. differunt, quia in illis Christus praesens exhibetur et datur, in his vero significabatur et praefigurabatur. 4. Quae et qualis sit praesentia corporis et sanguinis Christi in sacra coena, de ea non esse judicandum ex conficta illa hypothesi, quod sacramenta V. et N. T. sint eadem quoad substantiam, quodque analogia sacramentalis omnium sacramentorum sit una atque eadem in significando tantum et obsignando consistens, sed ex propria institutionis sede, in qua diserte Christus dicit: *Edite, hoc est corpus meum, bibite, hic calix est N. T. in meo sanguine.* 5. Non elabi adversarios distinctione illa, quod sacramenta V. T. significariat Christum venturum sive exhibendum; N. autem T. sacramenta significent Christum exhibitum; differunt enim exhibere et significare. Ex verbis institutionis discimus, panem et vinum benedictum symbola illa eucharistica non tantum significare Christum exhibitum esse, sed etiam esse organa ac media, per quae Christi corpus et sanguis vere nobis exhibentur. 6. Quae de majori claritate sacramentorum N. T. disputant non posse ulla ratione locum habere, quamdiu σχετικὴ relatio ac significativa analogia omnium sacramentorum tam N. quam V. T. statuitur forma. Ecquis enim negare potest, majorem esse convenientiam corporis et sanguinis agni paschalis cum corpore et sanguine Christi quam panis et vini? Itemque clariorem proponi significationem mortis et passionis Christi in mactatione, assatione et manducatione agni paschalis quam in distributione panis et vini eucharistici? Nec dici potest, claritatem majorem in verbo evangelii inveniri, non enim de evangelii, sed de sacramentorum majori claritate hoc loco proprie quaeritur; et promissio evangelica et sacramenta evangelica eandem habent claritatem N. T. propriam. 7. Nequaquam a nobis negari, quod sacramenta etiam N. T. suas habeant significationes, sed hoc in quaestione esse, an in illis consistat forma eorum sacramentalis, quam negamus, pertinent enim illae significationes non ad formam, sed ad finem sacramentorum, et quidem non ad finem principalem ac primarium, sed minus principalem et secundarium vel etiam adjunctum, ut admonuimus superius §. 48.

Argumentum Calvinianorum ex 1. Cor. 10: Patres nostri eandem escam ederunt.

6. Potissimum assertionis suae de substantiali sacramentorum identitate fundamentum quaerunt in pronuntiato apostolico 1. Cor. 10, v. 3: *Patres nostri omnes eandem escam ederunt;* v. 4: *et omnes eundem potum spiritualem biberunt, bibebant autem de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus.* Si patres V. T. eandem nobiscum comederunt escam in suis sacramentis, quam nos accipimus in IX. 5.
nostris, utique non alia erit praesentia corporis et sanguinis Christi in sacra coena, quam σχετικὴ et significativa, et per conseq. sacramenta V. et N. T. non erunt diversa quoad substantiam. Respondemus: 1. Apostolus nequaquam dicit, patres in deserto una *nobiscum* eandem comedisse escam, uti Beza, Bucanus et alii volunt, sed patres illos omnes sive Israëlitas inter se confert, id quod ex serie textus manifestissimum est; v. 1. dicit, *patres omnes sub nube fuisse et mare transiisse;* v. 2. addit, *omnes in Moysen esse baptizatos in nube et mari;* quod si particulam universalem *omnes* in v. 3. et 4. usurpatam ad nos applicare quis velit, sequetur patres illos nobiscum et nos cum illis non solum eandem escam spiritualem comedisse ac potum spiritualem bibisse, sed etiam patres eosdem nobiscum et nos cum illis fuisse sub nube et mare transiisse, propter immediatam horum omnium in textu apostolico connexionem. 2. Agnoscit hoc ipse Oecolampadius in hoc loco sic commentatus: *Non est facienda collatio nobiscum, sicut quidam exponunt, quod eandem quam nos escam ederint, sed inter ipsos fit comparatio, ut esca, quam Moyses manducavit, nec Core, nec Abiran, nec mulieribus sit denegata.* 3. Apostolus ibidem v. 6. *haec omnia* dicit fuisse τύπους *ac figuras*, ostendit igitur sacramenta veterum fuisse typos sacramentorum N. T. perinde ut Petrus baptismum vocat ἀντίτυπον conservationis in arca 1. epist. 3, v. 21. Quare cum in antitypo habeatur complementum, quod in typo pronuntiatur futurum, consequens fuerit, in nostris sacramentis ipsam substantiam et expressam imaginem illorum bonorum haberi, quorum figura tantum et umbratilis delineatio proposita fuit in veteribus sacramentis. *Concedo* (inquit Bucanus loco de sacram. p. 604.) *sacramenta veterum fuisse figuras et imagines nostrorum, non quoad res ipsas, sed quoad implicatius et obscurius res significatas adumbrarunt;* atqui magis et minus non variant speciem, si ergo nostra sacramenta itidem sunt tantum figurae rerum ipsarum (quamvis clariores quam sacramenta veterum), qua ratione dici possunt veteribus sacramentis praefigurata? aliter nos docuit apostolus opponens invicem σκιὰν et εἰκόνα Hebr. 10, v. 1. item σκιὰν et σῶμα Coloss. 2, v. 17. illorum ergo bonorum εἰκόνα et σῶμα substantiam et expressam imaginem habet N. T. ac N. T. sacramenta, quorum σκιὰν tantummodo habuit V. cum suis sacramentis. 4. Apostolus non loquitur tantum de fidelibus in V. T. qui in manna Christum intellexerunt et fide eundem, quem nos cibum spiritualem comederunt, sed in genere loquitur de omnibus patribus, qui per mare rubrum transierunt, tam impiis quam piis; patet hoc non solum ex particula universali toties repetita, uti et ex transitu per mare rubrum, qui omnibus certe fuit communis, sed etiam ex subjuncto προσδιορισμῷ v. 5: *non in pluribus eorum beneplacitum est Deo, prostrati enim sunt in de-*

serto. Quare cum apostolus de tali manducatione et bibitione loquatur, quae impiis etiam et incredulis in deserto fuerit communis, quod scilicet omnes manducaverint manna et biberint aquam ex petra profluentem, non potest ulla veritatis specie aut consequentiae robore ex hoc loco colligi, quod non alia nisi typica et spiritualis manducatio corporis et sanguinis Christi in eucharistico N. T. sacramento sit statuenda, quodque non ipsius substantiae, sed beneficiorum tantum carnis et sanguinis Christi
IX. 6. in eo reddamur participes. *5. At*, inquis, *si de manna et aqua ex petra profluente agit, cur illum cibum ac potum vocat spiritualem?* Respondemus: spiritualis dicitur *tum propter causam*, quia singulari Dei munere per coeleste miraculum populo Israëlitico fuit datus, monente Chrysostomo et Theophylacto in hoc loco, tum propter *significationem*, quia repraesentabat escam et potum N. T. Christum ratione carnis et sanguinis, ut ex cap. 6. Joh. evidenter probat Augustinus tract. 26. in Joh. tum denique *propter effectum*, quia credentes in his typis salutaria Christi beneficia non solum ob oculos sibi proposita eminus conspexerunt, sed et vera fide eadem sibi applicarunt, ac proinde esus mannae credentibus vere fuit spiritualis cibus, potus aquae ex petra fuit ipsis vere spiritualis potus. *6. At*, inquis, *Israëlitae dicuntur bibisse de spirituali petra illos comitante, quae petra fuerit Christus; illa bibendi ratio certe non competit impiis aut incredulis in hoc populo.* Respondemus: ex serie textus manifestissimum est, apostolum loqui de omnibus patribus in deserto sine discrimine, tam impiis quam piis, tam incredulis quam credentibus. Omnes igitur de spirituali petra biberunt, sed diversimode; credentes et pii non solum externe et in typo, sed etiam interne vera fide Christi sanguinem bibebant, cujus typus in aquis ex petra profluentibus ipsis proponebatur; impii vero et increduli de spirituali illa petra Israëlitas comitante non aliter bibebant quam externe in typo et figura, dum biberunt de aquis ex petra profluentibus, consequenter ratione significationis dicuntur bibisse de petra Christo, quia scilicet externa petra, de cujus aquis bibebant, erat typus et figura verae petrae, quae est Christus. *7. At*, inquis, *apostolus dehortatur Corinthios a profanatione sacramentorum argumento ducto a sacramentis veterum, quodsi veterum et nostra sacramenta ratione substantiae non sunt eadem, peribit vis argumenti apostolici. Nisi eadem sint sacramenta veterum et nostra* (scribit Martyr in loc. comm. class. 4. c. 7. §. 9.), *Paulus nihil concludit; Corinthii enim potuissent respondere, imo sacramenta nostra longe potiora sunt illorum sacramentis* etc. Respondemus: non a pari, sed a fortiori argumentatur apostolus hoc sensu. Israëlitae profanationem suorum sacramentorum, in quibus tantum σκιὰν et figuram futurorum bonorum habuerunt, non tulerunt impune. Ergo multo magis Dei iram et poenas sibi attrahent, qui sacramenta N. T. in quibus ipsa substantia illorum bonorum continetur, irreverenter tractant, sine vera poenitentia et fide illis utendo; quo enim res in se dignior et praestantior, eo majori cum periculo illius profanatio conjuncta est.

7. Ceterum ut ad specialem sacramentorum V. T. explicationem descendamus, notandum fuerit, duo ordinaria et proprie dicta V. T. fuisse sacramenta, videlicet *circumcisionem et pascha*, ut colligi potest ex illis, quae superius a §. 65. usque ad 72. late disputata sunt. **Pelargius in idea loc. comm. loc. 22. de sacram. in genere p. 123: *Plura quondam erant V. T. sacramenta, ex hisce erant celebriora quinque videlicet, circumcisio et quatuor sacrificiorum genera, quorum primum ante diluvium Gen. 4. secundum agnus paschalis Exod. 12. tertium expiationis annuae hostia Lev. 16. quartum emundationis lixivium de cinere vaccae ruffae. Num. 19.*** Quaerunt Scholastici: *An sacramenta etiam in statu innocentiae fuerint necessaria?* Respondent autem negative. Thomas p. 3. qu. 61. art. 2. adducit hanc rationem: *Quia superiora inferioribus dominabantur et nullo modo dependebant ab eis, mens suberat* Deo, menti suberant inferiores vires animae et ipsi animae corpus. Si quaeras, an tunc fuissent congrua? occurrunt divortia opinionum. Alensis part. 4. qu. 1. membr. 2. art. 1. affirmat, *fuissent enim ordinata ad intellectum et eruditionem gratiae non remediantis, sed perficientis.* Richardus 4. sent. dist. 1. qu. 1. art. 1. Biel ibid. qu. 2. art. 2. et alii negant, *quia morbo non existente non opus sit medicina, ac hominibus non dispositis ad infirmitatem ne quidem praeservativa medicina danda, sed saltem regimen ordinatum praecipiendum.* Si obvertas, potuisse primos homines in statu integritatis ex sensibilibus similitudines spiritualium inspicere, respondent, *magis eos hoc potuisse ex influentia divini luminis, nec sufficere rationem accessoriam, ubi desit principalis.* Atque haec ita disputantur a Scholasticis, interim sine ulla absurditate dici potest, arborem vitae primis parentibus fuisse instar sacramenti et symboli immortalitatis. Quamvis enim sacramentum illud non fuit peccati remedium (qualia sunt proprie dicta sacramenta post lapsum), tamen fuit gratiae divinae signum. Omissis ergo καιρικοῖς, temporariis, atque analogice sic dictis veteribus sacramentis, qualia sunt arbor vitae ante lapsum, transitus per mare rubrum, esus mannae, aquae de petra eruptio, quin et conservatio in arca tempore diluvii, ros in vellere Gideonis, umbra solis in horologio Achas retrograda etc. de ordinariis, perpetuis et proprie sic dictis V. T. sacramentis, videlicet circumcisione et agno paschali, agemus. Circumcisio fuit sacramentum initiationis, pascha vero confirmationis. Circumcisionis institutio describitur Genes. 17. paschatis Exod. 12. Circumcisionis sacramentum masculis solummodo administrabatur; sed agni paschalis epulum et masculis et feminis erat commune. Circumcisio tantum semel recipiebatur, sed usus agni

An sacramenta locum habuerint in statu innocentiae.

IX. 7.

Duo V. T. sacramenta.

paschalis quotannis redintegrabatur. Dicitur autem circumcisio a circumcidendo, sicut περιτομή παρὰ τὸ περιτέμνειν, quia in ea circumsecabatur ac praeputabatur, hoc est praecidebatur, pellicula illa extrema, quam Aristoteles vocat ἀκροποσθίαν, hoc est cuticulam extimam τῆς πόσθης genitalis et Paulus inflexa parumper voce ἀκροβυστίαν vocat Rom. 2, v. 25. **ἀκροβυστία περὶ τοῦ ἄκρου, extremo, et βύω, *obstruo*, quasi dicat in extremitate tecta pars, Latinis vocatur *praeputium.*** Latinis pellicula illa dicitur *praeputium* passive scilicet, quia in circumcisione praeputatur Gen. 17, v. 11. נְמַלְתֶּם אֶת־בְּשַׂר עָרְלַתְכֶם *circumcidetis carnem praeputii vestri*; ערלה juxta interpretationem Kimchi significat *rem quamcunque superfluam et quae rem aliam degravat, quaeque digna sit ut rejiciatur;* talem Gerundensis dicit esse *carnem illam, quae operit coronam* (sic vocant Rabbini caput membri genitalis in masculis) *praeter eam nihil superfluum inveniri in corpore humano.* Ita nimirum carnalis populus in carnali circumcisione sibi blanditur. Dicitur autem pellicula illa ערלה, non quod sit res sua natura superflua et resecatione digna, sed quia glandem membri virilis tegit, abscondit et obturat. ** Hebraeis circumcisio dicitur מוּלָה, quae vox semel duntaxat in bibliis legitur Exod. 4, v. 26. et quidem in plurali מוּלוֹת a radice מוּל quiescente in secunda. Unde et Rabbinorum מִילָה et Chaldaeorum מְהוּלָא Arabibus חתאן et טחאן circumcisio 1. proprie notat *praeputii amputationem.* 2. *Synecdochice* totam illam sacramentalem ceremoniam aut etiam legalem observationem Act. 15, v. 1. Rom. 4, v. 10. 3. *Metaphorice* spiritualem cordis circumcisionem seu renovationem, quae vocatur περιτομὴ καρδίας Rom. 2, v. 29. ἀχειροποίητος Col. 2, v. 11. 4. *Metonymice* ipsum populum circumcisum Rom. 3, v. 30. c. 15, v. 8. 5. Significat vere pios ac spiritualiter corde circumcisos, Phil. 3, v. 3.** Ceterum Judaei non contenti amputatione praeputii pelliculam relictam unguibus acutis distendunt, lacerant et retro cogunt, ut glans magis appareat, hanc pelliculae repressionem vocant פריעה, quae longe majorem dolorem affert infantulo, quam ipsa circumcisio; Hebraei communiter asserunt, eam praecipi c. 5. Jos. v. 2: *Fac tibi cultros acutos et conversus circumcide filios Israël secundo.* Praeter circumcisionem et distensionem pelliculae adhibent etiam exsuctionem;
IX. 8. nam, is qui infantem circumcidit, sugit ore suo sanguinem a membro sauciato, quod vocant מְצִיצָה. ** Vide Buxdorfium in Synag. jud. c. 2.** In propria institutionis sede circumcisio vocatur בְּרִית, *foedus*, *pactum* Gen. 17, v. 14. inde Stephanus Actor. 7, v. 8. vocat διαθήκην περιτομῆς, quia scilicet circumcisio non externam solum pelliculae amputationem, sed etiam internam cordis purificationem et obligationem cum Deo complectitur et quia circumcisio externa fuit medium atque organum receptionis in foedus; dicitur etiam אוֹת בְּרִית, signum foederis, quia stigma ex circumcisione in carne relictum fuit et signum et sigillum divini foederis, interprete apostolo Rom. 4, v. 11. Notum est, circumcisionem in scriptis N. T. pro circumcisis usurpari, abstractum scilicet pro concreto, Rom. 3, v. 30. c. 15, v. 8. Galat. 2, v. 7. Ab interna ac spirituali circumcisione Christiani quoque nominantur circumcisio Phil. 3, v. 3: *Nos sumus circumcisio, qui Spiritu servimus Deo et gloriamur in Christo Jesu, non in carne confidentes.* Paulus Phil. 3, v. 2. pseudo-apostolos, qui docebant circumcisionem in N. T. esse adhuc necessariam, per contemtum vocat *concisionem*, quippe qui non amplius sacramentum circumcisionis, sed concisionem carnis docerent ac falsa doctrina et se et alios ab ecclesia rescinderent. Syris vocatur גְּזוּרְתָא a rad. גְּזַר scidit, praecidit, amputavit.

(Circumcisio est foedus et signum foederis.)

8. Rom. 2, v. 28. et 29. duplex statuitur circumcisio, *carnis scilicet et cordis*, σαρκὸς καὶ καρδίας, illa *dicitur fieri in litera*, *haec in spiritu*, *illius* laus *dicitur esse ex hominibus*, *hujus vero ex Deo*, illa dicitur χειροποιητὸς ἐν σαρκί Ephes. 2, v. 11. haec vero ἀχειροποίητος Col. 2, v. 11. Quae distinctio circumcisionis nequaquam eo trahenda, quasi circumcisio in V. T. etiam in vera fide suscepta tantum fuerit carnalis circumcisio absque ullo spirituali effectu, cujus contrarium ostendimus superius in tract. de sacram. §. 65. sed opposita est vanae Judaeorum gloriationi, qui ob carnalem circumcisionem sese efferebant, de circumcisione cordis et vera in Messiam fide nihil omnino solliciti. Exstant autem fundamenta hujus distinctionis in sequentibus V. T. dictis Lev. 26, v. 41: *Tunc humiliabitur cor ipsorum* הֶעָרֵל *praeputiatum, incircumcisum*, Thargum reddidit טַפְשָׁא *stultum.* Deut. 10, v. 16: *Circumcidite praeputia cordis vestri*, Thargum sic reddidit: *removete,* טַפְשׁוּת *stultitiam et iniquitatem cordis vestri.* Deut. 30, v. 6: *Circumcidet Deus cor tuum et cor seminis tui*, *ut diligas Jehovam Deum tuum toto corde tuo.* Jerem. 4, v. 4: *Circumcidite vos Jehovae et auferte praeputia cordis vestri*, Thargum רֶשַׁע impietatem. c. 6, v. 10: *auris eorum est incircumcisa*, Thargum אִטְפְּשַׁת *stulta facta est* (id imitatur Stephanus Actor. 7, v. 51: ἀπερίτμητοι τῇ καρδίᾳ καὶ τοῖς ὠσίν, *incircumcisi corde et auribus*). Jerem. 9, v. 26: *Omnes gentes sunt praeputiatae et omnis domus Israël est praeputiata corde.* Ezech. 28, v. 10: *Morte incircumcisorum morieris*, Thargum רְשִׁיעִין impiorum, qui sunt graves peccatis, quorum cor gravatum est carne, c. 44, v. 9: *Incircumcisus corde et incircumcisus carne.* Theophylactus in c. 2. Rom.: *Circumcisio juxta carnem apparens carnalis est; circumcisio vero secundum spiritum est carnalium affectuum resectio.* Inde quidam triplicem statuunt circumcisionem, *primam Hebraeorum*, *secundum Christianorum*, *tertiam beatorum.* (Circumcisio carnis et cordis.)

9. Auctor circumcisionis est Deus אֵל שַׁדַּי Gen. 17, v. 1. Is namque foedus cum Abrahamo ejusque posteris initurus circumcisionis sacramentum instituit, ut esset medium, per quod Israëlitae in foedus illud reciperentur et promissio foederalis gratiae IX. 9. (Auctor circumcisionis.)

illis obsignaretur. Joh. 7, v. 22. circumcisio dicitur esse *ἐκ τῶν πατέρων*, non quod sit *πατρικὴ* quaedam *παράδοσις* praeter vel contra Dei mandatum introducta, sed quia ante Moysen fuit instituta et a patribus ex Dei mandato usurpata. Herodotus in Euterpe scribit, *circumcisionem Hebraeos ab*
IX. 10. *Aegyptiis accepisse*, sed Moyses diversum testatur, videlicet Abrahamo et posteris ejus circumcisionem
IX. 11. fuisse demandatam, antequam in Aegyptum descenderint. Dispensator ac minister circumcisionis primitus administratae fuit Abraham patriarcha sanctissimus, *qui aedificavit Deo altare in Bethel et invocavit nomen Jehovae* Genes. 12, v. 8. c. 13, v. 4. *qui praecepit filiis suis et domui suae post se,*
IX. 12. *ut custodirent viam Jehovae facerentque justitiam et judicium* Genes. 18, v. 19. *qui fuit propheta ab ipso* Deo appellatus Genes. 20, v. 7. is est, qui ex mandato divino et se et filium Ismaëlem atque omnes viros domus suae circumcidit Genes. 17, v. 24. Idem etiam circumcidit Isaacum Genes. 21, v. 4. ex quo intelligitur, patriarchas velut capita familiae et doctores ecclesiae circumcisionis sacramentum administrasse usque dum institueretur sacerdotium Leviticum, cui una cum aliis ecclesiastici ministerii partibus ordinariam hujus sacramenti administrationem postea cessisse probabiliter statuimus. Sic Matthias sacerdos liberos eorum, qui ad ethnicas superstitiones defecerant, circumcidit 1. Maccab. 2, v. 46. (hodie apud Judaeos non sacerdos, sed chirurgus praeputium abscindit in synagogis, quem vocant המוהל circumcisorem); extraordinarium est, quod Josua princeps Israëlitici populi peculiari Dei mandato instructus filios Israël in colle Aroloth circumcidit Jos. 5, v. 3. quodque Sephora in casu necessitatis Moyse letaliter aegrotante praeputium filii circumcidit Exod. 4, v. 25. uti etiam feminae Israëliticae tempore persecutionis 1. Macc. 1, v. 63. 2. Macc. 6, v. 10. ex quo generalis regula exstruitur, quod *sacramentum initiationis in extremo necessitatis casu pie administrari possit ab aliis ecclesiae membris, ubi ordinarius minister haberi non potest.*

Minister circumcisionis.

Verbum in circumcisione.

10. Ut autem in omni sacramento, ita quoque in circumcisione accessit verbum ad elementum, ut inde fieret sacramentum. Verbum requiritur *tum institutionis, tum etiam promissionis*, quemadmodum haec omnia perspicue describuntur Genes. 17, v. 7: *Statuam pactum meum inter me et te, inter semen tuum post te in generationibus suis foedere perpetuo, ut sim tibi in Deum et semini tuo post te;* v. 8: *daboque tibi et semini tuo post te terram peregrinationum tuarum, nempe totam terram Canaan, in possessionem perpetuam, eroque eis in Deum* (hoc est verbum promissionis); v. 10: *hoc est pactum meum, quod observabitis inter me et vos atque inter semen tuum post te, ut circumcidatur in vobis omnis masculus* (hoc est verbum institutionis); v. 11: *circumcidetis vero carnem praeputii vestri* (haec est externa et in oculos incurrens ceremonia circa visibile illud materiale sive elementum externum, praeputium scilicet, quod resecabatur, occupata). Observandum vero, promissionem illam verbo annexam non solum corporalia beneficia complecti, sed etiam Dei gratiam, remissionem peccatorum et vitam aeternam, propter Christum ex semine Abrahae nasciturum, uti demonstravimus superius §. 63. et seqq. quo pertinet formula benedictionis, quam referente D. Chemnicio in c. 9. Harm. Israëlitae in circumcisione olim usurparunt: *Deus vivus, pars nostra et protector noster, praecepit erui animam nostram ab inferis propter foedus suum, quod posuit in carne nostra.*

Materiale hujus sacramenti.

11. Fiebat autem circumcisio, id est praeputii amputatio, in membro genitali. Probrosum hoc et infame visum fuit gentibus, unde dicteria illa, quod Judaeos vocarint *apellas* et *recutitos*, quin et Mani- IX. 13.
chaeus *obscoenum characterem* nominavit circumcisionem (vide Augustinum lib. 5. 6. et rel. contra Faustum), sed contra absurdum rationis judicium Dei sapientiam intueamur ac revereamur, cui placuit in illa corporis parte circumcisionem adhiberi, cum primis ut de venturo semine ex Abrahae posteris nascituro Israëlitae hac ceremonia admonerentur. Deinde ut ostenderetur peccatum originale per generationem in posteros traduci, quod ex carne nascitur esse carnem, ideoque spirituali circumcisione sive regeneratione ac renovatione indigere. Denique ut significaretur, quicquid damnationis e carnali nativitate contraxerant infantes, per circumcisionis sacramentum illis adimi. Ea parte convenienter susceperunt infantuli regenerationis sacramentum, unde sortiti erant generationis initium. Thomas p. 3. qu. 70. art. 3: *Fiebat circumcisio in membro generationis propter tria: 1. quia erat signum fidei, qua Abraham credidit, Christum ex semine suo nasciturum; 2. quia erat in remedium originalis peccati, quod per actum generationis traducitur; 3. quia ordinatur ad diminutionem carnalis concupiscentiae, quae praecipue in membris illis viget.* Biel 4. sent. dist. 1. quaest. 4. art. 4. ex Alexandr. p. 4. quaest. 7: *Circumcisio erat instituta contra peccatum originale, jam vero peccatum originis contrahitur per libidinosam propagationem, quam repraesentabat circumcisio ratione membri, in quo fiebat; processus etiam illius morbi fuit circularis, quia secundum Anselmum persona peccans, scilicet Adam, primo corrupit naturam, deinde natura personam, hoc repraesentatur per circularem pelliculae incisionem. Effectus morbi originalis est superabundantia concupiscentiae, quam minuit sacramentum circumcisionis, quod significatur per remotionem superfluitatis pellis abscissae.* Philippus Melanthon in die circumcisionis: *Circumcisio instituta fuit in illa parte corporis, ut de venturo semine admoneret circumcisos. Haec principalis significatio, deinde accedant aliae: praeciditur particula a membro generationis, significatur hanc naturam lapsam et nunc destinatam morti et hanc pelliculam abjiciendam esse. Deus etiam posuit in hac parte notam, ut cogitemus, Deum velle,*

Quare in ea corporis parte praecepta fuit circumcisio.

ut haec membra sint sancta et sancte utamur generatione.

Instrumentum circumcisionis. 12. Instrumentum circumcisionis erat *culter*, vel acutus in cote politus, vel lapideus ex petra paratus, Exod. 4, v. 25: *Zippora tulit* צוֹר, *petram, et amputavit praeputium filii sui.* Jos. 5, v. 2: *Fac tibi* חַרְבוֹת צֻרִים *cultros petrarum sive petrinos.* ** חֶרֶב gladium πρώτως notat a חרב *exsiccatus est*, metaphor. *devastatus est*, quia gladius exsiccat hominem sanguine eumque devastat. Avenarius in lex. pag. 276. Schindlerus vult, significare omne instrumentum, quod scindit et findit, sive ferrum sit sive lapis acutus, ut gladius, culter, novacula, securis, bipennis, aratrum, malleus, quo lapides caeduntur, in lex. pag. 648. cui concinit Buxdorffius in lex. pag. 255.** Ex his locis quidam colligunt circumcisionis instrumentum fuisse cultrum petrinum, silicem quendam acutissimum, tradunt enim, in oriente reperiri lapides, qui novaculae instar scindunt, cui rei adamas fidem facere posset. ***Accepit Zipora* צֹר *petram, saxum acutum,* non quod cultro petrino necessario fieri deberet circumcisio, uti sensit Augustinus, sed quia consternatae et festinanti matri talis culter primus occurrit, praesertim cum haec circa Arabiam Petraeam, ubi est Sina et Madian, contigerunt, in qua major petrarum quam ferri est copia et usus, unde petras isti exacuunt instar ferri ex eisque cultros efficiunt acutissimos. Junius et Tremellius exponunt *cultrum acutum*, cum non sit verisimile, familiam et quidem pastores destitutos fuisse tam necessario ad multa instrumento. Piscatori *vox Hebraea* צוּר *videtur primo significare* acumen sive aciem, *deinde* petram *sive* rupem *per meton. adjunct. nam acumen est, ubi corpus in angustum abit,* צוּר *autem verbum est angustare et sic gladiolus aciei phrasi Hebraea idem est, quod gladiolus acutus.* Exod. 4, v. 25. reddidit Lutherus: Zipora nahm einen Stein und beschnitt ihren Sohn. Praebet hoc admonitionem de Christo *petra salutis, in quo circumcidimur circumcisione non manu facta* Col. 2, v. 11. Andreas Masius in c. 5. Josuae p. 83: *Illud* חַרְבוֹת צוּרִם, *quod nos convertimus* gladios saxeos, *interpretatur Chaldaeus* acutos gladiolos *aut* novaculas, *eumque sequitur vulgus Judaeorum, ut solet. At veteres novaculas saxeas dicendum esse putaverunt in eo commentario, qui Genesis magna est appellatus. Atque ille Chaldaeus, qui Moysis libros convertit, quem Onkelum vocant, illud* צוּר, *quo Moysis uxor filio praecidebat praeputium,* טינרא, id est silicem, *convertit, non aciem. Quin ego affirmare ausim* צוּר *nuspiam in sacris literis* aciem *significare, sed* silicem *aut* saxum *ubique* etc.** In Hispania insula ferro ca-
IX. 14. rent et pro hoc utuntur cote acuto, ita LXX interpretes Jos. 5, v. 2: *fac tibi μαχαίρας πετρίνας ἐκ πέτρας ἀκροτόμου, cultros lapideos ex petra acuta.* Quidam vero et inter hos D. Lutherus in annot. marginal. Jos. 5. statuunt μετωνυμικῶς per petram intelligendum esse cultrum acutissimum in cote politum; quia enim cultri acuuntur petris, ideo videri cultrum petrarum positum esse pro cultro acuto. Confirmatur haec expositio 1. ex Psalm. 89, v. 44. *avertisti* צוּר, *petram sive aciem gladii ejus.* 2. Sam. 2, v. 16: *et vocavit locum illum* חֶלְקַת הַצֻּרִים *agrum gladiorum acutorum, eo quod omnes ibi interfecti sunt gladiis.* 2. Ex paraphrasi Chaldaica Jonathan, Jos. 5. ubi cultri petrini vertuntur *per novaculas acutas.* 3. Ex praxi Judaeorum, qui etiamnum hodie utuntur novaculis acutis chalybeis, referente Münstero in cap. 4. Exodi, quarum tamen capuli sunt lapidei; mortuos ante octavum diem aut abortivos masculos circumcidunt lapide fissili, mit einem Schieferstein, referente Schindlero in lexico in voce צוּר. Culter lapideus ἀλληγορικῶς ab Augustino lib. 2. contra Pelag. et Coelest. cap. 31. Theodoreto quaest. 5. in Jos. et aliis ita exponitur 1. quod significet principalem auctorem purgationis Christum, qui est petra salutis, 1. Cor. 10, v. 4; 2. quod denotet duritiem ac σκληροτραχηλίαν populi Judaici Ezech. 3, v. 7: *Universa domus Israël dura fronte et duro corde est.* Zachar. 7, v. 12: *Cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem et verba illa, quae miserat Jehovah exercituum in spiritu suo per manum prophetarum;* 3. quod innuat cultro legis divinae in tabulis lapideis scriptae carnis concupiscentias resecandas esse.

13. Objectum circumcisionis **est vel *generale* vel *speciale*. *Generale* est τὸ ἀρσενικόν, omne masculinum seu omnis masculus in domo Abrahae. *Speciale* sunt certi masculorum ordines: 1. qui ex generatione Abrahae; 2. servi domi nati seu vernae; 3. servi emti, quia servi emti et ex servis nati membra fiunt familiae; 4. proselyti non solum religione, sed etiam cohabitatione Israëlitis juncti.** Masculi Israëlitici fuerunt, Abraham et omnes pueruli ex ipsius posteritate nati. Quod ad proselytos, hoc est conversos ex gentibus ad Deum Israëlis, attinet, occurrit quaedam differentia, qui enim in medio populi Israëlitici habitare, connubia cum illis jungere atque una pascha celebrare cupiebant, illi omnes et singuli circumcisionem in carne sua suscipere tenebantur. Gen. 24, v. 15. Exod. 12, v. 44. sicut patriarcha Abraham non solum filium suum Ismaëlem, sed etiam *omnes viros domus suae, et argento emtos et e domesticis natos circumcidit,* Genes. 17, v. 27. reliquae vero gentes proselytae ad circumcisionem non adigebantur, ut exemplo Naamanis Syri et aliorum constat. **Jodocus Ravenstein in apolog. concil. Trident. contra Chemnic. p. 27. fingit, *peculiarem quendam ritum Judaeis fuisse usitatum, quo peccatum originis in foemellis fuerit expiatum, qui cum non exstat descriptus, inde* concludit, *non omnia ad salutem Judaeis necessaria scripto fuisse a Moyse comprehensa.* Idem urget Bellarminus lib. 4. de verbo Dei cap. 4. et Jesuitae in colloqu. Ratisbon.** Respondemus: IX. 15
quamvis femellae Israëliticae non circumciderentur, tamen a foedere gratiae cum Abrahamo patre omnium credentium inito non fuerunt exclusae: 1. quia promissio foederis est generalis: *ero Deus tuus et*

Object circumcisionis. An feminae Israëliticae a foedere fuerint exclusae.

Deus seminis tui, quae data erat promiscue tam feminis quam masculis ex Abrahae posteritate natis, ideo ut Abraham dicitur *pater credentium*, Rom. 4, v. 11. ita Sara dicitur *mater fidelium*, 1. Petr. 3, v. 6. atque in catalogum fidelium annumeratur Hebr. 11, v. 11. mulier per annos 18 curvata dicitur *filia Abrahae* Luc. 13, v. 16. Signum foederis in carne sua soli quidem masculi recipiebant, interim tamen hac ipsa masculorum circumcisione totum populum sibi Deus consecrabat et foedus omnibus Abrahae posteris confirmabat, Genes. 17, v. 7. internam cordis circumcisionem per externam pelliculae amputationem in masculis, sed peculiari modo in foemellis operando et fide corda eorum purificando. 2. Quia foemellae Israëliticae non solum nascebantur ex patribus circumcisis ac per connubia cum maritis circumcisis fiebant una caro, sed etiam reverenter de circumcisione sentiebant ac foederis divini cum circumcisis initi fide reddebantur participes. 3. Inde est, quod ex foedere illo non minus efficaces consolationes petebant, quam ipsi masculi circumcisi, Judith. 9, v. 15. 4. Quin etiam habitae fuerunt pro circumcisis, alias non licuisset eis comedere pascha, Exod. 12, v. 48. 5. Ac peculiares leges pro puerperis, quae filiam pepererant, divinitus institutae fuerunt, non minus ut pro illis, quae masculum pepererant Levit. 12, v. 6. Hugo 1. de sacrament. p. 12. c. 2: *Salvabantur feminae sola fide, sacrificiis et oblationibus aliisque legis ceremoniis purificatae.* Hujus loci est observatio illa, *quod foemellis non minus quam circumcisis masculis die octavo nomen dabatur*, referente Mercero in c. 17. Genes. Quae omnia luculenter probant, quod foemellae Israëliticae pro contemtricibus circumcisionis haberi non potuerint, quippe cujus non erant capaces, ac proinde quod a foedere gratiae cum Abrahamo et posteris ejus inito non fuerint exclusae, ut non sit necesse cum Jesuitis in colloquio Ratisbonensi excogitare externum aliquod remedium contra peccatum originale in foemellis, cujus nec in Scriptura, nec in Rabbinorum vel patrum ecclesiasticorum monumentis ullum monstrari potest vestigium.

Cur solis masculis praecepta circumcisio.

14. Quare vero soli masculino sexui imposita fuit circumcisio? Durandus lib. 4. distinct. 1. quaest. 6. censet id factum ideo, *quia solus masculinus sexus sit causa traductionis peccati originalis.* Richardus ibidem adducit similem rationem, quod *corruptio naturae principalius sit a viro quam muliere.* Sed propheta regius non minus a matre quam a patre peccati originalis venenum se hausisse testatur, Psalm. 51, v. 7: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum et in peccatis calefecit me mater mea.* Lyranus in c. 17. Genes. alias profert rationes (quas Biel 4. sent. dist. 1. qu. 4. vocat pulchriores): *Circumcisio signum fuit distinguens Israël a gentibus, in quantum habebant veram fidem et cultum unius Dei, et datum fuit istud signum tempore legis naturae et ideo debuit dari in sexu per se intento a natura, qui est sexus masculinus, secundum enim philosophum femina est mas occasionatus.* Item: *Fides illa et cultus derivabantur tunc temporis ad alios per generationem carnalem, in quantum patres docebant filios de talibus. In masculo vero est principium generationis activum et ideo solis masculis* IX. 16. *datum est praedictum signum.* Sed hae rationes sunt non ita pulchrae, cum non solum masculus, sed etiam foemella intendatur a natura, cumque non tam fides et cultus Dei, quam peccatum per generationem carnalem in liberos propagatur. Dicimus ergo, primam et principalem causam, quare solis masculis imposita fuerit circumcisio, esse Dei voluntatem, cujus rationes intellectus nostri tenebris non sunt obviae. Probabiliter statui potest, Deum parcere voluisse sexui infirmiori periculis et doloribus partus alioquin onerato. Quidam addunt, feminas per naturam circumcisionis non esse capaces, sed analogum quid locum hic habere potuisse, ostendit exemplum Aethiopum Christianorum, qui hodieque et masculos et feminas circumcidunt, de quo postea. D. Lutherus in cap. 17. Genes. dicit, ideo masculos circumcisos, non feminas, *ut e femina, non e viro nasciturus Messias* ostenderetur. Origenes homil. 14. in Luc.: *Circumcisio quia fiebat in masculis, circumcisionem designabat mentis, quae rationem masculi habet.* **In eo, quod femineus sexus a circumcisione excipitur, 1. naturae ratio habetur; 2. propagatio et nomen ad patrem non ad matrem refertur; 3. propter unam virginem Mariam, ex qua Christus erat nascendus, parcit Deus toti sexui femineo.**

Quid statuendum de infantibus ante circumcisionem susceptam mortuis.

15. Quid statuendum de infantibus vel in utero exstinctis, vel ante octavum diem mortuis? Gretserus in Coll. Ratisb. q. 44. disputat, *non posse ostendi locum in tota Scriptura, qui promittat illis beatitudinem*, ex quo consequens fuerit, illos aeternae mortis nexibus teneri allegatos. Atqui 1. illi infantuli non possunt haberi pro transgressoribus divinae ordinationis, quae expresso Dei mandato ad diem nativitatis octavum erat adstricta. *Ubi non est lex, ibi nec est transgressio* Rom. 4, v. 15. Jam vero infantibus ante octavum nativitatis diem decedentibus non erat lata lex circumcisionis, ergo nec pro praevaricatoribus legis possunt haberi, et per consequens adversus illos non est vibrandum fulmen illud: *masculus cujus caro non fuerit circumcisa, eradicabitur anima ejus ex populo suo* Gen. 17, v. 14. 2. Regula Augustini lib. 4. contra Donat. c. 22. et Bernhardi epist. 77. verissima est: *Non privatio, sed contemtus sacramenti damnat.* Jam vero infantes illi non possunt haberi pro contemtoribus circumcisionis. Ergo etiam temere non sunt damnandi. 3. Benignissimus Deus, qui promisit se fore *Deum Abrahae et seminis illius* Gen. 17, v. 7; qui *non vult, ut ullus parvulorum pereat* Matth. 18, v. 14, sed eos sibi *adduci* jubet Marc. 10, v. 14. tales infantes per parentum preces sibi oblatos in gratiam recepit et quod in aliis per circumcisionis sacramentum ordinarie operatus est, extraordinarie per Spiritum sanctum interius perfecit; neque enim se ipsum, sed nos ad sacramenta tanquam media

gratiae ordinaria alligavit. 4. Si omnes infantes ante susceptam circumcisionem demortui a salute excludendi sunt, consequens fuerit, sanctissimos illos martyres, Hebraeorum masculos, qui vixdum in lucem editi jussu Pharaonis in profluentem abjecti sunt Exod. 1, v. 22. infantes a tyranno Antiocho ante susceptam circumcisionem occisos 1. Maccab. 1, v. 51. 64. ut et masculos Bethleemiticos a satellitibus Herodis nondum accepta circumcisione trucidatos Matth. 2, v. 16. aeternum damnatos esse, quod absurdum esse quilibet intelligit. 5. Quid dicemus de infantibus natis tempore commorationis in deserto? An existimabimus, toto illo 40 annorum decursu, in quo intermissa fuit circumcisio, nullos plane infantes Israëliticos esse mortuos; vel si mortui fuerunt, ab aeterna salute esse exclusos? At si Moyses judicasset, circumcisionem simpliciter et absolute ita necessariam esse ad salutem, ut ne quidem in casu necessitatis sine externa circumcisione quisque salvari posset, utique curasset illos potius circumcidendos cum praesentissimo temporalis vitae periculo, quam differendo circumcisionem de salute eos periclitari permisisset. 6. Quidam huc
IX. 17. referunt filiolum Davidis ex Bethsabea natum, qui licet ante octavum diem circumcisioni destinatum moreretur, David tamen se ad eum venturum testatur, non utique in sedem damnationis, sed beatitudinis 2. Sam. 12, v. 23. (alii tamen computationem diei septimae, qua infans ille mortuus est, ordiuntur non a tempore nativitatis, sed morbi). Haec omnia perpendens Biel lib. 4. sent. dist. 1. q. 4. sic scribit: *De pueris ante circumcisionem defunctis quidam, inter quos Magister* (Lombardus), *dixerunt, quod perierunt in peccato originali, sed hoc nimis durum nec veritati consonum, fuisset enim deterioris conditionis sub lege Moysis quam sub lege naturae et similiter quam foemellae. Ideo Hugo et Alexander dicunt, quod parvuli illi salvati fuerunt in fide parentum, quia praeceptum de circumcidendo non obligabat nisi venientes ad octavum diem. Praeterea Deus specialiter dispensavit cum filiis Israël in deserto: 1. Quia incerti fuerunt in dies et horas, quando progredi et labore itineris fatigari oporteret. 2. In deserto non fuerunt mixti inter gentes. Ergo non debebant ab illis distingui. 3. Voluit Dominus, propter figuram circumcisionem differri, ut una generalis circumcisio fieret in introitu terrae promissionis in signum illius spiritualis fiendae in ablatione omnis corruptionis in corporibus resuscitatis electorum in generali introitu in patriam futuro.* Haec Biel ex Alex. q. 7. membr. 6. art. 1. et Paludano 4. sent. dist. 1. q. 5. art. 3. concl. 1. Vide etiam tractatum praecedentem §. 53. et tr. Germ. de baptismo c. 26. ubi de infantibus ante baptismum decedentibus late actum fuit; cumprimis vide D. Lutherum tom. 2. Jen. Lat. p. 133. tom. 8. Jen. p. 51. tom 12. Witeb. p. 184. in c. 17. Gen. p. 81. et seqq. Quid statuendum sit de parvulis, qui cum diem octavum supervixissent, nihilominus circumcisi non sunt, et quae sit genuina sententia comminationis illius, quod anima masculi non circumcisi ex populo Dei sit exterminanda, de eo diximus tract. praeced. §. 66.

Quare Christus circumcidi voluerit.

16. Cum circumcisionis finis principalis fuerit interior regeneratio, in foedus Dei receptio et a peccato originali liberatio, merito quaeritur, cur Christus, qui in utero matris fuit sanctus Luc. 1, v. 35. qui sine peccato conceptus et natus, qui est *unicus homo in gratia* Rom. 5, v. 15. in quo impleta est promissio foederalis de semine nascituro, cur, inquam, ipse aliorum corda circumcidens circumcidi voluerit? Praecipua causa est solennis obligatio coram Deo, quod velit onus legis in se transferre, perfectam obedientiam illi loco nostri praestando et poenas peccatis nostris debitas in se recipiendo. Quando enim circumcisio non usurpatur ut *signaculum justitiae fidei*, est obligatio totius legis servandae Gal. 5, v. 3. Rom. 2, v. 25. Christus igitur, qui ratione suae personae non fuit sub lege, cum secundum divinam naturam sit legis Dominus et secundum humanam naturam sine peccato de Spiritu sancto conceptus, pro nobis ipsa circumcisionis susceptione factus est sub lege et solenniter se obligavit ad plenam persolutionem in circumcisione coeptam, in passione completam. D. Chemnicius cap. 9. Harm. p. 190. Huc pertinent suavissima dicta. **Damascenus lib. 4. cap. 26: *Christus circumcisus est, ut legem impleret et sisteret.* Bernhardus serm. 3. de circumc. col. 66: *Nonne et in membris nostris saepe pro unius infirmitate alteri adhibetur curatio? dolet caput et in brachio fit coctura; dolent renes et fit in tibia. Ita hodie pro totius corporis putredine cauterium quoddam infixum est in capite. Denique quid mirum, si pro nobis dignatus est circumcidi, pro quibus dignatus est mori? totus siquidem mihi datus et totus in meos usus expensus est.*** Idem sermon. 2. de circumcis. col. 64: *Non est quaerere Christianis, quare voluerit Dominus Christus circumcidi; propter hoc circumcisus est, propter quod natus, propter quod passus, nihil horum propter se, sed omnia propter electos* etc. *Ex hoc operari coepit salutem nostram immaculatum illum pro nobis san-* IX. 18.
guinem fundens. Idem serm. 3. de circumcis. col. 66: *Quid mirum si caput pro membris accepit curationem, quam tamen in se ipso non habuit necessariam? Etiam nutrix pro infante accipit medicinam.* Hector Pintus in c. 28. Ezech. ex Bernhardo: *Solent aliquando periti medici, quando aegrotus totius corporis torpedine laborat, capitis venam scindere, ut sanguine effuso possit corpus malo illo liberari, Christus est caput nostrum, nos autem membra. Scinditur vena capitis, ut totum corpus sanetur, patitur Christus, ut genus humanum redimatur.* Nimirum obtulit Christus in circumcisione primitias sui sanguinis DEO Patri ac spopondit, se perfectissimam nostri loco obedientiam praestiturum. Quemadmodum David regis filiam in uxorem ducturus et pugnare et centum praeputia Philistaeorum in dotem sponsae patri afferre tenebatur 1. Sam. 18,

v. 25. ita quoque Christo, vero illi Davidi, cum ecclesiam in sponsam sibi vellet copulare, tam pugnare quam praeputium suum coelesti Patri afferre fuit necesse. Possunt deinde addi causae aliae, propter quas Christus circumcisionem susceperit: 1. Ut veritatem humanae suae naturae ostenderet. Ne quis enim existimaret, ipsum in phantasmate apparuisse, quae fuit Manichaeorum haeresis, vel carnem suam coelò detulisse, quae fuit Valentinianorum opinio; ideo carnem praeputii secundum legem ut verus homo sibi praecidi patitur. Bernhardus serm. 1. de circumc. col. 63: *Circumcisio veritatem susceptae probat humanitatis et nomen, quod est supra omne nòmen, gloriam indicat majestatis.* 2. Ut ostenderet, se esse verum semen Abrahae. Circumcisio inter alios fines semen Abrahae ab omnibus aliis gentibus discernebat, ut ostendit Damascenus lib. 4. orth. fid. c. 26. Christus igitur circumcisionem in carne sua suscepit, ut semini Abrahae connumeraretur. 3. Ut confirmaret circumcisionem Abrahae praeceptam. Quia in mundum venerat nos purificaturus, ideo medium illud, quo tum temporis caro mundabatur, respuere nolebat. Epiphanius lib. 1. tom. 2. haeres. 30. contra Ebionitas: *Christus* (inquit) *circumcidi voluit, ut ostenderet, se ipsum in veritate carnem assumsisse contra Manichaeos, ut confirmaret circumcisionem, quam olim dederat, juste inserviisse usque ad suum adventum.* 4. Ut Judaei non haberent excusationem. Si enim circumcisus non fuisset, poterant dicere: non potuimus Christum suscipere, quia circumcisus non est. Epiphanius d. l. ἵνα Ἰουδαῖοι ἀναπολόγητοι ὄντες ἐλεγχθήσονται. 5. Ut ostenderet, figuram circumcisionis in se impleri atque illa impletione finem imponi ceremoniis V. T. Epiphanius d. l. ἵνα περιτμηθεὶς εὐλόγως καταλύσῃ τὴν περιτομὴν καὶ ἄλλην μείζονα δείξῃ. Ambrosius lib. 9. epist. 74: *Si peccatum factus est, ut nostra peccata mundaret, si maledictum, ut legis maledicta vacuaret, etiam circumcisus pro nobis est, ut circumcisionis legem auferret, daturus salutem crucis.* Augustinus serm. 13. de temp.: *Dominus suscepit umbram, daturus lucem; suscepit figuram, impleturus veritatem.* 6. Ut virtutem obedientiae suo exemplo comprobaret et sacramentorum usum nobis commendaret. Bonaventura 4. sent. dist. 3. q. 5. art. 1: *Christus circumcisus est in fidei argumentum, in humilitatis exemplum, in legis complementum.* Has rationes omnes et singulas complectitur Thomas part. 3. q. 37. art. 1: *Christus circumcisus est: 1. ut ostenderet veritatem humanae carnis; 2. ut approbaret circumcisionem, quam olim Dominus instituerat; 3. ut approbaret, se esse de genere Abrahae; 4. ut tolleret Judaeis excusationem, ne eum reciperent, si esset incircumcisus; 5. ut obedientiae virtutem nobis suo commendaret exemplo; 6. ut, qui similitudinem carnis peccati acceperat, remedium, quo caro peccati consueverat mundari, non respueret; 7. ut legis onus in se suscipiens alios a legis onere liberaret.* Gal. 4, v. 5. Easdem repetit Lyranus in c. 2. Luc. Nec absurde dici posset, Christum ideo etiam circumcidi voluisse, ut ostenderet, circumcisionem patrum in V. T. ex eo vim habuisse contra peccatum originale, quia in carne sua ipsemet eam suscepit, quemadmodum contactu sui corporis aquas baptismi in N. T. sanctificasse rectissime pronuntiatur. Lactant. lib. 4. instit. c. 15: *Christus circumcisus est, ut quemadmodum Judaeos suscepta circumcisione, sic etiam gentes suscepto baptismo salvaret.* IX. 19.

17. Tempus circumcisionis triplex est, *institutionis, administrationis et durationis.* Tempus institutionis incidit in annum mundi 2048. aetatis Abrahae 99. Gen. 17, v. 1. Quid patriarchis et fidelibus ante institutam circumcisionem sacramenti vicem suppleverit, expositum est tract. praeced. §. 64. Ideo autem circumcisionis institutio usque ad Abrahae tempus dilata fuit, quia tum demum certum populum sibi Deus elegit, cui facta est promissio de Messia, voluit igitur, hunc populum a reliquis gentibus circumcisionis sacramento esse distinctum. **Cur Abrahamo demum hoc sacramentum datum sit, hasce causas proferunt: 1. quia Abraham primus fuit, qui se ab infidelibus et a cultu idolorum divina vocatione ex Ur Chaldaeorum evocatus segregavit; 2. quia primus promissionem semini suo accommodatam accepit; 3. non amplius tam crebra erant Dei colloquia et apparitiones. Ante legis promulgationem institui fuit conveniens: 1. quia populus Dei ab aliis populis evidenti aliquo signo prius erat segregandus, quam lex traderetur; 2. quia populus tunc paucitate adhuc aliqua erat constitutus et sic facilius ad suscipiendam circumcisionem potuit persuaderi. Huterus.** Tempus administrationis statuitur dies a nativitate octavus, Gen. 17, v. 12: *Omnis masculus octo dies natus circumcidetur in vobis.* Lev. 12, v. 3: *Die octavo circumcidetur caro praeputii ejus.* Juxta hanc Dei ordinationem Isaacus circumciditur, cum natus esset dies octo Gen. 21, v. 4. Johannes baptistas Luc. 1, v. 59. Christus ipse Luc. 2, v. 21. Merito autem propter divinam ordinationem tanti fuit habita diei octavae observatio, ut si vel maxime in sabbathum incideret, nihilo tamen minus circumcisionis sacramentum administraretur Joh. 7, v. 23: *Si circumcisionem accipit homo in sabbatho, ut non solvatur lex Moysis, et mihi succensetis, quia totum hominem sanum feci in sabbatho?* Rabbini dicunt: *Circumcisio propellit sabbathum, ut non desinat circumcisio sabbatho fieri, si in illud incideret dies octavus.* Quare autem octavus demum a nativitate dies huic sacramento fuit destinatus? 1. DEUS φιλάνθρωπος valetudini et vitae infantum tenellorum consulere voluit, ut prius aliquid virium reciperent, quam vulnere illo laederentur. Auctor commentarii עקידת יצחק inquit, quod *ille sit primus dies, quo infans exit a generali membrorum debilitatione, in qua erat exiens ab utero.* Notum est, diem septimum medicorum judicio esse criticum etc. 2. Partus septem diebus impurus erat ex sanguine, octavo autem demum die purus habebatur. Exod. 22, v. 30: *Septem dies erit* (pecus

Tempus circumcisionis.

Quare dies octavus circumcisioni destinatus?

tuum primogenitum) *cum matre sua*, *die autem octavo dabis illud mihi.* Lev. 12, v. 2: *Mulier si pepererit masculum*, *immunda erit septem diebus*, *juxta dies separationis morbi sui immunda erit.* Octavus a nativitate dies etiam apud gentiles erat lustricus referente Ludov. Vive in lib. 16. August. de civ. Dei c. 26. 3. Subest etiam ratio mystica. Cyprianus lib. 3. epist. 8: *Quod in Judaica circumcisione carnali octavus dies observabatur*, *sacramentum est in umbra atque in imagine ante praemissum*, *sed veniente Christo in veritate completum. Nam quia octavus dies idem post sabbathum primus futurus erat*, *quo Dominus resurgeret et nos vivificaret et circumcisionem nobis spiritualem daret*, *hic dies octavus*, *id est post sabbathum primus et Dominicus*, *praecessit in imagine.* Augustinus lib. 2. contra literas Petiliani c. 37: *Circumcisio octavae diei*, *quae patribus data est*, *praenuntiabat justifica-*
IX. 20. *tionem nostram*, *ut exspoliationem carnalium concupiscentiarum per resurrectionem Domini*, *quae post septimum*, *id est sabbathi diem*, *octavo die*, *id est Dominico*, *facta est*, *qui dies tertius post sepulturam ejus occurrit.* Idem repetit epist. 89. lib. 16. de civ. Dei c. 26. in qq. V. T. q. 29. etc. Potest etiam alia dari ratio mystica. Septem dies denotant praesens vitae tempus, quae per septem dies, id est continuo hebdomatum sine septimanarum decursu terminatur; octavus dies notat tempus resurrectionis, in quo plenaria carnis expurgatio et universalis *regeneratio* sequetur Matth. 19, v. 28. perinde ut in introitu promissae terrae Canaan generalis circumcisio divinitus praecipiebatur Josuae 5, v. 4. 4. Nec absurde dici posset, determinatione diei octavae subinnui circumcisionem non ita simpliciter et absolute esse necessariam ad salutem, quo minus Deus in casu necessitatis extraordinarie possit operari. Novit enim Deus, multos infantes praestitutum octavum diem non attingere, quos absoluto quodam decreto a salute rejectos dicere repugnat promissioni: *ero Deus tuus et Deus seminis tui.* 5. Lyra in c. 17. Gen. profert aliam rationem. Tempus octo dierum non poterat anticipari, sicut nec animalia ante octavum diem poterant Deo offerri, quia ante sunt quid imperfectum, perfecta autem Deo attribuenda. 6. Glossa ibid: *Mystice per dies intelliguntur anni secundum illud Ezech.* 4: *Diem pro anno dedi tibi; infans enim octo annorum incipit habere usum rationis et tunc restringendus est a turpibus et inhonestis*, *per quam restrictionem intelligitur circumcisio spiritualis.* 7. Hebraei addunt, debuisse sabbathum praeterire, quo foedus sanctificaretur.

An Hebraei semper expectarint diem octavum.

18. Determinatio illa diei octavae omnes et solos infantes Israëliticos spectat. Quod omnes infantes spectet, ex ipso ῥητῷ manifestum Gen. 17, v. 12: *Omnis masculus octo dies natus circumcidetur.* Beda existimat, Judaeos ante diem divinitus constitutam infantes in mortis periculo constitutos circumcidisse; sed haec conjectura nititur falsa illa hypothesi, quod absolute necessaria fuerit circumcisio ad salutem. Cum expresso Dei mandato infantum circumcisio ad diem octavum fuerit adstricta, nequaquam probabile est, pios Israëlitas quidquam contra hanc divini foederis partem egisse. Si vel maxime ante octavum diem caduceo mortis evocarentur infantes, nihilo tamen minus pii parentes de ipsorum salute certi esse poterant, ut ostendimus paulo superius §. 15. Peccarunt igitur Israëlitae, qui infantes suos anno demum 13. aetatis circumciderunt. Quod solos infantes illa temporis determinatio concernat, patet exemplo ipsius Abrahae, Ismaëlis, servorum et aliorum proselytorum, qui in adulta aetate circumcisionis sacramentum susceperunt; inde colligunt Scholastici, *octavum diem fuisse de necessitate praecepti*, *non autem de necessitate sacramenti*, *quia circumcisio quolibet tempore facta suum effectum habuit*, ut patet in filio Moysis Exod. 4. et in infantibus post diem octavum circumcisis Jos. 5.

Circumcisio in N. T. est abrogata.

19. Tempus durationis est usque ad Christi adventum ejusque mortem et passionem, ideo in N. T. circumcisio est abrogata, constat id ex sequentibus fundamentis: 1. Circumcisio fuit sacramentum V T. Christum respiciens venturum et ex Abrahae semine nasciturum. Ergo abrogata est in N. T. Christo jam in carne exhibito et officium divinitus sibi demandatum exsequente. Jerem. 31, v. 31: *Ecce veniunt dies*, *dixit Jehovah*, *et feriam cum domo Israël et cum domo Juda foedus novum*, ex quo colligit epistola ad Hebr. c. 8, v. 13: *Per hoc*, *quod dicit novum*, *antiquavit prius*, *porro quod antiquatur et senescit*, *in propinquo est*, *ut evanescat.* Quemadmodum igitur auctor illius epistolae ex promissione pacti novi, abrogationem veteris et ex ab- IX. 21.
rogatione veteris pacti abrogationem leviticorum sacrificiorum colligit; ita quoque ex abrogatione veteris pacti circumcisionis abrogationem colligere possumus, cum et ipsa ad V. T. pertineat. 2. In ipsa circumcisionis institutione tempus durationis exprimitur licet obscurius Gen. 17, v. 7: *Statuam pactum meum inter me et te ac semen tuum post te in generationibus suis;* v. 9: *tu autem pactum meum servabis*, *tu et semen tuum post te in generationibus suis.* Quemadmodum igitur abrogatio sacrificiorum aliorumve rituum leviticorum colligitur ex eo, quod toties jubentur Israëlitae illos observare *in generationibus suis;* ita quoque idem valet in circumcisione. Lutherus in margine addit: So lange ihr Ding währet, denn Moses hiermit deutet, daß ihr Ding soll endlich aufhören und ein anderes kommen. Additur etiam in institutione hujus sacramenti: *Eradicabitur de populo suo*, quibus verbis Deus innuit, quamdiu Judaei futuri sint populus et habitaturi terram Canaan, tamdiu hanc ceremoniam observandam: at postquam Judaei occiderunt Messiam, non amplius sunt Dei populus, Dan. 9, v. 26. Hos. 1, v. 9. Galat. lib. 11. de arc. cath. verit. c. 7: *Quia circumcisio Judaeis in signum data et vero Deus illos ob scelera reprobavit*, *ideo Christiani non tenentur circumcisionem suscipere*, *cum sit signum*

non fidelium, ut olim, sed infidelium et eorum, quos Deus reprobavit. Hujus loci est observatio, quod inter alias causas ideo in membro genitali signum foederis impressum fuerit, ut admoneret de Messia ex Abrahae semine nascituro, exhibito igitur Messia abrogari debuit circumcisio. D. Morlinus in notis manuscriptis ad c. 17. Gen.: *Signi duratio testimonium habet ex objecto vel subjecto, nam cum fieret in membro genitali, significatum est, praesente semine benedictionis non amplius sit filiatio carnis, sed coadunatio gentium secutura. Observabis hoc tu et semen tuum in generationibus suis, donec scilicet carne vestra foedus meum non custodiente ex lapidibus gentes sum recepturus, Matth. 3, v. 10.* 3. Durante adhuc V. T. tempore proselytis, qui ex gentibus ad religionem Israëlitarum accesserunt, non fuit imposita circumcisio, uti constat exemplis Ninivitarum, Naamanis, Cyri, Darii et aliorum, qui *signaculum istud corpore non susceperunt, fide autem in venturum Messiam salvati sunt et ad populum civitatemque Dei pertinuerunt*, Augustinus 18. de civit. Dei c. 47. Ergo multo minus in N. T. erit necessaria. 4. Primis statim ecclesiae apostolicae N. T. temporibus ἀδιάφορος circumcisio fuit habita, quia Timotheus evitandi scandali causa circumcisus est Actor. 16, v. 3. Sed Titum noluerunt apostoli ad circumcisionem cogere Galat. 2, v. 3. ac diserte scribit Paulus 1. Cor. 7, v. 18: *Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat praeputium. In praeputio aliquis vocatus est? non adducat circumcisionem;* v. 19: *circumcisio nihil est et praeputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei.* Cumque pseudo-apostoli pugnarent, circumcisionem et reliquas ceremonias mosaicas esse ad salutem necessarias, apostoli in prima N. T. synodo anno post Christi nativitatem 49. celebrata, contrarium fecerunt decretum Act. 15, v. 1: *Quidam descendentes de Judaea docebant fratres, quia nisi circumcidamini secundum morem Moysis, non potestis salvari;* v. 5: *surrexerunt quidam de haeresi Pharisaeorum, qui crediderant, dicentes, quia oportet circumcidi eos, praecipere quoque servare legem Moysis.* Sed apostoli in epistola synodica scribunt conversis ex gentibus v. 28: *Visum est Spiritui sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria;* v. 29: *ut abstineatis ab immolatis simulacrorum et sanguine et suffocato et fornicatione.* 5. Paulus doctrinae de necessitate circumcisionis opponit libertatem Christianam Galat. 5, v. 1: *Qua libertate Christus nos liberavit, state et nolite iterum jugo servitutis contineri;* v. 2: *ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit;* v. 3: *testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universae legis faciendae;* v. 6: *in Christo Jesu nec circumcisio aliquid valet, nec praeputium* etc. 6. Circumcisio inter reliqua etiam hoc fine instituta fuit, ut hunc populum, in quo et ex quo nasciturus
IX. 22 erat Messias ac penes quem usque ad Messiae adventum futura erat ecclesia et publicum docendi ministerium, ab aliis gentibus visibili nota distingueret. Jam vero in N. T. post Messiae adventum τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ solutum est Ephes. 2, v. 14. factum est *ovile unum et pastor unus* Joh. 10, v. 16. Ergo et ipsa circumcisio est sublata. 7. Rom. 4, v. 11. Abraham constituitur etiam eorum pater, qui credunt in praeputio, id est qui absque suscepta circumcisione in Christum credunt, ut ostendatur, praeputium saluti credentium nihil quidquam obstare. 8. Unicum tantummodo requiritur initiationis sacramentum, uti constat. Jam vero in N. T. baptismus est tale sacramentum. Ergo non circumcisio. Baptismus successit in locum circumcisionis, Coloss. 2, v. 11. at nisi abroganda fuisset circumcisio, quorsum opus baptismi institutione? Damascenus 4. orthod. fid. c. 26: *Veritate apparente inutilis est figura et umbra. Quare supervacanea nunc circumcisio et contraria sancto baptismati.* Athanasius q. 38. ad Antiochum tom. 2. q. 285: πάντες οἱ τὴν σάρκα περιτεμνόμενοι τὴν πνευματικὴν περιτομὴν, ἤγουν τὸ ἅγιον βάπτισμα, λοιδοροῦσι καὶ ἀποστρέφονται. *Omnes qui carnem circumcidunt, spiritualem circumcisionem, sanctum nempe baptisma, vilipendunt et evertunt.* Rupertus lib. 5. in Gen. c. 31: *Quisquis adhuc circumciditur, venisse negat eum, quem tali signo venturum se exspectare pronuntiat, et perinde, illum qui jam venit, utique Christum esse denegat.* Quae argumenta probant, non solum conversis ex gentibus non esse imponendam circumcisionem, sed etiam Judaeos ad Christum conversos eadem in N. T. non obligari.

20. Opponenda haec sunt: *1. Judaeis*, qui ne- Antithesis.
cessitatem circumcisionis adhuc hodie praefracte urgent, quam tamen sibi displicere Deus non verbo solum, sed et ipso facto testatur. Ut enim praetermittamus miserrimam illam et maxime diuturnam Judaeorum servitutem, refert Ant. Margarita Judaeus conversus in lib. Germ. de relig. Jud. Lipsiae impresso anno 1544. Quod plurimi infantes exstinguantur illa nocte, quae circumcisionis diem praecedit. *2. Turcis*, qui cum aliis ceremoniis Judaeis circumcisionem in Corano suo praecipiunt. Christianos vocant Giauros, id est incircumcisos. *3. Cerinthianis* a Cerintho iisdemque Merinthianis a Merintho dictis, qui statuerunt, *carne circumcidi oportere atque alia hujusmodi legis praecepta servari.* Augustinus de haeres. ad Quotvultdeum c. 8. Illis connumerandi sunt *Ebionitae* de quibus Epiphan. haeres. 30. **Origenes homil. 3. in Genes. part. 1, p. 19: *Nonnulli ex iis, qui Christi nomen videntur suscepisse, tamen carnalem circumcisionem recipiendam putant, ut Ebionitae et si qui his simili paupertate sensus aberrant.*** Paulus *Samosatenus*, de quo Philastrius in cat. haeres. haer. 64. scribit,
quod circumcisionem docuerit. *4. Nazarenis*, qui IX. 23.
et Symmachiani appellati fuerunt, qui et circumcisionem habuerunt Judaeorum et baptismum Christianorum. Augustinus lib. 1. contra Cresconium Grammat. c. 31. Hos sequuntur *Aethiopes Christiani*, quia adhuc hodie non solum baptismi sacramentum

usurpant (quod singulis annis renovant), sed etiam infantes omnes masculos pariter et feminas octavo die circumcidunt; interim tamen non ex circumcisione, sed ex fide Jesu Christi salutem sibi pervenire testantur, atque ideo se infantes circumcidere respondent, non quod in circumcisione vim aliquam ad
IX. 24. salutem constituant, sed ut Abrahami et aliorum sanctorum patrum exemplum sibi ob oculos proponant et illo monumento commoniti acrius et ardentius in similis sanctitatis studium incitentur. Chytraeus de eccles. Orient. Phil. Nicol. lib. 1. de regno Christi c. 1.

Argumenta pro perpetuitate circumcisionis.

21. Quibus vero argumentis circumcisionem adhuc necessariam esse Judaei et Judaizantes probare conantur? *1. Deus testatur, sese aeternum foedus cum Abrahamo et ipsius posteris per circumcisionem inire*, Gen. 17, v. 7. Respondemus: Vox aeternitatis aut refertur ad ipsum foedus gratiae, aut ad externum circumcisionis ritum foederis signum. Priori ratione dicimus, foedus gratiae cum circumcisis initum fuisse omnino aeternum foedus, cujus virtus duret in omni aeternitate, etiamsi externa ceremonia certo tempore cessare debuerit, quemadmodum etiam in baptismo Deus aeternum foedus nobiscum init, quamvis externa baptismi ceremonia in die novissima sit desitura. *Sicut circumcisionem abstulit primus Domini adventus; sic baptismum auferet secundus adventus*, Augustinus epist. 203. Posteriori ratione dicimus vocem עוֹלָם quandoque non absolutam aeternitatem, sed finitam quandam perpetuitatem denotare, quod in tractat. de legibus ceremon. et forensibus §. 28. multis exemplis demonstravimus. Atqui hanc significationem vocabuli esse hujus loci propriam, patet ex argumentis illis omnibus, quae probant, circumcisionem in N. T. esse abrogatam. 2. Esa. 52, v. 1. *de regno Christi dicitur, quod non futurus sit in eo immundus aut incircumcisus.* Respondemus: id intelligendum de circumcisione spirituali, non carnali; de circumcisione cordis, non corporis; de circumcisione animi, non praeputii; de circumcisione illa, *cujus laus ex Deo est*, ut loquitur apostolus Rom. 2. v. ult. patet id ex circumstantiis textus. Ut enim per Hierosolymam intelligitur Hierosolyma spiritualis, sancta Christi ecclesia; ita quoque per circumcisionem intelligitur spiritualis circumcisio, id quod vox mundiciei addita evidenter comprobat. Ad Hierosolymam terrenam multi venerunt incircumcisi carne, sed ad spiritualem Hierosolymam, ad regnum Christi spirituale nulli patet aditus, nisi sit spiritu et corde circumcisus. 3. Ezech. 44, v. 9. *conjungitur circumcisio carnis et cordis. Sic dixit Dominus Jehovah: Nullus filius alienigenae incircumcisus corde et incircumcisus carne ingredietur sanctuarium meum. Utraque ergo in N. T. erit necessaria.* Respondemus: quemadmodum Christus et apostoli verbis hujus seculi describunt res futuri seculi; ita prophetae verbis V. T. describunt res et beneficia N. T. In ipsa illa visione prophetica imagine et vocabulo templi designatur ecclesia N. T. neque tamen ad Hierosolymitanum templum eam alligatam fore ex illo inferri potest. Adde quod circumcisio fuerit typus baptismi, qui in locum ejus successit. Col. 2, v. 11. Propheta igitur vocabulo typi denotat antitypum ipsum, scilicet baptismum. Quemadmodum enim Christus dicit Joh. 3, v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non introibit in regnum coelorum*, id est absque baptismo nemo poterit esse membrum ecclesiae triumphantis; ita quoque apud prophetam dicit: *Nullus incircumcisus corde et incircumcisus carne ingredietur sanctuarium meum*, id est absque baptismo nemo poterit esse membrum ecclesiae militantis, quod qua cum conditione et exceptione intelligendum sit, suo loco dictum fuit. *4. Circumcisio non est ex Moyse, sed ex patribus Joh. 7, v. 22. Ergo alia est illius ratio, quam mosaicarum ceremoniarum ac proinde licet ceremoniae mosaicae in N. T. abrogatae fuerint, id tamen circumcisioni nequit esse fraudi.* Respondemus: etiam sabbathum, etiam sacrificia non ex Moyse, sed a patribus ortum habuerunt, quae tamen omnia, quia ad V. T. quod fuit tempus umbrarum, pertinent et per Moysen legibus confirmata ac descripta sunt, pro mosaicis censentur ac proinde in N. T. abrogata intelliguntur. 5. *Hac ratione Deus in consiliis et institutis suis statuetur mutabilis, quod circumcisionem tanta severitate mandatam voluerit postea abrogatam.* Respondemus: militaret haec ratio, si circumcisionem Deus hoc fine primitus instituisset, ut esset ceremonia perpetua
ad finem usque mundi in ecclesia usurpanda. Cum IX. 25.
vero ad certum tantummodo tempus ex ipsa Dei institutione durare debuerit, ideo abrogatio ejus non probat, Deum esse mutabilem, sed potius evincit, Deum in consiliis suis non esse mutabilem. Qui enim id agit, quod se acturum prius decrevit, eo ipso se immutabilem esse ostendit. Vide tractat. de legibus ceremon. et forens. §. 41. *6. Circumcisio non erat cujusdam rei in N. T. demum secuturae figura aut umbra. Ergo nondum est abrogata.* Respondemus: imo vero fuit figura baptismi, qui est circumcisionis ἀντίτυπον, unde vocatur circumcisio ἀχειροποίητος Coloss. 2, v. 11. Adde quod quamvis non praefigurarit Christi carnem et sanguinem directe et immediate (sicut agnus paschalis, sacrificia etc.), tamen id praestabat indirecte, significando scilicet et obsignando promissionem de Messia ex semine Abrahae nascituro. Doct. Hunnius in tractatu de sacram. cap. 2. quaest. 22. id declarat exemplo sabbathi, quod accensetur umbris futurarum rerum Coloss. 2, v. 16. quamvis Christi carnem ac sanguinem ejusdemque passionem directe non praefigurarit.

Quando et quomodo abrogata sit circumcisio.

22. Quando autem et quomodo abrogata est circumcisio? Scholastici varie hac de re disputant, cui rei occasionem praebuit dictum apostoli (Gal. 5, v. 2: *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit*) ac discrepantes sententiae Hieronymi et Augustini. Thomas 1. 2. q. 103. art. 4. *Hieronymus pu-*

tat, quod legalia statim post passionem Christi inceperunt esse non solum mortua, id est non habentia virtutem et obligationem, sed etiam mortifera, ita quod peccabant mortaliter, qui ea observarent. Dicit ergo, apostolos non observasse legalia secundum veritatem, sed pia quadam simulatione. Augustinus convenientius distinxit tria tempora, primum ante passionem, in quo legalia nec mortua nec mortifera; aliud post tempus divulgati evangelii, in quo legalia sunt mortua et mortifera; tertium est medium scilicet a passione Christi usque ad divulgationem evangelii, in quo legalia fuerunt mortua, sed non mortifera. Idem Thomas 4. sent. dist. 1. q. 10. art. 3. Richardus, Durandus, Paludanus ibidem distinguunt tria tempora circumcisionis (post Christi incarnationem) *unum usque ad passionem Domini, alterum a passione Domini usque ad publicationem evangelii, tertium a publicatione evangelii usque ad finem.* In primo dicunt circumcisionem fuisse necessariam, quia nondum fuit lex illa remota nec alia imposita. In secundo dicunt fuisse licitam, sed nec utilem, nec necessariam, quia in Christi morte legalia omnia consummata sunt. In tertio dicunt fuisse mortiferam, propter effatum apostoli Gal. 5, v. 2. Sed Scotus haec impugnat, distinguit enim *quatuor tempora circumcisionis;* in primo dicit fuisse necessariam et utilem; in secundo utilem et non necessariam; in tertio nec utilem, nec necessariam, tamen licitam; in quarto nec necessariam, nec utilem, nec licitam, sed mortiferam. Biel igitur secutus Scotum 4. sent. distinct. 1. quaest. 4. art. 3. format has propositiones: *1. Circumcisio cessavit simpliciter quantum ad necessitatem salutis, quando baptismus consulebatur tam gentibus quam Judaeis;* rationem addit talem: *quia consilium de perfectiore remedio contra morbum peccati relaxavit praeceptum de priore remedio. 2. Per baptismi institutionem et ejus sufficientem promulgationem circumcisio facta est non statim mortifera, sed inutilis Judaeis,* (ut haec propositio una cum priore recte intelligatur, notandum quod duo tempora respectu baptismi distinguat, unum quo fuerit sub consilio, alterum quo coeperit esse sub praecepto; prius coepisse dicit a principio praedicationis Christi usque ad publicationem solennem post adscensionem; posterius coepisse dicit in die Pentecostes); rationem addit talem: *per baptismi promulgationem baptismus necessarius factus est ad salutem dicente Christo: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu etc. Ergo circumcisio facta est inutilis. Nec tamen facta est mortifera, quia etiam Paulus circumcidit Timotheum. 3. Pro aliquo tempore cum legalibus cessavit circumcisio et facta est mortifera omnium gentium ac Judaeorum populo, quia haeresis est dicere, quod legalia currant cum lege evangelica* cap. Majores extr de bapt. *4. Non uno eodemque tempore cessavit circumcisio facta mortifera apud gentiles et conversos ex Judaea, quia quantum ad gentiles cessavit circumcisio, ita ut eis fuerit mortifera post sufficientem promulgationem baptismi eis factam Galat. 5. et tamen illo tempore non fuit mortifera Judaeis. 5. Quo praecise tempore circumcisio cum legalibus coeperit Judaeis esse mortifera, non est evidens notum ex Scriptura.* Haec Biel. Quidam ex recentioribus statuunt, primis post Christi adscensionem ecclesiae apostolicae temporibus circumcisionem fuisse liberam, sed in synodo apostolica fuisse penitus abrogatam, ita ut non licuerit postea eam suscipere. Sed cum synodus apostolica incidat in annum a nativitate Christi 49. et vero Actor. 16, v. 3. referatur, quod Paulus Timotheum post synodi illius decretum circumciderit, eumque post idem decretum priorem ad Corinthios epistolam anno 55. post Christi nativitatem, ut plerique censent, scripserit, in qua diserte dicit: *Circumcisio nihil est, praeputium nihil est,* ideo non potest asseri simpliciter, quod penitus in synodo apostolica fuerit abrogata, ita ut eandem suscipere minime licuerit. Dicimus ergo, per passionem et mortem Christi, ut reliquis ceremoniis Mosaicis, ita quoque circumcisioni finem impositum fuisse, interim tamen, ut cum honore Judaica synagoga sepeliretur, cumprimis ut scandalum infirmiorum ex Judaeis ad Christum conversorum praeverteretur, ideo apostoli liberam aliquamdiu circumcisionem permiserunt, perinde ut ob eandem causam a sanguine et suffocato abstinendum censuerunt Actor. 15, v. 29. ubi apprime notandum, circumcisionem tunc temporis non fuisse sacramentum aliquod proprie dictum, sed ceremoniam quandam mediam et indifferentem, non ad fidem obsignandam, sed ad fovendam cum conversis Judaeis caritatem usurpatam. Quod Galat. 5, v. 2. dicitur: *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit,* id non intelligendum est de circumcisione simpliciter in primis ecclesiae apostolicae temporibus propter scandalum infirmiorum usurpata (alias repugnaret id exemplo ipsius apostoli, qui Timotheum circumcidit), sed de circumcisione cum opinione cultus et necessitatis ad salutem suscepta. Ostendit hoc scopus illius epistolae, quae opposita est pseudoapostolis cum opinione necessitatis ad salutem circumcisionem apud gentes urgentibus. Postquam vero causa illa desiit, ob quam apostoli nonnunquam libere circumcisionem usurpabant, ipsa quoque postea plane desiit, Judaeis de libertate Christiana sufficienter informatis et confirmatis.

23. Quare vero abrogata est circumcisio in N. T.? Non quod fuerit res mala et proinde abjicienda, ut Manichaei blasphemarunt, quos diligenter refellit Augustinus lib. 6. contra Faustum c. 2. et alibi passim, nec quod lex de circumcisione fuerit alterius Dei, ut statuerunt Encratitae referente Clemente lib. 3. strom., sed 1. quia instituta fuit ad certum tempus, quo adveniente abrogari utique debuit. 2. Quia N. T. novis etiam signaculis sive sacramentis constare debuit. 3. Quia Messiam ex Abrahae semine nasciturum praesignificabat, exhibito igitur Messia eodemque in cruce mortuo abroganda erat. 4. Quia distinguebat populum Israëliticum a reliquis genti- **Quare abrogata sit circumcisio in N. T.**

bus. Quare cum in N. T. ex Judaeis et gentibus Deo colligatur ecclesia diruta macerie ac intersepto, utique etiam cessare debet circumcisio. 5. Sicut sanguis Christi sistit sanguinem animalium in sacrificiis V. T. mactatorum, ita etiam sistit sanguinem in circumcisione ab hominibus profundendum. Sicut sacrificiis V. T. successerunt *ἀναίμακτα* et spiritualia sacrificia in N. T. ita cruentae circumcisioni
IX. 27. V. T. successit *ἀναίμακτος* et spiritualis circumcisio, videlicet baptismus.

An circumcisio potuerit iterari.

24. Ad tempus circumcisionis pertinet quaestio, an circumcisio iterari potuerit? Quod negamus. 1. Quia de iteratione nec praeceptum nec exemplum in sacris literis habetur. 2. Quia fuit sacramentum initiationis, quod nulla indiget iteratione. 3. Quia baptismus, qui in N. T. circumcisioni successit, iterationem non admittit. 4. Quia foedus, quod per circumcisionem Deus cum Abraha et ipsius posteris inibat, erat immotum et immutabile. 5. Quia iterata circumcisio per naturam vix videtur locum habere potuisse. Quod Josuae 5, v. 2. Israëlitae *secundo circumcidi* jubentur, id nequaquam hoc sensu accipiendum, quasi illi, qui prius circumcisi, denuo circumcidi jussi fuerint, sed quod Josua circumcisionem per 40 annos in deserto intermissam renovare debeat, circumcidendo scilicet illos, qui post egressum ex Aegypto in deserto nati nondum fuerant circumcisi. Apparet hic sensus ex ipso textu, v. 4: *Haec autem est causa, propter quam circumcidit Josua.* v. 5: *Circumcisus fuerat universus populus, qui egressus fuerat* (ex Aegypto), *at universum populum, qui natus fuerat in deserto, in via, posteaquam egressi sunt ex Aegypto, non circumciderant.* v. 6: *Nam quadraginta annis ambulaverunt filii Israël per desertum donec consumeretur universa gens virorum bellatorum* etc. v. 7: *At filios eorum, quos substituit in locum ipsorum, illos circumcidit Josua, quia incircumcisi erant, non enim circumciderat eos in via.* Ex quibus manifestum est, voces illas *iterum* et *secundo* nequaquam denotare circumcisionis in personis jam ante circumcisis repetitionem, sed ejusdem in deserto intermissae renovationem. Rabbini plerique stolide nugantur, praecipi hoc loco non ipsam circumcisionem, sed פריצה, distensionem pelliculae, quae post praeputii ablationem in membro genitali relinquitur; filios Israël in deserto quidem circumcisos esse, sed non accepisse pelliculae distensionem, ideo juberi hic denuo circumcidi. Alii agnoscunt de ipsa circumcisione hoc loco agi, dicunt ergo, ante hanc circumcisionem, quae sub Josua facta est, aliam quoque sub Moyse factam in deserto, anno scilicet secundo post exitum ex Aegypto, quando et pascha celebrare jussi fuerunt, sed ab illa circumcisione nullum ex his, qui nati fuerant in deserto, fuisse circumcisum, donec transierunt Jordanem, quod incerta illis esset mansio, ducente illos nube, quam praeeuntem sequi fuerant jussi, quodsi masculi circumcisi fuissent, in magnum vitae periculum venissent, cum ob dolorem et sauciatum corpus castra minime potuissent sequi.

Ὀνομαθεσία in circumcisione.

25. Adjunctum circumcisionis est nominis imposito, ut apparet ex Johannis Baptistae et ipsius Christi exemplo Luc. 1, v. 63. c. 2, v. 21. quae *ὀνομαθεσία*. 1. respectum habuit ad exemplum Abrahae *patris omnium credentium*, Rom. 4, v. 12. cui in circumcisione nomen fuerat mutatum, Genes. 17, v. 5. 2. Fuit perpetuum memoriale, quo admonerentur Israëlitae, se per circumcisionem in foedus Dei receptos esse. 3. Quin et obligationis Deo factae ipsos admonuit, ut in agnitione, invocatione et cultu veri DEI perseverarent. Quemadmodum igitur nomen in baptismo datum, testatur, *nomina nostra in coelis scripta esse* Luc. 10, v. 20. *et in libro vitae* Philipp. 4, v. 3. Ita quoque de nomine in circumcisione imposito idem per omnia dicendum, cum circumcisio non minus fuerit initiationis sacramentum in V. T. quam baptismus hodie est in N. T.

Locus circumcisionis.

26. Ad certum quendam locum administratio circumcisionis in verbis institutionis nequaquam alligatur. Ex circumcisione Johannis colligitur in domo parentum infantes fuisse circumcisos, cujus ratio fortassis ea, quod cum circumcisio non posset sine exquisito infantis cruciatu fieri, facilius vulneri remedium domi fuerit adhibitum. Administrabatur autem in forma coetus cujusdam ecclesiastici, ad quem vicini et cognati adveniebant, Luc. 1, v. 59. IX. 28.
Judaei genus hominum superstitiosissimum varias insuper adhibent ceremonias ex *παραδόσει* majorum. Adornant sellas duas vacuas, unam pro Elia, quem semper adesse credunt in circumcisione, alteram, ut aliqui volunt, pro Moyse; habent et vasculum pulvere repletum, in quo sepeliunt amputatum praeputium, quod offerunt serpenti devorandum, qui totum genus humanum infecit. Post sanatam circumcisionem adhibent etiam in stagno mersionem. Vide R. Abraham Hispanum in c. 3. Genes. Munsterum in c. 5. Jos. Ant. Margar. lib. de relig. Judaeorum etc.

Fines circumcisionis.

27. Fines circumcisionis principales expositi sunt in superioribus, videlicet quod fuerit: 1. Efficax medium atque organum receptionis in foedus Dei, regenerationis, renovationis, *υἱοθεσίας* et salutis, remedium contra originale peccatum. 2. Sigillum justitiae fidei, quo gratuita promissio de remissione peccatorum, justitia et vita aeterna in cordibus circumcisorum fidelium fuit obsignata. Minus principales fines enumerari possunt complures, utpote: 1. Quod posteritas Abrahae a reliquis gentibus hoc signo fuerit discreta, inde est, quod Judaei peculiariter appellantur *circumcisio* Rom. 3, v. 30. etc. Justinus in dialog. cum Tryph. p. 180. in Graec.: *Circumcisio, quam ab Abrahamo accepistis secundum carnem, in signum notamque data est, ut sitis ab aliis gentibus et a nobis discreti.* Irenaeus lib. 4. c. 30: *Circumcisio data est Abrahae, ut esset signum, per quod cognoscibile perseveraret genus Abrahae.* Vide etiam Chrysostomum homil. 40. et

Theodoretum quaest. 67. in Gen. 2. Quod hac ceremonia de multis gravissimis rebus admoniti fuerunt, videlicet de corruptione naturae per peccatum originale in nos propagata, de semine promisso, id est de Messia ex posteris Abrahae nascituro, de circumcisione spirituali cordis et omnium membrorum, de cruce patienter ferenda et primitiis sanguinis offerendis illi, qui totum sanguinem in cruce erat effusurus. Justinus in dialog. cum Thryph. p. 201: *Circumcisio fuit typus et signum verae circumcisionis, qua circumcisi sumus ab errore et veritate.* Ambrosius lib. 1. de Abraham c. 4: *Circumcisio carnis praeceptum est castimoniae, ut aliquis resecet libidinem carnis et indomitas luxu ac lascivia refrenet cupiditates. Etenim circumcisionis vocabulo id praescribitur, ut omnis impuritatis foetor abstergatur et incentivum libidinis auferatur.* Augustinus lib. 6. contra Faustum c. 3: *Est signum regenerationis humanae.* Lactantius lib. 4. divin. institut. c. 17. p. 228. Antuerp.: *Illa carnis circumcisio caret utique ratione, quia si Deus id vellet, sic a principio formasset hominem, ut praeputium non haberet, sed hujus secundae circumcisionis figura erat significans, mundandum esse pectus, id*
IV. 29. *est aperto et simplici corde oportere nos vivere, quoniam pars illa corporis habet quandam similitudinem corporis.* Polydorus Virgil. lib. 4. de rer. invent. c. 3. ex Cypriano: *Cum jam fidei tempora appropinquarent, imperata est circumcisio et pars illa corporis, in qua est voluptatum seminarium et libidinis officina, jussa etiam in parvulis amputari, ut proprii primitias sanguinis ei, qui totum sanguinem suum oblaturus erat, offerrent.* Quae exterius sordidata sunt, illa lavantur, si quid autem immundi est intrinsecus, illud praeciditur; ita per circumcisionem voluit Deus innuere, in nostra carne haerere peccatum, quod carnem reddat immundam, illud esse rescindendum. 3. Quod circumcisio fuerit figura baptismi, in quo peccatum *ὡς περίττωμα ἐπιθυμίας* circumciditur, ut quondam praeputium *ὡς περίττωμα ἄχρηστον* circumcidebatur, Damascenus lib. 4. c. 26. 4. Quod fuerit signum commonefactionis, *ut semen Abrahae inquilinum in terra aliena non aversaretur nomen Dei, sed in patris pietate perseveraret,* Epiphan. haeres. 8. De principalibus illis ac veris institutae circumcisionis causis altum apud Judaeos silentium, substituunt autem causas alias carnalibus opinionibus abrepti. Philo lib. de circumcis. p. 514. edit. Lat. *circumcisionis causae sunt: 1. Ut caveatur carbunculus, qui praeputiatis facilius innascitur. 2. Ut totum corpus purius sit, neve quid sordium ibi haereat. 3. Quod haec particula habet cordis similitudinem, ambae enim generationi serviunt, ab altera spiritus animales, ab altera geniturae proficiscuntur. 4. Propter foecunditatem, recta enim semen ejaculatur.* Atqui has causas ex patribus se accepisse scribit. Gerundensis dicit, *in corpore humano nihil superfluum inveniri propter illam carnem praeputii, ideoque dignam, ut rejiciatur.* Alii ex Rabbinis dicunt, *circumcisionem imminuere et debilitare pruritum naturalem libidinis,* sed Mercerus in cap. 17. Genes. recte monet, *Judaeos non minus aliis salaces esse.*

Usus doctrinae de circumcisione.

28. Quamvis vero in N. T. abrogata sit circumcisio, non tamen nullus hujus doctrinae hodie est usus, siquidem facit: 1. Ad cognoscendam Dei *φιλανθρωπίαν*, qui inito cum Abraha et posteris ejus foedere per circumcisionis sacramentum itidem fuit efficax ad regenerationem et salutem, sicut hodie per baptismatis sacramentum Rom. 3, v. 30: *Unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide et praeputium per fidem.* 2. Ad retundendam gentilium et Manichaeorum *μωροσοφίαν*, quibus absurdum fuit visum, in illa corporis parte datam esse tam praeclarae et singularis gratiae foederalis tesseram, 1. Cor. 1, v. 25: *τὸ μωρὸν τοῦ θεοῦ σοφώτερον τῶν ἀνθρώπων ἐστίν.* Quod insani homines in rebus divinis stultitiam judicant, id omni humana sapientia praecellentius. 3. Ad reprimendam Judaeorum, Turcarum et aliorum *κακοζηλίαν*, qui hodieque circumcisionis necessitatem urgent, quibus fulmen illud apostolicum opponimus Galat. 5, v. 2: *Ecce ego Paulus dico vobis, si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit.* 4. Ad spiritualis circumcisionis *ἀλληγορίαν*. Externa quidem circumcisio desiit, sed interior illa et spiritualis adhuc durat, quae omnibus Dei filiis et vitae aeternae haeredibus futuris est necessaria. Descriptio illius superius §. 8. fuit proposita, quod scilicet nihil aliud sit quam interior regeneratio ac renovatio, qua cor et omnia membra a peccatis et vitiosis concupiscentiis circumciduntur Deut. 10, v. 16. Jerem. 4, v. 4. c. 6. et 10. etc. qua vetus homo et *caro cum affectibus et concupiscentiis crucifigitur,* Rom. 6, v. 6. Gal. 5, v. 24. qua *deposito veteri homine, qui corrumpitur secundum desideria erroris, renovamur spiritu mentis nostrae et induimus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate vera,* Ephes. 4, v. 22. 23. 24. qua *membra veteris Adami, quae sunt super terram, mortificantur,* Col. 3, v. 5. etc. **Spiritualem circumcisionem pulcherrime exponit Origenes homil. 3. in Genesin part. 1. p. 19. quem vide.** Quemadmodum igitur
circumcisio carnis omnibus Israëlitis erat necessaria, IX. 30.
Gen. 17, v. 14: *Masculus habens praeputium, qui non circumciderit carnem praeputii sui, eradicabitur de populo suo;* ita omnibus spiritualibus Israëlitis necessaria est spiritualis circumcisio. Hebr. 12, v. 14: *Sine sanctimonia nemo videbit Deum.* Quemadmodum circumcisio carnis administrabatur cultro lapideo, id est acuto in petra sive cote polito, Exod. 4, v. 25. Jos. 5, v. 3. ita quoque spiritualis circumcisio fit per legem Dei tabulis lapideis descriptam, eam enim si in vero DEI timore exacte pensitemus, cordis nostri praeputium, id est adhaerentes pravae concupiscentiae nobis patefient, quae cultro Spiritus quotidie sunt resecandae. Quemadmodum circumcisio carnis administrabatur a sacerdotibus V. T., ita omnes coram Deo facti sumus

spirituales *sacerdotes* Apoc. 1, v. 6. *Sacerdotium sanctum, ut offeramus spirituales hostias* 1. Petr. 2, v. 5. ac spiritualiter nos circumcidamus. Quemadmodum sacramento circumcisionis annexa erat promissio gratiae, ita illi demum sunt ac manent in Dei gratia, qui spirituali circumcisioni, hoc est quotidianae renovationi, per Spiritum sanctum student. Quemadmodum universalis quaedam circumcisio Israëlitis praecipiebatur ante ingressum promissae terrae Jos. 5, v. 2. ita quoque in extremo die ante ingressum promissi regni ab omnibus pravis concupiscentiis plene et perfecte circumcidentur spirituales Israëlitae. Haec spiritualis et interior circumcisio longe praestantior est externa carnis circumcisione; haec enim facta est manu, illa vero fit Spiritu, inde dicitur ἀχειροποιητὸς Coloss. 2, v. 16. haec facta est in uno membro, illa vero in omnibus membris fieri debet; haec facta est tantum semel, illa vero quotidie indigemus; haec masculis tantummodo fuit administrata, haec vero omnibus fidelibus est communis, *in Christo non est mas nec foemina* Galat. 3, v. 28. illa potuit esse infrugifera, nimirum apud adultos, si in corde non esset vera poenitentia et fides, haec vero semper est utilis ac fructuosa.

Definitio circumcisionis. 29. Ex superioribus omnibus talis constitui potest definitio: Circumcisio est sacramentum prius V. T. a Deo institutum et Abrahae ac posteris ejus mandatum, quo per amputationem praeputii in infantibus masculis juxta verbum octavo die factam, vel in adultis Judaicam religionem vere amplectentibus et in promissum Messiam credentibus, Deus fuit efficax ad applicandum et obsignandum foedus divinum atque omnia foederis illius beneficia.

Alterum V. T. sacramentum pascha. 30. Exposito igitur priore V. T. sacramento, videlicet circumcisione, transitum facimus ad posterius, puta agnum paschalem. Πάσχα non a πάσχω, ut imperiti quidem existimant, quos reprehendit Nazianzenus orat. 2. de pasch. sed a פֶּסַח *(transitus, transitio)* deducitur, quia nocte illa proxime institutionem agni paschalis secuta angelus Domini respectu regni Aegyptiaci transivit per omnes ejus angulos, respectu aedium Israëliticarum transilivit vel praeterivit. פָּסַח proprie significat saltare et transilire, unde Hebraei claudum vocant פִּסֵּחַ, quod cum ingreditur quasi *saltare* et *subsilire* videatur. Pascha quid significet. פֶּסַח (Hieronymus variatis punctis legit phase) πάσχα in hac materia significat: 1. Transitum ipsum tum angeli percutientis Aegyptiorum primogenita, Israëlitarum vero aedes praetereuntis; tum ipsius Domini transeuntis per Aegyptum Israëlitas ex ea educentis, hostes vero punientis Exod. 12, v. 27: *Sacrificium* פֶּסַח *transitus est Domini, qui transiliit* פָּסַח *super domos filiorum Israël in Aegypto, quando percussit Aegyptum et domos nostras eruit.* 2. Agnum
IX. 31. ipsum (שֶׂה), qui mactabatur eo tempore et comedebatur certis ceremoniis ut admoneret Israëlitas de illo transitu Exod. 12, v. 21: שַׁחֲטוּ הַפָּסַח *mactate pasach, agnum paschalem.* Marc. 14, v. 12: *Quo vis eamus et paremus tibi, ut comedas τὸ πάσχα.* Luc. 22, v. 7: *Venit dies azymorum, in quo necesse erat occidi pascha;* v. 15: *desiderio desideravi manducare vobiscum pascha* etc. 3. חַג festum ac diem, quo agnus mactabatur εἰς μνημόσυνον istius transitus, huic affinis est illa significatio, qua paschatis nomine accipitur octiduana festi celebritas, qua mandato Dei azymis vescebantur. Num. 9, v. 2: *Et facient filii Israël* הַפָּסַח *pascha*, id est festivitatem paschatis celebrabunt. 2. Paral. 35, v. 1: *Et fecit Josia in Jerusalem pesach Domino.* Matth. 26, v. 2: *Scitis, quod post biduum pascha fiet.* Joh. 6, v. 4: *Erat proximum pascha, festus dies Judaeorum.* 4. Christum agni paschalis antitypum. 1. Cor. 5, v. 7: *Pascha nostrum pro nobis sacrificatum est Christus.* Inter has significationes prima est propria, reliquae sunt translatae. ** Ministri hujus sacramenti fuerunt Levitae. Quamvis enim in prima paschatos celebratione quilibet paterfamilias agnum mactabat, tamen constituto levitico sacerdotio ministerium hujus sacramenti cessit Levitis, 2. Paral. 30, v. 16. c. 35, v. 11. et 12. **

31. Institutio agni paschalis describitur Exod. 12. Ut autem singula institutionis membra exacte ponderemus, ad duo principalia capita eadem revocabimus. Describitur enim: 1. res terrena sive elementum externum hujus sacramenti; 2. sacramentalis actio circa illud. Res terrena sive elementum externum in hoc sacramento est *agnus*, Exod. 12, v. 3: *In decimo mensis hujus accipiet sibi unusquisque agnum per domum.* Quaeritur hoc loco, an una cum agno etiam hoedus fuerit accipiendus? Occasionem quaestioni praebet v. 5: *Agnus anniculus erit vobis, juxta quem ritum tolletis et hoedum;* Hebraea sic habent: מִן־הַכְּבָשִׂים וּמִן־הָעִזִּים תִּקָּחוּ quae verba a quibusdam accipiuntur copulative, *ex agnis et capris accipietis eum*, ut sit sensus, quod una cum agno tollendus etiam sit hoedus, unde quidam interpretes teste Lyrano duplicem statuunt mactationem, alteram agni die decima mensis Nisan, alteram vero hoedi die decima quarta ejusdem; a quibusdam vero accipiuntur disjunctive hoc sensu, quod vel ab agnis agnus, vel ab hoedis hoedus sit deligendus, ita ut liberum fuerit illis, quibus non fuerit agnus, accipere hoedum. Prior opinio textui non congruit, cum in descriptione actionum sacramentalium unius tantum pecudis fiat mentio; posteriorem sententiam defendit Lyranus. 1. Quia vox Hebraea שֶׂה promiscue significat tam agnum quam hoedum. Deut. 14, v. 4: שֵׂה כְשָׂבִים וְשֵׂה עִזִּים, *pecus ovium et pecus caprarum.* Thargum: *agnos ovium et agnos caprarum,* LXX: *agnum ex ovibus et hoedum ex capris.* R. D. Kimchi parvus agnus vel hoedus vocatur שֶׂה. 2. Quia additio illa in textu disjunctive accipienda necessario videtur *ex ovibus aut capris accipietis eum*, quod cum fontibus veritatis etiam congruit, in quibus aliquando accipitur disjunctive. 3. Quia in veteribus sacrificiis Christus promiscue sub agno et hirco fuit adumbratus, cumprimis Levit. 16. in hirco

Res terrena hujus sacramenti.

An cum agno etiam hoedus fuerit accipiendus.

emissario. 4. Quia imagine hoedorum peccatores notantur, ideo congruit haec figura Christo, *qui factus est pro nobis peccatum*, 2. Cor. 5, v. 21. Augustinus quaest. 42. in Exod.: *Quod cum Scriptura de ove loquatur, post dicit: ab agnis et hoedis accipietis illud (pecus), hac in re Christus significari merito accipitur, quid enim opus erat ovem vel agnum ab agnis et hoedis accipiendum moneri, nisi ille figuraretur, cujus caro non solum ex justis, verum etiam ex peccatoribus propagata est. Quanquam conentur Judaei etiam hoedum intelligere accipiendum ad celebrandum pascha et hoc etiam dictum esse putant ab agnis et hoedis accipi, tanquam*
IX. 32. *diceret vel ab agnis agnum vel ab hoedis hoedum, si illud desit sumi oportere, apparet tamen in Christo rebus impletis, quid illo praecepto fuerit figuratum.* Nos Lyrani sententiam suo relinquimus loco, cum probabilibus nitatur fundamentis, secuti vero communem interpretum expositionem statuimus, non hoedi, sed agni et quidem solius usum in hoc sacramento fuisse receptum. Sensum verborum *(ex agnis et capris accipietis eum)* hunc esse dicimus, quod agnus ille ex communi grege sit tollendus, fuisse enim ovium et caprarum gregem promiscue conjunctum, vel ex historia Jacobi patet Genes. 30,
Quare agnus adhibitus. v. 32. c. 31, v. 38. etc. Quare agnus ad hoc sacrum sit electus, patebit ex typi declaratione. R. Gerundensis stolide nugatur in causa ejus assignanda: *In ea* (inquit) *lunatione aries signum coeleste magnam habet vim, siquidem facit renasci plantas terrae, ideo Dominus jubet occidi et manducari arietem juvenculum, ut ostenderet, quod filii Israël non vi illius signi, sed virtute Dei exierint ex Aegypto.* En Rabbinorum coecitatem. Lyranus dicit, agnum magis quam aliud animal fuisse immolatum *ad detestationem idololatriae Aegyptiorum, qui Jovem colebant in specie arietis vel agni.*

Qualitates agni paschalis. 32. Exprimuntur autem certae qualitates hujus agni. 1. Quod debuerit esse תָּמִים *integer, perfectus*, nullum habens vitium; non sit coecus, non scabiosus, non claudicet etc. Lat. interpres vertit *absque macula*, quod improprie vel certe ambigue dicitur, non enim intelligitur macula ex diversicolore varietate pellis, sed ex defectu vel vitio cor-
IX. 33. poris. 2. זָכָר *masculus.* Augustinus quaest. 42. in Exod.: *Moveri potest et illa locutio, quasi agnus possit esse non masculus, nescientem qua necessitate ita sit translatum. Ovis enim transferri debuit, quo Graecus πρόβατον habet, sed πρόβατον in Graeca lingua generis neutri est et potuerunt quae sequuntur omnia convenire, tanquam si diceret: pecus perfectum masculum anniculum erit vobis. Potuit enim dici latine masculum pecus, quando dicuntur mascula thura genere neutro, ovis autem masculus dici non posset, quia feminini generis est ovis. Item ovis mascula si diceretur, esset absurdius, pecus vero si poneretur etiam aliud intelligeretur, nec servaretur sacramentum.* 3. בֶּן שָׁנָה *filius anni*, sive anniculus, LXX interpretes ἐνιαύσιον in perfecto scilicet aetatis statu. Hebraei de anno currente accipiunt et ab octava die nativitatis eum auspicantur.

33. Actiones circa externum elementum in hoc sacramento revocari possunt ad quatuor capita, videlicet: 1. agni paschalis *segregationem;* 2. ejusdem *mactationem;* 3. *assationem* et 4. *manducationem*, ad quam pertinet adspersio sanguinis in superliminari, ubi tamen notandum, discrimen esse inter has actiones, quia segregatio, mactatio et assatio sunt actus praeparatorii sive ministeriales, inservientes manducationi, quae est principalis actus sacramentalis, quemadmodum etiam in coenae Dominicae mysterio fractio inservit distributioni, distributio manducationi. 1. Segregabatur agnus paschalis decima die primi mensis Nisan sive Abib et custodiebatur usque ad diem decimam quartam ejusdem mensis Exod. 12, v. 6. Rabbini testantur, agnum segregatum toto illo quatriduo ligatum in aedibus in hypocausto ad fulcrum spondae jacuisse, ut in omnium conspectu versaretur et domesticos de digna praeparatione ad sacramenti celebrationem ac de Messia propter peccata nostra ligando admoneret, qua de re paulo post plura. Lyranus ex Hebraeis quatriduanam istam custodiam primo tantum paschati accommodatam fuisse statuit. *Causa* (inquit) *hujus* IX. 34. **Segregatio agni.**
quatriduanae custodiae duplex: Una, quod filii Israël erant occupati in praeparando se ad recessum ex Aegypto cum omnibus, quae habebant, in qua praeparatione requiritur magna sollicitudo et distractio et ideo, ne ex hoc darent oblivioni, praeceptum fuit tunc, ut acciperent per quatuor dies ante. Secunda causa fuit, ut in illis quatuor diebus viderent per experientiam, si in illo agno accepta esset aliqua macula, id est defectus, propter quem non deberet immolari et sic de alio providerent; ideo dicunt Hebraei, quod talis praeacceptio per quatuor dies non obligabat in futurum, nec fuit observata in annis sequentibus, quia praedictae causae cessaverunt, quod manifeste patet de sollicitudine pro exitu. Similiter etiam de cognitione maculae, quia per assuefactionem jugis sacrificii, quo quotidie immolabatur unus agnus sine macula mane et alius vesperi, statim de facili poterant agnoscere, si in animali accepto esset macula. Haec Lyranus, sed potissima causa segregationis hujus non erat omittenda, videlicet ut esset typus Christi, qua de re postea, verisimilius igitur est ceremoniam hanc ordinariam ac perpetuam fuisse.

34. 2. Agnus segregatus et per quatriduum custoditus postea mactabatur, Exod. 12, v. 6: *Et mactabit eum omnis coetus synagogae Israël inter duas vesperas.* שָׁחַט significat proprie expanso et diducto corpore jugulare, ut copiose effluat sanguis, cognationem enim habet cum radice שָׁטַח extendit, protraxit, expandit etc. Inde vox Germanica geschächtet, nostris Judaeis usitata. Mactandus autem erat hoc modo, ut nullum os illius frangeretur, cujus non est alia ratio nisi typica. 3. Mactationi succedebat assatio, quae erat praeparatio ad manducatio- **Mactatio agni.** **Ejusdem assatio.**

nem, Exod. 12, v. 9: *Ne comedatis ex eo crudum, aut coctum in aquis, sed igne assatum.* Vocem Hebraicam נָא R. Salomon dicit significare, *quod non satis assatum est;* Aben Ezra exponit pro *carne cruda seu viva.* Crudum non debebat comedi, quia natura hominis a crudae carnis esu abhorret, quae divina insuper lege prohibetur Genes. 9, v. 4. Nec coctum, sed igne assatum debebat comedi propter
IX. 35. typum de quo postea. Haec assatio agni procul dubio domi peracta fuit, sed quod ad mactationem attinet, variant sententiae. In primo quidem paschate, quod in Aegypto celebratum, antequam tabernaculum et postea templum exstrueretur, certum est, mactationem itidem domi a patribusfamilias peractam esse, Exod. 12, v. 6: *Mactabit eum omnis coetus congregationis Israël;* sed de posterioribus temporibus sententiae variant. Josephus lib. 7. de bell. Jud. cap. 17. innuere videtur posterioribus seculis hostias paschales a sacerdotibus fuisse mactatas vel certe numeratas. Philo libr. 3. de vita Moysis illud negat, inquiens, quod pro se quisque hostiam suis manibus mactet et pro se quisque gerat sacerdotem. Sed ex 2. Paral. 35, v. 11. haud obscure colligitur, post occupatam terram Canaan non per domos jugulatos agnos, ut in Aegypto factum erat, sed in templo a Levitis, domi vero postea illi agni assabantur et manducabantur.

Et manducatio. 35. 4. Manducationis circumstantiae hae sunt. 1. Quilibet paterfamilias cum suis domesticis peculiarem agnum die decima mensis primi segregatum et decima quinta mactatum et postea assatum comedebat, quodsi domus erat minor, id est si pauciores domestici, quam ut essent consumendo agno sufficientes, accersebatur vicinus, Exod. 12, v. 3: *Accipiet sibi unusquisque agnum per domum patrum, agnum per domum* (universus populus Israël in 12 tribus divisus erat, quae divisae erant in patrias aut familias, deinde familiae in domos, in familiis et domibus quidam erant praecipui, quos vocabant patres, ergo juxta familias et domos agnum jubentur manducare); v. 4: *et si minor fuerit domus sive familia, quam ut agnum comedere possit, accipiet vicinum suum, proximum domui sua, pro numero animarum unumquemque secundum edere ejus numerabitis super agnum*, id est tot vicinos sibi adjunget, donec numerus hominum sufficere videbitur ad absumendum agnum. Josephus d. l.: *Per singula contubernia non pauciora quam decem virorum fiunt, solum enim epulari non licet, multi etiam vicini conveniunt.* Monebat haec ceremonia de φιλαδελφίᾳ ac mutua dilectione, quae inter συσσίτους hujus sacramenti vigere debeat. 2. Manducabatur cum panibus azymis nullo fermento infectis, sed dulcibus, quorum azymorum usus per integrum septiduum postea continuabatur, v. 15: *Septem diebus infermentata comederitis* etc. Id quod aliquoties in sequentibus inculcatur. (In deserto panis azymi loco usurparunt manna panem coelitus datum, Num. 9, v. 5.) Memoriale hoc fuit, quod tanta cum festinatione majores ipsorum ex Aegypto exierint, ut ferrent conspersiones sive pastas suas in vestimentis ligatas, antequam fermentarentur, v. 34. de typo dicetur postea. 3. Addebantur מְרֹרִים *amaritudines* v. 8. herbae amarae, contusae, bittere Salze, LXX ἐπὶ πικρίδων, quibus admonebantur de amara servitute, quam in Aegypto sustinuerant, propter quam in amaritiem animi saepius inciderant. rad. מָרַר exacerbatus, contristatus fuit, tristitiam ex miseria contraxit. Quidam vertunt *lactucas agrestes*, quod non probatur omnibus, quia *lactucae non sunt amarae, cum a medicis propter nutrimentum edi praecipiantur, amara autem non nutriunt*, Fagius in c. 12. paraph. Chald. Exod. 4. Manducandum erat *caput cum pedibus et intestinis* v. 9. id est totum et integrum, non dimembratum IX. 36.
erat assandum et postea manducandum. Hebr. *Caput ejus super genua ejus et super interius ejus*, id est cum cruribus et intestinis ejus. Nec quidquam ex eo relinquendum usque mane, si quid vero residuum fuerat, id igne erat comburendum v. 10. 5. Erat et peculiaris manducantium habitus v. 11: *Sic comedetis eum, sint lumbi vestri praecincti* (tanquam itineri accinctorum; orientales enim populi longis vestibus utentes cingulis se constringebant iter aliquod vel alia negotia aggressuri), *sint calceamenta vestra in pedibus vestris et baculus vester in manu vestra* (qui solet esse habitus eorum, qui jamjam iter ingressuri) admonebantur hac ceremonia exitus ex Aegypto proxime instantis, cujus perpetuum memoriale in hoc sacramento posteris erat propositum. Quo etiam pertinet, quod comedebant *festinanter* בְּחִפָּזוֹן, in festinatione, rad. חפז cum stupore et pavore fugit v. 11. *comedetis festinanter*, ratio additur פֶּסַח הוּא לַיהוָה, *transitus ipse Domini*, ut sit sensus, ideo festinandum esse, quia parum temporis sit superfuturum Domino per Aegyptum transeunte ipsosque ex ea educturo. Nec tamen improbamus eorum interpretationem, qui haec verba non per αἰτιολογίαν cum superioribus conjungunt, sed esse superiorum omnium velut συμπέρασμα quoddam statuunt. *Hoc est pesach Domini*, hoc est hic ritus mactandi et manducandi agnum est sacrum pascha, sancta festivitas Domini, quo collimat paraph. Chald. *est phase coram Domino.* Quod vero nocturnus Zwinglii monitor in subs. eucharist. metonymiam sacramentalem ex hoc loco exsculpere voluit, id quam sit a textu alienum, alibi ostendetur. Ceterum cum Christus in ultima coena cum discipulis suis pascha celebrans discubuisse dicatur Matth. 26, v. 20. et vero cum habitu manducantium divinitus praecepto id videatur pugnare, ideo Tremellius et Beza in cap. 26. Matth. uti et Bucanus in loco commun. lib. 46. p. 587. statuunt, Exod. 12. praecipi, qua ratione exituri ex Aegypto prima illa vice pascha comedere debeant, paulo ante quam ex Aegypto exeant et iter ingrediantur, quia ita exigebat illius temporis necessitas, sed in lege deinde, ubi praecipitur, ut ceremonia illa agni paschalis quotannis renovetur, istaec non addi, atque inde omnes

Hebraeos tum antiquos, tum recentes summo consensu dicere, quod mandatum illud de induendis calceis, cingendis lumbis et sumendis baculis et cum festinatione comedendo agno non extendat se ad generationes secuturas, sed tantum fuerit illius noctis, qua egressuri erant ex Aegypto, imo antiquissimam esse apud Judaeos traditionem in Thalmud tract. de paschate commemoratam, ut manducaturi pascha in signum libertatis adeptae discumberent. Haec illi. Sed enim cum Dominus Numer. 9, v. 3. praecipiens celebrationem paschatos altero post egressum anno moneat, *ut faciant juxta omnia statuta ejus*, cumque spiritualis illarum ceremoniarum significatio fuerit perpetua, ideo probabilius videtur, in annua paschatis celebratione ceremonias illas non minus quam in primo paschate fuisse usur-
IX. 37. patas. Verisimilius igitur est, quod alii ex Rabbinis scribunt, in manducatione agni paschalis duplicem fuisse sacri convivii actum, primo *sacramentalem*, quo cibus agni paschalis non satietatis, sed religionis gratia sumebatur a denis vel etiam vicenis, atque hunc ritum a stantibus accinctis et calceatis fuisse peractum; alterum vero fuisse *convivium* appositis ad famen explendam aliis cibis, atque in eo discubuisse.

Adspersio sanguinis in superliminari et postibus.

36. Neque vero solummodo carnes agni paschalis igne assatas manducari oportebat, sed et sanguine illius superliminaria et postes aedium signari, quae sanguinis adspersio. v. 7: *Accipient de sanguine et ponent super postes ambos et in superliminari aedium, in quibus comedent eum.* Causa hujus ritus exponitur v. 12: *Transibo per terram Aegypti nocte ista et percutiam omnem primogenitum ab homine usque ad bestiam;* v. 13: *et erit sanguis ille vobis in signum in domibus, in quibus eritis, cumque videro sanguinem, praeteribo vos et non erit in vobis plaga ad perditionem.* **Sicut sanguis agni non fuit pedibus conculcatus vel in sterquilinium projectus, sed in pelvi acceptus et asservatus, ut postes et liminaria aedium eo possent illiniri; sic multo minus Christi sanguinem oportet pedibus conculcare, sed sacrum et pretiosum habere, ut postes oris et cordis eo illiniantur.** Porro adspersio illa sive signatio fiebat fasciculo hyssopi, v. 22: *Accipietis fasciculum hyssopi et intingetis in sanguine, qui erit in vase et applicabitis superliminari et ambobus postibus de sanguine in vase; vos vero non egrediemini quisque ex ostio domus suae usque ad*
IX. 38. *mane.* Hebraei testantur, fasciculum illum factum esse ex tribus caulibus conjunctis, quod ad mysterium sacrosanctae Trinitatis accommodari potest. Quare sanguis agni non fuerit jussus bibi aut manducari, sed postibus tantummodo illiniri, otiose fortassis quaeritur, posset tamen dici, quod sanguinem animalium edere vel bibere fuerit prohibitum Gen. 9, v. 4. quod tam stricte a Judaeis observatum fuit, ut in gratiam infirmiorum id aliquamdiu a gentibus ad Christum conversis in N. T. observari ab apostolis fuerit sancitum, Actor. 15, v. 20. Adde quod illitio ista sanguinis in postibus et superliminari vi divinae institutionis externum aliquod signum esse debebat, utique ergo non manducandus aut bibendus, sed aedibus illinendus fuit. Sunt qui statuunt, ceremoniam illam de postibus et superliminari sanguine adspergendis ad primi paschatis celebrationem atque unicam illam noctem, qua egressus est ex Aegypto populus, tantum pertinuisse, neque in anniversaria paschatis solennitate fuisse iteratam. Sed cum illa adspersio non minus sit actus sacramentalis quam manducatio carnium agni, cum post praeceptum de illitione sanguinis immediate sequatur v. 24: *Observabitis rem istam pro statuto in seculum*, cum Num. 9, v. 3. pascha fieri jubeatur *juxta omnes ritus suos et juxta omnes ceremonias suas*, praesertim vero cum illustris sit figura sanguinis Christi in eucharistia cum vino bibendi una cum corpore Christi cum pane benedicto manducando; ideo verisimilius est, eam quotannis una cum reliquis ceremoniis fuisse iteratam. Pericopen illam de non egrediendo nocte illa ex aedibus sanguine adspersis temporariam fuisse, ex eo videtur argui, quod Christus paschali epulo cum discipulis instituto trans torrentem Cydron Hierosolymis est egressus, Joh. 18, v. 1.

Tempus institutionis hujus sacramenti.

37. Tempus hujus sacramenti itidem tripliciter ut in circumcisione considerandum, respectu *institutionis, administrationis et durationis.* Institutio facta est anno mundi 2454. annis ante natum Christum 1517. ut hac ratione a prima hujus sacramenti institutione et administratione usque ad ultimum paschale epulum, quod Christus cum apostolis celebravit, praeterierint anni 1550. Institutionem hujus sacramenti praecesserunt Moysis coram Pharaone prodigia et septem plagae Aegypti, eandem immediate secutus Israëlitarum ex Aegypto exitus, quippe cujus perpetuum μνημόσυνον inter ceteros fines agni paschalis festivitas esse debebat.

Tempus administrationis, utpote 1. segregationis.

Tempus administrationis juxta diversas actiones in hoc sacro requisitas variat. 1. Segregatio agni fiebat die decimo mensis Nisan, qui nostro partim Martio, partim Aprili respondet, Exod. 12, v. 3: *In decima die mensis hujus accipiet sibi unusquisque agnum per domum.* Dicitur autem hic mensis chaldaico nomine נִיסַן a fugiendo, quod eo mense profugerint Israëlitae ex Aegypto; Hebraeis dicitur אָבִיב, est spica maturescens, spica cum calamo, quia fruges apud Judaeos eo tempore maturescunt et demetuntur: initium accipit a novilunio, quod proxime praecedit aut sequitur, aut incidit in aequinoctium vernum seu ingressum solis in arietem, quo tempore sol vertici eorum, qui Palaestinam incolunt, ferme tam propinquus est, quam nostro solstitii tempore Macedonibus Xanthicus, Aegyptiis Pharmuthi. Ac statuitur primus mensis sive initium anni v. 2: *Mensis iste erit vobis caput mensium,*
primus ipse vobis in mensibus anni, cum quo mi- IX. 39.
nime pugnat, quod תִּשְׁרִי (mensis septimus in ordine a Nisan, in quo fit vindemia et ex uvis תִּירוֹשׁ mustum exprimitur, nostro Septembri maxima ex parte respondens) Levit. 25, v. 8. initium anni sta-

tuitur. Habuerunt enim Hebraei duplicem annum, politicum et ecclesiasticum. Politici ראש, initium, est aequinoctium autumnale, sub quod existimant mundum a Deo fuisse creatum in תִּשְׁרִי; ecclesiastici seu sacri anni ראש, initium est in novilunio circa aequinoctium vernum, sub quod ex Aegypto sunt egressi in נִיסָן. *Annus naturalis* (dicunt Rabbini) *pertinet ad initium creati mundi et ad terrae sabbathum ac proventus aliasque res in foro; sacer vero ad festorum in sacris rationem.* Josephus lib. 1. antiquit. c. 3. juxta Graec. distinct.: *Moyses Nisan, qui est Xanthicus, mensem primum in suis festis ordinavit, quod per hunc Hebraeos ex Aegypto eduxisset; eundem etiam omnium, quae ad rem divinam pertinerent, exordium fecit; alioqui, quod ad nundinationes rerum venalium reliquamque dispensationem anni attinet, nihil de pristino ritu innovavit.* Animadvertitur etiam quadruplex anni principium: 1. Initium anni mensium, quod est primus Nisan. 2. Verum anni initium, a quo numerant creationem, primus Thisri. 3. Initium anni quoad arbores et fructus, 15. Decembris, quo arbores succum suum recipiunt. 4. Regum, in quo numerant ab anno, in quo rex fuit constitutus 1. Regum 20. etc. Vide Schindlerum in Lexico in voce שנה.

2. Mactationis.

38. 2. Mactatio fiebat die decima quarta mensis primi. Exod. 12, v. 6: *Erit vobis in custodiam usque ad decimum quartum diem mensis hujus et immolabit eum universa congregatio coetus Israël.* Et quia paschatis celebrationi septiduana azymorum comestio erat conjuncta, ideo additur v. 18: *In die decima quarta mensis in vespera comedetis infermentata.* Sed quomodo cum his congruit, quod Levit. 23, v. 6. dicitur: *In die decima quinta mensis hujus solennitas infermentatorum?* Respondemus: observandum, quod duplici ratione diei initium apud Judaeos consideretur. Secundum legis dispositionem dies festi incipiebant a vespera, Lev. 23, v. 24: *a vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbatha vestra.* Sed juxta computationem in vita commundi dies naturalis incipiebat a tempore matutino, ita ut vespera sequens esset pars diei praecedentis. Quatenus ergo vespera diei decimae quartae juxta legis dispositionem pertinet ad diem decimam quintam, eatenus et paschalis celebratio et solennitas azymorum recte dicitur incidere in diem decimam quintam, expurgandae erant aedes a fermento eadem die, qua agnus comedebatur, unde evangelistae sine discrimine diem azymorum pro paschate ponunt Marc. 14, v. 1. Luc. 22, v. 1. etc. quatenus vero juxta communem calculum vespera illa, in qua mactarunt agnum paschalem et coeperunt edere azyma, refertur ad diem praecedentem, eatenus dicitur dies decima quarta primus azymorum. Hoc sensu evangelistae dicunt, Christum primo die azymorum, quo pascha immolari oportebat, misisse Petrum et Johannem, ut pararent pascha Matth. 26, v. 17. Marc. 14, v. 12. Luc. 22, v. 7. Quod certe non de vespera diei decimae quartae, sed de principio vel certe medio ejusdem intelligendum. Augustinus ad Casulan. epistol. 86: *Sexta sabbathi, qui dies passionis Christi est manifestus, primus dies azymorum fuit a vespera incipiens, sed Matthaeus evangelista quintam sabbathi dicit fuisse primam diem azymorum, quia ejus vespera sequente futura erat coena paschalis, qua coena incipiebat azymum.*

An Christus die divinitus constituto manducarit pascha.

39. Quaeritur hoc loco, an Christus die divinitus constituto cum discipulis suis manducarit pascha? Quaestionis occasio inde nascitur, quod Christus pridie ejus diei celebrarit pascha, qua Judaei postea suum; testatur enim Johannes c. 18, v. 28. Judaeos non fuisse ingressos praetorium Pilati, ne contaminarentur, sed ut manducarent pascha, et c. 19, v. 14. diem illam, in qua Christus passus et in cujus initio pascha cum discipulis manducavit, vocat parasceven paschae. Graeci dicunt, Christum praevenisse uno die celebrationem agni paschalis, cum sit dominus legis; sed cum Christus alias legem quam diligentissime observarit, cumprimis vero cum Lucas expresse dicat c. 22, v. 7: *Venit dies azymorum, in quo necesse erat occidi pascha*, significans legitimam fuisse celebrationem agni paschalis eo die, quo Christus eam observavit, ideo haec opinio Graecorum non est verisimilis. Quidam, ut Gerson in hist. pass. et alii in ea sunt sententia, Judaeos eadem die cum Christo agnum paschalem comedisse, illi locum Johannis c. 18. accipiunt de panibus azymis per integrum septiduum comedendis; alterum locum c. 19. de parasceve accipiunt, de die praeparatoria ad sabbathum incidente in ipsas ferias paschales, sed cum hoc sit valde coactum et a textu alienum, ideo commodior est Dn. Chemnicii sententia, quod Christus tempore divinitus in Moyse praescripto manducarit pascha, Judaei vero postridie. Quare vero discesserunt Judaei a divina constitutione? Latini dicunt, ipsos distulisse pascha illud in diem alterum aviditate occidendi Christum, sed hoc vix videntur fuisse ausi in tanta multitudine populi, qui ex omnibus locis ad pascha celebrandum confluxerat, dicendum igitur, id factum esse secundum traditionem majorum. Etenim Rupertus in Matthaeum commemorat, *Judaeos ex traditione patrum nunquam duo festa, in quibus nihil operis facere praeceptum fuit, continue celebrare solitos, quod difficile esset mortuorum corpora aut cocta olera in tertium usque diem servare in regione calida, atque ob id paschae festivitatem, quotiescunque incidit in feriam sextam, quemadmodum evenit eodem tempore, quo Dominus est passus, distulisse in diem sequentem, sabbathum scilicet*, ideo Johannes dicit c. 19, v. 31. *quod magnus fuerit dies ille, sabbathum* nimirum, quia in eo et paschatos et sabbathi celebritas juxta observationem Judaeorum conveniebat. Vide Paulum Burgensem in annot. adjunctis comment. Lyrani, ubi prolixe persequitur rationem, qua factum fuerit, ut Christus pridie quam Judaei pascha suum celebraret, adducit ex libro Sedar Olam traditionem a tempore

IX. 40. IX. 41.

restituti templi observari solitam, quod quandocunque paschalis festivitas incidit in feriam sextam, tunc translata fuerit in diem sabbathi sequentem. Sed quia traditio haec erat legi divinae contraria, ideo Christus tempore legitimo divinitus constituto pascha cum discipulis celebrare voluit, *tempus meum prope est*, inquit, *ut faciam pascha cum discipulis* Matth 26, v. 18. quod dicit: quicquid alii traditiones secuti de tempore paschatis statuant, mihi convenit legem Patris sequi, quod memorabile exemplum est, quid de traditionibus extra et contra verbum scriptum magna specie venditatis sit statuendum. Atqui si Christus uno die prius quam Judaei celebravit pascha, quomodo factum, ut Judaei, qui etiam falsum testimonium quaesiverunt contra Christum, accusationem hanc praetermiserint, quam certe speciose urgere potuissent? Dicitur enim in libro Sedar Olam: *Sic statuerunt magistri nostri judices Sanhedrin magni nominis in seculo: In domo sanctuarii secunda, cum exstructa esset et consummata, tunc apparuit solium igneum perfectissimum, super quod sedebat rex mundi sublimis valde stans inter porticum et acceperunt coronam, apprehenderuntque sigillum reconditum*
II. 12. *et sanxerunt ordinaveruntque statutum perpetuum et traditum est in manus R. Eliezer, qui reliquis omnibus major erat et is ordinavit diem sortium non observari secundo, quarto, septimo hebdomadae die, neque pascha secundo, quarto, sexto, neque diem expiationis primo, tertio, sexto, in aeternum.* Potuissent ergo Judaei magnam accusationi suae Christo intentatae speciem et colorem inducere, quod contra divinam illam revelationem et sanctam patrum traditionem alieno tempore pascha celebrasset, neque id semel, sed quatuor vicibus, verisimile enim est, Christum semper eodem die divinitus constituto pascha celebrasse. Dicit enim ad discipulos Matth. 26, v. 2: *Scitis, quod post biduum pascha fiet*, id est jam ante ex me audistis, Judaeos propter traditiones suorum majorum in tempore paschatis a legis divinae regula discessisse, sed nobis incumbit, legis praescriptum sequi, ideo post biduum pascha celebrandum erit. Respondemus: non publice in templo, sed domi apud quendam patremfamilias Christus celebravit pascha, ut ex historia evangelica manifeste constat; solus igitur paterfamilias et ejus domestici una cum discipulis Christi conscii fuerunt anticipati temporis in paschatis celebratione, nec dubium, quin Christus causam illius exposuerit, propter quam neglectis Judaeorum traditionibus tempore divinitus in lege praescripto pascha manducet. Quodsi omnino Judas principibus sacerdotum, Scribis et Pharisaeis hoc Christi factum manifestavit, illi tamen non ausi fuerunt publice hoc nomine Christum accusare, metuendum enim erat, ne iterum audirent, quod in simili negotio ex ipso audierant Matth. 15, v. 3: *Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras?* adde quod verisimile sit, in tot sectis et dissensionibus populi diversitatem quandam in paschatis die apud Judaeos occurrisse, quibusdam legis praescriptum, quibusdam vero traditiones majorum sequentibus, ut etiam hanc ob causam non fuerint ausi Christo ullum crimen intendere.

40. Porro mactari jubetur agnus paschalis *inter* Quid per duas vesperas intelligatur.
duas vesperas, בֵּין הָעַרְבָּיִם, hoc est post solis occasum ante noctis tenebras. R. D. Kimchi vesperae initium sumit a meridie, quando sol declinat ad occidentem, et putat, agnum mactandum a tempore illo, quod est a meridie ad solis occasum. Rectius Aben Ezra in hoc loco vesperam aliam dicit esse solis, aliam luminis: *Una vespera* (ait) *est solis, tempus quo occidit sol et absorbetur super terram; vespera secunda est lux, splendor sive irradiatio illa, quae post occasum ejus in nubibus aliquamdiu apparet, haec durat ad horam unam et partem tertiam horae.* Jos. 7. de bell. Jud. c. 17. a nona hora usque ad undecimam agnos paschales mactari solitos scribit. Ad hanc vesperae distinctionem referri potest, quod Matth. 14, v. 15. dicitur: *Vespere facto discipuli accesserunt ad Christum*, et tamen v. 23. subjungitur, quod Christus vespere facto *solus* fuerit. Exod. 16, v. 12: *Inter duas vesperas* IX. 43.
comeditis carnem. Tharg.: שִׁמְשַׁיָּא, *soles*, declinantem et occidentem. **Ceterum 1. Lipoman. dicit, *tempus inter duas vesperas esse noctem, quae inter vesperam diei praecedentis et inter crepusculum matutinum, quod dici potest vespera, diei sequentis injecta est.* At sic agnus paschalis non vesperae diei decimae quartae, sed nocte pertinente non ad decimam quartam, sed ad decimam quintam diem immolatus fuisset, quod Scripturae repugnat. 2. Rabbini, ut R. Nathan, R. Simeon fil. Jochai, R. Salomon, R. Levi filii Gersonis, R. Moyses Gerundensis (quorum verba vide apud Masium in Josuam c. 5. §. 10. p. 90.) Chald. Lyran. Abulens.: *Prima vespera* (inquiunt) *est declinatio solis a meridie versus occasum, secunda est ipse solis occasus.* Sed insolens est totum tempus pomeridianum vocari vesperam, unde R. Aben Ezra eos refellit. 3. Oleaster, Aben Ezra et alii putant, *primam vesperam esse solis occasum, secundam esse initium noctis sive tenebrarum. Inter has enim intercedit crepusculum, puta aliquid temporis, quo lumen aliquod solis post ejus occasum in aëre adhuc apparet, perinde ut fit mane ante solis ortum.* Idem amplectitur Jacob. Faber Stapulensis, Masius in Jos. Rung. in Ex. At hoc tempore agnus non erat immolandus, sed comedendus. Nam ut patet Lev. 23, v. 5. Num. 28, v. 16. agnus immolandus erat decima quarta die ad vesperam, sed comedendus cum azymis decima quinta, quae incipiebat a solis occasu, quo finiebatur decima quarta, ut patet Exod. 12, v. 6. 8. 4. Cornelius a Lap.: *Prima vespera est, cum jam sol declinat ad occasum, secunda est ipse solis occasus;* Chald. *inter duos soles, declinantem et occidentem.* Josephus lib. 7. de bell. Jud. c. 17. et lib. 16. antiq. c. 10. tradit, *Hebraeos immolare solere hostias paschales ab hora nona usque ad unde-*

cimam, nona autem respondet nostrae tertiae. Idem statuunt Cajetanus, Masius in Jos. p. 90. Schindlerus p. 1380. Vide quoque Scaligerum de emend. temp. p. 269. et Casaubonum in exercit. p. 473. ubi de duplici vespera. **

Tempus assationis et manducationis. 41. Assatio et manducatio in primo paschate fiebant nocte diem decimam primi mensis sequente et quidem vigilia ejus prima, Exod. 12, v. 8: *Comedent autem carnem nocte ipsa assam igne et infermentata.* Causa hujus rei erat tum instans angeli interfectoris transitus, a quo ut immunes essent, sacrum hoc celebrare et superliminare cum postibus aedium sanguine agni signare jubebantur, tum vero proxime instans Israëlitarum ex Aegypto exitus. Cum enim in medio illius noctis Jehovah *percuteret omne primogenitum in terra Aegypti*, Exod. 12, v. 29. *surrexit Pharao nocte ipsa et omnes servi ejus*, v. 30. *et vocavit Moysen et Aaronem noctu et dixit, surgite, egredimini e medio populi mei et vos et filii Israel*, v. 31. *et invaluit Aegyptus super populum festinando demittere eos e terra*, v. 33. Idem tempus postea in reliquis agni paschalis festivitatibus *εἰς μνημόσυνον* priorum fuit observatum, ideo additur v. 42: לֵיל שִׁמֻּרִים הוּא לַיהוָה, *nox custodiarum vel observantiarum est Domino*, vel quod ita dicta sit, quod Dominus in hac nocte custodivit filios Israël, ne laederentur a vastatore, vel quod filii Israël posthac istam noctem omnibus temporibus summa cum religione observare deberent, memores beneficiorum Dei ista nocte praestitorum, quem sensum confirmant verba sequentia.

Tempus durationis. 42. Tempus durationis est usque ad Messiae adventum, mortem et sacrificium, ergo in N. T. desiit agni paschalis celebratio. Causas hujus rei expromimus hasce: 1. quia est V. T. sacramentum, quare cum per adventum ac mortem Messiae V. T. finis sit impositus, ex eo etiam hic ritus desiisse evincitur. 2. Fuit umbra et typus Christi venturi, ut reliquae V. T. ceremoniae leviticae, utique ergo *veniente corpore* cessavit, Col. 2, v. 16. Hebr. 10, v. 1. Chrysostomus hom. de prodit. Judae: *Ille agnus futuri agni fuit typus et ille sanguis Dominici sanguinis monstrabat adventum et ovis illa fuit spiritualis ovis exemplum, ille agnus umbra fuit, hic veritas, sed postquam sol justitiae irradiavit, umbra solvitur luce.* 3. In ipsa hujus ritus in-
IX. 44. stitutione dicitur: *observabis rem istam pro statuto tibi et filiis tuis* עַד עוֹלָם *usque in seculum*, Exod. 12, v. 24. id est usque ad certum ac determinatum tempus, sicut hujus phraseos sensus alibi fuit expositus. 4. Celebratio agni paschalis diserta lege fuit ad tabernaculum et templum Hierosolymitanum alligata. Jam vero ultra mille et quingentos annos in cineribus illud jacuit. Quare cum abrogatis per Christum cultibus leviticis pertinaces Judaei nihilominus anno a Christi nativitate 71. ad celebrandum pascha Hierosolymis convenirent, factum est justo Dei judicio, ut hac ipsa occasione in manus hostium conclusi obsiderentur exercitu Titi, Vespasiani imperatoris filii, donec expugnata urbe templum dirutum et in cineres redactum, quod manifesto indicio est, sacris leviticis ad illud alligatis finem positum esse. Refero huc, quod R. Aben Ezra ex c. 12, Exod. v. 25. colligit, *solum in terra Israël mactandum esse agnum paschalem, non autem extra eam.* Jam vero ex illa jam dudum expulsi sunt Judaei. 5. In locum agni paschalis in N. T. successit eucharistia, in qua ipsum corpus et ipse sanguis Christi ad manducandum ac bibendum ab ipso Christo instituta sunt. Ut ergo circumcisionem abrogavit baptismus, ita agnum paschalem eucharistia.

43. Locum quod attinet, primum pascha celebratum est in Aegypto, alterum in deserto. Postea vero diserta lege ad certum locum ut festivitates reliquae, ita quoque paschatis celebratio fuit alligata. Deut. 16, v. 2: *Immolabis pesach Jehovae Deo tuo in loco, quem elegerit Jehovah, ut habitare faciat nomen suum ibi;* v. 5: *non poteris immolare pesach in aliqua urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi;* v. 6: *sed in loco, quem elegerit Jehovah Deus tuus, ut habitare faciat nomen suum ibi.* Ergo ad locum illum, in quo erat tabernaculum foederis, postea vero templum Domini, conveniendum erat omnibus masculis ex toto regno Israëlitico. Exod. 34, v. 23: *Tribus vicibus in anno conspicietur omnis masculus tuus coram Dominatore Jehovah Deo Israël.* Expressa illa loci determinatione 1. obviam ibatur cultibus electitiis, 2. concordia inter confessores unius verae religionis alebatur et 3. sacrificium Messiae in urbe Hierosolyma offerendum praefigurabatur. Locus.

44. Quinam ad esum agni paschalis admittendi sint, expressis verbis in institutione definitur. Exod. 12, v. 3: *Tollet sibi unusquisque agnum per domum patrum, agnum per domum;* v. 6: *immolabit eum universa congregatio coetus Israël.* Et postea, ubi de anniversaria hujus sacri repetitione agitur v. 43: *Omnis alienigena non comedet ex eo;* v. 44: *omnem servum hominis emtum argento circumcides, tunc comedet ex eo;* v. 45: *advena et mercenarius non comedet ex eo;* v. 47: *universus coetus Israël faciet ipsum;* v. 48: *cum autem peregrinabitur apud te peregrinus et faciet pesach ipsi Jehovae, circumcidetur ei omnis masculus et tunc accedet ad faciendum illud eritque sicut indigena terrae, nullus enim habens praeputium comedet ex eo;* v. 49: *lex una erit indigenae et peregrino, qui peregrinatur in medio vestri.* Admissi ergo fuerunt ad communionem hujus sacri Israëlitae omnes tam feminae quam mares, qua in parte diversitas quaedam intercedit huic sacramento cum circumcisione, quia circumcisionem soli masculi in carne sua recipiebant, sed ad agnum paschalem et masculi et foemellae admittebantur. Proselyti (*οἱ ἐξ ἐθνῶν προσεληλυθότες* juxta Suidam,) non nisi percepta prius circumcisione ad sacras hasce epulas admittebantur, nimirum quia sacramentum initiationis prius omnino percipi debet quam sacramentum confirmationis. De infantibus Israëlitarum moveri potest quaestio, an et illi ante annos discretionis fuerint ad esum agni pa- Quinam ad esu agni p schalis admittendi. An li tes Is litici illum admi

IX. 45. schalis admissi? quod videtur negandum: 1. quia in ipsa institutione sic habetur, v. 26: *cum dixerint vobis filii vestri, quid est cultus iste vobis?* v. 27: *tunc dicetis, sacrificium pesach est ipsi Jehovae* etc. quo ipso innuitur, illos solum admittendos, qui possunt quaerere ac discere, quis et qualis sit iste cultus. 2. Quia ad s. coenam, quae agno paschali successit, illi solum admittuntur, qui *se ipsos probare possunt*, 1. Cor. 11, v. 28. 3. Quia dispar est ratio sacramenti initiationis et sacramenti confirmationis; ad sacramentum initiationis infantes admittuntur, non autem ad sacramentum confirmationis. Lata lege levitica illi, qui attigerant corpus mortui, aut alia aliqua levitica immunditie contaminati erant, ab esu agni paschalis exclusi mensis secundi die decima quarta celebrabant, Num. 9, v. 10. 11. Quod vero rex Hiskias etiam illis, qui lege levitica immundi erant, una cum reliquis pascha celebrare permittit, dispensationis fuit, quae non solum probabili ratione, quod ex locis maxime dissitis venerant ac post exactum mensem difficulter convenire poterant, sed etiam divina approbatione nitebatur, 2. Paral. 30, v. 20.

Finis hujus sacramenti. 45. Quo vero fine instituit Deus agni paschalis ritum? respondemus breviter, ut esset ordinarium V. T. sacramentum alterum, id est ut esset memoriale praeteriti et figura futuri ad fidem Israëlitarum confirmandam et obsignandam. Memoriale praeteriti erat, quia admonebat Israëlitas de eximio illo beneficio, quod angelus exterminator sive interfector omnia Aegypti primogenita mirabiliter enecans sanguine in foribus Israëlitarum viso pertransierit ac primogenitis eorum pepercerit; hic finis in ipsa hujus sacri institutione ejusdemque repetitione disertis verbis exprimitur, Exod. 12, v. 17. 27. cap. 34, v. 18. Unde ipsi Rabbini scribunt: *Pesach indicat, quod transilivit Deus domos patrum nostrorum in Aegypto. Amarae herbae significant, quod Aegyptii amaritudine afficiebant patres nostros in Aegypto. Asyma significat, quod*
IX. 46. *fuerunt redemti.* Figura etiam erat futuri, quia praefigurabat Christum. ** Justinus in dial. cum Tryph. p. 200: *Mysterium arcanumque agni, quem pascha immolare Deus mandavit, typus et figura erat Christi, cujus sanguinem juxta rationem nostrae in illum fidei in aedes suas, hoc est se ipsos, adspergunt in eum credentes.*** Quemadmodum enim liberatio populi Israëlitici ex servitute Aegyptiaca praefigurabat spiritualem liberationem ab infernali Pharaone id est a Satanae et peccati tyrannide per Christum in N. T. praestandam; ita quoque memoriale corporalis istius liberationis erat figura Messiae, per quem praestanda erat liberatio spiritualis. Confirmamus hoc sequentibus fundamentis: 1. Johannes evangelista c. 19, v. 36. id quod de agno paschali dicitur, Exod. 12, v. 46. *Os non comminuetis ex eo*, in Christo salvatore in ara crucis pro nobis immolato tanquam in antitypo completum esse pronuntiat, utique ergo agnus ille paschalis fuit typus Christi. 2. Idem docet apostolus 1. Cor. 5, v. 7: *Pascha nostrum pro nobis immolatum est Christus*, quorum verborum quis potest esse sensus alius, quam quod mactatio agni paschalis fuerit evidens typus mortis et sacrificii Christi? 3. Eodem respiciunt prophetae et apostoli, ubicunque Christum conferunt cum agno vel ove, Esa. 53, v. 7. Act. 8, v. 32: *Sicut agnus ad mactationem ductus est et velut ovis coram tondente se obmutuit.* 1. Petr. 1, v. 19: *Redemti estis pretioso sanguine utpote agni immaculati et incontaminati Christi.* In Apocalypsi nihil frequentius, quam agni appellatione Christum exprimi. Johannes Baptista itidem vocat *agnum illum Dei*, Joh. 1, v. 29. 36. scilicet eum, qui per agnum paschalem et reliquos agnos in sacrificiis V. T. oblatos fuit praefiguratus. Atqui hic respectus in appellatione ista potissimus est, interim non negamus, ad innocentiam, mansuetudinem, patientiam etc. in ea respici.

46. Instituamus ergo comparationem agni paschalis et Christi. Agnus esse debuit 1. immaculatus et perfectus; sic Christus est absque omni peccati tum originalis tum actualis macula. Esa. 53, v. 9. 1. Petr. 2, v. 22: *Iniquitatem non fecit, nec dolus fuit inventus in ore ejus.* Hebr. 7, v. 26: *Talis decebat ut esset nobis pontifex,* ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, *segregatus a peccatoribus.* 1. Petr. 1, v. 19. agnus ἄμωμος καὶ ἄσπιλος vocatur; 2. agnum paschalem oportuit esse masculum; sic Christus est *vir ille, quem circumdedit femina in utero*, Jer. 31, v. 22. quo nomine appellatur tum ratione sexus, tum ratione roboris, ut constat ex Hebraeo גִּבּוֹר, est filius hominis, uti se ipsum passim appellat. 3. Agnum oportuit esse anniculum, in perfecto aetatis statu. Sic Christus in ipso aetatis flore, videlicet anno 34. currente immolatus est. Immaculata mundicies Christi arguit sanctitatem sacrificii pro nobis praestiti, aetatis perfectio ejusdem absolutissimam perfectionem demonstrat. Comparatio agni paschalis IX. 47. et Christi.

47. Eadem comparatio instituenda respectu actuum sacramentalium. 1. Agnus paschalis ex communi grege petendus erat. Sic Christus ex genere humano veram carnem assumsit. Deut. 18, v. 18: *Prophetam suscitabo eis* מִקֶּרֶב, *de interiore sive medio, fratrum tuorum.* Hebr. 2, v. 11: *Qui sanctificat et qui sanctificantur ex uno omnes.* v. 14: *Quia pueri communicarunt carni et sanguini, etiam ipse similiter participavit eisdem.* Naturae communio beneficii communicationem arguit. Segregatio agni paschalis fiebat die decima mensis primi; sic Christus eodem die Hierosolymam solenniter et peculiari modo per eandem portam, per quam agni et oves ad sacrificia duci solebant, ingressus eo ipso demonstravit, quod typus agni paschalis in sese compleatur. Agnus segregatus funibus constringebatur et toto quatriduo ligatus in aedibus Israëlitarum jacebat. Sic Christus non solum sanctae obedientiae vinculis, sed etiam externis funium nexibus propter nos constrictus fuit; nec primo statim ministerii sui tempore, sed in quartum usque annum per miracula ab omnibus omnino hominibus semet ipsum segregavit seque singularem illam

personam in ara crucis pro peccatis humani generis immolandam esse ostendit. 2. Decimo quarto die finito, id est in vespera, quae juxta legis computum ad sequentem diem 15. pertinet, agnus paschalis mactabatur sanguine largiter effuso; sic Christus eodem die 15. in ara crucis velut agnus ille Dei, pro nobis mortuus, sanguinem suum largissime effudit; non gutta, sed unda sanguinis, primum in horto oliveti, deinde in praetorio Pilati ac denique in cruce per quinque corporis partes largiter emanavit. Psalm. 22, v. 15: *Sicut aqua effusus sum, separata sunt omnia ossa mea.* Hebraei multa praeclara commemorant, quae multis annis ante paschatis institutionem eo die contigerint, praecipuum autem hoc est, quod statuunt eadem die redimendum populum Israël per Messiam, quem venturum exspectant, quia Cabbalistae eorum sic loquuntur: *In eadem die, videlicet decima quinta die mensis Nisan scilicet Martii, redimendus est Israël in diebus Messiae, quemadmodum redemti sunt eo die, de quo scribitur, in diebus egressionis tuae ex Aegypto ostendam mirabilia.* Refragari igitur gens pertinacissima non potest, quin ille sit verus Messias, quem nos colimus. Fagius in c. 12. Exod. Mactatio fiebat *inter duas vesperas*; sic Christus circa *horam mundi novissimam* 1. Joh. 2, v. 18. *in extremitate seculorum* 1. Cor. 10, v. 11. *temporibus novissimis* 1. Petr. 1, v. 20. immolatus est, ipse etiam paulo ante vesperam, hora scilicet nona, quae est nostra tertia, exspiravit, quo tempore solebant in templo ad preces et sacrificia vespertina convenire, Actor. 3, v. 1. 3. Agnus paschalis igne assabatur; sic Christus duplici igne assatus fuit, primum igne irae divinae, tum horto oliveti, cum sanguineum sudorem profunderet, er schwitzte als ein Braten, tum in ara crucis, cum anxie exclamaret: *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* inde conqueritur Psalm. 22, v. 15: *Factum est cor meum ut cera, li-*
IX. 48. *quefecit se medio viscerum meorum*; v. 16: *aruit tanquam testa fortitudo mea.* Deinde igne amoris interioris, sicut canit ecclesia: er ist an des Kreuzes Stamm in heißer Liebe gebraten. Hic amor Christi fuit quasi flamma quaedam, Cant. 8, v. 6: *Fortis ut mors dilectio, prunae ejus prunae ignitae utque flamma vehementissima.* **Isidorus Pelusiota paulo aliter lib. 1. epist. 219: *Igni assas agni carnes edebant Hebraei magnum divinae incarnationis mysterium per hujusmodi esum typice adumbrantes ac Dei agnum praedicentes, qui divinae essentiae ignem modo sermone omni praestantiore cum ea carne connectit, quae nunc a nobis editur vitiorumque remissionem affert.* **

48. 4. Agnus paschalis non solum segregabatur, mactabatur et assabatur, sed etiam manducabatur; ita quoque Christi corpus et sanguinem tum sacramentaliter, tum etiam spiritualiter manducamus ac bibimus. Sacramentalis manducatio instituta est hoc fine, ut spiritualem manducationem confirmet et obsignet, Joh. 6, v. 54: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam.* 1. Agnus paschalis manducabatur a singulis familiis, quo denotatum fuit, beneficia Christi ad totum genus humanum pertinere, interim tamen in ecclesia eadem solummodo dispensari; quicunque ergo illorum particeps fieri desiderat, eum oportet esse membrum familiae Christi, id est ecclesiae. Vicini ac peregrini ad esum agni paschalis admittebantur; quo denotatum fuit, etiam gentes ad Christi communionem vocandas esse. 2. Agnus paschalis manducabatur cum panibus azymis, id apostolus exponit hoc modo 1. Cor. 5, v. 7: *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi, etenim pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus;* v. 8: *itaque epulemur non in fermento veteri neque in fermento malitiae et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis.* Matth. 16, v. 6: *Cavete a fermento Pharisaeorum et Saducaeorum.* v. 12. id est a doctrina Pharisaeorum et Saducaeorum. Quemadmodum severe edicit Dominus Exod. 12, v. 15: *Quicunque comederit fermentatum, excidetur ejus anima ex Israël;* ita quoque de illis, qui fermento falsae doctrinae et vitae flagitiosae corrupti sunt, eadem severitate pronuntiat apostolus Rom. 8, v. 13: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* 3. Agni paschalis comestioni addebantur herbae amarae, quibus appetitus excitabatur; hae denotant amaritudinem ac compunctionem cordis sive seriam poenitentiam, dolorem de peccatis cum flagranti gratiae desiderio conjunctum ac mortificationem reliquiarum veteris Adami, quin et calamitates ac crucem, qua accenditur in cordibus nostris desiderium gratiae et bonorum coelestium. 4. Agnus paschalis manducabatur totus, non crudus, nec elixatus, sed assus, neque quidquam ex eo relinquendum erat. Sic vera fides totum Christum amplectitur cum omnibus ipsius beneficiis. Vera fides omnia Christi verba respicit, non quaedam tantum, sed omnia omnino sincere amplectitur. Assatum Christum comedunt, qui agnoscunt igneam Dei iram propter peccata nostra in ipsum veluti effusam. Crudum comedunt, qui vocem evangelii audiunt, sed sunt sine vera poenitentia, sine agnitione ac sensu irae divinae adversus peccata. Coctum aqua comedunt, qui carnales opiniones de Christo habent et falsis opinionibus sinceram evangelii doctrinam, ut caupones aqua vinum diluunt ac corrumpunt, Esa. 1, v. 22: *Vinum tuum mixtum est aqua.* 2. Cor. 2, v. 16: *Non sumus sicut plurimi χαπηλεύοντες τὸν λόγον τοῦ θεοῦ.* Per aquam intelligitur sapientia humana. Ut enim aqua diffluit et infirmum est elementum, sic humana sapientia in mysteriis fidei non consistit, ergo aqua coctum comedunt, qui rationis et sapientiae humanae tenebras in rebus fidei sequuntur. Per ignem intelligitur operatio Spiritus s. qui cruditates intellectus nostri tollit, ut mysterium de Christo in cibum faciliorem et suaviorem a nobis assumatur. Si toti agno comedendo, id est integro mysterio capiendo, non sufficis, residuum igni devove,
hoc est Spiritui s. commenda. 5. Agnus paschalis IX. 49.
comedebatur ab Israëlitis festinanter, ita ut lumbi

ipsorum essent praecincti, ac calceos in pedibus, baculum vero in manibus haberent. Sic beneficia Christi absque omni cunctatione debemus amplecti, memores, *nos hic non habere civitatem manentem* Hebr. 13, v. 14; *sint ergo et lumbi nostri praecincti et lucernae ardentes* Luc. 12, v. 35; *simus hominibus illis similes, qui exspectant Dominum suum* v. 36; *cingulo* indigemus tanquam freno ad coërcendas et mortificandas cupiditates carnis, *calceis* opus est, *ut parati simus ad confessionem evangelii pacis* Ephes. 6, v. 15. neve scandalis ac lapsuum occasionibus pedes nostri saucientur; baculo etiam opus est, hoc est praesidio verbi ad pedes nostros in via vocationis et vitae nostrae firmandos, Psalm. 23, v. 4.

49. Agnus paschalis non solum certis ritibus manducabatur, sed et sanguis illius postibus et superliminari aedium Israëlitarum fasciculo hyssopi adspergebatur. Hyssopus est humilis et abjecta herbula, 1. Reg. 4, v. 33. denotat igitur ministerium verbi coram mundo contemtum, per quod corda nostra *sanguine* Christi virtute Spiritus s. *adsperguntur*. 1. Petr. 1, v. 2: *Electis in sanctificatione Spiritus, in obedientiam et adspersionem sanguinis Christi.* Hyssopus herba est amara, denotat igitur praedicationem legis, quae fit salutaris, quando tingitur Christi sanguine. Justin. in dial. cum Tryphone p. 200: *Mysterium arcanumque agni, quem pascha immolare Deus mandavit, typus et figura erat Christi, cujus sanguinem juxta rationem nostrae in illum fidei in aedes suas, hoc est se ipsos, adspergunt in eum credentes.* Gregorius hom. 12. Pasch.: *Sanguis Christi super utrumque postem ponitur, cum non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur et ad imitationem intenta mente cogitatur. Nam qui sic redemtoris sanguinem accipit, ut imitari passionem illius necdum velit, in uno poste sanguinem posuit, qui et in superliminaribus domus ponendus est. Domus enim mentes nostrae, in quibus per cogitationem habitamus. Superliminare vero intentio est, quae praeminet actioni. Qui igitur intentionem cogitationis ad imitationem passionis Christi dirigit, in superliminaribus domus sanguinem agni ponit.* Huc respicit David Psalm. 51, v. 9: *Adsperges me hyssopo et mundabor*, nimirum petit propheta regius, se mundari a labe peccati sanguine illo, qui per Christum, agnum illum Dei agno paschali praefiguratum, erat effundendus. Angelus interfector aedes Israëliticas sanguine agni paschalis signatas praeteribat, nec ullum nocumentum inquilinis afferebat; sed per Christi sanguinem liminibus cordium nostrorum adspersum infernalis exterminator avertitur, nosque ab ira Dei et aeterno exitio protegimur. Domus, qua egredi prohibentur Israëlitae, denotat ecclesiam, *domum illam Dei* 1. Tim. 3, v. 15. **Justinus in dial. cum Tryph. p. 200: *Agnus ille, de quo, ut assus totus fieret, praeceptum est, supplicii crucis, quod subiturus erat Christus, symbolum et nota fuit. Agnus namque assus in figuram cruci similem conformatus ad ignem torretur, nam veru unum ab infimis partibus ad caput usque adactum perfigitur et aliud rursum secundum scapulas, ad quod suspenduntur manus agni.***

An agnus paschalis fuerit sacrificium proprie sic dictum. IX. 50. 51.

50. Quaeritur hoc loco, an agnus paschalis fuerit sacrificium proprie sic dictum? Affirmantem quaestionis partem comprobare videtur 1. quod Exod. 12, v. 27. expresse appelletur זֶבַח, sacrificium. **2. Quod Num. 9, v. 6. qui immundi erant, non poterant facere pascha in illa die, nimirum quia immundis prohibitum erat offerre sacrificia Lev. 7, v. 19. Ergo pascha numeratur inter sacrificia. v. 7. dicunt ad Moysen et Aaronem: *Cur prohibemur quominus offeramur* קָרְבָּן, *oblationem nostram, Domino.* Ergo paschalis agnus fuit oblatio Deo adducta, quod lege sancita etiam confirmatur.** 3. Quod τὸ πάσχα dicitur θύειν Marc. 14, v. 12. Luc. 22, v. 7. 4. Quod apostolus de Christo in ara crucis se ipsum offerente Deo in sacrificium pronuntiat 1. Cor. 5, v. 7. τὸ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη Χριστός. Negativae sententiae haec sunt fundamenta: 1. Sacrificia proprie sic dicta offerebantur a solis sacerdotibus, agnus paschalis non a solis sacerdotibus, sed a quibusvis patribusfamilias mactabatur, Exod. 12, v. 3. Quamvis vero constituto levitico sacerdotio agni paschales Levitis adducerentur, ut probabiliter ostendimus superius, id tamen non fuit IX. 52. perpetuum, ut ex prima agni paschalis celebratione constat, nec factum fuit hoc fine, ut agnus paschalis sacrificaretur, sed ut inquireretur, an qualitates divinitus requisitae in eo praesto essent. 2. Sacrificia proprie sic dicta ad altare Domini mactabantur. Agnus paschalis per familias et domus mactabatur. **Differunt igitur agni paschales et sacrificia paschalia. Agni paschales erant vel ex agnis vel ex hoedis, Exod. 12, v. 5. Sacrificia paschalia sumebantur ex ovibus et bobus Deut. 16. Agni paschales non proprie immolabantur, sed mactabantur ab omnibus patribusfamilias in omnibus domibus Exod. 12, v. 3. Sacrificia paschalia tantummodo instituebantur a sacerdotibus in loco, quem elegit Jehovah, ut habitaret ibi nomen ejus. Agni paschales inter duas vesperas unius diei mactabantur et comedebantur Exod. 12. sed sacrificia paschalia per septem continuos dies offerebantur, Lev. 23, v. 8. Sacrificia tantum in publico fiebant. At Exod. 12. Marc. 14. pascha intra privatas aedes perficiebatur *Non omnis mactatio infert sacrificium, sed ea demum, quae cum combustione conjuncta*, Hut. in loc. p. 622. *Hoc quidem commune habuit cum reliquis sacrificiis, quod in eo facta fuit mactatio religiosa agni et significatio typica adumbrans Christi immolationem*, Rung. Exod. p. 402. ** 3. Proprium et essentiale sacrificii est, quod vel totum vel certe pars quaedam ex illo Deo offertur atque igne absumitur; sed de agno paschali nihil fuit Deo oblatum vel igne consumtum, sed potius totus fuit assatus et manducatus. 4. Sacrificium et sacramentum differunt formaliter. In sacrificio homines offerunt aliquid Deo; in sacramento Deus ali-

quid offert hominibus. Jam vero agnus paschalis est sacramentum. Ergo non fuit sacrificium proprie sic dictum. 5. *Nullum potest sacrificium fieri in Aegypto propter abominationes Aegyptiorum* dicit Moyses Exod. 8, v. 26. Agnus paschalis fuit legitime mactatus et manducatus in Aegypto. Ergo non fuit sacrificium proprie sic dictum. Quid vero fiet argumentis pro parte quaestionis affirmante adductis? Respondemus: 1. Agnus paschalis dicitur sacrificium, quia fuit figura sacrificii Christi et effusionis sanguinis ejus in ara crucis factae, sed ex eo nondum sequitur, quod fuerit essentialiter et proprie sic dictum. **Vocatur sacrificium 1. quia mactabatur non ad usum vulgarem, sed sanctum et peculiarem, videlicet ut esset sacramentum et figura sacrificii Christi; 2. quia peculiaria sacrificia praeter illa vulgaria et quotidiana erant agni paschalis mactationi et comestioni adeoque paschatis solennitati conjuncta, Numer. 28, v. 19; 3. quia sanguis agni paschalis templo inferebatur, ubi a sacerdote spargebatur et pinguedo in altari incendebatur. 2. Paralip. 35, v. 11.** 2. זָבַח est verbum generale mactavit, jugulavit, occidit pecudem ad convivium per sacrificium, ut constat ex Gen. 31, v. 54. Deut. 28, v. 20. 1. Sam. 28, v. 24. 1. Reg. 24, v. 21. Ezech. 16, v. 20. etc. 3. θύειν itidem generale est, quamvis mactationem significans, uti constat ex Matth. 22, v. 4. Luc. 15, v. 23. 27. Joh. 10, v. 10. etc. Immolatio igitur sola non sufficit ad constituendum sacrificium proprie sic dictum, quia immolabatur agnus paschalis, non ut Deo offerretur, quod est proprium sacrificiorum, sed ut ab Israëlitis manducaretur. Vide tract. Germ. de 's. coena c. 24. object. 2.

Usus doctrinae de agno paschali. 51. Quamvis vero sacramentum agni paschalis institutione coenae Dominicae N. T. sit abrogatum, non tamen nullus hujus doctrinae usus, siquidem pulcherrima illa figura agni paschalis et Christi pias mentes non mediocriter afficit. Intelligimus etiam ex eo, umbrae successisse corpus et expressam εἰκόνα, cum non amplius typicum Christi corpus et sanguinem (ut in agni paschalis sacramento), sed verum Christi corpus et verum ejus sanguinem in sacra eucharistia manducemus ac bibamus, quae certe sunt digniora ac pretiosiora salutis nostrae pignora fidei sustentacula, quam agni paschalis caro et sanguis. Quemadmodum etiam non licebat manducare agnum paschalem nisi circumcisis; ita eucharistia non est administranda nisi baptizatis, qui
IX. 53. se probare possunt. Quemadmodum in celebratione agni paschalis canebatur hymnus octo psalmorum Davidicorum, a centesimo undecimo usque ad centesimum decimum nonum exclusive, quem vocabant Alleluja magnum; ita quoque cum gratiarum actione et mortis Christi annuntiatione sacra coena percipienda, 1. Cor. 11, v. 26.

Definitio hujus sacramenti. 52. Ex superioribus talis potest constitui definitio: Agnus paschalis est sacramentum V. T. alterum, in quo agnus immaculatus, masculus, anniculus decima die primi mensis e grege communi segregatus et decima quarta die inter duas vesperas mactatus et igni assatus manducabatur cum panibus azymis et herbis amaris ritu et habitu divinitus praescripto a sanguine illius agni postibus et superliminari aedium adsperso, in memoriam liberationis Aegyptiacae et figuram veri illius agni Dei, qui tollit peccata mundi ad applicandam et obsignandam promissionem de spirituali liberatione per Christum praestandam ac confirmandam Israëlitarum fidem.

Numerus sacramentorum N. T. 53. Expositis V. T. sacramentis restaret, ut ad specialem sacramentorum N. T. tractationem accessum faceremus, nisi prius explicanda esset quaestio de illorum numero. Pontificii septem numerant sacramenta, videlicet *baptismum*, *confirmationem*, *poenitentiam*, *eucharistiam*, *unctionem*, *ordinem et matrimonium*. Nostra autem sententia est, duo tantum esse vere, proprie et specifice dicta N. T. sacramenta, videlicet *baptismum et coenam Dominicam;* interim libenter concedimus, in latiore et impropria vocabuli significatione plura numerari posse. Fundamentis nitimur sequentibus: **Quibus non competit essentia baptismo et eucharistiae proxime communis, illa non possunt esse sacrameuta N. T. propriissime, hoc est eo dicta modo, quo baptismus et eucharistia sunt sacramenta. At confirmationi, poenitentiae, extremae unctioni, ordini et matrimonio non competit essentia baptismo et eucharistiae proxime communis. Ergo. Major probatur, quia illud commune, in quo per se et proxime conveniunt species, est generica specierum natura, ut docet Aristoteles. Atqui baptismus et eucharistia sunt species sacramentorum in N. T. Ergo in quo per se et proxime conveniunt baptismus et coena Dominica, est generica illorum natura. Minor probatur ex indagatione praedicatorum essentialium utrique et baptismo et eucharistiae communium. Nam ambo sunt actiones solennes a Christo institutae, ambo constant externo et visibili elemento et symbolo a Christo ipso et apostolis definito, ambo per verbum institutionis certum atque expressum res coelestes nobis dispensant, ambo denique annexam habent promissionem conferendae et obsignandae gratiae evangelii propriae. At fictitia illa sacramenta vel omnibus vel aliquibus tantum his essentialibus conditionibus destituuntur. **Idem et hoc argumento evinci potest: 1. Illi ritus sunt vere, proprie et specifice dicta N. T. sacramenta, quibus definitio et essentialia requisita sacramentorum competunt; ratio est, quia a definitione ad definitum et a positione adjunctorum propriorum et essentialium ad positionem essentiae et contra a remotione adjunctorum propriorum et essentialium ad essentiae remotionem rite proceditur. Jam vero duobus tantum ritibus, videlicet baptismo et coenae Dominicae, definitio et essentialia sacramentorum N. T. requisita competunt, reliquis vero, qui hisce adduntur, tribui non possunt. Ergo duo tantum sunt vere, proprie et specifice sic dicta N. T. sacramenta. Assum-

Quod duo tantum sint N. T. sacramenta, videlicet baptismus et s. coena. 1. quia illis solis definitio et requisita sacramentorum competunt. IX. 54.

tum constat ex diligenti examine eorum, quae ad sacramentum aliquod N. T. proprie sic dictum constituendum requiri ostendimus, ex D. Chemnic. in tractatu proxime praecedenti §. 11. videlicet 1. ut adsit externum aliquod materiale et visibile elementum sive signum, quod certo externo ritu tractetur, exhibeatur et usurpetur. 2. Ut elementum seu signum illud et certus ejus ritus habeat expressum mandatum divinum seu institutionem divinam. 3. Ut institutum et mandatum sit in N. T. 4. Ut non ad tempus institutum sit, sed usque ad consummationem seculi. 5. Requiritur ad sacramentum promissio divina de gratia, effectu seu fructu sacramenti. 6. Illam promissionem oportet non simpliciter, nude et per se tantum habere testimonium in verbo Dei, sed oportet eam divina ordinatione annexam esse signo sacramenti et eo quasi vestitam esse. 7. Promissionem illam oportet esse non de quibusvis donis Dei sive corporalibus sive spiritualibus, sed promissionem gratiae sive justificationis, hoc est gratuitae reconciliationis, remissionis peccatorum et in summa de toto beneficio redemtionis. 8. Illa promissio in sacramentis non in genere tantum vel significatur vel annuntiatur, sed virtute Dei offertur, exhibetur, applicatur et obsignatur singulis, qui fide sacramentis utuntur. Breviter: Ad essentiam sacramenti requiritur tum universale (mandatum Dei complectens universam ecclesiam N. T. de externo seu visibili aliquo elemento; tum promissio evangelii propria de gratuita Dei misericordia propter Christum ita ritui addita, ut per illum offeratur et credentibus exhibeatur, applicetur et obsignetur. Haec requisita omnia et singula baptismo et coenae Dominicae competunt, reliquis vero ritibus, qui illis ad numerum septenarium complendum adduntur, non competunt, destituuntur enim vel elemento externo divina institutione perspicue expresso, vel promissione gratiae evangelii propriae de remissione peccatorum, ut ex speciali eorundem consideratione manifestum erit. Quod Bellarminus libr. 2. de effectu sacrament. c. 24. regerit, *definitionem sacramenti competere non solum baptismo et eucharistiae, sed etiam confirmationi, poenitentiae, extremae unctioni, ordini et matrimonio*, de eo paulo post videbimus.

2. Quia illorum materia profluxit ex Christi latere.

54. 2. Illa sunt vere et proprie dicta N. T. sacramenta, quorum materia ex latere Christi in cruce pendentis profluxit. Ut enim recte disputat Thomas p. 3. quaest. 62. art. 5: *Virtus remissiva peccatorum specialiter quodammodo pertinet ad passionem Domini, ergo quod virtus sacramentorum ordinatur ad tollenda peccata, praecipue est ex fide passionis Christi.* Atqui ex latere Christi in cruce pendentis profluxerunt tantum *sanguis et aqua*, Joh. 19, v. 34. geminorum sacramentorum, baptismi et coenae Dominicae, materia, ut locum illum exponunt Ambrosius lib. 10. in Luc. c. 105. Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus in c. 19. Joh. Augustinus lib. 2. de symb. c. 6. in Psalm. 40. lib. 15. de civ. Dei c. 26. tract. 9. et 120. in Joh. lib. de catacelysmo c. 4. Damascenus lib. 4. orth. fid. c. 10. Ergo duo tantum sunt vere et proprie dicta sacramenta, videlicet baptismus et sacra coena. Bellarminus lib. 2. de effectu sacram. c. 27. regerit, *1. testimonium hoc probare, quod sint duo sacramenta, non autem quod tantum duo sint; duo solum posita esse, quia illa sint magis communia et magis principalia, non autem propterea reliqua excludi, sicut et Hebr. 6. duo tantum ponantur sacramenta, baptismus scilicet et manuum impositio, id est confirmatio.* Respondemus: imo vero argumentum nostrum probat, esse *tantum* duo N. T. sacramenta, cum major propositio sit exclusiva. Illa tantum sunt vere et proprie dicta sacramenta, quorum materia ex latere Christi in cruce pendentis profluxit, quo pertinet egregius locus Thomae p. 3. q. 64. art. 2: *Apostoli et eorum successores sunt vicarii Dei, quantum ad regimen ecclesiae a Deo institutae per fidem et fidei sacramenta, unde sicut non licet eis non constituere aliam ecclesiam, ita non licet eis tradere aliam fidem neque instituere alia sacramenta, sed per sacramenta, quae de Christi latere fluxerunt, dicitur esse fabricata ecclesia.* IX. 55.

Exceptiones Bellarmini.

Hebr. 6, v. 2. apostolus non agit de numero sacramentorum, sed per praeteritionem quandam dicit, se nolle disserere de elementis Christianae religionis, utpote de poenitentia, de fide generali in Deum Patrem, Filium et Spiritum sanctum, de baptismate aquae, quod est regenerationis lavacrum, de baptismo ignis, id est de donis illis miraculosis Spiritus s. qualia in die Pentecostes in apostolos effusa, quae dona postea per impositionem manuum credentibus conferebantur, de resurrectione mortuorum, de aeternis poenis ac praemiis etc. haec non possunt transferri ad sacramenta proprie sic dicta, alias ex uno baptismi sacramento duo fabricari poterunt, cum in plurali τῶν βαπτισμῶν mentio fiat. *2. Esse maxime literalem expositionem, ut per sanguinem intelligatur redemtionis pretium, per aquam baptismus, hoc sensu, quod ex Christi latere fluxerit baptismus, qui omnem suam vim habet ex Christi sanguine; priori autem Graecorum patrum expositioni repugnare ordinem, cum primo dicatur sanguis effluxisse, jam vero baptismus praecedit eucharistiam.* Respondemus: ordo ille nihil quidquam impedit, quominus ex Christi latere gemina ecclesiae N. T. sacramenta profluxisse cum veteribus asseramus. Per sanguinem redemtionis nostrae pretium intelligendum esse libenter concedimus, sed addimus, sanguine illo non solum in baptismo a peccatis nos ablui, sed etiam in s. coena eodem ad vitam aeternam potari. Adde quod Bellarminus ex hypothesi suae de baptismo Johannis et Christi sententiae concedere cogitur, prius eucharistiam quam baptismum in N. T. fuisse institutam, ut hac ratione ordini institutionis ille sanguinis et aquae ex Christi latere fluxus optime correspondeat. Denique 1. Joh. 5, v. 6. priori loco ponitur aqua, posteriori sanguis. *Hic est, qui venit per aquam et sanguinem Jesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua et sanguine;* ubi Johannes apostolus ipsi Bellarmino

videtur explicare mysterium, quod posuerat in historia evangelica c. 19.

3. Quia aqua et sanguis in terra dicuntur testificari.

55. 3. Ex 1. Joh. 5, v. 8: *Tres sunt, qui testificantur in terra, Spiritus, aqua et sanguis*, ubi per Spiritum denotari ministerium evangelii, per aquam baptismum, per sanguinem coenam Dominicam intelligi ostendimus in tractatu proxime praecedente §. 89. repudiatis aliorum expositionibus. Aut ergo plures tribus erunt testes aut duo tantum erunt sacramenta. Non autem plures tribus testes, ut ostendit collatio v. 7: *tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt;* v. 8: *et tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua et sanguis, et hi tres in unum sunt.* Ut ergo tres, non plures nec pauciores testes in coelo, ita quoque tres, nec plures nec pauciores testes in terra. v. 6: *Hic est, qui venit per aquam et sanguinem Jesus Christus; non in aqua solum, sed in aqua et sanguine*, ubi aqua a sanguine distinguitur, nimirum quia baptismus et coena Dominica sunt duo distincta N. T. sacramenta. Bellarminus l. d. disputat, *Johannem voluisse ostendere differentiam inter baptismum Christi et Johannis, quod Johannes venerit in aqua solum, id est baptismum attulerit non efficacem, Christus autem attulerit baptismum efficacissimum, cum aquam dederit sanguini suo admistam.* Sed haec expositio nititur falsa hypothesi, quod baptismus Johannis non fuerit efficax ad remissionem peccatorum et regenerationem, cujus contrarium ostendemus suo loco.

4. Quia in V. T. duo tantum fuerunt proprie dicta sacramenta.

56. 4. Sacramenta N. T. correspondent sacramentis V. T. in eorum enim locum successerunt. Atqui duo tantum fuerunt V. T. sacramenta proprie sic dicta, videlicet circumcisio et agnus paschalis, ut ostendimus in tractatu proxime praecedente §. 65. et seqq. Ergo etiam N. T. sunt tantum duo sacramenta, videlicet baptismus, qui successit circumcisioni, Col. 2, v. 11: *In Christo circumcisi estis circumcisione non manu facta in exspoliatione corporis peccatorum carnis in circumcisione Christi.* Et coena Dominica, quae successit agno paschali,
IX. 56. Matth. 26, v. 28: *Hic est sanguis meus N. T., qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Referri huc potest locus apostolicus 1. Cor. 10, v. 1: *Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt et omnes per mare transierunt;* v. 2: *et omnes in Moysen baptizati sunt in nube et mari;* v. 3: *et omnes eandem escam spiritualem comederunt;* v. 4: *et omnes eundem potum spiritualem biberunt, bibebant autem de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus;* ubi tantum duorum sacramentorum, videlicet baptismi et sacrae coenae, typos et analogias apostolus ex V. T. quaerit.

5. Quia haec duo ad fidei confirmationem et salutem sufficiunt.

57. 5. Duo illa sacramenta a Christo instituta sufficiunt nobis ad fidei confirmationem et salutem. Ergo non opus est plura addere. Ut per baptismum ad spiritualem vitam regeneramur; ita per sacram coenam in ea nutrimur. Ut baptismus est sacramentum initiationis; ita sacra coena est medium augmentationis et corroborationis. Ut per baptismum in foedus Dei recipimur; ita per usum sacrae coenae in eodem conversamur. Ut per baptismum salutare illud regenerationis ac renovationis lavacrum Spiritus s. in nobis accendit et excitat fidem; ita per sacrae coenae usum eandem auget, confirmat et obsignat. Theophylactus in c. 9. Joh.: *Per aquam baptismi quidem regeneramur, per corpus autem et sanguinem Christi pascimur.* Lombardus 4. sent. dist. 8. lit. A: *Per baptismum mundamur, per eucharistiam in bono consummamur; baptismus aestus vitiorum exstinguit, eucharistia spiritualiter reficit.*

Testimonia veterum.

58. Veteres prout vocabulum sacramenti latius vel strictius usurpant, quandoque pauciora, quandoque plura sacramenta numerant. Quando autem agunt de illis ritibus, qui divinitus in N. T. instituti, externum visibile elementum et promissionem evangelii propriam illi annexam habent, duo tantum sacramenta numerant. Justinus apol. 2. pro Christ. p. 73. describens ritus ecclesiae sive in Palaestina, ubi natus fuit, sive in Italia, ubi hanc apologiam edidit, duorum tantummodo sacramentorum mentionem facit. Locus est egregius, ideo praecipua ejus membra adscribemus: *Quomodo* (inquit) *Deo nos dicaverimus per Christum renovati, jam exponemus. Quicunque persuasi fuerint et crediderint, vera esse, quae a nobis traduntur et dicuntur ac vivere se ita posse receperint, orare jejunantes et petere a Deo priorum peccatorum remissionem docentur, nobiscum illis una et orantibus et jejunantibus. Deinde eo adducuntur a nobis, ubi aqua est atque eo regenerationis modo, quo ipsi regenerati sumus, regenerantur, nam in nomine rerum cunctarum parentis et Domini Dei et servatoris nostri Jesu Christi et Spiritus s. in aqua tum lavantur* etc. p. 74: *Vocatur vero illud lavacrum illuminatio* (φωτισμός), *quod eorum, qui haec discunt, mentes illuminentur.* p. 76: *Nos autem secundum hujusmodi lavationem credentem jam et nobis adscitum ad fratres qui dicuntur eo adducimus, ubi illi congregati sunt ad communes preces et supplicationes cum pro se ipsis tum pro illuminato et aliis ubique gentium omnibus animo intento peragendas, ut digni idoneique simus, qui veritate agnita per opera etiam ipsi boni atque officiosi rerum administratores et datorum nobis mandatorum custodes inveniamur atque ut salute salvemur sempiterna. A precibus finitis mutuis nos invicem osculis salutamus. Deinde ei, qui fratribus praeest, τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν, offertur panis et poculum aquae et vini, quibus ille acceptis laudem, et gloriam rerum universarum parenti per nomen Filii et Spiritus sancti offert et eucharistiam sive gratiarum actionem pro eo, quod nos donis hisce suis dignatus sit, prolixe exsequitur. Atque ubi ille preces et gratiarum actionem absolvit, populus, qui adest, omnis, fausta approbatione acclamat, dicens Amen. Praesidens vero postquam gratiarum actionem per-*

fecit et populus universus apprecatione laeta eam comprobavit, qui apud nos vocantur diaconi atque ministri, distribuunt unicuique praesentium, ut participet eum, in quo gratiae actae sunt, panem, vinum et aquam et ad absentes perferunt. Porro alimen-
IX. 57. *tum hoc apud nos vocatur eucharistia* etc. Tertullianus lib. 1. adv. Marcionem c. 9. p. 174. itidem duo tantum sacramenta numerat: *Sed ille quidem* (inquit) *usque nunc nec aquam reprobavit creatoris, qua suos abluit, nec oleum, quo suos ungit, nec mellis et lactis societatem, qua suos infantat, nec panem, quo ipsum corpus suum repraesentat, etiam in sacramentis propriis, egens mendicitatibus creatoris.* (Per oleum ac lactis mellisque societatem intelligit ceremonias tunc conjunctas actioni baptismi, non autem peculiaria sacramenta a baptismo distincta.) lib. 4. adv. Marcionem c. 51. p. 313: *Si omnino negas, permitti divortium a Christo, quando tu nuptias dirimis, nec conjungens marem et feminam, nec alibi conjunctos ad sacramentum baptismi et eucharistiae admittens, nisi inter se conjuraverint adversus fructum nuptiarum, ut adversus ipsum creatorem* (ubi B. Rhenanus in margine notavit: Baptisma et eucharistia duo sacramenta primitivae ecclesiae.) lib. de corona militis p. 519: *Aquam adituri ibidem, sed et aliquanto prius in ecclesia, sub antistitis manu contestamur, nos renuntiare diabolo et pompae et angelis ejus; dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes quam Dominus in evangelio determinavit; inde suscepti lactis et mellis concordiam praegustamus, exque ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus. Eucharistiae sacramentum et in tempore victus et omnibus mandatum a Domino etiam antelucanis coetibus, nec de aliorum manu, quam praesidentium sumimus.* lib. de resurrect. carn. p. 52: *Videamus nunc de propria Christiani nominis forma, quanta huic substantiae frivolae ac sordidae* (carnem intelligit) *apud Deum praerogativa sit* etc. *Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut animu consecretur; caro signatur, ut et anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur* (hae ceremoniae unctionis, signationis, *χειροθεσίας* erant olim in baptismi sacramento usitatae); *caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.* Cyprianus lib. 2. epist. 1. ad Stephan.: *Tunc demum plene sanctificari et esse filii Dei possunt, si utroque sacramento nascantur.* Ambrosius cum in libro de iis, qui initiantur mysteriis, et in libris de sacramentis ex professo explicationem doctrinae de mysteriis seu sacramentis ecclesiae polliceatur, tamen tantum de ritibus baptismi et coenae Dominicae tractat. Cyrillus Hierosolymitanus ubi ex professo catecheses et *μυσταγωγίας* describit, tantum de mysteriis baptismi et coenae Dominicae agit, per chrisma, cujus mentionem facit, non intelligit peculiare aliquod sacramentum, sed ceremoniam actioni baptismi adjunctam. Augustinus vocabulum sacramenti saepissime in lata significatione usurpat, pro quovis sacrae rei signo (ita enim definit epist. 5. ad Marcell. et lib. 10. de civit. Dei c. 5.) sive id mandatum sit a Christo in N. T. sive ex V. T. desumtum, vel a viris ecclesiasticis introductum; sive gratia per illud signum detur, sive tantum significetur. Item sive sit gratia reconciliationis, sive aliud aliquod donum Spiritus, ut ex variis locis apparet, ubi chrismati, signo crucis, ordinationi et aliis ritibus sacramenti nomen tribuit; interim tamen ita numerat plura sacramenta, ut primo, illustri, praecipuo, peculiari et distincto loco ponat baptismum et eucharistiam. Epist. 118. ad Januarium: *Primum tenere te volo, quod est hujus disputationis caput, Dominum nostrum Jesum Christum, sicut ipse in evangelio loquitur, leni jugo nos subdidisse et sarcinae levi, unde sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione praestantissimis, societatem novi populi colligavit, sicut est baptismus Trinitatis nomine consecratus et communio corporis et sanguinis ejus, etsi quid aliud in Scripturis canonicis commendatur.* lib. 3. de doctr. Christ. c. 9. de sacramentis N. T. loquens: *Pauca pro multis, eaque factu facillima et intellectu augustissima et observatione castissima ipse Dominus et apostolica tradidit disciplina, sicut est baptismi sacramentum et celebratio corporis et sanguinis Domini.* ** Vide etiam epist. 157. in enchir. ad Laurent. c. 120. lib. 4. qq. super Num. qu. 33. lib. 19. contra Faust. c. 16. lib. 2. cont. lit. Petil. c. 37. lib. contra Donatist. de bapt. c. 14. lib. 5. c. 13. in enarrat. Psalm. 40. p. 320. in enarrat. Psalm. 73. p. 802.** Paschasius in lib. de coena
Domini: *Sunt autem sacramenta Christi in ecclesia* IX. 58.
catholica baptismus, corpus quoque et sanguis Domini. Bessarion card. de sacram. euchar.: *Haec duo sola sacramenta in evangeliis manifeste tradita legimus.* ** Nov. 137. c. 1. *θεῖαι λειτουργίαι* Domini, quae in praefat. vocatur *ἡ ἁγία προσκομιδὴ καὶ ἅγιον βάπτισμα*, unde illud conjicere liceat, fuisse tum duas tantum *θείων λειτουργιῶν* species in ecclesia cognitas, sanctum scilicet baptisma et sacram coenam.** Alexander Alensis p. 4. qu. 8. art. 2. disputat, *a Christo tantum duo esse instituta sacramenta, baptismum et eucharistiam*, idque probat ex fluxione sanguinis et aquae de Christi latere et ex testimonio 1. Joh. 5. *reliquorum sacramentorum formam dicit Christum voluisse ordinari per ministros ecclesiae c.* Multi secularem 1. qu. 1: *Ex Gregorio tantum tria numerantur sacramenta: baptismus, eucharistia et chrisma.* Johannes Ferus in c. 19. Joh.: *Sanguis et aqua duo certissima fidei nostrae et ecclesiae sacramenta sunt.* ** Cassander in consult. art. 13. p. 97: *In hoc controversia nulla est, duo esse praecipuae salutis nostrae sacramenta, in quibus principaliter salus constat et praecipitur, quoniam loquuntur Rupertus Tuitiensis de vict. verb. Dei lib. 12. c. 11. Hugo de S. Victore part. 8. c. 2. de sacramentis, nempe sacrum baptisma et sacramentum corporis et sanguinis Domini; baptismati tamen ab Isidoro et eum secuto*

*Rabano et Hugone de S. Victore sacramentum impositionis manuum seu chrismatis et confirmationis adjungitur, quo fit, ut apud auctores paulo vetustiores inter sacramenta proprie dicta nunc duo ponantur, ut baptismus et eucharistia; nunc tria, cum baptismati chrismatis confirmatio adjungitur; nunc vero quatuor, cum corpus et sanguis Domini in duo sacramenta secantur; reliqua vero sacramenta nullo certo numero ab illis antiquioribus scriptoribus comprehensa legimus.*** Breviter, non potest proferri ex vera antiquitate expressum aliquod testimonium de septenario sacramentorum numero.

Exceptiones Bellarmini.

59. Bellarminus loco dicto regerit: *1. Justinum tantum meminisse duorum sacramentorum, quia id requirebat argumentum illius operis contra gentiles scripti.* Respondemus: ita meminit horum duorum sacramentorum, ut nec in hoc libro, nec alibi aliorum mentionem faciat. Diligenter describit ritus primitivae ecclesiae, nec tamen eorum ullibi meminit, quae ritibus illis a Christo institutis adduntur et sacramentorum nomine venditantur. Idem dicimus de Irenaeo, ex quo pro stabiliendo septenario sacramentorum numero nullus apex proferri potest. *2. Tertullianum lib. de resurrectione carnis quatuor diversa ponere, baptisma, chrisma, eucharistiam, ordinationem.* Respondemus: per chrisma et manus impositionem non intelligit nova sacramenta, sed ceremonias baptismo annexas. Damascenus lib. 4. orthod. fidei c. 10: *τὸ ἔλαιον βαπτίσματι παραλαμβάνεται μηνύον τὴν χρῖσιν ἡμῶν καὶ χριστοὺς ἡμᾶς ἐργαζόμενον καὶ τὸν τοῦ θεοῦ ἔλεον ἡμῖν ἐπαγγελλόμενον διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος, oleum in baptismate assumitur unctionem significans et Christos, id est unctos, nos efficiens et misericordiam Dei nobis annuntians per Spiritum sanctum.* Bellarminus regerit, *singulis tribui proprios effectus et manus impositionem eucharistiae postponi.* Atque editio Beati Rhenani manifeste ostendit, manus impositionem eucharistiae praeponi. Quodsi ex peculiaribus illis effectibus, quos Tertullianus enumerat, peculiaria et diversa sacramenta inferri possent, consequens foret, signum crucis itidem peculiare sacramentum constituere. l. 1. adv. Marc. oleo conjungit societatem lactis et mellis, ex quo manifeste apparet, non diversa sacramenta, sed ceremonias unius sacramenti, videlicet baptismi, diversas ab ipso describi. *3. Ambrosium et Cyrillum chrisma distinguere a baptismo et eucharistia ac tria tantum numerare sacramenta, cum scribant ad cate-*
IX. 59. *chumenos, quibus uno die tria illa sacramenta ministrantur.* Respondemus: imo vero in genere de sacramentis tractant, si ergo plura agnoscerent esse proprie dicta sacramenta, plura etiam explicarent. Per chrisma intelligunt unctionem in baptismo olim usitatam, ut late probat D. Chemnicius. *4. Patres solum ad propositum suum mentionem fecisse aliquorum sacramentorum, de aliis nihil dixisse, ex quo non possit colligi, esse tantum duo vel non esse septem.* Respondemus: sufficit nobis, quod ex vera antiquitate non possit evidens et disertum proferri testimonium pro septenario sacramentorum numero, quem tamen ut fidei articulum sub anathematis fulmine nobis Bellarminus obtrudit. Quod veteres alicubi etiam aliis ritibus nomen sacramenti in sensu laxiori tribuunt, id nobis non adversatur, cum hac ratione non solum septem, sed etiam plura sacramenta numerent. Sic Augustinus in Psalm. 65. omnes ritus, qui praeter baptisationem in actione baptismi tunc adhibebantur, vocat sacramenta. Bernhardus in serm. de coena Domini contendit, lotionem pedum esse sacramentum remissionis peccatorum quotidianum. Quandoque pauciora numerant. Sic Dionysius Areopagita in lib. de hierarch. eccles. inter mysteria seu sacramenta ecclesiae non numerat poenitentiam, non matrimonium, non unctionem infirmorum, sed pro ea habet unctionem mortuorum. Auctor sermonis de ablutione pedum, qui Cypriano tribuitur, cum recensere velit sacramenta, quae et Christus ipse instituit et quae postea apostoli dictante Spiritu s. tradiderint, non septem, sed quinque tantum numerat.

An nostrates dissentiant in numero sacramentorum.

60. Videamus, quid pro stabiliendo septenario sacramentorum numero Bellarminus afferat. lib. 2. d. off. sacrament. c. 23. de dissensu nostrorum in hoc doctrinae coelestis capite conqueritur et novem distinctas opiniones recenset. *Prima*, inquit, *opinio est Lutheri, qui in lib. de capt. Babylonica scribit, unum tantum esse sacramentum, quamvis sint tria sacramentalia signa.* Respondemus: in fine libri dissertationes priores sic concludit: *Proprie ea sacramenta vocari visum est, quae annexis signis promissa sunt, cetera quia signis alligata non sunt, nuda promissa sunt, quo fit, ut si rigide loqui velimus, duo tantum sint sacramenta, baptismus et panis, cum in his solis et institutum divinitus signum et promissionem remissionis peccatorum videamus. Nam poenitentiae sacramentum, quod ego his duobus accensui, signo visibili et divinitus instituto caret.* Ex quo intelligitur, quod in latiori significatione sacramentis poenitentiam annumeret. *Principio*, inquit, *neganda mihi sunt septem sacramenta et tria pro tempore ponenda, baptismus, poenitentia, panis, quae omnia juxta Scripturae usum unum sacramentum esse disputat*, videlicet quia ad unum finem, nempe fidei confirmationem, spectant, licet signa sacramentalia in illis sint diversa. Quod autem postea septem sacramenta se non damnare scribit, eo sensu intelligit, quod matrimonium, ordinationem et poenitentiam non improbet, quodque confirmationem ritu apostolico administratam non damnet, licet ex Scripturis probari nequeat, quod in sacramentorum proprie sic dictorum censum haec omnia sint referenda. Sic enim scribit in c. de confirm.: *Non haec dico, quod damnem septem sacramenta, sed quod e Scripturis ea probari negem. Atqui utinam esset in ecclesia talis manuum impositio, qualis erat apostolorum tempore, sive eam confirmationem sive curationem appellare vellemus* etc. *Nos autem pro hac vice sacramenta divinitus instituta quaerimus, inter quae*

ut confirmationem numeremus, nullam invenimus causam, ad sacramenti enim constitutionem ante omnia requiritur verbum divinae promissionis, quo fides exerceatur. Secunda opinio (inquit Bellarminus) *est eorum, qui tantum duo numerant sacramenta proprie dicta, baptismum et eucharistiam.* Respondemus: haec non est opinio, sed immota veritas, cui assensum praebent omnes ecclesiae ductum verbi divini secutae. *Tertia opinio est eorum, qui tria numerant sacramenta, baptismum, eucharistiam et poenitentiam.* Apolog. August. confess. art. 13. Respondemus: quo sensu et respectu absolutio in apologia sacramentis proprie dictis annumeretur, ex-

II. 60. posuimus in tract. de poenit. §. 22. Nimirum respectus habetur ad principaliores quasdam sacramentorum proprietates, quae in absolutione deprehenduntur, utpote quod in ea singulis in specie peccatorum remissio annuntiatur, quodque ritus χειροθεσίας eidem conjunctus aliquibus partibus quam proxime ad sacramentorum naturam accedit; interim tamen cum impositio manuum, quae in absolutione adhibetur, non sit tale quoddam externum et visibile elementum, quale est in baptismo aqua, in sacra coena panis et vinum, sed tantum ritus ac ceremonia quaedam; cumprimis vero cum hic ritus non sit divina institutione expressus et absolutioni essentialis, sed indifferens et libere ab ecclesia usurpatus: ideo absolutio sacramentis propriissime et specifice sic dictis accenseri nequit. Colligitur haec responsio ex ipsis verbis apologiae: *Si sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum Dei et quibus est addita promissio gratiae, facile est judicare, quae sint proprie sacramenta* etc. Atqui ad sacramentum propriissime et specifice sic dictum requiritur praeter haec etiam visibile et externum aliquod elementum. *Quarta opinio est Zwinglii, qui in lib. de vera et falsa religione matrimonium sacramentis annumerat. Quinta opinio est Calvini, qui ordinationem illis accenset.* Respondemus: illorum opiniones ad nos nihil attinent, dicimus interim, quod accipiant vocabulum sacramenti in sensu latiori, ut evidenter apparet ex c. de sacramentis in eodem libro Zwinglii et ex lib. 4. c. 18. institut. Calvini, ubi duo tantum ordinaria et toti ecclesiae communia sacramenta nobiscum numerant. *Sexta opinio est Philippi et Lossii, qui quatuor numerant sacramenta, baptismum, coenam, poenitentiam et ordinationem. Septima opinio est ejusdem Philippi, qui in locis ultimo editis matrimonium illis addit.* Respondemus: quo sensu ac respectu id factum fuerit, ex ipsa locorum inspectione manifeste patet. *Octava opinio est Postelli, qui sex numeravit sacramenta.* Respondemus: ea vero nos non attingit, cum ipse Bellarminus addat, Postellum catholice, id est in fide Romana, obiisse. *Nona opinio est Interimistarum, qui receperunt septem sacramenta.* Respondemus: nos metaxycum illud scriptum nunquam agnovimus vel recepimus, proinde Interimistarum vafricies veritati praejudicare nequit.

An Pontificii dissentiant. 61. Gloriatur quidem Bellarminus, suae fidei homines in septenario sacramentorum numero convenire; sed audiat Gregorium de Valentia in l. de num. sacrament. c. 3. et 7: *Catholici alii negant matrimonium, alii confirmationem, alii extremam unctionem esse univoce sacramentum.* Audiat Cassandrum lib. consult. art. 13: *Apud auctores paulo vetustiores inter sacramenta proprie dicta nunc duo ponuntur, nunc tria, baptismus, eucharistia et confirmatio. Non temere quemquam reperies ante Petrum Lombardum, qui certum aliquem ac definitum sacramentorum numerum statuerat et de his septem non omnes quidem Scholastici aeque proprie sacramenta vocabant.* Verum hic fuisse Cassandrum, ex particulari eorum, quae sacramentis accensentur, examine erit conspicuum. Durandus lib. 4. sent. dist. 26. qu. 3. disputat, *matrimonium non nisi aequivoce sacramentum dici posse.* Agnoscit hoc ipse Bellarminus lib. 1. de sacram. matrimon. c. 5: *Ex nostris Catholicis unus est Durandus, qui matrimonium sacramentum non nisi aequivoce dici posse disputat.* Sed non unus Durandus, verum etiam alii Pontificii ita statuunt. Sic enim Cassander l. d.: *De matrimonio non modo Lombardus negavit in eo conferri gratiam, sed etiam post eum Durandus, negant matrimonium esse proprie dictum sacramentum.* Erasmus in 1. Cor. 7. p. 331: *Haud scio an hoc sacramentum septimum* (matrimonium) *fuerit veteribus cognitum; primum quod Dionysius enumerans nominatim singula et singulorum vires, ritus ac ceremonias explicans de conjugio nullam facit mentionem. Deinde cum tot voluminibus tractatum sit de matrimonio vel a Graecis vel a Latinis, nullus est locus, unde liqueat, illos conjugium inter septem sacramenta numerare* etc. Vide locum integrum. De Melchiore Cano scriptore pontificio Bellarminus 1. de matrimon. c. 6: *Canus, dum totis suis viribus probare conatur, matrimonium sine forma verborum a ministro ecclesiastico prolata* IX. 61.
celebratum non esse sacramentum, simul etiam probat, quantum in se est, nullum revera in ecclesia esse conjugii sacramentum De confirmatione scribit Alensis part. 4. qu. 24. art. 1. *quod nec a Christo nec ab apostolis, sed per concilium Meldense sit instituta*, quam esse Alensis sententiam agnoscit Gregorius de Valent. l. de num. sacrament. c. 3. p. 337. unde Biel 4. sent. dist. 7: *Tres* (inquit) *contrariae de confirmatione sunt sententiae. Nam Alensis et Bonaventura docent, sacramentum hoc neque a Christo neque ab apostolis institutum, sed ab ecclesia in concilio Meldensi; quidam asserunt sacramentum institutum et ministratum ab apostolis. Thomas, Scotus et alii dicunt a Christo institutum.* Holcottus referente Cassandro l. d. negat, *confirmationem esse proprie sacramentum.* Scotus 4. sent. dist. 7. qu. 1. Respondemus ad 1. fatetur, *hoc sacramentum non posse probari ex Scripturis.* Rationale divinorum officiorum indicat, *jamdudum quosdam fuisse, qui illud improbaverint, quos vocat Arnoldistas.* Bellarminus lib. 2. de confirmat. c. 8 ex Scripturis conatur probare, *chrisma esse materiam consecrationis*, sed Toletus in instit. sacerdot. disputat, *apostolos in hoc sacramento non esse*

In numero sacramentorum.

oleo usos, sed sola manuum impositione, et addit: *Quaestio est, utrum balsamum sit necessarium in confirmatione ex necessitate sacramentorum? Communis opinio ait, alii negant.* De extrema unctione Suarez tom. 4. disp. 39. sect. 1. num. 2: *Inter Catholicos nonnulli negarunt, Christum Dominum instituisse hoc sacramentum, ex quo consequebatur* (ipsi vero consequens non admittunt), *non esse verum sacramentum.* Cassander in consult.: *Olim cum aeger oleo, quod infirmorum seu energumenorum dicebatur, ungebatur, haec verborum forma adhiberi solebat: Ungo te oleo sancto in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti obsecrans, ut per hanc sancti olei unctionem et nostram deprecationem sanitatem recuperes per Dominum nostrum. Quapropter haec unctio olim non, ut hodie fit, ad extremum vitae periculum et valetudinem jam deploratam differebatur.* Maldonatus in comm. c. 6. Marc.: *Idem quod Lutherus et Calvinus docent* (scilicet non agi ibi de sacramento extremae unctionis) *nonnulli (mitto vetustiores, quos prohibet reverentia nominare) nuper Catholici docuerunt.* Cajetanus in comment. c. 5. Jacobi: *Ex hoc loco nec ex verbis nec ab effectibus colligitur extrema unctio, sed unctio illa miraculosa, quam Christus instituerat sanandis aegrotis in initio evangelii; nam textus promittit allevationem infirmi et de remissione peccatorum non nisi conditionaliter loquitur; at unctio extrema non nisi in extremo mortis articulo adhibetur et directe tendit ad remissionem peccatorum. Illa multos presbyteros vexabat, quod est ab extrema unctione alienum, sequitur enim in textu: Confitemini invicem; at quod in extrema unctione fit, non fit invicem sed tantum a sacerdotibus.* De dissensionibus in sacramento poenitentiae suo loco diximus, de ordine alibi disseremus. Eat nunc Bellarminus et jactet, sententiam Romanensium unam esse ac semper fuisse, quod septem sint proprie dicta sacramenta, quae ex divina institutione annexam habeant promissionem gratiae justificationis.

Fundamenta numeri septenarii sacramentorum.

62. Quae vero fulcra septenario sacramentorum numero supponit? Cap. 24. tria argumentorum genera profert: *1. Ex testimoniis Scripturae et patrum, quae quidem non numerant sacramenta, tamen re ipsa omnia ista septem sacramenta vera et propria esse testantur; 2. ex testimoniis aliis conciliorum et doctorum, quae praecise numerum istum septenarium ponunt; 3. ex rationibus seu congruentiis quibusdam.* Ex Scripturis et patribus hoc profert fundamentum, quod *definitio sacramenti non conveniat pluribus vel paucioribus ritibus quam septem.* Talem igitur exstruit definitionem, quod *sacramenta sint ritus seu signa externa et sensibilia, quae ex divina institutione annexam habeant promissionem gratiae justificationis.* Hanc definitionem competere dicit non solum baptismo et eucharistiae, sed etiam confirmationi, poenitentiae, extremae unctioni, ordini et matrimonio. Respondemus: quaenam sint essentialia requisita, ex quibus propria et adaequata sacramenti definitio exstruitur, ostendimus suo loco eademque ab exceptionibus Bellarmini vindicavimus. Ea vero non habere locum in poenitentia ostendimus in tract. de poenit. §. 23. et seqq. nec locum illis esse in matrimonio et ordine in explicatione illorum articulorum docebimus. Restat igitur, ut de confirmatione et extrema unctione hac vice agamus, an scilicet omnia et singula requisita sacramenti proprie sic dicti illis competant?

(IX. 62.)

An confirmatio sit sacramentum.

63. De confirmatione docet Bellarminus, quod sit *sacramentum vere ac proprie sic dictum* lib. 2. de confirm. c. 2. et seqq. quod *ejus materia remota sit oleum balsamo admixtum atque ab episcopo consecratum; proxima vero unctio ex praedicto oleo in frontem adhibita ad formam seu figuram crucis* c. 8. quod *forma ejus sit: Consigno te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus s.* c. 10. quod *effectus ejus sit duplex; unus, conferre gratiam gratum facientem et quidem majorem, quam ipse baptismus, in ordine ad roborandam animam contra diaboli impetus, sed minorem in ordine ad remissionem peccati; aliter, imprimere characterem, quo asscribimur in Christi militiam* c. 11. quod *minister ejus sit solus episcopus* c. 12. quod *certis quibusdam ceremoniis chrisma consecretur et in ipsa collatione hujus sacramenti adhibeatur* c. 13. Nos in his omnibus desideramus mandatum et institutionem divinam. Ubi enim praecepit Christus, homines ungi chrismate? ubi mentio fit elementi illius externi, videlicet olei? ubi exstat forma illa consecrationis: *Exorciso te per Deum omnipotentem Patrem, qui coelum et terram et mare condidit omniaque, quae in iis sunt, ut omnis virtus Satanae omnisque exercitus diaboli, omnes insultus, omnes praestigiae Satanae radicitus inde evellantur et fiat illud chrisma cunctis, qui eo unguntur, utile ad adoptionem Dei per Spiritum sanctum in nomine † Dei omnipotentis Patris et in caritate Jesu Christi † Filii ejus, qui cum illo vivit Deus verus, et in unitate † Spiritus sancti;* ubi exstat forma administrationis: *Consigno te signo crucis?* etc. ubi effectus illi tribuuntur chrismati, quod conferat gratiam gratum facientem et characterem indelebilem inprimat? Ergo praeter institutionem divinam desideratur etiam promissio, quod Deus per hoc medium spiritualia dona largiri velit; desideratur etiam exemplum, neque enim ullus apostolorum legitur baptizatos chrismate unxisse, ut ad spiritualem luctam adversus Satanam hac ratione armarentur.

Argumenta pro stabiliendo confirmationis sacramento.

64. Regerit Bellarminus lib. 2. de effectu sacrament. c. 24. quod repetit lib. 2. de confirmat. c. 2. *in Scripturis haberi 1. promissionem gratiae; 2. signum sensibile cum verbo, quod sit medium seu organum, quo applicetur promissio; 3. mandatum divinum, quo id jubeatur ministrari. Promissio*, inquit, *amplissima habetur Joh. 14. ubi Dominus promittit paracletum, quae c. 15. et 16. Joh. uti et Luc. 24. et Act. 1. repetitur. Medium seu organum sive signum sensibile, quo appli-*

cetur illa promissio, fuit manus impositio cum oratione, cuicunque enim baptizato apostoli manus imponebant, super eum veniebat Spiritus sanctus. Pro mandato damus mandati exsecutionem; nunquam enim apostoli ita ordinarie et secure imposuissent omnibus baptizatis manus, ut veniret super eos Spiritus s. nisi Dominus hoc eis mandasset. Respondemus: haec nondum probant, chrismatis unctioni promissionem gratiae evangelii propriae divinitus annexam esse, ut sit ordinarium et perpetuum N. T. sacramentum. Quod enim attinet promissiones illas de Spiritu sancto, illae non sunt unius generis; quaedam enim solos apostolos et Christianos in primitiva ecclesia concernunt, quibus miraculosa illa Spiritus sancti dona fuerunt a Christo promissa et apostolis quidem in die Pentecostes, reliquis vero per χειροθεσίαν apostolicam collata, quae temporibus succedentibus desierunt; quaedam vero sunt generales promissiones, quae omnes omnium temporum fideles concernunt, quibus communia illa et
II. 63. omnibus ad salutem necessaria Spiritus sancti beneficia a Christo promittuntur. Quod ad medium sive signum sensibile attinet, utebantur apostoli ad collationem miraculosorum illorum Spiritus sancti donorum manuum impositione, quae fuit etiam in V. T. usitata ceremonia, nullo autem unquam chrismate certis exorcismis consecrato usi leguntur, tantum abest, ut peculiare et perpetuum N. T. sacramentum ac ordinarium conferendi Spiritus sancti dona medium illa manuum impositione introducere voluerint. Neque enim in miraculosa illa donorum Spiritus sancti collatione tantummodo hac ceremonia usi sunt, sed etiam ad morbos pellendos, ad caecitatem tollendam, ad ordinationem episcoporum etc. Jam vero externum elementum est cuilibet sacramento peculiare ac proprium. Non sufficit ad sacramentum constituendum qualiscunque externa ceremonia libere et indifferenter una cum oratione in collatione qualiumcunque beneficiorum divinorum adhibita, sed requiritur certum elementum, cui divina institutione promissio gratiae evangelii propriae sit annexa, illam si chrismati suo annexam esse probaverint, res erit expedita. Denique quod Bellarminus hoc loco scribit: *Nunquam apostoli ita ordinarie et secure imposuissent omnibus baptizatis manus, ut veniret super eos Spiritus sanctus, nisi Dominus id eis mandasset,* ejus contrarium statuit lib. 2. de confirm. c. 2. §. Haec quoque solutio. *Inprimis* (inquit) *non ostendent adversarii, ubi mandaverit Dominus apostolis, ut manus imponerent ad Spiritum sanctum recipiendum* etc. *neque ostendent, apostolis usquam factam esse promissionem, ut cui manus imponerent, daretur Spiritus s.*

An extrema unctio sit sacramentum.

65. Extremam unctionem Bellarminus statuit *esse vere et proprie sacramentum N. T. a Christo Domino nostro apud Marcum insinuatum, per Jacobum autem apostolum fidelibus commendatum et promulgatum, in quo organa sensuum, oculi, aures, nares, labia, manus, pedes et renes oleo exorcizato in morituris inunguntur,* lib. 1. de extrema unct. c. 2. et seqq. *materiam ejus esse oleum olivae ab episcopo benedictum, ita ut consecratio et benedictio episcopalis in hoc sacramento sit de essentia materiae; formam esse illa verba: Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per visum* etc. c. 7. *effectus illius sacramenti duos esse, unum quod sanet corpus, si ita expediat animae saluti; alterum quod abstergat reliquias peccatorum c. 8. ministrum esse presbyterum, id est sacerdotem et consequenter episcopum, si is velit* c. 9. *ceremonias esse duas, ut recitentur litaniae et ut septem corporis partes ungantur* c. 10. Respondemus: nos itidem in hoc sacramento desideramus verbum institutionis et promissionis. Ubi enim illa morti vicinorum unctio mandata? ubi exprimitur elementum externum? ubi habentur exorcismi, quibus oleum illud consecrandum? ubi tribuitur unctioni illi remissio peccatorum? *Sanent te,* dicitur in illa unctione, *omnes angeli, archangeli, omnes sancti patriarchae, prophetae, omnes apostoli et evangelistae, martyres, confessores, virgines* etc. ubi vero a defunctis sanctis animae sanatio peti vel sperari jubetur? ubi exprimuntur partes corporis inungendae?

Fundamentum extremae unctionis ex Jac. 5: Orent super eum ungentes.

66. Regerit Bellarminus lib. 2. de effectu sacrament. c. 24. Jacobi 5. habere ritum: *Orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini; item promissionem: Et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis fuerit, remittentur ei. Mandatum colligi ex eo, quod apostolus non auderet ita absolute promittere tantum effectum, nisi a Domino id accepisset.* lib. 1. de extrema unctione c. 2. disputat contra Thomam Waldensem, Alphonsum de Castro et alios, *Marc. 6. non describi unctionem illam sacramentalem, sed tantum figuram quandam et adumbrationem illius.* Respondemus: 1. Cajetanus in comment. Jacob. 1. diserte scribit, *nec ex verbis nec ex effectis colligi posse, quod locus ille de sacramento extremae unctionis agat.* 2. Jacobus non de alia, sed eadem plane unctione agit, de qua Marc. 6. Christus loquitur, ut ostendunt non solum IX. 64.
circumstantiae textus, sed etiam Beda, Theophylactus et Oecumenius in comment. Agnoscit hoc quodammodo ipsum concilium Tridentinum, quod c. 1. de extrema unctione dicit, hoc sacramentum esse a Christo Domino nostro apud Marcum quidem insinuatum (can. 1. dicunt a Christo esse institutum), per Jacobum autem apostolum ac fratres Domini fidelibus commendatum et promulgatum. Jam vero Marci 6. non instituitur peculiare aliquod et perpetuum N. T. sacramentum, sed miraculosa infirmorum sanatio describitur, quam oleo adhibito apostoli in primitiva ecclesia conferebant, quaeque fuit donum in ecclesia primitiva singulare et temporaneum. 3. Idem ergo statuendum de loco Jacobi 3. ex ipsis enim verbis textus apparet, sanitatem corporalem assignari unctionis illius finem ac fructum, *Dominus alleviabit eum.* Atqui unctio illa sacramentalis non adhibetur nisi iis, quos morituros esse apparet, unde etiam extrema dicitur. 4. Remissio peccato-

rum non unctioni, sed deprecationi presbyterorum, quae pro infirmantibus ad Deum facta propriam fidem ejusque augmentum et confirmationem ipsis impetrare potest, asscribitur. 5. Quodsi vel maxime ex loco Jacobi materiale hujus sacramenti evinci posset, unde consecratio olei, quam ad essentiam materiae pertinere Bellarminus disputat, probari posset? unde forma, unde objectum hujus sacramenti septem scilicet partes corporis inungendas esse, non plures nec pauciores, quod itidem ad essentiam sacramenti requiri autumat? 6. Unctione illa apostoli et alii fideles θαυματοῦργοι in primitiva ecclesia utebantur ad sanationes miraculosas non ex necessario quodam Domini mandato, sed velut externo quodam symbolo libere usurpato, quandoque enim solo verbo Actor. 3, v. 6. quandoque impositione manuum Marc. 16, v. 18. quandoque contactu, umbra, sudariis, semicinctiis ad sanandos infirmos usi leguntur Actor. 5, v. 15. et c. 19, v. 12. Atqui si illa unctio esset sacramentum aegrotis adhibendum, certe apostoli ea semper fuissent usi, quando ipsis cum aegrotis res fuit. 7. Ut interim de auctoritate epistolae Jacobeae nihil dicamus, quam Eusebius lib. 2. eccles. histor. c. 23. expresse asserit νοθεύεσθαι.

An lotio pedum sit sacramentum.

67. In eodem capite Bellarminus movet quaestionem de lotione pedum a Christo usurpata, Joh. 13. quam non esse sacramentum probare conatur, sed non satisfacit argumentis contrariis. Est enim ibi mandatum Christi v. 14: *Si ego lavi pedes vestros dominus et magister vester, et vos debetis alter alterius pedes lavare;* v. 15: *exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.* Est ibi externa ceremonia, videlicet lotio pedum, est ibi elementum externum, scilicet aqua, adest promissio gratiae. v. 8: *Nisi lavero te, non habebis partem mecum;* v. 10: *qui lotus est, mundus est totus.* Cyprianus in serm. de ablutione pedum, Ambrosius 3. de sacram. c. 1. Bernhardus in serm. de coena Dom. vocant sacramentum. Definitio sacramenti, quam proponit catechismus Tridentinus et quam laudat Bellarminus 1. de sacram. c. 11. *quod sit res sensibus subjecta, quae ex Dei institutione sanctitatis et justitiae tum significandae, tum efficiendae vim habet*, lotioni pedum accommodari potest. Respondet Bellarminus 1. *lotionem pedum non habere promissionem gratiae justificantis*, at postea ex Ambrosio scribit, per illam lotionem remitti reliquias originalis peccati. *2. Non haberi mandatum frequentandi illius ritus.* Atqui v. 14. diserte dicitur ὀφείλετε, *debetis, invicem pedes lavare, mandatum dedi vobis.* Excipit Bellarminus *praecipi humilitatem et caritatem, ut exponunt Cyrillus et Chrysostomus, non autem materialem pedum lo-*
IX. 65. *tionem, ut ex praxi ecclesiae constet.* Atqui obverti posset, utrumque a Christo requiri. **Venator theol. remonstr. theol. verae et merae p. 13. quaestio: *An non Jesus discipulis suis etiam instituit ac mandavit externum aliquod et visibile sacramentum humilitatis et mutuorum officiorum? Responsio: Lotionem pedum, uti nobis prolixe hoc describit Johannes c. 13. a v. 1. ad 18.* ** Praxis ecclesiae adversatur Bellarmino, ipse enim ex Ambrosio recitat, lotionem illam fuisse in quibusdam ecclesiis praesertim Mediolanensi usitatam et Romae a pontifice simulacrum ejus proponitur, quando cardinalibus unum pedem in die parasceves lavat; praeterea illa pedum lotio commendatur ab apostolo 1. Tim. 5, v. 10. ac denique episcopi quotannis lavant pedes quorundam pauperum, ut scilicet Christum imitentur. Patrum testimoniis respondet, loqui ea de unico lotionis a Christo tunc administratae actu. Atqui diversum ostendit inspectio textus apud Ambrosium et Bernhardum; Stapletonus in c. 13. Joh. agnoscit, *Patres non loqui saltem de unica illa lotione;* adde quod haec expositio Bellarmini sit incommoda, quia illa pedum lotio ad nos nihil attinet, nisi eam ut exemplar ex Christi mandato sequamur. Vera sententia est, quod scopus Christi Joh. 13. non sit instituere novum ac peculiare aliquod N. T. sacramentum, sed ritu lotionis pedum in orientalibus regionibus usitato tum humilitatem, tum mutuam caritatem commendare; ut latius exposuimus in post. eccles. conc. Die viridium. Et est in verbis Christi locutio synecdochica, ponitur enim species pro genere, siquidem apud Judaeos familiare erat, ut frequenter lavarent pedes, quia propter caliditatem regionis pulvere et sudore pedes facile inquinabantur, fuit autem officium illud lotionis servile, quod contemtis et vilibus personis demandari solebat, ut patet ex 1. Samuel. 25, v. 41. quo modo intelligendus etiam locus Paulinus 1. Tim. 5, v. 10. eo igitur respicit Christi concio, quod non debeamus proximo deesse, sed ex vera et sincera caritate atque humilitate ipsi inservire etiam in vilissimis quibusque officiis. In dictis patrum vox sacramenti late accipitur pro quolibet sacrae rei signo. Verba Christi *nisi lavero te, non habes partem mecum*, loquuntur vel de fructu passionis Christi, cujus *sanguis emundat nos ab omnibus peccatis*, 1. Joh. 1, v. 7. nam et hujus rei symbolum in hac lotione mystice propositum fuisse non absurde statuitur; vel de poena inobedientiae reluctantis Petri.

68. Cap. 25. profert Bellarminus pro stabiliendo septenario sacramentorum numero testimonia Scholasticorum et conciliorum posteriorum Florentini ac Tridentini, quorum auctoritas quanti aestimanda sit, illis qui norunt inter verbum Dei et traditiones humanas, inter lucem et tenebras atque inter glandes et fruges discernere, non est ignotum. Addit autem sub finem hujus capitis immane pronuntiatum, quod *omnium dogmatum firmitas pendeat ab auctoritate praesentis* (Romanae) *ecclesiae;* quam esse ultimam ἀνάλυσιν ac resolutionem fidei papisticae in scrinium scilicet Romani pontificis, quem augusto ecclesiae nomine insignire solent, libenter concedimus. Cap. 26. profert rationes, quas propter infirmitatem vocat congruentias: *Prima ducitur a similitudine vitae corporalis et spiritualis. Ut*

enim in vita corporali requiritur regeneratio, augmentatio, nutritio, remedium contra morbos et morbi reliquias, parentes etiam ac magistratus; ita haec omnia in vita spirituali requiruntur et per sacramenta homini conferuntur, utpote per baptismum regeneratio, per confirmationem augmentatio, per eucharistiam nutritio, per poenitentiam remedium contra peccatum, per unctionem extremam remedium contra reliquias peccati; per matrimonium propagantur homines ad cultum Dei deputandi, per ordinem sacrum reguntur ac gubernantur. Altera

Rationes pro stabiliendo septenario sacramentorum numero excogitatae.

II. 66. *ratio ducitur ex numero peccatorum; tertia ex numero virtutum; quarta ex numeri septenarii celebritate in expiationibus.* Respondemus: 1. hae congruentiae fortassis locum habere possent, si firma fundamenta ex Scripturis prius essent posita. Numeri, ut nullam operandi, sic et nullam probandi vim habent: 2. Eaedem rationes locum habuissent etiam in V. T. ergone et illic septem fuerunt sacramenta? Bellarminus regerit, *sacramenta vetera non fuisse instituta ad perficiendum hominem in vita spirituali;* sed contrarium ostendimus suo loco, adde, quod hoc effugium argumenti nostri vim nequaquam infringat, quaeritur enim, an a septenario ad numerum sacramentorum valeat consequentia? id si asseritur, utique etiam in V. T. fuerunt septem sacramenta. Vide D. Meisnerum part. 2. sob. philos. sect. 2, c. 3. q. 7. 3. Requisita illa vitae spiritualis, uti etiam morbi ac virtutes vel in arctiorem numerum contrahi vel in latiorem expandi possent, si quis otiosis illis speculationibus indulgere vellet. 4. Agnoscit hoc ipsum Biel, qui lib. 4. sent. dist. 8. q. 1. art. 3. dub. 2. quaerit, *an consecratio sit sacramentum,* et respondet, quod sit. Postea sibi objicit, *sic fore plura sacramenta quam septem.* Respondet autem: *In veritate et simpliciter loquendo plura sunt quam septem sacramenta, ut patet de sacramento ordinis, quod sub se continet septem vel octo sacramenta a se ipsis distincta, sed illa sacramenta, quae ad idem ordinantur, licet sint plura in se, dicuntur tamen aggregatione et ordine ad eundem finem proximum unum sacramentum.* 5. Cur non addit Bellarminus etiam reliquas congruentias a Scriptoribus Pontificiis usurpatas? Synodus Petri Coviensis c. 33: *Quid vel evangelicae doctrinae adversatur, vel eam obscurat, si qui Spiritui sancto familiaris est numerus, eo sacramenta comprehendi voluit ecclesia? cum etiam dona Spiritus sancti septem recenseantur, cum septem sigillis, quibus fuit V. T. pagina signata, quae agnus, qui habet clavem David, qui aperit et nemo claudit, reseravit, septem tubis, quibus angeli cecinerunt, septem stellis, quas habebat similis Filio hominis in manu, septem panibus quibus Dominus turbas pavit, septem oculis super lapidem, septem lucernis tabernaculi super unum candelabrum positis* etc. *adumbrata esse existimentur?* **Blas. Viegas in c. 1. Apoc. p. 75: *De Samsone dicitur Jud. c. 16, v. 19. quod in septem crinibus maximam suam fortitudinem haberet, quibus resectis fortitudo ab eo recessit. Sic in septem sacramentis, quasi in septem crinibus, Christus suam fortitudinem ostendit, quia ea ad gratiam communicandam instituit, quae cum haeretici negant, quasi Christo fortitudinem exscindere moliuntur.*** Biel 4. sent. dist. 1. q. 1. praefert omnibus aliis congruentiis eam, quam primo loco Bellarminus profert, et addit: *sunt etiam aliae, sed minus pertinentes, quae plures patiuntur instantias.* Ergo etiam illa, quae omnibus praefertur, instantias patitur. Atque haec de sacramentorum numero dicta sunto, restat ut ad specialem sacramentorum N. T. ἐξήγησιν descendamus.

LOCUS VICESIMUS

DE SACRO BAPTISMO.

I.

IX. 67. Connexio cum loco praecedente.

Absoluta generali sacramentorum *θεωρίᾳ*, expositis etiam V. T. sacramentis, restat ut in specie de sacramentis N. T. videlicet de s. baptismo et s. coena tractetur. ***Quaeritur hic, an dogma baptismi sit fundamentale fidei dogma?*** Ostorodus Photinianus miratur et conqueritur, *tantopere eaque cum vehementia pro integritate baptismi depugnari, ac si universam religionem Christianam corruere oporteat, ubi error in hoc articulo commissus fuerit,* Inst. c. 39. §. 1. p. 346. ex quo intelligitur, per Ostorodi hypothesin corrupta doctrina de baptismo nihilominus religionem Christianam consistere integram; quod eos sentire, mirum non est, cum baptismum statuant tantum ritum externum omni spirituali effectu destitutum. Sed observa contra: 1. quod fidei dogma sit, ostendit medium nostrae spiritualis restitutionis, per quod regeneramur et renovamur, Christum induimus, a peccatis mundamur, in foedus a Deo recipimur et ad salutem aeternam pervenimus, illud est fundamentale fidei dogma. At tale est dogma de baptismo aquae. Ergo 2. Omnis articulus, quo corrupto vera doctrina de officio Christi salva et integra esse nequit, est fundamentalis, quia fundamentalis fidei articulus est non solum qui constituit fundamentum, sed etiam quo laeso consequenter ipsum fundamentum laeditur. Doctrina de baptismo ita est comparata. Ut enim de officio Christi recte doceatur, opus est, ut salutariter tractentur haec duo, beneficiorum impetratio et impetratorum applicatio. Applicationis media sunt verbum et sacramenta etc.** Priorem vero tractationis locum sibi vendicat sacramentum baptismi, cum sacra coena prius sit 1. *institutione*, constat enim baptismum in primo statim N. T. exordio divinitus institutum, sacramentum autem coenae Dominicae immediate ante passionem Christi, hoc est triennio integro et quod excurrit post baptismi institutionem. 2. *Administratione*, quia Johannes et discipuli Christi baptizarunt, cum sacra coena nondum esset instituta, Matth. 3, v. 6. Joh. 4, v. 2. etc. 3. *Ordine*, quia baptismus est *προπύλαιον* seu *πρόθυρον*, prima porta gratiae, est sacramentum initiationis; coena Dominica est sacramentum confirmationis; per baptismum regeneramur, per sacram coenam nutrimur atque alimur ad vitam aeternam. Ut ergo in natura, ita quoque in gratia prius est nasci, quam pasci, generari quam augmentari. Per baptismum in foedus Dei recipimur, per usum sacrae coenae in eo conservamur. Per baptismum fides et reliqua Spiritus s. dona in nobis accenduntur, per usum sacrae coenae augentur et confirmantur. Baptismi figura praecessit in circumcisione, sacrae vero coenae in agno paschali. Nec cuiquam patet ad sacram coenam aditus, nisi sacro baptismate prius fuerit tinctus, quemadmodum in V. T. non nisi circumcisi ad esum agni paschalis admittebantur, Exod. 12, v. 48. 49.

2. **Doctrina de baptismo complectitur illius *ὀνοματολογίαν* et *πραγματολογίαν*. *Ὀνοματολογία* monstrat vocis 1. notationem; 2. *ὁμωνυμίαν;* aliter enim sumunt patres, aliter Scriptura. Patres late pro *baptismo flaminis, sanguinis, poenitentiae, lacrimarum;* Scriptura vel tropice vel proprie. Tropice vel metaphorice: 1. pro effusione Spiritus s.; 2. pro cruce et calamitatibus; 3. pro transitu Israëlitarum per mare rubrum; vel synecdochice pro institutione seu doctrina. Proprie: 1. generatim pro quavis ablutione; 2. speciatim pro sacramento initiationis; 3. *συνωνυμίαν*. Synonyma alia patrum, alia Scripturae. Patribus vocatur *prima porta gratiae, investitura Christianismi, ecclesiae janua* etc. Scripturae sunt vel synecdochica: *aqua* Hebr. 10, v. 22. 1. Joh. 5, v. 6. vel periphrastica, partim ab essentialibus *lavacrum aquae in verbo* Eph. 5, v. 26. partim ab effectu *lavacrum regenerationis et renovationis* Tit. 3, v. 5. *interrogatio bonae conscientiae in Deum* 1. Petr. 3, v. 21. vel typica: *circumcisio, quae fit sine manibus* Col. 2, v. 11. *diluvium* Psalm. 29, v. 10. *Πραγματολογία* versatur circa necessaria et libera.** *Βαπτισμός* et *βάπτισμα* ἀπὸ

Ἐτυμολογία. IX. 68.

τοῦ βαπτίζειν immergere, intingere et proprie quidem aquae; cognationem habet cum verbo βυθίζω et βαθύνω, quorum utrumque significat in profundum demergere; illud originem trahere videtur a βύω, unde βύθος, quod fundum significat et profundum sive profunditatem; item ἄβυσσος. εἰς ἣν οὐδεὶς εἰσέρχεται διὰ τὸ βάθος, ut Graeci interpretantur. Plutarch. περὶ δεισιδαιμονίας: βάπτισον σεαυτὸν εἰς θάλασσαν, *merge te ipsum in mare.* Idem recitat versiculum Sibyllae de Athenis in vita Thesei, (quem de ecclesia Christi rectius usurpaveris): Ἀσκὸς βαπτίζῃ, δῦναι δέ τοι οὐ θέμις ἐστίν, *mergeris uter aquis, sed non submergeris unquam.* Idem in vita Galbae μεταφορικῶς dixit βεβαπτισμένος ὀφειλήμασι, *immersus debitis.* In moralibus βαπτίζεσθαι ὑπὸ τῶν πραγμάτων, *opprimi mole negotiorum.* In vita Phocionis βαπτίζεσθαι τοῖς πόνοις ὑπερβάλλουσι, *submergi laboribus immodicis.* Aphrod. lib. 1. probl.: βεβαπτισμένος τῷ σώματι, *demersus in corpus.* In hac immergendi significatione usurpatur 2. Reg. 5, v. 14: καὶ ἐβαπτίσατο ἐν τῷ Ἰορδάνῃ ἑπτάκις, *mergebatur in Jordane septies.* Esa. 21, v. 4: ἡ ἀνομία με βαπτίζει, *immergit ac submergere me nititur.* Nazianzenus orat. εἰς τὸ ἅγιον βάπτισμα p. 643: μὴ γεννώμεθα χριστοκάπηλοι καὶ χριστέμποροι, μηδὲ φορτισθῶμεν πλέον ἢ δυνάμεθα φέρειν, ἵνα μὴ αὐτάνδρῳ τῇ νηῒ βαπτισθῶμεν καὶ τὸ χάρισμα ναυαγήσωμεν, *non caupones Christi, non institores fiamus, neque majus suscipiamus onus, quam ferre possimus, ne una cum navi submergamur et ipsi et gratiam naufragio perdamus.* Quia vero illi, qui aquis immerguntur et ex illis emergunt, loti et mundi apparent, ideo βαπτισμός et βαπτίζειν ex consequenti pro quavis ablutione usurpantur, si vel maxime fiat tantum adspersione vel affusione vel particulari tinctione, βαπτίζειν enim descendit a βάπτειν, quod in genere significat tingere, lavare, imbuere, immergere. Judith. 12, v. 8: ἐβαπτίζετο τῆς πηγῆς ἐπὶ τοῦ ὕδατος, *lavabat se in aqua.* Sir. 34, v. 30: βαπτιζόμενος ἀπὸ νεκροῦ, *qui se lavat, postquam mortuum tetigit.* Marc. 7, v. 4: οἱ Ἰουδαῖοι ἀπὸ ἀγορᾶς, ἐὰν μὴ βαπτίσωνται, οὐκ ἐσθίουσι, *nisi laverint sese*, quod v. 3. praecedente sic exponitur: ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται τὰς χεῖρας (τὸ πυγμῇ plerique secuti vulgatam versionem reddiderunt *crebro*, existimant enim, esse ductum a pugna pugilum, quae dicitur πυγμή. *Syr. accurate et diligenter, Arab. frequenter et saepissime.* Theophylactus
II. a. interpretatur ἄχρι τοῦ ἀγκῶνος, ut significet, Judaeos consuevisse manus a cubito ad digitos usque lavare, Graeci enim illud spatium inter mensurarum nomina ponentes vocant πυγόνα: De hac lotione vide Drusium lib. 2. praeterit p. 66. ex Manahemo Ricinensi comment. in Moysen 198.) v. 4. et 8. ejusdem c. 7. referuntur βαπτισμοὶ ποτηρίων καὶ ξεστῶν καὶ χαλκείων καὶ κλινῶν, *baptismata calicum, urceorum, aeramentorum et lectorum*, quod in genere de lotionibus istorum utensilium accipiendum esse constat. Luc. 11, v. 38. Pharisaeus mirabatur, ὅτι οὐ πρῶτον ἐβαπτίσθη, *quod non prius lavaret se.* Hebraeis τὸ βαπτίζειν *respondet* טָבַל Lev. 4, v. 6. Job. 9, v. 31. 2. Reg. 5, v. 14. etc. et טָבַע Exod. 15, v. 4. Psalm. 9, v. 16. Psalm. 69, v. 3. etc. quorum utrumque significat mergere, immergere, intingere, infigere **Syris עֲמַד est *tingere, lavare, baptizare*, inde מַעְמוּדִיתָא *baptismus* Marc. 1, v. 4. עַמְדָא, item מַעֲמְדָנָא *baptista.* βαπτίζω etiam idem est, quod Hebraeis יָצַל Esa. 44, v. 3. vel שָׁפַךְ Joël 2, v. 28. et tum βαπτισμός significat quamcunque lotionem vel tinctionem partialem, ut Marc. 7, v. 4. Hebr. 9, v. 10. Levit. 14, v. 7. Ezech. 36, v. 25. 1. Petr. 1, v. 2.** Germanicum Taufe Alstedio in lex. theol. c. 12. p. 315. videtur descendere ab Hebraico tau, quod alii legunt taf, hoc est signum; sed rectius deducitur a teufen, quod est intingere eintauchen, quia mersio in aquam in locis calidioribus circa administrationem hujus sacramenti fuit usitata. Lutherus serm. de sacram. bapt. tom. 1. Jen. Germ. f. 186: *Sine dubio in lingua Germanica vocabulum baptismi descendi a voce Tiefe, quia baptizatus alte immergitur.* Quodsi omnino placet vocabuli et origine et usu Germanici Hebraeam originem quaerere, posset a טָבַע deduci, a quo Germanicum Bad per metathesin literarum descendit, item טַבַּעַת annulus sic dictus, quod digitus illi immergatur vel infigatur. Ut autem annulus datur in desponsatione novorum conjugum; ita per baptismum fit stipulatio et spiritualis desponsatio inter Christum sponsum et ecclesiam sponsam. Quod Phavorinus scribit, βάπτισμα dictum quasi πίπτον τὸ πταῖσμα, *quod delictum quodammodo ibi ruat*, quaedam allusio potius, quam etymologia habenda est. 3. **Hebr. 6, v. 2. βαπτισμῶν διδαχή a quibusdam exponitur *doctrina de variis baptismi generibus;* alii sic explicant: *doctrina, cujus confessio a baptizandis adultis requirebatur.*** Βαπτισμός Ὁμωνυ-
igitur et βαπτίζειν in s. literis, praesertim in N. T. μία.
usurpantur vel *proprie* vel *tropice*. *Proprie* significant 1. γενικῶς quamvis lotionem atque immersionem, quo pertinent lavacra Israëlitis divina lege tradita, quae dicuntur διάφοροι βαπτισμοί Hebr. 9, v. 10. ac superstitiosae illae Judaeorum lotiones e traditione veterum acceptae Marc. 7, v. 4. et 8. Luc. 11, v. 38. 2. εἰδικῶς καὶ ἐξοχικῶς sanctum illud N. T. sacramentum, quo homo abluitur in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti ad remissionem peccatorum, regenerationem et salutem, quae significatio in scriptis evangelistarum et apostolorum est frequentissima. *Tropica* significatio est vel *metaphorica* vel *synecdochica.* Metaphorice significat 1. crucem, calamitates et afflictiones, Matth. 20, v. 22. Marc. 10, v. 38: *Potestis baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Chrysostomus hom. 65. in Matth.: *Propter me et praedicationis meae gratiam moriemini meaeque passionis participes eritis?* Luc. 12, v. 50: *Baptismo oportet me baptizari et quomodo coarctor, usque dum hoc perficiatur?* Ratio appellationis potest esse duplex. Et enim vel respectus habetur ad illa Scripturae loca, in quibus piorum afflictiones gurgitibus aquarum conferuntur. Quem-

admodum illi, qui aquis immerguntur, sibi sub illis pereundum esse cogitant; ita quoque sub cruce cogitamus, nobis omnino pereundum esse, sed postea sequitur divina liberatio. Psalm. 18, v. 17: *Extraxit me de aquis multis.* Psalm. 32, v. 6: *In aquarum multarum inundatione ad eum non ap-*
IX. 70. *proximabunt.* Psalm. 69, v. 1: *Intraverunt aquae usque ad animam meam;* v. 2: *veni in altitudinem aquarum et alveus plenus inundatione circumvenit me.* Vel respicitur ad significationem immersionis in baptismo, quod vetus noster homo per quotidianam mortificationem debeat submergi et interire, quae est crux illa quotidiana omnibus piis necessaria, Matth. 16, v. 24: *Si quis vult post me venire, abneget se ipsum et tollat crucem suam.* 2. Miraculosam et visibilem effusionem donorum Spiritus s. in die Pentecostes super apostolos et in primitiva ecclesia super reliquos credentes factam. Matth. 3, v. 11. Marc. 1, v. 8. Luc. 3, v. 16: *Ego baptizo aqua, qui vero post me venit baptizabit vos Spiritu sancto et igne,* hoc est in figura linguarum ignearum peculiaria Spiritus s. dona in die Pentecostes distribuet; quam explicationem confirmat vox futuri temporis βαπτίσει, cumprimis vero dictum Christi, Actor. 1, v. 5. c. 11, v. 16: *Johannes baptizavit aqua, vos autem Spiritu s. baptizabimini non longe post hos dies.* Quidam referunt huc locum Actor. 19, v. 4. qua de re postea dicendum erit. Ratio appellationis potest esse duplex, vel enim a copiosa effusione donorum Spiritus s. petenda est. Quemadmodum illis, qui baptizantur, affatim aqua superfunditur; ita quoque Spiritus s. dona opulente super credentes sunt effusa, Esa. 44, v. 3. Joël 2, v. 28. Actor. 2, v. 17: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem* etc. Tit. 3, v. 6: *Spiritum sanctum effudit in nos πλουσίως, abunde, per Jesum Christum salvatorem nostrum.* Vel respectus habetur ad illud, quod in primitiva ecclesia in baptismo miraculosa illa dona conferebantur.

3. Miraculosam transitionem Israëlitarum per mare rubrum nubis lucidae ductum secutorum. 1. Cor. 10, v. 1: *Patres nostri omnes sub nube fuerunt et omnes mare transierunt;* v. 2: *et omnes in Moysen baptizati sunt in nube et mari.* Ratio appellationis est typica, siquidem transitus ille Israëlitarum fuit typus sacramenti baptistici. Sicut Israëlitae per hunc transitum ex Aegyptiaca servitute liberati sunt, *nisi per mare transiissent, tyrannum non evasissent;* ita per baptismum ex spirituali infernalis Pharaonis servitute liberamur. Sicut Pharao cum toto suo exercitu in mari rubro submergitur; ita vetus noster homo cum exercitu vitiorum in baptismo interit. Arator poeta: *Omnia daemonis arma his merguntur aquis, quibus ille renascitur infans, qui captivus erat.* Quemadmodum per miraculosam illam transitionem, ductu et auspicio Moysis factam, confirmabantur Israëlitae, quod Deus velit esse defensor hujus populi, ideo etiam Deo ac Moysi ejus ministro ad credendum et obediendum obligabantur; ita quoque per baptismum de gratia et auxilio Dei confirmati Christo servatori nostro ad servitium et obedientiam obligamur. Concil. Tolet. quartum c. 5. tom. 2. concil. p. 198: *Mare rubrum significat baptismum Christi sanguine consecratum, per quod populus sub columna ignis et nubis semel transiit, ubi tamen tota Trinitas erat, praecedente populum columna nubis et ignis; in igne quippe significatur Pater, in columna Filius, in nube Spiritus sanctus.* Vide etiam Augustinum in Psalm. 77. Basilium l. de Spiritu s. c. 14. tom. 1. p. 187. et in exhort. ad bapt. p. 445. Synecdochice Johannis baptismus usurpatur pro doctrina adeoque toto ministerio Johannis. Quamvis enim Johannes non solum baptizarit, sed etiam praedicaverit, Matth. 3, v. 1. Marc. 1, v. 4. totum tamen illius ministerium Matth. 21, v. 25. Marc. 11, v. 30. Luc. 20, v. 4. Actor. 1, v. 22. c. 10, v. 37. c. 18, v. 25. c. 19, v. 3. baptismus vocatur, usitata in Scripturis συνεκδοχῇ, qua ex parte intelligitur totum. ** Photiniani etiam urgent, vocem baptismi quandoque significare *doctrinam* et exinde colligunt, *non protinus nominato baptismo intelligendum esse eum, qui fit aqua.* Ostorodus c. 39. §. 2. p. 349. Schmaltzius contra D. Franz. disp. 10. p. 308. Respondemus: 1. baptismi vox grammatice non significat doctrinam; 2. quae ex Scripturis producuntur loca, omnia includunt ipsum aquae baptismum; 3. nomen baptismi absolute positum, nisi aliud sentire textus cogat, semper accipitur de baptismo aquae, quae est illius propria et nativa significatio. D. Hunn. disp. de bapt.**

4. Ex hac vocis baptismi ὁμωνυμίᾳ in s. literis usitata distinctio veterum *in baptismum fluminis, flaminis et sanguinis* profluxit, Lombardus 4. sent. dist. 4. comp. theol. verit. lib. 6. c. 9. Per baptismum fluminis intelligunt illud, de quo agimus, N. T. sacramentum, salutare lavacrum regenerationis et renovationis, quod fluminis baptismum vocant, non quod sit simpliciter et solum aqua, sed quia ad essentiales et συστατικὰς ejus partes aquae elementum concurrit, quod cum verbo plenum et integrum sacramentum constituit. Augustinus tractat. 80. in Joh.: *Accedat verbum ad elementum et fit sacramentum.* Per baptismum flaminis intelligunt vel miraculosam illam donorum Spiritus s. effusionem in oculos incurrentem, quae in primitiva ecclesia locum habuit, vel extraordinariam Spiritus s. operationem in catechumenis, qui morte praeventi baptismum fluminis nondum acceperunt. Per baptismum sanguinis intelligunt martyrium illorum, qui sacro baptismi non percepto, pro fide confessioneque Christi decertantes *ad sanguinis usque profusionem restiterunt,* ut loquitur epist. ad Hebr. c. 12, v. 4. Basilius homil. de quadrag. martyr. de illis dicit, quod ἐν τῷ ἰδίῳ αἵματι ὑπὸ τῆς οἰκείας ἐβαπτίσθησαν. Augustinus vel quicunque auctor fuerit lib. de eccles. dogmat. c. 74: *In martyrio tota baptismi sacramenta complentur. Baptizandus (catechumenus) confitetur fidem suam coram sacerdote et interrogatus respondet, hoc et martyr coram persecutore facit, qui et confitetur fidem suam et inter-* IX. 71. Distinctio inter baptismum fluminis, flaminis et sanguinis.

rogatus respondet. Ille post confessionem vel adspergitur aqua, vel intingitur; et hic vel adspergitur sanguine, vel contingitur igne. Ille manus impositione pontificis accipit Spiritum s. hic habitaculum efficitur Spiritus s. dum non est ipse, qui loquitur, sed Spiritus Patris, qui loquitur in illo. Ille communicat eucharistiae in commemorationem mortis Domini, hic ipsi Christo commoritur. Ille confitetur, se mundi actibus renuntiaturum; hic ipsi renuntiat vitae. Illi peccata omnia dimittuntur; in isto exstinguuntur. **Cyprianus de exhort. martyr. ad Fortunatum in princ. p. 246: *Nos qui Domino permittente primum baptisma credentibus dedimus, ad aliud quoque singulos praeparemus, insinuantes et docentes, hoc esse baptisma in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius, baptisma, in quo angeli baptizant et in quo Deus et Christus ejus exsultant; baptisma, post quod nemo jam peccat; baptisma, quod fidei nostrae incrementa consummat; baptisma, quod nos de mundo recedentes statim Deo copulat. In aquae baptismo percipitur peccatorum remissio, in sanguinis corona virtutum.***

Quid de eo statuendum sit. 5. Observandum vero, hanc distinctionem esse potius distinctionem nominis in sua significata, quam divisionem rei seu definiti in suas species. 1. Quia divisum seu definitum baptismi non est univocum ex aequo tam definitione et nominis ratione, quam nomine tribus illis speciebus competens, sed est aequivocum, solo nomine illis commune. 2. Quia effusioni sanguinis humani non potest tribui meritum remissionis peccatorum, quod solius Christi sanguini competit, 1. Joh. 1, v. 7. nec medium applicationis dici potest, quod ex parte Dei tantum verbo et sacramentis, ex parte nostra tantum fidei competit; martyrium autem pro Christo susceptum est evidens et luculenta testificatio illius fidei in Christum, in quo solo remissionem peccatorum et vitam vera fides quaerit, non in nostris operibus vel passionibus. Improbamus igitur, quod Bellarminus scribit lib. 1. de bapt. c. 6: *Tam martyrium quam poenitentia peccata remittit.* Ibidem: *Martyrium convenit cum*
II. 72. *baptismo aquae in tribus effectibus, nimirum quod primo configurat hominem Christi passioni et morti. Secundo remittit peccatum originale et reliqua omnia, si quae sint admissa. Tertio, quod remittit omnem poenam peccato debitam, tam aeternam quam temporalem.* Et Costerus in enchir. p. 59: *Patet, eandem esse vim martyris ex opere operato, quae est baptismi.* Cum enim martyrium non sit λύτρον, sed species ab eo distincta, quomodo erit meritum remissionis? 3. Quia forma baptismi consistit in adspersione vel effusione aquae in nomine Patris, Filii et Spiritus s. facta, quae in baptismo flaminis et sanguinis nequaquam occurrit.

Aliae baptismi divisiones ex veteribus. 6. Idem statuendum de aliis baptismi divisionibus, quae apud veteres leguntur Athanasius tom. 2. operum p. 296: *τρία βαπτίσματα καθαρτικὰ πάσης οἷας δήποτε ἁμαρτίας ὁ Θεὸς τῇ φύσει τῶν ἀνθρώπων ἐδωρήσατο, λέγω δὴ τὸ ὕδατος καὶ πάλιν τὸ διὰ μαρτυρίας τοῦ ἰδίου αἵματος καὶ τρίτον τὸ διὰ δακρύων. Tria baptismata purgantia cujuslibet peccati Deus naturae hominum donavit, puta aquae et rursus sanguinis proprii et tertium per lacrimas.* **Chrysostomus homil. 5. in Matth. (vel quisquis auctor imperf. oper.) quinque baptismata describit: *1. in verbo, 2. in aqua, 3. in Spiritu, 4. in igne, 5. in morte;* postea subjungit: *ideo Dominus postquam baptizatus est in verbo factus est sub lege, a Johanne autem in aqua, a Patre vero in Spiritu, nunc a Spiritu ducitur in desertum, ut baptizetur igne tentationis, postmodum baptizandus in morte.* Ambrosius in Psalm. 118. lit. ה: *Non unum est baptisma. Unum est, quod hic tradidit ecclesia per aquam et Spiritum sanctum quo necesse est baptisari catechumenos. Est et aliud baptisma, de quo dicit Dominus Jesus: baptismo habeo baptizare, quod vos nescitis et utique jam baptizatus in Jordane fuerat, sed sit hoc baptismum passionis, quo etiam sanguine suo unusquisque mundatur. Est etiam baptismum in paradisi vestibulo, quod antea non erat, sed posteaquam peccator exclusus est, coepit esse romphaea ignea, quam posuit Deus, quae antea non erat, quando peccatum non erat; culpa coepit et baptismum coepit, quo purificentur, qui in paradisum redire cupiebant.*** Nazianzenus orat. 39. in sacra lumina p. 634: *περὶ διαφορᾶς βαπτισμάτων φιλοσοφήσωμεν. 1. ἐβάπτισε Μωυσῆς· ἀλλ' ἐν ὕδατι καὶ πρὸ τούτου ἐν νεφέλῃ καὶ ἐν θαλάσσῃ, τυπικῶς δὲ τοῦτο ἦν. 2. ἐβάπτισε Ἰωάννης οὐκ ἔτι μὲν Ἰουδαϊκῶς, οὐ γὰρ ἐν ὕδατι μόνον, ἀλλὰ καὶ εἰς μετάνοιαν, οὔπω δὲ ὅλον πνευματικῶς. 3. βαπτίζει καὶ Ἰησοῦς, ἀλλ' ἐν πνεύματι, τοῦτο ἡ τελειότης. 4. οἶδα καὶ τέταρτον βάπτισμα τὸ διὰ μαρτυρίου καὶ αἵματος, ὃ καὶ αὐτὸς Χριστὸς ἐβαπτίζετο καὶ πολύγε τῶν ἄλλων αἰδεσιμώτερον, ὅσῳ δευτέροις ῥύποις οὐ μολύνεται. 5. οἶδα καὶ πέμπτον ἔτι τῶν δακρύων, ἀλλ' ἐπιπονώτερον.* 6. sub finem addit baptismum ignis in futuro seculo. Damascenus lib. 4. orthod. fid. c. 10. ex Athanasio tom. 2. oper. qu. 347. octo recenset baptismata: *πρῶτον τοῦ κατακλυσμοῦ εἰς ἐκκοπὴν ἁμαρτίας, diluvii in abscissionem peccati; δεύτερον τὸ διὰ τῆς θαλάσσης καὶ τῆς νεφέλης, per mare et nubem; τρίτον τὸ νομικὸν, legale, τέταρτον τὸ Ἰωάννου εἰσαγωγικὸν ὑπάρχον καὶ εἰς μετάνοιαν ἄγον τοὺς βαπτιζομένους, ἵνα εἰς Χριστὸν πιστεύσωσι introductorium ad poenitentiam, πέμπτον τὸ τοῦ κυρίου βάπτισμα ὃ αὐτὸς ἐβαπτίσατο, quo ipse Deus baptizatus fuit; ἕκτον τὸ διὰ μετανοίας καὶ δακρύων ὄντως ἐπίπονον, per poenitentiam et lacrimas vere laboriosum; ἕβδομον δι' αἵματος καὶ μαρτυρίου, per sanguinem et martyrium; ὄγδοον τὸ τελευταῖον οὐ σωτήριον, ἀλλὰ τῆς μὲν κακίας ἀναιρετικὸν, κολάζον δὲ ἀτελεύτητα, octavum, quod et ultimum non salutare, sed malitiam quidem auferens, puniens tamen sine fine.* Ad baptismum lacrimarum metaphorice sic dictum respicit Sedulius, quando de muliere peccatrice Luc. 7. canit:

Per gemitum propriique lavans in gurgite fletus
Munda suis lacrimis redit et detersa capillis.

IX. 73. Συνώνυμα baptismi ex Scripturis. Appellationes propriae.

7. Appellationes, quae baptismo initiationis sacramento in Scripturis sacris tribuuntur, ad has classes revocari possunt, quod quaedam sint *propriae*, quaedam vero *typicae*. Propriae appellationes petitae sunt: 1. vel a parte essentiali altera, externo scilicet elemento, utpote quod baptismus dicitur *aquae* Joh. 3, v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non intrabit regnum coelorum* (quem locum de baptismo intelligendum esse, postea demonstrabimus). Hebr. 10, v. 22: *Abluti corpus aqua munda.* 1. Joh. 5, v. 6: *Hic est, qui venit per aquam et sanguinem;* v. 8: *tres sunt, qui testimonium perhibent in terra, Spiritus, aqua et sanguis* (quem locum de sacramentis N. T. intelligendum esse ostendimus in tract. de sacram. in genere §. 89.) quo pertinent vaticinia V. T. in quibus *aquae mundae, aquae vivae, fontis salutis* etc. mentio fit. 2. Vel ab utraque essentiali hujus sacramenti parte, utpote quod dicitur *lavacrum aquae in verbo*, Ephes. 5, v. 26. quia baptismus non est simpliciter aqua, sed aqua divino mandato inclusa, verbo Dei comprehensa; *aqua sine verbo Dei est simpliciter aqua et non baptismus, sed si verbum Dei adjicitur, est baptismus, hoc est salutaris aqua vitae* etc. ut loquitur D. Lutherus in Catech. minori. 3. Vel a salutari efficacia ejusdem, utpote quando baptismus dicitur lavacrum *regenerationis et renovationis Spiritus s.* Tit. 3, v. 5. quia per hoc salutare lavacrum Spiritus s. hominem regenerat et renovat. Item *ἐπερώτημα συνειδήσεως ἀγαθῆς εἰς θεὸν, interrogatio sive stipulatio bonae conscientiae in Deum.* 1. Petr. 3, v. 21. hoc est obligatio mutua Dei et hominis baptizati constans interrogatione et responsione, cujus loci emphasin exposuimus in tractat. de sacram. §. 88. item *ἀπέκδυσις τοῦ σώματος τῶν ἁμαρτιῶν τῆς σαρκός, exspoliatio corporis peccatorum carnis* Coloss. 2, v. 11. quia per baptismum vetus noster homo exstinguitur, ut non amplius dominetur. Quo pertinet quod Luc. 7, v. 30. baptismus dicitur *Dei consilium.* Ambrosius lib. 2. de sacram. c. 6: *Quanta est gratia, ubi consilium Dei est?*

Appellationes typicae.

8. Typicae appellationes sunt duae, vocatur enim baptismus 1. *περιτομὴ ἀχειροποίητος circumcisio, quae fit sine manibus* Col. 2, v. 11. *περιτομὴ τοῦ Χριστοῦ, circumcisio Christi* v. eod. quia circumcisio fuit typus baptismi. Quemadmodum enim circumcisio fuit sacramentum initiationis in V. T. ita eandem vicem obit baptismus in N. T. Quemadmodum in circumcisione Deus cum circumcisis *foedus* inibat Gen. 17, v. 10. ita quoque baptismus est *stipulatio bonae conscientiae erga Deum* 1. Petr. 3, v. 21. Quemadmodum per externum circumcisionis sacramentum simul interiorem cordis circumcisionem Deus operabatur Deut. 30, v. 6. ita quoque per baptismum caro peccati submergitur. 2. *Diluvium* Psalm. 29, v. 10. *sedet Dominus ad diluvium immittendum.* Gen. 9, v. 11. promisit Deus, quod nullum amplius universale diluvium orbi terrarum sit metuendum; ergo hic locus de spirituali diluvio intelligendus est juxta interpretationem Petr. 1. epist. 3, v. 20: *In diebus Noae cum fabricaretur arca, in qua paucae, hoc est octo animae salvae factae sunt per aquam;* v. 21: *ᾧ ἀντίτυπον καὶ ἡμᾶς σώζει βάπτισμα cui respondens baptisma etiam nos salvat*, ubi relativum *ᾧ* vel ad *τὸ ὕδωρ* vel (quod commodius) ad totum complexum, hoc est integram salvandi actionem per arcam in diluvio, referendum est. Proinde baptismus dicitur diluvium, quia typus baptismi in diluvio praecessit. Quemadmodum Deus in universali illo cataclysmo mundum quasi renovavit, cum terram submergeret et Noahum cum suis in arca vivum conservaret; ita quoque Christus mediante baptismo veterem nostrum hominem suffocat et novum creat, quem ad vitam aeternam conservet. Sicut aqua diluvii et sanguis hominum suffocatus per aquam concurrerunt, ut peccatum destrueretur; ita in baptismo aqua et sanguis Christi peccatum delent. Ut in diluvio aqua sanguinem, in quo est vita, delevit, sic in baptismo aqua per sanguinem IX. 74.
Christi, in quo est vera vita, servat vitam hominum. Quemadmodum diluvium non modo adultos, sed etiam infantes absumsit; ita per baptismum non solum adultorum, sed etiam infantum peccata abolentur. Occurrit autem quaedam dissimilitudo: Illud enim pristinum erat diluvium irae, hoc vero est diluvium gratiae; in illo omnes peribant, in hoc vero omnes servantur. Lutherus sermon. de bapt. tom. 1. Jenens. Germ. f. 187: *Baptismus est majus diluvium quam illud a Moyse descriptum, quia plures homines baptizantur, quam in diluvio suffocati sunt.* **Cyrillus lib. 6. in Joh. c. 14: *Aquis diluvii totius mundi expiata sunt peccata, et qui in arca reconditi erant, per aquam salvi facti sunt, id baptismi typum gessit, per quem sordes omnes peccatorum deponuntur et vitae vetustas tollitur.*** Ambrosius de iis qui initiat. myst. c. 3. in med.: *Vides aquam? vides lignum, columbam adspicis et dubitas de mysterio? aqua est ergo, qua caro mergitur, ut omne abluatur peccatum. Sepelitur illic omne vitium. Lignum est, in quo suffixus est Dominus Jesus, cum pateretur pro nobis. Columba est, in cujus specie descendit Spiritus sanctus, sicut didicisti in N. T. qui tibi pacem animae, tranquillitatem mentis inspirat. Corvus est figura peccati, quod exit et non revertitur, si in te quoque justi custodia et forma servetur.* Vide eundem lib. 2. de sacram. c. 1. tom. 4. p. 432.

Encomia et periphrases baptismi ex patribus Graecis.

9. Ecclesiastici scriptores varia encomia et periphrases baptismo tribuunt, quibus dignitatem et efficaciam ejus luculenter exornant. Dionysius Areopagita lib. de ecclesiast. hierarch. cap. 2. et alibi passim vocat *ἀναγέννησιν renascentiam, θεογενεσίαν generationem divinam; ἀρχὴν τῆς τῶν σεπτοτάτων ἱερουργίας ἐντολῶν principium sacre peragendi augustissima mandata; πρόοδον praegressum ad observationem divinorum mandatorum; ὁδοποίησιν iter ad divinam hereditatem, παράδοσιν traditionem regni coelestis.* Justin. apol. 2. pro Christian.

p. 74. baptismi mentionem faciens subjungit: *καλεῖται δὲ τοῦτο τὸ λουτρὸν φωτισμός*, *vocatur autem hoc lavacrum illuminatio* (quam appellationem passim veteres repetunt) propter lucem verae agnitionis et fidei, quae per baptismum accenditur; quidam existimant appellationem transsumtam ex Hebr. c. 6, v. 4. in dialog. cum Tryph. pag. 178. vocat *λοῦτρον τῆς μετανοίας καὶ τῆς γνώσεως τοῦ θεοῦ, ὃ ὑπὲρ τῆς ἀνομίας τῶν λαῶν τοῦ θεοῦ γέγονεν.* Et postea: *τὸ βάπτισμα τὸ μόνον καθαρίσαι τοὺς μετανοήσαντας δυνάμενον, τοῦτό ἐστι τὸ ὕδωρ τῆς ζωῆς.* Irenaeus lib. 1. adv. haeres. c. 18: *τὸ βάπτισμα τῆς εἰς θεὸν ἀναγεννήσεως.* Clemens Alexandrinus lib. 1. paedag. c. 6. vocari ait *χάρισμα, φώτισμα, τέλειον, λοῦτρον. Λοῦτρον μὲν, δι' οὗ τὰς ἁμαρτίας ἀποῤῥυπτόμεθα· χάρισμα δὲ, ᾧ τὰ ἐπὶ τοῖς ἁμαρτήμασιν ἐπιτίμια ἀνεῖται· φώτισμα δὲ, δι' οὗ τὸ ἅγιον ἐκεῖνο φῶς τὸ σωτήριον ἐποπτεύεται· τέλειον δὲ τὸ ἀπροσδεὲς φαμέν. Lavacrum quidem, per quod a peccatis abstergimur; gratiam vero, qua remittuntur poenae peccatis debitae; illuminationem per quam sanctam illam et salutarem lucem intuemur; perfectionem,*
II. 75. *quod ei nihil desit, qui Deum novit, sive ob perfectam Dei cognitionem.* Athanasius tom. 1. p. 342. 367 tom. 2. p. 226. et Nazianzenus in orat. funebr. Basilii vocant *τελείωσιν perfectionem, μὴ γὰρ τέλειοι Χριστιανοί εἰσιν οἱ κατηχούμενοι πρὶν ἢ βαπτισθῶσι, βαπτισθέντες δὲ τελειοῦνται, Catechumeni ante susceptum baptismum non sunt perfecti Christiani.* Nazianzenus orat. 40. p. 6. 8: *τὸ φώτισμα λαμπρότης ἐστὶ ψυχῶν, βίου μετάθεσις, ἐπερώτημα τῆς εἰς θεὸν συνειδήσεως, τὸ φώτισμα βοήθεια τῆς ἀσθενείας τῆς ἡμετέρας, τὸ φώτισμα σαρκὸς ἀπόθεσις, πνεύματος ἀκολούθησις, λόγου κοινωνία, πλάσματος ἐπανόρθωσις, κατακλυσμὸς ἁμαρτίας, φωτὸς μετουσία, σκότους κατάλυσις, τὸ φώτισμα ὄχημα πρὸς θεὸν, συνεκδημία Χριστοῦ, ἔρεισμα πίστεως, νοῦ τελείωσις, κλεῖς οὐρανῶν βασιλείας, ζωῆς ἄμειψις, δουλείας ἀναίρεσις, δεσμῶν ἔκλυσις, συνθέσεως μεταποίησις.* Et paulo post: *δῶρον καλοῦμεν, χάρισμα, βάπτισμα, χρίσμα, φώτισμα, ἀφθαρσίας ἔνδυμα, λοῦτρον παλιγγενεσίας, σφραγῖδα* etc. quorum singulorum rationem postea subjungit. Cyrillus, Hieronymus in praef. catech. p. 6. in exhort. ad bapt. tom. 1. p. 446. vocant *captivitatis liberationem, peccatorum remissionem, mortem peccati, animae regenerationem, vestimentum candidum, signaculum sanctum et indelebile, currum ad coelos, delicias paradisi, regni coelestis conciliationem et charisma υἱοθεσίας.* Gregor. Nyssenus de baptismo: *Baptisma peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis et regenerationis causa.*** Epiphanius lib. 1. tom. 1. haeres. 8. Nazianzenus orat. in s. lavacr. pag. 615. etc. vocant *μεγάλην περιτομὴν μυστήριον, σφραγῖδα, χρίσμα, τὴν κλεῖδα τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, ὄχημα πρὸς θεὸν, εἴσοδον τῆς ζωῆς αἰωνίου* etc. Damascenus lib. 4. c. 10: *διὰ βαπτισμοῦ ἀρχὴ ἑτέρου βίου γίνεται ἡμῖν, ἡ παλιγγενεσία καὶ σφραγὶς καὶ φυλακτήριον καὶ φωτισμός,*
et Latinis. *per baptismum fit in nobis initium alterius vitae, regeneratio et signaculum et tutela et illuminatio.* Optatus Milev. lib. 5. adv. Parmen.: *Baptisma est vita virtutum, criminum mors, nativitas immortalis, coelestis regni comparatio, innocentiae portus, peccatorum naufragium.* Augustinus lib. 2. contra Crescon. c. 13: vocat *sacramentum novae vitae ac salutis aeternae.* lib. 1. de peccat. merit. et remiss. c. 27. *ecclesiae januam.* lib. 5. de bapt. contra Donatist. c. 21. *sacramentum remissionis peccatorum.* lib. 2. de catech. rad. c. 1. *portam gratiae et primum introitum sanctorum ad aeternam Dei et ecclesiae consuetudinem.* Prosper. libr. 1. de vocat. gent. 4. *originem verae vitae veraeque justitiae.* Cassiodorus in cant. c. 7. *fontem divinum, quo fideles in novam creaturam regenerantur.* Bernhardus serm. de coena *sacramentum initiationis et intrantium, Christianismi investituram* etc. Lutherus tom. 3. lat. pag. 151. eleganter appellat *puerperam regni coelorum.* tom. 4. p. 46. *aquam Domini.* fol. 115. *potentissimam et efficacissimam rem.* tom. 3. in Gen. f. 91. in c. 28. *aquam non creatoris, sed Dei salvatoris.* tom. 6. Jen. Germanic. fol. 306. *baptismum respiciendum* scribit, *ut merum sanguinem Christi et merum ignem Spiritus sancti.* tom. 7. German. fol. 464. *esse aquam Christi sanguine mixtam.* Neander in theol. christ. cap. de bapt. p. 481: *Baptismus est prima ad regnum coelorum janua brachiaque Christi et oscula, quibus e gremio parentum nos transfert in coelestia, numero electorum Dei et civitati coelesti inscribit ac corporis sui membra facit, quae cum capite unum sunt, omnium coelestium bonorum participes.*

10. Quamvis autem baptismus in N. demum T. institutus sit, tamen in V. T. et dictis et typis de illo praenuntiatum fuit, id quod dignitatem adeoque *majestatem* ejus (ut loquitur Lutherus tom. 4. Jen. Lat. f. 115.) evidentissime comprobat. Dicta potiora haec sunt: 1. Psalm. 23, v. 2: *Super aquam refectionis educavit me.* (Cassiodorus in hunc psalm.: *Aqua refectionis est baptismi lavacrum, quo anima sterilis ariditate peccati ad bonos fructus inferendos divinis muneribus irrigatur.* Eundem psalmum ad sacramenta N. T. accommodat Ambrosius lib. 5. de sacram. c. 3.) Psalm. 29, v. 10: *Sedet Deus ad diluvium.* (Celebrat David in toto hoc psalmo majestatem regni Christi, quomodo per evangelii praedicationem et sacramentorum administrationem res maximas et admirandas in mundo effecturus et ex genere humano ecclesiam sibi collecturus sit, quo etiam pertinet baptismi institutio, cujus typus in diluvio praecessit, ut paulo ante ostendimus. **Basilius in illa verba Psalm. 29: *βαπτίσματος χάρις κατακλυσμὸς, ὥστε τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον ἐπιτήδειον εἶναι λοιπὸν πρὸς κατοικητήριον τοῦ θεοῦ ἐν πνεύματι. Baptismatis gratiam nominat diluvium, quoniam aqua a peccatis mundata et a veteri homine expurgata redditur apta in posterum, ut Dei sit habitaculum in Spiritu.*)** Psalm. 46, v. 5: *Rivuli fluminis laetificant civitatem Dei, sanctas habitationes altissimi.* (Inter hos rivulos laetificantes civitatem Dei, hoc est ecclesiam, locum etiam habet baptis-

Vaticinia de baptismo ex V. T.

IX. 76.

1. Ex psalmis.

mus, qui est fons salutis a peccatorum sordibus nos abluens, sitim spiritualem restinguens et in aestu tentationem recreans.) Psalm. 103, v. 5: *Renovabitur ut aquilae juventus tua.* (Hunc locum Joach. Wesphal de bapt. pag. 188. ex Ambrosio lib. 4. de sacram. c. 2. ad baptismum accommodat, quia per spiritualem regenerationem quasi rejuvenescimus, ac novas vires acquirimus, *ut adscendamus alis velut aquilae*, Esa. 40, v. 31. Jam vero *baptismus est lavacrum regenerationis ac renovationis* Tit. 3, v. 5. *Deposuisti* (inquit Ambrosius loco dicto) *peccatorum senectutem, sumsisti gratiae juventutem. Haec praestiterunt tibi sacramenta coelestia. Bona aquila esse coepisti, quae coelum petis, terrena fastidis. Bonae aquilae circa altare. Ubi enim corpus ibi et aquilae. Forma corporis altare est et corpus Christi est in altari. Aquilae vos estis renovatae ablutione delicti.*) **Esa. 1: *Lavamini et mundi estote.* (Hunc

2. Ex prophetis. locum interpretantur Hieronymus, Cyrillus comment. in eum locum, Cyrillus Hierosol. catech. 1. Theodoretus in Psalm. 50. Basilius in orat. de bapt. de hoc sacramento.)** Esa. 12, v. 3: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus salutaribus.* (Fontes illi sunt verbum evangelii, consolatio Spiritus sancti, adspersio sanguinis Christi, fructus baptismi.) **Esa. 26, v. 1: *Salutem ponet murus et antemurale.* (Hoc *antemurale* et *προπύλαιον* salutis in ecclesia est baptismus, quem veteres etiam vocant *portam gratiae.*)** Esa. 44, v. 3: *Effundam aquas super sitientem et fluenta super aridum, effundam Spiritum meum super semen tuum et benedictionem meam super stirpem tuam;* v. 4: *et germinabunt inter herbas quasi salices juxta praeterfluentes aquas.* (Per aquas et fluenta intelligitur Spiritus sanctus, qui in baptismo opulente super nos effunditur et ad omnis generis opera bona nos frugiferos reddit, Tit. 3, v. 5.) Esa. 49, v. 22: *Afferent filios suos in ulnis et filias suas super humeros portabunt.* (Adducent infantes suos ac petent, ut per baptismum ecclesiae inserantur, sicque fient filii tui et filiae tuae, imo ipsius Dei filii et filiae. Quemadmodum infantes Israëlitici Christo afferebantur, *ut manus illis imponeret et benediceret.* Matth. 19, v. 13. Marc. 10, v. 13. Luc. 18, v. 15. ita per baptismum nos infantes Christo afferimus.) Esa. 52, v. 15: *Adsperget sanguine suo gentes multas.* (Haec adspersio sanguinis Christi fit in baptismo, ideo dicimur *baptizari in remissionem peccatorum* Actor. 2, v. 38. *Baptizari nihil aliud est*, scribit Lutherus in c. 49. Genes., *quam absolvi in sanguine vel virtute sanguinis Filii Dei.*) Esa. 61, v. 10: *Induit me vestimentis salutis et indumento justitiae operuit me.* (Illud fit in baptismo, in quo

IX. 77. Christum induimus, cujus justitia teguntur peccata nostra, Galat. 3, v. 27: *Quotquot baptizati estis, Christum induistis.*) Ezech. 16, v. 9: *Lavi te aqua et ablui sanguinem tuum a te.* (Ephes. 5, v. 26: *Christus mundat ecclesiam lavacro aquae in verbo*, a sanguinibus scilicet peccatorum Psalm. 51, v. 16.) Ezech. 36, v. 25: *Adspergam super vos aquam mundam et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris;* v. 26: *dabo vobis cor novum et spiritum novum ponam in medio vestri.* **Hoc loco Hieronymus, Theodoretus in hoc loco, Cyprianus epist. 70. et 76. de baptismo exponunt.** Baptismus est *lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti*, Tit. 3, v. 5. per quod mundamur ab omni inquinamento peccati, Ephes. 5, v. 26. Ezech. 47, v. 1: *Aquae egrediebantur subter limen domus Domini ad orientem;* v. 8: *aquae istae cum in mare fluxerint, sanabuntur aquae illae;* v. 9: *omnis anima vivens, quae movetur, quocunque venerit torrens ille, sanabitur et vivent omnia, ad quae venerit torrens ille.* (Per aquas illas intelligitur ministerium evangelii, ad quod etiam pertinet baptismus, per quod sanantur, imo vivificantur, qui in peccatis mortui erant, Ephes. 2, v. 1. Vide Hafenrefferum in comment. h. l.) Joël 3, v. 23: *Fons de domo Domini egredietur et irrigabit torrentem Sitim.* (Fons baptismi in ecclesia irrigat animas nostras et perpetuam consolationem contra tentationes praestat, ut simus velut *arbor plantata ad decursus aquarum.* Psalm. 1, v. 3.) Mich. 7, v. 19: *Mundabit iniquitates nostras et projiciet eas in profundum maris.* (**Hunc locum Hieronymus epist. 83. Rupertus in hoc loco, Augustinus in Psalm. 113. de baptismo exponunt.** Peccatum in saluberrimo s. baptismi mari submergitur, ut nunquam in conspectum Dei postea veniat.) Zach. 13, v. 1: *In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Jerusalem in ablutionem peccati et immundiciei.* (Apertus ille ac omnibus patens fons est baptismus peccata actualia et immundiciem originalem abluens, Ephes. 5, v. 26.)

11. Typos baptismi varios ex V. T. collegerunt pii veteres, nos potiores enumerabimus. Genes. 1, v. 2: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* (Quemadmodum in prima creatione Spiritus Domini aquis incubabat, easdemque frugiferas reddebat; ita quoque ad nostram regenerationem, quae est velut *ἀνάκτισις καὶ ἀνάπλασις* quaedam, utitur Spiritus s. aqua baptismi, salutari illo *παλιγγενεσίας* lavacro. Joh. 3, v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu* etc. Tertullianus lib. de bapt.: *Primus liquor, quod viveret, edidit, ne mirum sit in baptismo, si aquae animas renovarunt.* Conferatur Hieronymus epist. 83. ad Occanum. Ambrosius de iis qui myster. initiantur c. 3: *Considera, quam vetus mysterium sit in ipsius mundi praefiguratum origine. In principio ipso, quando fecit Deus coelum et terram, Spiritus, inquit, ferebatur super aquas. Qui ferebatur super aquas, non operabatur super aquas?* etc. lib. 3. de sacram. c. 1: *Tibi reservatum est, ut aqua te generet ad gratiam, sicut illa generavit ad vitam.* Beda in c. 1. Genes.: *Allegorice aquae producunt reptilia animarum vivarum, homines scilicet renovatos in vitam per baptismi sacramentum.* Damascenus lib. 2. orth. fid. c. 9: *πρώτῳ τῷ ὕδατι προσέταξεν ὁ θεὸς ἐξαγαγεῖν ψυχὴν ζῶσαν, ἐπειδὴ ἤμελλε διὰ ὕδατος καὶ τοῦ ἐν ἀρχῇ ἐπιφερομένου τοῖς ὕδασιν ἁγίου πνεύματος ἀνακαινίζειν τὸν ἄνθρωπον, τοῦτο γὰρ ὁ θεῖος ἔφη Βασίλειος.* Genes. 3, v. 21. commemo- Typi baptismi. 1. Ex Moyse.

ratur, quod Deus primos parentes induerit *vestibus pelliceis*, quibus nuditas ipsorum tegeretur. (Id quidam ad baptismum referunt, in quo *Christum induimus* Gal. 3, v. 27. ne appareat spiritualis nostra nuditas coram Deo, Apocal. 3, v. 18.) Genes. 6. et 7. describitur *diluvium*, quod baptismi fuisse typum superius docuimus. (Tertullianus lib. de bapt. diluvium vocat *baptismum mundi.*) Genes. 8, v. 8. refertur, quod Noah tempore diluvii in arca conservatus fuerit, quodque in locum corvi ex arca emissi columba folium olivae portans redierit. (Id
II. 78. Petrus 1. epist. 3, v. 21. ad baptismum accommodat. Quemadmodum illi solum in diluvio servabantur, qui in arca erant, reliqui omnes aquis absorbebantur; ita quoque per baptismum reddimur membra ecclesiae, in qua ad vitam aeternam conservamur; quin et infernalis corvus, diabolum intelligo, a baptizatis recedere cogitur, contra vero Spiritus s. datur, qui affert conscientiis pacem et gaudium, quemadmodum in baptismo Christi in figura columbae descendebat, Matth. 3, v. 16. etc. Sicut arca Noae solius Dei manu in mediis procellis conservata fuit; sic baptizati in ecclesia inter procellosos fluctus solius Dei manu sustentantur et halcyonia habent. Sicut arca Noahum et reliquos a terra elevavit; sic baptismus a terrenis ad superiora nos subvehit etc.) Genes. 17. praecipitur Abrahae *circumcisio*. (Eam baptismi typum fuisse docet apostolus Col. 2, v. 11. membra comparationis proposuimus superius. Epiphanius contra Cerinthianos: *διήρκεσεν ἡ περιτομὴ χρόνῳ ὑπερετήσασα, ἕως ἡ μείζων περιτομὴ παρεγένετο, τοῦτ' ἐστὶ τὸ λοῦτρον τῆς παλιγγενεσίας. Duravit circumcisio tempori serviens, donec major circumcisio succederet, hoc est lavacrum regenerationis.*) Genes. 24, v. 43. Rebecca *circa fontem Isaaco sponso suo adducitur*. (Ita per lavacrum baptismi Christo coelesti sponso adducimur eique per fidem conjungimur.) Exod. 13, v. ult.: *Dominus praecedebat Israëlitas ad ostendendum viam in deserto per diem in columna nubis, per noctem in columna ignis.* (Nubes praefigurat sacramentum baptismi, ignis coenam Dominicam, 1. Cor. 10, v. 2. per sacramenta et lucem et umbraculum Deus nobis praestat. Psalm. 84, v. 12: *Sol et clypeus est Dominus.*) Exod. 14. describitur *transitus Israëlitarum per mare rubrum* exstincto interim Pharaone totoque illius exercitu. (Hunc typum apostolus 1. Cor. 10, v. 2. accommodat ad baptismum; membra comparationis exposita sunt superius. Cyprianus lib. 4. epist. 7. ad Magnum: *In baptismo omnes nequitiae vires diabolus amittit; quod exemplum cernimus in rege Pharaone, qui diu reluctatus et in sua perfidia demoratus tam diu resistere potuit et praevalere, donec ad aquam veniret, quo cum venisset, victus est et exstinctus. Mare autem illud sacramentum baptismi fuisse declarat apostolus Paulus dicens: Nolo enim vos ignorare fratres* etc. ** Origenes homil. 5. in Exod.: *Tu baptizaris in aqua et in Spiritu sancto. Scias, insectari te Aegyptios*, id est *spirituales nequitias, sed tu descendis in aquam et evadis incolumis, Aegyptii vero sequentes demerguntur in abyssum.* Tertullianus lib. de bapt.: *Populus de Aegypto libere expeditus vim regis Aegypti per aquam transgressus evadit, ipsum regem cum totis copiis aqua exstinxit, quae figura manifestior in baptismi sacramento? liberantur de seculo nationes per aquam scilicet et diabolum dominatorem pristinum in aqua oppressum derelinquunt.* Conferatur Hieronymus epist. 83.** Ambrosius de iis qui initiantur mysteriis cap. 3. tom. 4. p. 422: *Advertis, quod in illo Hebraeorum transitu tunc sacri baptismatis figura praecesserit, in quo Aegyptius perit et Hebraeus evasit. Quid enim aliud in hoc quotidie sacramento docemur, nisi quia culpa mergitur et error aboletur, pietas autem et innocentia tota permansit? Audis, quia sub nube fuerunt patres nostri. Et bona nubes, quae carnalium refrigeravit incendia passionum. Bona nubes obumbrat, quos revisit Spiritus sanctus; denique supervenit in Mariam virginem et virtus altissimi obumbravit ei, quoniam redemtionem genti genuit humanae.* Chrysostomus in dictum Pauli 1. Corinth. 10. Nolo vos ignorare etc.: *Transitus ille Judaeorum futuri baptismi typus erat. Nam ibi aqua et hic aqua. Lavacrum hic et ibi pelagus. Omnes hic in aquam ingrediuntur et ibi omnes. Ibi quidem liberati sunt ex Aegypto, hic autem ab idololatria. Et ibi quidem Pharao submersus est, hic autem diabolus; ibi Aegyptii submersi sunt; hic autem vetus homo peccatis defoditur* etc. Augustinus tract. 11. in Joh.: *Christus per baptismum suum trajecit credentes occisis omnibus peccatis tanquam hostibus consequentibus, sicut in illo mari omnes Aegyptii perierunt.* Damascenus lib. 4. orthod. fid. c. 10: *σύμβολον ἡ μὲν νεφέλη τοῦ πνεύματος, ἡ θάλασσα δὲ τοῦ ὕδατος.*) Exod 15, v. 25. aquae in Mara redduntur IX. 79.
dulces *ligno quodam divinitus ostenso* per Moysen iisdem injecto, quibus Israëlitarum sitis in deserto tollitur. (Christus *lignum illud vitae* Apoc. 22, v. 2. cum omni suo merito sese in baptismi aquam velut immittit, inde fit salutaris aqua spirituali animarum siti tollendae commoda. Ambrosius de iis, qui initiantur myster. c. 3. post médium: *Aqua sine praedicatione Dominicae crucis ad nullos usus futurae salutis est. Cum vero salutaris fuerit crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritualis lavacri et salutaris poculi temperatur. Sicut ergo in illum fontem Moyses misit lignum, hoc est propheta; ita et in hunc fontem sacerdos praedicationem Dominicae crucis mittit et aqua fit dulcis ad gratiam.*) Exod. 17, v. 6. aqua *ex petra* Moysis baculo percussa ubertim emanat, qua Israëlitae in vita conservantur. (Petra illa denotabat *Christum* 1. Cor. 10, v. 4. ex cujus latere profluxit *sanguis et aqua.* Joh. 19, v. 34. gemina illa N. T. sacramenta, quibus ad vitam aeternam Deo colligitur ecclesia.) Exod. 30, v. 18. c. 38, v. 8. c. 40, v. 7. jubetur fieri *labrum aeneum cum basi sua, idemque aqua impleri ac collocari inter tabernaculum congregationis et altare, ut Aaron et filii ejus manus et*

pedes in eo lavent, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii ac Domino sacrificia oblaturi, ne moriantur. (Quemadmodum sacerdotes non poterant tabernaculum ingredi, nisi prius aqua lavarentur; ita quoque in tabernaculum ecclesiae non nisi per baptismum patet aditus; nec placent Deo spiritualia piorum sacrificia, nisi prius per lavacrum baptismi fuerint a peccatis mundati.) Levit. 14, v. 6. ad purificationem leprosi jubetur *avis munda ligno cedrino, filo coccineo et hyssopo alligari atque in sanguinem alterius avis mundae in vase fictili super aquas viventes mactatae tingi, quo septies leprosus ad mundationem adspergatur.* (Sicut sanguis avis mactatae mixta aquae ad leprosi mundationem salutarem et efficacem eam reddebat; sic sanguis Christi aquam baptismi ad spiritualem peccati lepram abolendam salutarem efficit.) Levit. 15. variae describuntur *lotiones*, quibus Israëlitae a Leviticis immunditiis expiabantur. (Illas epist. ad Hebr. c. 9, v. 10 vocat *varios baptismos*, quia fuerunt typi baptismi, per quem ab omni peccati labe mundamur.) Numer. 19, v. 8. jubetur ex cineribus vaccae rufae parari *aqua lustralis*, qua expiandi erant, qui quacunque occasione immundi fuerant facti. (Hebr. 9, v. 13: *Si sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulae adspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum aeternum obtulit se ipsum Deo, mundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis;* hic sanguis Christi in ara crucis mortui et caritatis ardore exusti in baptismo nobis adspergitur ad spiritualem peccati immundiciem abolendam. **Absque Dei verbo aqua illa lustralis Mosaica non habuisset ullam efficaciam ad mundationem; sic aqua baptismi absque verbo institutionis et mandati non posset spiritualiter nos mundare. Confer. August. super Numeros qu. 33.**)

2. Ex Josua. Jos. 3. commemoratur, quod Josua populum Israëliticum per Jordanem in terram promissam introduxerit. (Ambrosius in Psalm. 37. ad baptismum hoc accommodat, per quem *coelestis Josua Christus ad promissam regni coelestis hereditatem nos introducit.* Conf. Ambrosius in c. 4. Luc. Cyrillus lib. 6. in Joh. c. 14: *Quid populus Israëliticus Josuae ductu Jordane trajecto, ubi etiam aquae hinc atque hinc immotae constiterant et medium praebuerant iter in terram promissionis perducti significat, nisi Christo auctore quicunque baptismi lavacrum rite susceperint, in terram viventium tandem perventuros?*)

3. Ex libris Regum. 1. Reg. 7, v. 23. curat Salomon, parari *mare fusile*, hoc est vas ingens, capacissimum, ex aere fusum, quod magnam aquae copiam continere poterat, in eundem usum, in quem Moyses olim labrum aeneum fieri jusserat, videlicet ut sacerdotes ingressuri templum manus ac pedes in eo prius lavarent. (Hoc igitur mare itidem fuit baptismi typus, ut la-
IX. 80. brum aeneum Mosaicum. **Quomodo in mari aeneo Salomonis contineatur baptismi typus, multis docet Eucherius in lib. 3. Reg. c. 21. 22. et 23. et ex eo atque aliis veteribus Blasius de Viega in c. 4. Apocal. p. 218.**) 1. Reg. 18, v. 34. Elias aquam super aram et holocausta effundit. (Hoc Damascenus lib. 4. c. 10. ad baptismum accommodat, cujus salutari aqua adsperguntur, qui se Deo in hostiam vivam sunt exhibituri Rom. 12, v. 1. *ἔδειξεν Ἠλίας τὴν χάριν τοῦ πνεύματος συμμεμιγμένην τῷ ὕδατι· φλέξας τὴν ὁλοκαύτωσιν.* Idem facit Basilius in exhort. ad baptism.) 2. Reg. 5, v. 14. Naaman jussu Elisaei prophetae *septies in Jordane sese abluens* a lepra mundatur. (Christus in Jordane baptismum suscepit, quo ipso aquas baptismi sanctificavit et consecravit Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Johann. 1. Ambrosius de iis qui initiantur myster. c. 3. circa finem: *Recognosce nunc, quae sit illa puella ex captivis, junior scilicet ex gentibus congregatio, hoc est ecclesia Domini, depressa cum captivitate peccati, quando libertatem adhuc gratiae non habebat, cujus consilio vanus ille populus nationum verbum audivit propheticum, de quo ante diu dubitavit; postea tamen ubi credidit exsequendum, ablutus est ab omni contagio vitiorum.* Vide eundem in c. 4. Luc. et lib. 2. de sacram. c. 3. ubi typum Naamanis in Jordane mundati itidem ad baptismum applicat c. 4. huc refert typum ferri ad preces Elisaei ex aqua emersi. *Invocavit* (inquit) *Helisaeus Domini nomen et de aqua ferrum securis adscendit, quod demersum fuerat. Ecce aliud genus baptismatis, quare? quia omnis homo ante baptismum quasi ferrum premitur atque demergitur. Ubi baptizatus fuerit, non tanquam ferrum, sed tanquam jam levior fructuosi ligni species levatur.*

12. Atque hae sunt sacramenti baptistici figurae ac typi in V. T. propositi, inter quos primarii sunt *arca Noahi in diluvio, circumcisio, transitus Israëlitarum per mare rubrum, lotiones variae Leviticae.* Hos enim ipsa Scriptura ad baptismum diserte accommodat; reliqui vero sunt secundarii. Membra collationis inter hos typos et antitypum consistunt: 1. in emundatione a peccatis; 2. in mortificatione veteris hominis cum concupiscentiis suis; 3. in translatione baptizatorum ex regno Satanae in regnum Christi; 4. in piorum custodia et protectione; 5. in introductione eorundem ad promissam regni coelestis hereditatem. Ex N. T. ad hosce typos referri pot- Ex N. T
est, quod Joh. 5, v. 2. mentio fit cujusdam *κολυμβήτρας* sive *natatorii* Hierosolymitani, in quod certo tempore angelus Domini descendebat et aquam movebat, qui ergo primus post aquae motionem illud lavacrum ingrediebatur, sanus fiebat, a quacunque detinebatur infirmitate, unde dicebatur *Βηθεσδά*, Syr. בֵּית־חֶסְדָּא, domus benignitatis, quod in ea Deus benigne potentiam suam exerceret in curandis quibusvis morbis populi sui. (Baptismus est salutare illud lavacrum, in quod angelus foederis ipse descendit Mal. 3, v. 1. Matth. 3, v. 16. ut ad sanandos animae nostrae languores redderetur efficax. Vide Chrysostomi homil. 25. in c. 5. Joh. et Nazianzeni orat. in s. lavacrum. **Tertullianus de bapt. Ambrosius lib. 1. de Spiritu s. c. 7. Chrysostomus in Joh. baptismus vocatur *mare*, quia in

eo omnia suffocantur peccata, unde etiam comparatur mari rubro, in quo Aegyptiis submersis Hebraei incolumes in alterum maris littus evaserunt. 1. Cor. 10, v. 2. Mare hoc est in conspectu divini throni, quia omnis, qui ad thronum Dei cupit accedere, debet per baptismi mare transire. Dicitur *mare vitreum:* 1. quia secundum Richardum de Victore *in baptismo puritas et claritas divinae cognitionis confertur*, unde Graeci patres baptismum vocant φωτισμόν. 2. quia secundum Hugonem, *sicut vitrum totum radiis solis est pervium, sic anima in baptismo abluta Deo tanquam soli pervia est, ut ab eo omni ex parte gratiae donis illustretur. Mare est simile crystallo, quia sicut in crystalli generatione glacies hyemali pressa frigore post plurimorum annorum curriculum in fortitudinem petrae obduratur, sic electorum fides inter pressuras ac tribulationes per incrementa temporum ad firmitatem perducitur.* Joh. 9. *aqua Siloe* ab Ambrosio epist. 75. Augustino tract. 44. in Joh. ad baptismum applicatur.** Ambrosius de iis qui myster. initiant. c. 4. tom. 4. p. 423: *Illis signum, tibi fides. Illis angelus descendebat, tibi Spiritus s. Illis*
II. 81. *creatura movebatur, tibi Christus operatur ipse dominus creaturae. Tunc curatur unus, nunc omnes sanantur, aut certe unus solus populus Christianus* etc. *Ergo et illa piscina in figura, ut credas, quia in hunc fontem vis divina descendit.* Vide eundem lib. 2. de sacram. c. 2. **Cyrillus lib. 6. c. 16. in Joh.: *Postremum hanc baptismi gratiam praesignavit probatica piscina, in quam post aquae ab angelo motionem descendens, quacunque tenebatur aegritudine languidus, illico sanabatur. Volens enim Deus homines propinquius adducere ad baptismi donum per hanc piscinam, quam per aquam lustrationum, non adhuc inquinamenta solum mundat, sed et corporis languores tollit et aegritudines sanat, quo designetur, baptismum omnem animi morbum depellere et peccata detergere. Sicut enim ministri, qui prope regem sunt, longe clariores sunt, ita et in figuris fit, ut quae propinquior est veritati, eam clarius et manifestius exprimat atque referat.***) Joh. 19, v. 34. ex latere Christi in cruce mortui profluunt *sanguis et aqua*, ubi per aquam pii veteres intelligunt baptismum, per sanguinem coenam Dominicam, cum omnis vis sacramentorum ex Christi passione descendat. Hieronymus ad Ocean.: *Latus Christi percutitur lancea et baptismi pariter atque martyrii sacramenta funduntur.* Damascenus lib. 4. orthod. fid. cap. 10: *Christus ad servos ut miserator descendens per propriam passionem nos redemit*, ἐπήγασεν ἡμῖν ἐκ τῆς ἁγίας καὶ ἀχράντου αὐτοῦ πλευρᾶς πηγὴν ἀφέσεως, ὕδωρ μὲν εἰς ἀναγέννησιν καὶ ἔκπλυσιν τῆς ἁμαρτίας καὶ τῆς φθορᾶς, αἷμα δὲ ποτὸν ζωῆς ἀϊδίου πρόξενον, *scaturivit nobis ex sancto et incontaminato latere fontem remissionis, aquam in regenerationem et ablutionem peccati et corruptionis, sanguinem vero potum vitae aeternae causam.* Apoc. 4, v. 6. coram throno agni apparet *mare vitreum simile crystallo.* (Hoc mare purissimum instar crystalli significat baptismum, in quo demerguntur peccata nostra Mich. 7, v. 19.) Apoc. 22, v. 1: *Ostendit mihi fluvium purum aquae vivae, splendidum tanquam crystallum procedentem de sede Dei et agni in medio plateae ejus*, puta coelestis Hierosolymae; ideo de sede Dei et agni fluvius baptismi procedere dicitur, quia omnis ejus vis et efficacia a Deo provenire intelligitur. Neque tamen improbamus, si quis per hunc fluvium accipiat Spiritum sanctum, qui donis suis largissime irrigat et militantem et triumphantem ecclesiam. Joh. 7, v. 38: *Qui credit in me, de ventre illius fluent aquae vivae;* v. 39: *hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Nazianzenus orat. in s. lavacrum huc refert *suffocationem porcorum in mari.* Augustinus tract. 44. in Joh. *lotionem et curationem coeci nati.*

13. Praecipua vaticinia et typos baptismi complectitur Cyrillus lib. 6. in Joh. c. 14. tom. 1. p. 326: *Ne recens*, inquit, *credatur et arbitraria lavacri baptismatis constitutio, quod et multis testamenti veteris figuris et prophetarum testimoniis est praefiguratum. Aquis quippe diluvii totius mundi expiata sunt peccata et qui in arca reconditi erant, per aquam salvi facti sunt, id baptismi typum gessit, per quem sordes omnes peccatorum deponuntur et vitae vetustas tollitur. Insuper populus Israël duce Moyse mare rubrum sicco pede pertransiit submersis ibidem Aegyptiis, quod per baptismi susceptionem totam diabolicae pravitatis cohortem a nobis dimoveri et expelli insinuat nosque in Christo regeneratos a durissima ejus tyrannide Dei gratia liberari. Quid praeterea populus Israëliticus Josuae ductu Jordane trajecto, ubi etiam aquae hinc atque hinc immotae constiterant et medium praebuerant iter in terram promissionis perducti significant, nisi Christo auctore quicunque baptismi lavacrum rite susceperint, in terram viventium tandem perventuros? Quid Naaman Syrus septies in Jordane ablutus esse a lepra mundatus nobis in-* IX. 82. *nuit, nisi baptismo Christi lotos ab omni prorsus animae lepra peccatorumque purgari? Quid denique aqua expiationis et lustrationis secundum veteris legis ritum tollens immundiciem? Hanc plane aquam Dominus pollicitus est apud Ezech. 36: effundam super vos aquam mundam* etc. *Hanc baptismi aquam vidit propheta Ezech. 47: Vidi aquam egredientem de templo* etc. *hanc effudit latus Christi Johann. 19. hanc praesignavit probatica piscina.* Vide his similia apud Justinum in dialog. cum Tryph. Basilium in Psalm. 28. et in exhort. ad baptism. Damascenum lib. 4. orthodox. fid. c. 10. etc. Giselbertus in libro altercat. synag. c. 8. itidem multas figuras recenset: *Quoties figura baptismi in antiquis seculis latuerit, Hieronymus perpaucis ostendit, crystallum super cherubin videtur extensum, id est compactae et densiores aquae. Fabricatur homo de limo et inter manus Dei aquarum sacramenta versantur. Fons in paradiso in*

Συναθροισμός vaticiniorum ac typorum.

quatuor principia dividitur, qui postea egrediens de templo et contra solis ortum vadens amaras aquas mortuasque vivificat. Peccat mundus et sine aquarum diluvio non purgatur. Columba Spiritus sancti expulso alite teterrimo; ita ad Noë quasi ad Christum in Jordane devolat et ramo refectionis ac luminis pacem orbi annuntiat. Pharao cum exercitu suo in typo baptismi aquis suffocatur. Tu confirmasti, inquit, *in virtute tua mare, contribulasti capita draconum in aquis, unde reguli et scorpiones arentia quaeque sectantur et cum venerint ad aquas hydrophagos et lymphaticos faciunt. Mara mutatur sacramentis crucis et septuaginta palmae apostolorum dulcoratis legis gurgitibus irrigantur. Patriarchis puteos fodientibus repugnant allophyli. Bersabeae civitas juramenti regnumque Salomonis nomen sumsit a fontibus, Rebecca, Rachel et filiae sacerdotis Midian apud aquas inveniuntur. Praecursor in aquis fontium juxta Salim, salvator post Jordanem coepit praedicare. Primum ejus signum ex aquis est. Samaritana vocatur ad puteum. Sitientes invitantur ad aquas. Percusso latere Domini exit sanguis et aqua. Mutat contra naturam Aethiops pellem suam et pardus varietates suas. Vox Domini super aquas. Dominus diluvium inhabitare facit, qui adscendunt de lavacro. Michaeas.* c. 7. v. 19: *demerget, inquit, Dominus iniquitates nostras et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra* etc.

Causa efficiens principalis baptismi.

14. Causa efficiens baptismi est vel principalis vel instrumentalis ac ministerialis. *Causa principalis*, sive auctor ut reliquorum sacramentorum, ita quoque baptismi, est Deus, sive quod idem est, tota sacrosancta Trinitas, id quod patet 1. ex vaticiniis et typis V. T. Cum enim Spiritus s. per os prophetarum de baptismi institutione et efficacia fuerit vaticinatus, 2. Sam. 23, v. 2. Luc. 1, v. 70. ex eo apparet, baptismi in N. T. institutionem soli et uni vero Deo assignandam esse. Amos 3, v. 7: *Non faciet Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum servis suis prophetis.* 2. Ex eo, quod Johannes, qui primus N. T. hoc sacramentum administravit, *a Deo missus dicitur ad baptizandum.* Matth. 21, v. 25. Marc. 11, v. 31. Luc. 20, v. 4. Christus interrogat Pharisaeos, *an baptisma Johannis fuerit ex coelo, an ex hominibus?* (Docens, Johannem haudquaquam privato arbitrio ac propria auctoritate baptismum administrasse, aut ab hominibus ad baptizandum esse missum, sed a Deo ipsi hoc munus esse demandatum, eam enim vim esse illius phraseos *ex coelo*, apparet ex similibus locutionibus Luc. 15, v. 21. *peccavi in coelum*, id est adversus Deum, qui in coelis habitat; verissimum enim est illud Davidicum Psalm. 51, v. 6: *Tibi, tibi soli peccavi.* Sic 1. Maccab. 3, v. 18: *οὐκ ἔστι διαφορὰ ἐναντίον τοῦ οὐρανοῦ σώζειν ἐν πολλοῖς ἢ ἐν ὀλίγοις.* 1. Maccab. 4, v. 10: *βοήσωμεν εἰς τὸν*
IX. 83. *οὐρανὸν, εἰ ἐλεήσει ἡμᾶς.* Eodem modo usurpant Rabbini, cum dicunt, *omnia esse in manu coeli.* Item *sit timor coeli super vos. Nomen coeli frequens in ore ipsius. Timor hominum, si praevaluerit, excludit timorem coeli.* Unde recte notat Tremellius esse idiotismum Syrorum, coelum poni pro Deo. Vide Drusium lib. 5. observat. c. 11.) Luc. 3, v. 2: *Factum est verbum Domini super Johannem Zachariae filium in deserto;* v. 3: *et venit in omnem regionem Jordanis praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum.* (Utique ergo divino mandato et praedicandi et baptizandi Johannes fuit instructus.) Luc. 7, v. 29: *Omnis populus audiens et publicani justificaverunt Deum baptizati baptismate Johannis;* v. 30: *Pharisaei autem et legisperiti spreverunt consilium Dei erga se ipsos non baptizati ab eo.* (Si baptismus Johannis fuit consilium Dei, utique ergo Johannes divinum de eo habuit mandatum. Actor. 20, v. 27: *Non subterfugi, quominus annuntiarem vobis omne Dei consilium*, id est quicquid praecepit Deus docere et praedicare, ita enim exponitur Matth. 28, v. 20: *Docentes eos servare omnia, quaecunque praecepi vobis.*) Joh. 1, v. 33: *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est, qui baptizat Spiritu s.* Huc pertinet, quod baptismum Johannis ipse Christus non tantum comprobaverit, sed etiam sanctificaverit, petens, se ab eo baptizari Matth. 3, v. 13. quin imo tota sanctissima Trinitas miranda *θεοφανείᾳ* eundem comprobavit, cum apertis coelis sese manifestaret,

Voce Pater, Natus corpore, Flamen ave, v. 15.

3. Ex solenni institutionis repetitione, renovatione ac promulgatione facta a Christo, divinorum consiliorum interprete, Joh. 1, v. 18. Hebr. 1, v. 1. qua apostoli jussi sunt non in Judaea solum (ut Johannes fecerat), sed in toto terrarum orbe praedicare et baptizare gentes, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. **Idem probatur 4. ex baptismo apostolorum, qui Christo adscribitur Joh. 3, v. 22. qui tum *ipse neminem suis manibus baptizavit*, Joh. 4, v. 1. 2. 3. 5. A fine et effectu baptismi, qui est *remissio peccatorum* Marc. 1, v. 4. Luc. 3, v. 3. haec autem a solo Deo dependet Mich. 7, v. 18. Psalm. 36, v. 8. Psalm. 103, v. 3. Exod. 3, v. 7. Job. 24, v. 4. Esa. 43, v. 25. Marc. 2, v. 7. Photiniani docent, *baptismum aquae ab apostolis potius trahere originem, quibus permittente Christo tale quid constituere liberum permissum, nequaquam vero praeceptis injunctum fuerit.* Ostorodus instit. c. 39. §. 1. p. 347. §. 2. p. 348. Schmaltzius contra D. Franz. disp. 10. p. 308. 309. Contra Christus est verus baptismi auctor, non permissione, sed mandato: 1. quia nuspiam legitur, apostolos permittente Domino eum instituisse. 2. Quia expressum institutionis mandatum habetur Matth. 28, v. 19 3. Baptismus est ordinarium remissionis peccatorum et salutis aeternae organum. At tale organum non ab homine, sed a Deo instituitur. 4. Apostoli cunctos ad fidem Christianam accedentes baptismum ante omnia Actor. 2, v. 37. 38. continuo Actor. 16, v. 33. suscipere suaserunt, imo jusserunt, Actor. 10,

v. 48. quod praecepti et institutionis divinae autem certum est argumentum. 5. Johannis baptisma non potuisset absque temeritatis crimine administrari nisi divino jussu praecedente, ut patet ex conditione eorum, quae ad cultum divinum spectant, unde toties vocatio Johannis asseritur, Luc. 3, v. 2. Joh. 1, v. 33. Idem de apostolorum baptismo statuendum. Regerunt 1. *Matth. 28. describi permissionem, non praeceptum.* Schmaltzius contra D. Frantz. p. 310. At 1. permissio unde probatur; 2. verba imperativa inferunt mandatum, nisi textus vel alius Scripturae locus doceat contrarium; 3. eadem est vis τοῦ *docentes* cujus τοῦ *baptizantes*. *2. Esse sermonem non de baptismo aquae, sed doctrinae.* Ostorodus instit. p. 350. Schmaltzius contra Frantz. p. 309. 315. Respondemus: 1. nullus est doctrinae baptismus; 2. quamvis esset, non tamen a proprio, genuino et vulgatissimo sensu discedendum, sed in regula manendum, donec exceptio probetur. 3. Salvátor primo in genere dicit μαθητεύσατε, quod mandatum quomodo gemino modo apostoli exsequi possint, per distributionem monstrat *baptizantes* et *docentes*, praeceptum generale ad utrumque specialem modum aequaliter referens. **

IX. 84. De tempore instituti baptismi opiniones Scholasticorum.

15. Scholastici de institutione baptismi, quo scilicet tempore facta sit, non consentiunt. Alexander Alensis 4. sent. dist. 3. ita procedit: *Potentialiter seu materialiter institutus est baptismus, cum Christus a Johanne baptizatus, quia tunc materiam dedicavit. Johann. 3. Est institutus quoad finem, quia ibi ostenditur finis baptismi, scilicet ingressus in regnum coelorum. Matth. ult. est institutus formaliter, quia ibi formam Christus expressit, quantum ad principalem partem; in cruce institutus, quantum ad significationem, dum exivit scilicet ex Christi latere sanguis et aqua Luc. 10. institutus officialiter dum discipulos misit binos et binos ad praedicandum et baptizandum.* Thomas part. 3. qu. 66. art. 2. ex Lombardo lib. 4. sent. dist. 3. lit. G. simpliciter statuit, *baptismum Christi institutum esse, cum a Johanne in Jordane fuit baptizatus. Sacramenta* (inquit) *ex sui institutione habent, quod conferunt gratiam; tunc ergo videtur aliquod sacramentum institui, quando accipit virtutem producendi suum effectum; hanc virtutem accepit baptismus, quando Christus est baptizatus; tunc ergo baptismus vere institutus.* Thomae sententiam amplectitur Bellarminus lib. 1. de bapt. c. 5. Richardus vero 4. sententiarum dist. 3. qu. 5. art. 1. institutionem baptismi non ad passivum (ut ita loquar) baptismum Christi, quo scilicet ipse baptizatus est, sed ad activum ejusdem baptismum, quo scilicet per discipulos baptizavit, referendum esse disputat. *Christus* (ait) *sacramentum baptismi prius insinuavit facto, dum a Johanne baptizatus; insinuavit etiam verbo Joh. 3: Nisi quis renatus fuerit. Instituit facto, dum per discipulos baptizavit Joh. 4. Instituit etiam verbo, quando discipulos misit binos et binos. Confirmavit in signo, dum in cruce exivit sanguis et aqua; confirmavit etiam praecepto Matth. ultim.*

Baptismus Johannis an a Deo sit institutus.

16. Quid vero fiet de baptismo Johannis, quem scilicet administravit, antequam Christus in Jordane ab ipso baptizaretur et per discipulos suos baptizaret? Respondent, eum non a Deo, sed ab ipso Johanne fuisse institutum, qua in parte ipsos sequitur Bellarminus 1. de baptismo c. 20. uti et Ostorodus Photinianus in instit. Germ. c. 30: *Non potest* (inquit) *ex scriptis apostolorum et evangelistarum demonstrari, Johannem divino mandato baptizasse.* Sed ostendimus invictis argumentis baptismum Johannis fuisse sacramentum ab ipso Deo institutum, cum dicatur *a Deo missus ad baptizandum* Joh. 1, v. 33. cum baptismus illius dicatur fuisse *non ex hominibus, sed e coelo* Matth. 21, v. 25. adeoque ipsius *Dei consilium* Luc. 7, v. 30. Denique cum *verbum Domini* dicatur *factum super Johannem* Luc. 3, v. 2. quo permotus *venerit in omnem regionem Jordanis praedicans baptismum* etc. v. 3. Jam vero Christus est nunc ille verus cum Patre et Spiritu sancto Deus. Ergo ab institutione baptismi a Johanne administrati Christus non potest excludi. Adde, quod Johannes baptizarit in remissionem peccatorum, ut postea demonstrabimus. Jam vero peccata remittere et media efficacia remissionis peccatorum ac salutis instituere est solius Dei. Ergo institutio baptismi, quem Johannes administravit, Deo tribuenda erit. Excipit Bellarminus loco dicto, *Deum in genere solum Johanni hoc inspirasse, sed ritum in particulari a Johanne inventum esse, non autem a Deo praescriptum accepisse.* Respondemus: imo vero baptista diserte profitetur, se missum *esse a Deo* βαπτίζειν ἐν ὕδατι, *ad baptizandum in aqua* Joh. 1, v. 33. ubi ipsa actionis determinatio divinae missioni tribuitur. Ipse etiam baptismus Johannis vocatur *Dei consilium* Luc. 7, v. 30. id est sapientissimo Dei consilio institutus. Sic Pharisaei de ipso ritu baptizandi in specie quaerunt: *Quare tu baptizas, si non es Christus, nec Elias, nec propheta?* IX. 85.
Joh. 1, v. 25. Quibus Johannes respondet, se divinitus ad praedicandum et baptizandum esse missum. Quamvis igitur in Scripturis sacris non referatur, Johannem tale quoddam externum mandatum baptizandi accepisse, quale apostolis postea a Christo fuit datum; dubium tamen nullum, quin interno Spiritus instinctu ad baptizandum fuerit edoctus atque missus, qui impulsus et instinctus Spiritus sancti in prophetis et apostolis aequipollet omnino externo mandato viva voce ad aures ipsorum delato, alias consequens fuerit, gradus ac species divinae revelationis introducere gradus quosdam certitudinis inter ea, quae per Moysen et prophetas populo Israëlitico sunt proposita. Numer. 12, v. 6: *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum; v. 7: at non talis est servus meus Moyses, ore enim ad os loquor ei et non per aenigmata et figuras Dominum videt.* Quin imo Dominus Chemnicius in harmon. evangel. c. 16. p. 301. ex verbis evangelistarum erudite col-

Fundamenta sententiae affirmativae.

Exceptio Bellarmini.

ligit, non tantum secreta inspiratione ac instinctu Spiritus interiore Johannem fuisse a Deo vocatum, sed quod vox quaedam divina cum Johanne in vocatione loquens certa mandata ei dederit. Luc. 3, v. 2: *Factum est verbum Domini ἐπὶ, ad vel super, Johannem.* Joh. 1, v. 33: *Qui misit me ad baptizandum, dixit mihi.* Repetimus igitur nostrum argumentum: Johannes expresse testatur, se *missum esse ad baptizandum* Joh. 1, v. 33. baptizare non est aquam tantum infundere vel aquae immergere, sed oportet ut accedat verbum, alias ipsius actio non fuisset baptismus, sed externa tantum ablutio.

Argumenta pro parte negativa. 1. Dicitur baptismus Johannis, non Christi.

17. Ex his facili negotio ad reliqua argumenta respondetur. *1. Dicitur baptismus Johannis, non autem Christi. Ergo non a Christo, sed Johanne fuit institutus. Matth. 3, v. 7. videns Johannes multos Pharisaeorum venientium ad suum baptismum* etc. Respondemus: dicitur baptismus Johannis, non quasi propria auctoritate et privato arbitrio Johannes eum administraverit, vel quasi Johannes *fuerit auctor totius, quod agebatur per suum baptisma*, ut loquitur Biel 4. sent. dist. 2. qu. 2. sed ut distinguatur a baptismo Christi, hoc est eo, quem Christus per apostolos administravit. Ideo vero a baptismo Christi, id est a baptismo per apostolos atque alios verbi ministros in primitiva ecclesia administrato, baptismus Johannis distinguitur, non quod ille solum divinam institutionem habuerit, hic vero non item, sed quod per illum visibilia Spiritus s. dona et donorum invisibilium uberior copia baptizatis fuerit collata, quo beneficio quamvis Johannis baptisma destitutum fuerit, ex eo tamen nimis large infertur, quod etiam divina institutione et omni plane spiritualium donorum collatione caruerit, qua de re plura inferius.

2. Christus nondum coeperat praedicare.

2. Christus nondum coeperat praedicare. Ergo baptismus Johannis non pertinet ad N. T. Respondemus: *omnes prophetae et lex usque ad Johannem prophetarunt* Matth. 11, v. 13. Ergo in Johanne V. T. desinit, quippe qui non praenuntiavit Christum longe post venturum, sed digito monstravit praesentem, Joh. 1, v. 29. Idem etiam praedicans in deserto ac locustis vescens ceremoniales V. T. leges adventu Messiae antiquatas esse docuit, unde Tertullianus advers. Marc. lib. 4. p. 272. vocat eum *limitem, in quo cessaverit Judaismus et coeperit Christianismus.* Nazianzenus orat. 39. in s. lumina p. 633. vocat eum *παλαιᾶς καὶ νέας μεσίτην.* Ipse Bellarminus lib. 1. de baptismo c. 19. ex Thoma scribit, *baptisma Johannis non pertinuisse ad legem veterem, sed potius ad novam, ut quandam praeparationem ad Christi baptismum.* De tota hac re copiose alibi disputavimus.

3. Baptismus Johannis non habuit invocationem Trinitatis.

3. Baptismus Johannis non habuit invocationem sanctae Trinitatis. Ergo nec a Trinitate est institutus. Respondemus: de forma et fine baptismi a Johanne administrati paulo post dicendum erit.

IX. 86. Causae instrumentales baptismi.

18. Causa instrumentalis sive minister baptismi fuit *1. Johannes,* qui primus in N. T. hoc sacramentum dispensavit, Matth. 3, v. 6. Marc. 1, v. 4. Luc. 3, v. 12. Joh. 1, v. 28. c. 3, v. 22. quin et ipsum Christum sacro hoc lavacro tinxit, Matth. 3, v. 16. Marc. 1, v. 9. Luc. 3, v. 21. Joh. 1, v. 33. Unde κατ' ἀντονομασίαν vocatur ὁ βαπτιστής Matth. 3, v. 1. c. 11, v. 12. *2. Discipuli Christi,* qui non solum post Christi ad coelos adscensum facta solenni baptismi promulgatione, sed etiam ante Christi passionem ac mortem eundem administrarunt. Joh. 3, v. 22: *Venit Jesus et discipuli ejus in terram Judaeam et illic commorabatur cum discipulis et baptizabat* (id postea exponitur). Joh. 4, v. 2: *Jesus ipse non baptizabat, sed discipuli ejus.*

Quare Christus ipse non baptizarit.

Quare vero Christus ab externa administratione baptismi abstinuerit, ejus rei a veteribus proferuntur hae rationes: 1. Ut amoliretur falsam persuasionem baptizandorum, ne illi, qui immediate ab ipso fuissent baptizati, viderentur majus aut excellentius beneficium ab illo accepisse quam alii a discipulis baptizati. Notum enim est, quid Paulo in simili prorsus casu acciderit, 1. Cor. 1, v. 14. 2. Ut ostenderet illustre discrimen inter suam et ministrorum personam, quod scilicet ipse sit, qui baptizet Spiritu sancto, ministri vero externum tantum adhibeant ministerium. 3. Ut auctoritatem, dignitatem et efficaciam ministerii divinam commendaret ac doceret, baptismi dignitatem et efficaciam non ex personarum dispensantium qualitate, sed ex divina institutione et promissione aestimandam esse, cum expresse Johannes dicat, Christum illos baptizasse, quos apostoli baptizabant, quia non suo, sed Christi nomine baptismum administrabant. Nicephorus quidem lib. 2. c. 3. ex epistola Evodii refert, *Christum suis manibus baptismum aquae contulisse Petro, qui deinde fratrem suum Andream et filios Zebedaei baptizarit, ab illis postea reliquos apostolos baptizatos esse.* Euthymius in c. 3. Johannis inquit: *Scribunt quidam apostolorum temporibus proximi, quod Christus Petrum et Virginem matrem baptizaverit, Petrus vero reliquos omnes apostolos.* Augustinus ad Seleucianum probabili conjectura disputat, *discipulos Christi fuisse baptizatos sive baptismo Johannis, ut nonnulli arbitrantur, sive baptismo Christi, neque enim baptizandi ministerio defuit, ut haberet baptizatos servos, per quos ceteros baptizaret, qui non defuit illis humilitatis ministerio, quando eis pedes lavit.* Martinus Duncanus scriptor Pontificius lib. 1. contra Anabapt. c. 4. asserit, *apostolos a Christo baptizatos fuisse.* Idem videtur Bellarmino lib. 1. de bapt. c. 23. circa fin. et Suarez tom. 4. fol. 200. **De Christina refert hist. Lombard. c. 93. quod ab ipso Christo in mari baptizata sit his adhibitis verbis: *Baptizo te in Deo Patre meo et in me Jesu Christo filio ejus et in Spiritu sancto.*** Sed cum certis et manifestis Scripturae testimoniis in hac quaestione destituamur, *cohibere se debet humana praesumtio nihil in alteram partem asseverando,* ut idem Augustinus lib. 2. de pecc. merit. cap. ult. rectissime scribit. Unde Tertullianus lib. de baptism. p. 601. secutus

diserta verba evangelistae: Jesus non baptizabat etc. statuit, *discipulos Christi a Johanne baptizatos fuisse.*

Baptismi administratio ordinaria pertinet ad ministros ecclesiae.

19. Quamvis igitur Deus ipse baptismum instituerit, eundem tamen non ἀμέσως, sed ἐμμέσως administrat; perinde ut voluntatem et consilium suum de nostra salute itidem non immediate, sed mediate per homines nobis annuntiat. Haec baptismi administratio ordinarie pertinet ad ministros ecclesiae. 1. Quia munus docendi complectitur etiam ministerium sacramentorum. Quemadmodum sacramenta
IX. 87. sunt visibilia signa gratiae in verbo evangelii oblatae; ita quoque sacramentorum administratio ordinarie pertinet ad eos, qui divinitus missi sunt ad praedicandum evangelium, Matth. 28, v. 19. Marc. 16, v. 15. Utrumque apostolis committitur, *ut euntes in orbem universum gentes doceant et baptismum in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti administrent.* 2. Quia ministri ecclesiae sunt *dispensatores mysteriorum divinorum*, ad quae cumprimis pertinent sacramenta, 1. Cor. 4, v. 1: *Sic nos aestimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* 1. Tim. 3, v. 5: *Episcopus domui suae bene praeesse debet, qui enim domui suae praeesse nescit, quomodo ecclesiae Dei curam habebit?* (verbum docendo, sacramenta administrando, disciplinam conservando.) Tit. 1, v. 7: *Episcopus est θεοῦ οἰκονόμος.* 3. Quia in Johanne et apostolis praedicatio verbi et administratio baptismi fuerunt conjuncta. De Johanne res est manifesta. De apostolis idem perspicuum, non solum ex mandato Christi Matth. 28, v. 19. cui morem ipsos gessisse certissimum est, sed etiam ex ipsa praxi. Actor. 2, v. 41: *Qui receperunt sermonem Petri, baptizati sunt* (utique a Petro et reliquis apostolis). Actor. 8, v. 38: *Philippus baptizat eunuchum Aethiopem.* Actor. 9, v. 19. c. 22, v. 16: *Ananias Paulum.* 1. Cor. 1, v. 14: *Paulus Crispum et Gaium;* v. 16: *Stephanae familiam.* 4. Quia circumcisio, in cujus locum successit baptismus, ordinarie per sacerdotes fuit administrata, ut ostendimus in tract. de circumcis. §. 9. Chrysostomus in 1. Cor. 1: *Evangelizare paucorum est, baptizare autem cujuslibet, modo fungatur sacerdotio.*

Errores de ministro baptismi.

20. Error igitur est: 1. Quod Pepuziani alias Quintiliani dicti, *sacerdotium adeo commune faciebant, ut eo etiam mulieres honorarent.* Augustinus de haeresi ad Quodvultd. c. 27. secuti Marcionem, qui mulieribus *etiam extra casum necessitatis, et quidem in publicis coetibus baptizare permisit.* Cent. Magdeb. 2. p. 93. 2. Quod Anabaptistae abusi iis Scripturae locis, quibus Christiani in universum omnes *regale sacerdotium* 1. Petr. 2, v. 9. *et facti coram Deo reges et sacerdotes* dicuntur Apoc. 1, v. 6. omnes promiscue Christianos nullo habito respectu, an sint ministri ecclesiae nec ne, ordinarie baptismum administrare posse contendunt; quibus opponimus regulam apostolicam 1. Cor. 14, v. 40: *πάντα εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω.*

Solutio argumentorum contrariorum.

21. At inquis: 1. ex Actis apostolicis probari posse videtur, alios fideles praeter apostolos, etiam in ipsorum praesentia baptismum administrasse. Act. 10, v. 48: *Petrus jubet eos baptizare, qui Caesareae in domo Cornelii Spiritum sanctum acceperant. Ergo non a Petro, sed aliis credentibus baptismum susceperunt.* ** Certe Johann. Volkelius Photinianus in resolut. nodi Gordii contra Smiglecium p. 19: *Baptismum a quovis administrari posse, etiam extra necessitatis casum*, probare conatur *ex eo, quod Petrus jussit, ut se praesente Cornelius una cum tota familia baptizaretur.*** Respondemus: Verba
illa προσέταξεν αὐτοὺς βαπτισθῆναι, jussit illos bapti- IX. 88.
zari, sive baptisma suscipere, indefinita sunt, nec quicquam impedit, quominus ab ipso Petro illi dicantur baptizati, neque enim aliis baptismi administrationem peragendam Petrus commendat, sed illos, qui Spiritum sanctum acceperant, ad baptismi susceptionem hortatur. Quodsi omnino aliorum opera in baptismi administratione usum fuisse Petrum ex verbis illis evinci posset, nondum tamen consequens foret, laicos illos fuisse, siquidem fuerunt vel evangelistae, vel presbyteri, vel diaconi, quos secum plerumque assumebant apostoli, qui una cum illis verbum evangelii praedicabant. 2. Paulus 1. Cor. 1, v. 17. dicit, *se non esse a Christo missum ad baptizandum, sed ad praedicandum evangelium.* Ergo administratio baptismi non pertinebit ad eos, qui sunt praecones evangelii. ** Photiniani ex eo loco colligunt, *baptismum non esse necessarium ad salutem. Omnia quae ad salutem necessaria sunt, praecepta fuere apostolis. At Paulus dicit, Christum non praecepisse sibi, ut quemquam baptizaret. Ergo baptismus aquae non est necessarius.* Schmalzius in refutatione eorum, quae Smigl. ad examinat. 100. errorum protulerat p. 59.** Respondemus: verba apostoli non intelligenda sunt *absolute*, quasi nulla ratione baptizandi munus ad apostolum spectaverit (alias foret consequens, ipsum graviter peccasse, absque vocatione baptizando Crispum, Cajum et Stephanae domum v. 14. et 16. quin et Lydiam Actor. 16, v. 15. ac custodem carceris Philippensis v. 33.); sed *comparate*, quod scilicet Paulus cumprimis fuerit missus ad praedicationem evangelii, ad quam majora Spiritus sancti dona requiruntur, quam ad baptismi administrationem, siquidem sacramenta per illos dispensari possunt, qui non sunt tam egregiis et heroicis Spiritus sancti donis instructi, cum efficacia eorum non a qualitate vel dignitate ministri, sed ab auctore Deo in solidum dependeat, in cujus nomine administrantur. Similis loquendi formula exstat Jerem. 7, v. 22: Non locutus sum patribus vestris de sacrificiis vel holocaustis in die, qua eduxi illos ex Aegypto, id est non cumprimis ac praecipue de sacrificiis, sed de obedientia erga decalogum illis sum locutus.

An ad baptismi integritatem requiratur vocatio ministri legitima.

22. De qualitatibus ministri baptizantis quaeritur, an ad sacramenti baptistici integritatem et efficaciam requiratur in ministro 1. vocatio legitima; 2. fides recta; 3. vita pura. Vocationem legitimam

necessario requiri statuit Calvinus lib. 4. instit. c. 20. et seqq. Collocutores adversae partis in colloqu. Mompelg. p. 435. Beza in qq. et resp. qu. 137. Atqui 1. cum Christus audiri jubeat *Scribas et Pharisaeos in cathedra Moysis sedentes*, Matth. 23, v. 3. ipsorum etiam circumcisionem eo ipso approbasse judicandus est, quorum tamen vocationem legitimam omnino fuisse quis dixerit? 2. Sed nec sacrificulorum papisticorum vocationem legitimam esse concedent, interim tamen baptismum ab illis administratum irritum esse nondum ausi sunt edicere. Bucanus loc. 47. p. 624: *Ratus haberi debet Pontificiorum baptismus, qui errore communi, vel longa tolerantia, seu per vim pastorum sedem occupant et publicum ministerium tenent, etsi pro legitime vocatis habendi non sint.* 3. Adde quod baptizati de veritate et integritate baptismi perpetuo cogentur dubitare, si ad eam legitima ministri vocatio requiritur, cui enim constare potest, an non malis artibus ovile Christi intraverit? 4. Beza qu. 144. ipsius Satanae baptismum in ministerio non dubitanter se velle dicere legitimum asserit. At quomodo unquam Satanae ad ministerium vocatio legitima erit vel esse poterit? Vocationem igitur in ordinario baptismi ministro requirimus; legitime vocatos et sincerae doctrinae praecones, si haberi possint, ad baptismi dispensationem requirendos esse dicimus, interim tamen si baptismus ab eo conferatur, cujus vocatio non est modis omnibus legitima vel fides recta, ex eo integritati et efficaciae baptismi nihil decedere asserimus, modo substantialia ejusdem rite observentur.

An requiratur IX. 89. ministri fides recta.

23. Fidem rectam in baptizante ad baptismi integritatem requiri ac proinde baptismum ab illis, qui fidei sinceritate et unitate verae ecclesiae non sunt conjuncti, hoc est ab haereticis vel schismaticis collatum inefficacem ideoque iterandum esse voluerunt Cyprianus et concilii Carthaginensis patres.

Epistolae Dionysii de hac quaestione.

Eusebius lib. 7. hist. eccles. c. 2: *Ad Stephanum* (episcopum Romanum) *Dionysius* (Alexandrinus) *primam ex epistolis de baptismate scribit quaestione haud modica tum temporis mota, an debeant, qui ex quavis haeresi convertuntur, baptismate repurgari, cum priscus mos esset sola oratione erga illos cum impositione manuum uti.* c. 3: *primus tunc Cyprianus Carthaginensis paroeciae pastor haud aliter quam per baptismum primum ab errore lustratos admittendos esse censuit. Verum Stephanus nihil praeter traditionem ex antiquo obtinentem innovandum esse putans Cypriano ob hanc causam indignabatur.* c. 4: *ad Xystum* (Stephani successorem) *alteram Dionysius scribens epistolam et Stephani et reliquorum episcoporum sententiam declarat, haec de Stephano dicens: Scripsit igitur primum de Heleno et Firmiliano cunctisque per Ciliciam et Cappadociam et Galatiam et universis conterminis gentibus, nec illis se communicaturum propter eandem hanc causam, quod videlicet haereticos rebaptizarent. Considera autem rei hujus magnitudinem. Revera namque in maximis episcorum synodis decretum est, sicut audio, qui ab haeresi aliqua veniunt, primum denuo instituendos esse, deinde abluendos et a veteris impurique fermenti sordibus repurgandos esse et de his omnibus ipsum rogans scripsi.* c. 6. idem: *Dionysius in tertia epistola ex illis, quas de baptismate scripsit ad Philemonem Romanum Presbyterum ista adjicit. Hunc ego canonem ac typum a beato Heracla papa nostro accepi. Ab haereticis enim venientes, licet ab ecclesia defecerunt, imo non defecerunt, sed cum illa se egisse putarunt, proditos vero, quod ad quendam aliena docentem accesserint, ab ecclesia pepulit, nec admisit ne orantes quidem, nisi publice cuncta, quae audissent ab adversariis, exposuissent, ac tum demum collegit eos, non petens, ut denuo baptizentur. Etenim jam ante Spiritum sanctum ab eo fuerant consecuti. Rursus ubi multis propositionem hanc tractavit, subjungit ista: Et illud cognovi, quod non jam Africani tantum hoc introduxerunt, sed et diu antea episcopis praecessoribus nostris in frequentissimis ecclesiis ac patrum synodis in Iconio et Synadis et apud multos ita visum sit, quorum sententias subvertere illosque in contentionem et rixam conjicere non sustineo.* c. 7: *Quarta illius* (Dionysii Alexandrini) *epistola ad Dionysium Romanum scripta est, in qua de Novato sic memorat: Praeter haec omnia sacrum lavacrum reprobavit, fidem ac confessionem, quae ante baptismum fuerunt, subvertit ac Spiritum sanctum ex illis, etiamsi spes est aliqua, quod vel in ipsis maneat, vel rediturus sit, prorsus profligavit.* c. 8: *Exstat et quinta illius epistola ad Xystum Romanum episcopum scripta, in qua, cum multa adversus haereticos dixisset, tale quid ipsius tempore factum esse narrat dicens: Etenim revera, frater, consilio opus habeo et tuam sententiam abs te peto, quod tale quid mihi acciderit, unde verear, ne fallar. Cum fratres essent congregati, vir quidam existimatione fidelis, antiquus et antequam ego ordinarer (opinor autem et ante beatum Heraclam) ecclesiastici coetus particeps, dum nuper quidam baptizarentur, praesens auditis, interrogatis ac responsis ad me accessit, flens et lamentans et ante pedes meos provolutus confitebatur et jurabat, baptismum, quo baptizatus erat ab haereticis, non esse verum baptismum nec cum hoc nostro ullam habere communionem, sed esse illum impietate et blasphemia refertum. Dicebat etiam, mentem suam vehementer compungi, nec tantum se fiduciae habere, ut oculos suos ad Deum levaret, quod profanis illis verbis et actibus esset initiatus, ideoque orabat, ut sincerissima hac purificatione susceptionemque et gratia potiretur; quod quidem ego facere non sum ausus, sed diuturnam illam multorum temporum communionem illi sufficere dixi. Cum enim et gratiarum actionem in ecclesia audiisset et ad illam una cum aliis amen succinisset, mensae adstitisset, manus ad suscipiendum sanctum cibum extendisset, illum etiam accepisset et prolixo jam tempore corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi par-* IX. 90.

ticeps fuisset, non sum ausus eum denuo baptismate initiare, sed animo bono esse et fide firma ac spe bona ad communionem sanctorum accedere jussi. Ille vero indesinenter luget et horrore a mensa Domini distinetur et vix obsecutus precibus ecclesiasticis adesse sustinet. Exstat praeterea et alia illius de baptismate epistola ab eo et paroecia, cui praeerat Xisto et Romanae ecclesiae nuncupata, in qua prolixa declaratione de proposita quaestione disputat. Hactenus Eusebius. Possunt autem hae Dionysii epistolae multa utiliter monere, unde D. Lutherus lib. de concil. et eccles. tom. 7. Oper. German. p. 231. lectorem ad illos remittit.

Donatistarum haeresis in hac quaestione.

24. Ex hoc Cypriani errore Donatistae postea eundem secuti haeresin et schisma fecerunt. Quamvis enim Cyprianus et alii episcopi Africani baptismum ab haereticis administratum inanem esse censerent, ideoque eos, qui ex haeresi ad rectam fidem conversi ecclesiae se aggregabant, rebaptizarent; non tamen contentiose ac pertinaciter in eo defendendo, quod minus solide refutatum verum esse opinabantur, sese gerebant, sed pacem cum fratribus et collegis dissentientibus fovebant, neminem judicantes aut a jure communionis aliquem, si diversum sentiret, amoventes, ut ipsi in exordio Carthaginensis sui concilii loquuntur, ideo nec haereseos nota illorum errori inusta est neque schismatis dissidio. Donatistae autem, cum eundem errorem summa contentione et pertinacia tuerentur ac desererent communionem fidelium, qui diversum statuebant, inde error evasit in haeresin et ex dissidio factum est schisma, qua de re legendus Augustinus in libro de baptismo contra Donatistas, cumprimis lib. 1. c. 18. lib. 2. c. 7. etc. et in libris contra Crescon. Gramm. et de haeresi ad Quodvultdeum haeres. 69. ** *Stephanus I. pontifex Romanus opinatus est, conversos a quacunque haeresi sine ulla exceptione non fuisse rebaptizandos. Et quidem certe, qui tum temporis vigebant haeretici, exceptis paucis Montanistis, erant fere Gnostici, insolitis utentes baptismi formis, propter odiosas et insolentes, quas tam de divinitate, quam de persona Christi tuebantur, opiniones. Quamvis autem in confesso sit, illos in baptismis suis non adhibuisse eam, quae nunc recepta est, formam; ecclesia tamen Romana tum temporis haereticos cujusque generis indiscriminatim sine baptismatis iteratione ad poenitentiam admisit. At episcopi Africae et Cappadociae his ex diametro repugnabant tenentes, omnes haereticos rebaptizandos. Concilium Nicenum mediam viam tenuit statuens, Paulianistas et Montanistas rebaptizandos, Catharos vero minime. Synodus Constantinopolitana permultos recenset haereticos, qui purifico rore denuo erant lustrandi et alios, qui cum suo baptismate erant recipiendi, quos nostra forma usos esse nemo facile demonstraverit. Sed ad hanc rem apprime facit, quod testatur D. Basilius, Novatianos, Encratitas et Saccophoros, quos Romae non rebaptizabant, a se tamen rebaptizatos, quam diversitatem sanctus ille vir absurdam non existimabat; hoc modo dicebat magno omnium bono futurum, si multi episcopi in unum congregati convenientem et concordem in agendo rationem praescriberent. Verum patres concilii Tridentini his nihil attentis doctrinae vulgatae infixi haerebant, haereticum vere baptizare, si verbis institutionis utatur et ecclesiae sequatur intentionem.* Petrus Suavis lib. 2. histor. concil. Trident. p. 278.**

Distinctio haereticorum in hac quaestione attendenda.

25. Ceterum quod ad quaestionem de haereticorum baptismo attinet, certis quibusdam distinctionibus ejus decisio innititur. 1. Quidam haeretici substantialia baptismi impugnant, utpote qui loco aquae aliud quippiam usurpant, vel mysterium trinitatis praefracte et directe negant, nec in Patris, Filii ac Spiritus sancti nomine baptismum administrant. Quidam vero, quamvis alias doctrinae coelestis partes fermento suo corrumpant, tamen de substantia hujus sacramenti recte sentiunt et in substantialibus divinam institutionem sequuntur. Quod ad haereticos prioris classis attinet, illorum baptismus non est verus et efficax censendus, ideoque baptizati ab illis, si ad verae ecclesiae gremium confugiant, omnino baptizandi sunt, cum verum baptismum nondum acceperint. Sic Ariani olim baptizabant *in solo Patre vero Deo, in Jesu Christo salvatore et creatura et in Spiritu sancto utriusque servo*, teste Hieronymo contra Luciferian. tom. 3. p. 66. tom. 2. p. 166. lit. F. edit. Colon. 1616. et Athanasio sermon. 3. contra Arianos tom. 1. p. 219. edit. Commelin. ** *At*, inquiunt, *Athanasius loquitur de adultis, non infantibus ab Arianis baptizatis.* Respondemus: 1. Athanasius ne verbulo quidem innuit discrimen in baptizatis faciendum esse, sed in genere de baptizante Ariano loquitur, videlicet in ecclesia Ariana. 2. Baptismus si legitime conferatur, quoad substantiam manet idem, sive ab infantibus sive adultis, sive a credentibus sive ab incredulis recipiatur; ita si illegitime conferatur, nullus est, a quocunque etiam recipiatur.** Et Athanasius sermon. 3. contra Arianos. ** Baronius tom. 4. in appendice num. 6: *Licet Hieronymi contra Luciferianos et aliorum auctoritate constet, ecclesiam catholicam recipere consuevisse Arianorum baptismum, tamen nequaquam ab eadem susceptum est baptisma Photinianorum, quorum tanta erat impietas in negando divinitatem Filii Dei asserentium, eum tantum fuisse hominem, ut Ariani ipsi eos ejicerent.* Idem tom. 5. anno 419. num. 109: *Cum Ariani additamento Eudoxii idem facti ibi in Thracia sunt Eudoxiani, eorum baptisma, sicut et Macedonianorum catholica ecclesia penitus respuit, in quo nulla esset Trinitatis assertio.* Concil. Arelatense 2. can. 17: *Bonosiacos autem ex eodem errore venientes* (quos sicut Arianos baptizari in Trinitate manifestum est), *dum interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum chrismate et manus impositione in ecclesia recipi sufficit.* Concil. Arelatense 1. can. 8: *De Arianis, qui propria lege sua utuntur, ut rebaptizentur, placuit: Si ad ecclesiam*

Baptismus haereticorum substantialia IX. 91. baptismi tollentium est irritus.

aliqui de hac haeresi venerint, interrogent eos nostrae fidei sacerdotes symbolum. Et si perviderint, in Patre et Filio et Spiritu sancto eos baptizatos, manus eis tantum imponatur, ut accipiant Spiritum s. Quodsi interrogantur, non responderint hanc Trinitatem, baptizentur. (Quidam codd. admodum antiqui legunt: *De Afris, quod propria sua lege utuntur, ut rebaptizentur.)* Refertur hic canon. c. de Arianis dist. 4. de consec. Arianos negantes sanctam Trinitatem, quae pertinet ad substantiam baptismi, *vanum et inutile habuisse baptisma*, docet Athanasius tom. 1. orat. 3. p. 219. et in epist. ad Serapionem p. 367. sic neque Manichaei, qui teste Augustino tom. 6. de haeresibus ad Quodvultdeum c. 46. p. 11. nolebant, aquam ad baptismum adhiberi, verum et integrum baptismum habuerunt.** Manichaei, scribit Augustinus l. c. *nolebant, aquam ad baptismum adhiberi, quod illam a diabolo conditam opinarentur.* Harum corruptelarum in ipsa substantialia baptismi impingentium complures postea recensebimus. Quas si qui haeretici amplectuntur, ab illis verum baptismum conferri, sonora voce negamus, siquidem institutio baptismi aquam et verbum conjungit atque in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti baptisma conferendum esse praecipit Matth. 28, v. 19. Ephes. 5, v. 26. Ubicunque ergo pars substantialis altera deest vel mutatur, ab institutione divina disceditur, et per consequens verus baptismus neutiquam confertur. Augustinus lib. 6. contra Donatistas c. 25: *Quis nesciat, non esse baptismum Christi, si verba evangelica, quibus symbolum constat, illic defuerit?* Sic concilium Ni-
II. 92. caenum can. 21. (in tomis concil. est can. 19.) jubet rebaptizari Paulinianistas, id est Photinianos sive Samosatenianos Rufinus lib. 1. hist. eccles. c. 6. nimirum quia regulam baptismi non tenuerunt, non enim baptizarunt in Christi nomine, teste Augustino lib. de haeresi cap. 44. Idem de Cataphrygibus statuit concilium Laodicenum can. 8. unde constans regula antiquitatis, *ὅσοι μὴ εἰς τὴν ἁγίαν τριάδα ἐβαπτίσθησαν, τούτους δεῖ ἀναβαπτίζεσθαι.* Ambrosius in c. 3. ad Gal. non longe a principio: *Duodecim illos, qui in adulterino baptismate sub nomine baptismi Johannis non fuerant tincti, sed sordidati, Paulus apostolus in Trinitatis nomine baptizari praecepit.* Augustinus vel quicunque alius auctor lib. de eccles. dogmatibus c. 52: Illos, *qui non sanctae Trinitatis invocatione apud haereticos baptizati sunt et veniunt ad nos, baptizari pronuntiamus, non rebaptizari, neque enim credendum est, eos fuisse baptizatos, qui in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti tincti non sunt.* **Schultetus in medull. patrum part. 1. p. 477. *patres Niceni concilii erroris accusat, quod ἀναβαπτισμὸν τῶν Παυλιανισάντων, i. e. eorum qui Samosatenum secuti, statuerint.* Augustinus tom. 6. de haeres. c. 44: *Istos sane Paulianos* (qui Photiniani celebrius nuncupantur) *baptizandos esse in ecclesia catholica constitutum est, unde credendum est, eos regulam baptismatis non tenere, quam secum multi haeretici, cum de catholica discederent, abstulerunt eamque custodiunt.* In concilio Arelatensi 2. can. 16: *Photinianorum sicut et Paulianistarum baptisma nullum esse*, decretum est. At in concilio Laodiceno can. 7: *Photinianos sine baptismo recipiendos esse* statuitur. Respondemus: 1. Concilium illud longe ante Photinianorum ortum est celebratum. Ergo de iis agere nequit. 2. Variant lectiones tum in scriptis tum in excusis codd. quidam enim carent illis verbis *(aut Photiniani)*. 3. In ecclesia perpetua praxi observatum est, ut Photiniani, qui iidem cum Paulianistis (Theodoretus haeret. fabul. lib. 2.) baptizarentur.**

Haeretici trinitatis mysterium negantes sunt in duplici differentia.

26. Quod de baptismo ab haeretico, qui mysterium sanctissimae Trinitatis directe negat, collato diximus, iterum cum quadam distinctione accipiendum. Vel enim solus minister haeresi illa infectus est, vel una cum eo etiam ecclesia illa, cujus est minister. Quod si haeresis substantialem aliquam baptismi partem impugnans totam aliquam ecclesiam occupavit, negamus, verum esse baptismum, qui ab ejusmodi haeretico in tali ecclesia administratur, cum definitio baptismi illi non conveniat. Si vero minister ecclesiae privatim et occulte haeresin institutioni et veritati baptismi contrariam foveat, ecclesia aperte diversum sentiente, statuimus, verum ibi conferri baptismum. Sacramenta enim sunt bona ecclesiae, ideo occultus ministri error baptismi integritati nihil detrahit, modo substantialia ejusdem observet, nec in externo elemento vel verbo quicquam mutet. Tale quid patrum nostrorum memoria Heidelbergae in Palatinatu contigit, ibi enim Adamus Neuserus, pastor ecclesiae ad Spiritum s. primarius, aliquot annis privatim haeresin Arianam fovit, qui Constantinopolin tandem profugiens abjurata religione Christiana circumcisione suscepta Mahomethismo nomen dedit. Osiander cent. 16. hist. eccles. lib. 2. c. 22. Nec tamen baptismus pronuntiatus est vel etiam pronuntiari debuit irritus, quem ecclesiae in hoc articulo recte sentientis nomine administravit.

Baptismus haereticorum qui substantialia baptismi observant, est ratus.

27. Quod ad posterioris classis haereticos, illos puta, qui substantialia baptismi observant, licet in aliis articulis ab ὀρθοδοξίᾳ discedant, attinet, illorum baptismum verum et efficacem ac proinde nequaquam repetendum esse statuimus hisce fundamentis innixi: 1. Ubicunque substantialia baptismi observantur, ibi verus et legitimus baptismus administratur, siquidem ad plenam et integram cujusque rei essentiam partes ejusdem essentiales sufficiunt. Jam vero in hoc casu substantialia baptismi (ex hypothesi) observantur, adest aqua cum verbo, adest II. 93.
invocatio Trinitatis, aqua in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti baptizato effunditur. Ergo verus et legitimus baptismus confertur. Anselmus in c. 4. Ephes.: *Baptisma a quocunque datum fuerit, sive a bono sive a malo, sive a catholico sive ab haeretico juxta morem ecclesiae in nomine s. Trinitatis, scilicet Patris, Filii et Spiritus sancti, tantumdem valet.* 2. Circumcisio, quam Zipora Moysis uxor infantulo conferebat, divinitus approbatur Exod. 4,

v. 25. 26. Jam vero Zipporam in gentilitate natam et educatam in omnibus doctrinae coelestis partibus eo tempore recte institutam fuisse, haud verisimile est. 3. Prophetae in V. T. saepissime taxant idololatriam et errores Leviticorum sacerdotum, ad quos ordinarie circumcisionis administratio spectabat, nuspiam vero illorum circumcisionem improbasse vel ab aliorum manibus eam suscipiendam praecepisse leguntur, quin imo Ezech. 16, v. 20. c. 23. v. 37. ipsi Deo filios et filias (per circumcisionis sacramentum) genuisse sacerdotes illi dicuntur. 4. Quamvis Christus tempore ministerii sui gravissimorum errorum sacerdotes, Scribas et Pharisaeos perageret reos, nuspiam tamen circumcisionem ab illis administratam repudiavit, quin imo diserte edixit Matth. 23, v. 2: *In cathedra Moysis sedent Scribae et Pharisaei; v. 3: quaecunque igitur dixerint vobis, ut faciatis, ea servate et facite* (quatenus in cathedra Moysis sedebant, id est doctrinam Mosaicae consentaneam proferebant, audiendi erant; quatenus sacramenta Moysis praescripto accommodate administrabant, ministerio eorum utendum erat. In sacramentis illis etiam locum habet circumcisio, quam Moyses ipsis dederat Joh. 7, v. 22). Inde est, quod baptizatos a sacrificulis papisticis non reducimus denuo ad baptisteria. Jesuitae autem viderint, quomodo anabaptismum suum defendere velint, quod alicubi a nostris tinctos rebaptizant. Myl. in August. Confess. art. 9. memb. 20. 1. simile quid commemorat D. Luth. epist. de Anabapt. tom. 4. oper. Jen. Germ. f. 408. quod Pontificii in lingua Germanica a nostris baptizatos in Latina rebaptizarint.

[illegible] 28. Atqui *haeretici nec Christi discipuli, nec verae ecclesiae vera membra sunt, quomodo ergo verum baptismum, qui est peculiare Christi bonum et sanctum ecclesiae sacramentum, conferre poterunt?* Respondemus: quamvis haeretici non sint vera ecclesiae membra, illud tamen non impedit, quominus verum baptismum administrent, modo substantialia ejus observent, quia linguam et manum in hac actione Deo tantummodo accommodant. Deus est, qui baptizat et per ministerium efficax est. Quatenus falsi illi doctores verbum et institutionem Christi in hac parte adhuc observant, eatenus sunt externa ecclesiae membra, quamvis propter errores alios ab unitate corporis mystici sint separati. Quemadmodum Deus per corruptum ministerium ex adultis; ita quoque per baptismum ab haereticis administratum ex infantibus sibi colligere potest ecclesiam, ut contigit temporibus Eliae 1. Reg. 19, v. 18. Augustinus lib. 1. contra Donatistas c. 10: *Una est ecclesia, quae sola catholica nominatur, et quicquid suum habet in communibus diversorum a sua unitate separatis, hoc quod suum in eis habet, ipsa utique generat, non ille. Neque enim separatio eorum generat, sed quod secum de ista tenuerunt, quodsi et hoc dimittant, omnino non generant; c. 15: ecclesia omnes per baptismum parit, sive apud se, id est ex utero suo, sive extra se de semine viri sui, sive de se, sive de ancilla.* lib. 3, c. 15: *Sacramenta, si eadem sunt, ubique integra sunt, etiamsi prave intelliguntur et discordiose tractantur, sicut Scriptura ipsius evangelii, si eadem ipsa est, ubique integra est, etiamsi innumerabili falsarum opinionum varietate asseratur.* Libro de dogmatibus ecclesiast. c. 2: *Qui apud illos haereticos baptizati sunt, qui in sanctae Trinitatis confessione baptizant et veniunt ad nos, recipiantur quidem ut baptizati, ne sanctae Trinitatis invocatio aut confessio annulletur, sed doceantur integre et instituantur.*

29. Ratus igitur judicandus est baptismus ab haeretico collatus, modo substantialia observentur; sed num ab haeretico petendus? Respondemus: Dinstinguendum est inter baptismum haereticorum liberum et necessarium. Ubi praesto est purioris ministerii usus, nequaquam ab haeretico petendus est baptismus: 1. Quia sacramenta sunt symbola et tesserae confessionis; qui iisdem sacramentis utuntur, ejusdem doctrinae professione se conjunctos esse testantur. 1. Cor. 10, v. 18: *Videte Israël secundum carnem, nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* 2. Quia ovium Christi haec proprietas est, *quod alienum non sequantur, sed fugiant ab eo*, Joh. 10, v. 5. 3. Quia mandatum est perpetuum. Matth. 7, v. 15: *Cavete a falsis prophetis.* 2. Cor. 6, v. 14: *Nolite jugum ducere cum infidelibus; v. 15: quae conventio Christi ad Belial?* Tit. 3, v. 10: *Haereticum post unam atque alteram admonitionem devita.* 2. Joh. v. 10: *Si quis venit ad vos et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis.* Apoc. 18, v. 4: *Exite de illa populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus.* 4. Quia gravissimum scandalum praebetur infirmis. Matth. 18, v. 7: *Vae homini, per quem venit scandalum.* Rom. 14, v. 13: *Hoc magis judicate, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum.* 5. Quia infantes fraudantur precibus piorum Christi confessorum et injicitur ipsis scrupulus in aetate adulta de veritate baptismi dubitandi. His rationibus moti pii veteres in primitiva N. T. ecclesia, nec a Donatistis, nec ab aliis haereticis baptismum receperunt. Petrus Martyr in epist. ad eccles. Angl. quae habetur in locis comm. p. 1198. prohibet a Lutherano baptismum accipere propter diversam fidem, pietatem et conscientiam, quanto magis cavendum nostris, ne ab illis baptismum accipiant.

Distinguitur IX. 94. inter baptismum haereticorum liberum et necessarium.

Ille improbatur.

30. Sed ubi non est copia sanioris ministerii in casu necessitatis praemissa protestatione vel explicita vel certe implicita ab haeretico peti potest baptismus: 1. Quia per ministri haeresin veritati et integritati baptismi nihil decedit, modo in nomine sanctissimae Trinitatis administretur. 2. Quia pii in V. T. et sub auspiciis N. T. cultum Mosaicum in templo sua ornarunt praesentia ac circumcisionem levit. sacerd. susceperunt, licet idololatria et variis superstitionibus essent cooperti. 3. Quia praemissa protestatio removet scandalum. 4. Quia aliqua pars auditorum

His certis conditionibus permittitur.

recte sentit. Augustinus lib. 1. contra Donatistas de bapt. c. 2: *Si quem forte coëgerit extrema necessitas, ubi catholicum, per quem accipiat (baptismum) non invenerit et in animo pace catholica custodita per aliquem extra unitatem catholicam positum acceperit, quod erat in ipsa catholica unitate accepturus, si statim etiam de hac vita migraverit, non eum nisi catholicum deputamus. Si autem fuerit a corporali morte liberatus, cum se catholicae congregationi etiam corporali praesentia reddiderit, unde nunquam corde discesserat, non solum non improbamus, quod fecit, sed etiam securissime verissimeque laudamus, quia praesentem Deum credidit corde suo, ubi unitatem servabat et sine sancti baptismi sacramento, quod ubicunque invenit, non hominum, sed Dei esse cognovit, noluit ex hac vita migrare. Si quis autem possit in ipsa catholica accipere, per aliquam mentis perversitatem eligit in schismate baptizari, etiamsi postea venire ad catholicam cogitat, quia certus est, ibi prodesse sacramentum, quod alibi accipi quidem potest, prodesse autem non potest, procul dubio perversus et iniquus est et tanto perniciosius, quanto scientius.* Ita quoque Innocentius in c. fraternitate de clericis statuit, non nisi in necessitate ab haeretico baptismum esse petendum. Bucanus in instit. theolog. loc. de bapt. negat, etiam in extremo necessitatis casu baptismum a sacrificulo Pontificio petendum esse, sed recte ei opponitur Phil. Melanthonis, Petri Martyris, Mart. Buceri et Joh. Calvini sententia, quae recitatur in vol. theol. oper. Calvini edit. Genevae anno 1597. p. 605. et seq. Idem tamen Petrus Martyr in epist. ad eccles. Angl. negat etiam in casu necessitatis baptismum a Lutherano petendum: *Profecto* (inquit) *infantes vestri de salute non*
IX. 95. *periclitantur, si absque baptismo intereant, quia nec gratiae Christi, nec praedestinationis effecta externis rebus et sacramentis sunt alliganda.*

An in ministro ad baptismi integritatem requiratur vitae puritas.

31. Tertium quaestionis membrum erat de vitae puritate in ministro baptizante, an ea ad baptismi integritatem requiratur, ubi dicimus, ministros ecclesiae cumprimis vitae integritati et sanctitati studere debere, ut sint *ἀνέγκλητοι* Tit. 1, v. 7. *καὶ ἀνεπίληπτοι.* 1. Tim. 3, v. 2. quin et illos, qui externis flagitiis gravioribus indulgent, loco movendos esse statuimus; interim tamen, si contingat ministrum vel occulte, vel manifeste improbum administrare baptismum, judicamus, ejus improbitatem atque indignitatem baptismi integritati et efficaciae nihil quicquam detrahere, modo substantialia baptismi inviolate observet, quam sententiam contra Donatistas, in libris contra ipsos editis, Augustinus firmiter probat, et praecipua ejusdem fundamenta Anabaptistis opponenda proposita sunt in tract. de sacram. § 30. Certe sacerdotes levitici gravissimorum scelerum a prophetis et Christo peraguntur rei, Esa. 28, v. 7. Jer. 5, v. 31. Ezech. 34, v. 2. etc. Matth. 23. nuspiam tamen circumcisio ab illis administrata pronuntiatur irrita; Deus est, qui baptizat, minister tantummodo vocem ac manum Deo accommodat, unde toties repetit Johannes Baptista: *Ego baptizo aqua* Matth. 3, v. 11. Marc. 1, v. 8. Luc. 3, v. 16. Joh. 1, v. 26. innuens sibi tantummodo ministerium, Deo autem efficaciam baptismi transscribendam esse; ex quo fundamento recte scribit Cyprianus serm. de bapt: *Sive Judas sive Paulus baptizet, Christus peccatum lavat, absolvit et delet.* Vide Lombardum lib. 4. dist. 5. lit. A et B.

Praerogativae ministrorum in baptismo non sunt respiciendae.

32. Sed nec aliae qualitates vel praerogativae in baptizatore respiciendae, ut propter eas diversitas baptismi introducatur, vel ab eis dignitas et efficacia baptismi dependere statuatur, qua de re graviter scribit Nazianzenus *εἰς τὸ ἅγιον βάπτισμα* f. 245. edit. Hervag.: *Ne dicas: episcopus me baptizet, aut metropolitanus, aut Hierosolymitanus. Non enim locorum est gratia, sed Spiritus. Ne dicas: sit ille praeclare natus, grave enim est baptizatori objici contumeliose alterius nobilitatem. Ne dicas: senior ille sit, aut etiam coelebs, temperans et angelicae conversationis. Grave profecto esset, si purgationis tempore sordibus pollucrer. Ne quaeras dignitatem praedicatoris aut baptizatoris. Alius rei hujus est judex et absconditorum censor, quando quidem homo secundum faciem, Deus autem juxta cor dijudicat. Tibi autem unusquisque ad purgationem fide dignus censeatur, modo sit ex approbatis et non manifeste damnatis.* Ex quo intelligitur, quid statuendum de eo, quod quidam potestatem baptizandi solis episcopis et sacerdotibus, non vero diaconis et clericis ex officio competere disputant. Vide Bellarminum lib. 1. de bapt. c. 7.

In casu necessitatis laicum baptizare posse.

33. Quamvis autem baptismi administratio ordinarie pertineat ad ecclesiae ministros; extraordinarie tamen in extremo necessitatis casu, quando hoc immediatum disjunctum obtinet, aut infantulo absque baptismo moriendum, aut baptismus a privata persona ei conferendus, in hoc inquam necessitatis casu privatis in aedibus a quovis Christiano in articulis religionis recte instituto, citra sexus respectum, baptismum administrari posse statuimus, hisce scilicet fundamentis usi:

1. In sacramento initiationis licet extraordinarie agere.

1. In casu extremae necessitatis licet extraordinarie in sacramento initiationis administrando agere, modo nihil committatur contra expressum Dei verbum atque institutionem. Jam vero in casu proposito, ubi scilicet aut infantulo absque baptismo moriendum, aut a privato administrandus baptismus, est extrema necessitas. Ergo licet extraordinarie agere, ita tamen, ut nihil committatur contra expressum Dei verbum. Baptismus est unicum illud medium, per quod infantes in IX. 96
peccatis concepti et nati ad vitam aeternam regenerantur, Joh. 3, v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest intrare regnum Dei.* Ubicunque ergo substantialia baptismi haberi possunt, ibi baptismus infantulo conferendus, ne, quantum in nobis est, a mediis salutis ipsum arceamus; quamvis autem ex hypothesi non adsit ordinarius ecclesiae minister, non tamen omittenda baptismi administratio, quia ad substantialia baptismi nequaquam requiritur, ut is, qui hoc sacramentum dis-

pensat, sit minister ecclesiae, proinde necessitati hac in parte cedit ordo. Excipiunt, qui nobis hic adversantur, *virtutem divinam regenerandi non esse sacramento baptismi alligatam, cum Deus etiam absque baptismo possit hominem regenerare.* Respondemus: necessitatem hic intelligimus non respectu Dei, sed respectu nostri. Quamvis enim Deus non ita sit alligatus huic sacramento, quominus etiam citra illud in casu necessitatis regenerare possit, ut suo loco plenius docebimus; nobis tamen incumbit necessitas divino mandato de administrando baptismo, ubicunque ejusdem substantialia haberi possunt, obsequendi. Verba Christi sunt diserta Joh. 3, v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest intrare regnum Dei.*

Exceptio adversariorum.

2. Circumcisio in casu necessitatis administrata fuit a privatis.

34. 2. Quod licet in re pari, licet etiam in compari. Circumcisio urgente necessitate potuit administrari ab hominibus privatis. Ergo etiam baptismus in N. T. urgente necessitate a privatis administrari poterit. Paritas probatur ex eo: 1. Quia utrumque est initiationis sacramentum, circumcisio in V. baptismus in N. T. 2. Quia baptismus in locum circumcisionis successit, Col. 2, v. 11. 3. Quia ut de circumcisione dicitur Gen. 17, v. 14. *Masculi non circumcisi anima eradicabitur e populo suo;* ita quoque de baptismo pronuntiatur Joh. 3, v. 5: *Nisi quis renatus fuerit* etc. Quin imo inest argumento quodammodo processus a fortiori. Si enim circumcisio a feminis non circumcisis et quidem in loco pudoris administrari potuit, quanto magis a privatis administrari poterit baptismus. Assumtum probatur Exod. 4, v. 25: *Occurrit Deus Moysi in via in diversorio et voluit eum occidere* (letalem illi immisit morbum propter omissam filioli circumcisionem), *tulit ergo Zippora lapidem* (cultrum acutum Jos. 5, v. 2. Psalm. 89, v. 44.) *et circumcidit praeputium filii sui ac tangens pedes ejus dixit: Sponsus sanguinum mihi es.* 1. Maccab. 1, v. 63: *Feminae quae circumciderant pueros suos, juxta Antiochi mandatum occidebantur.* 2. Maccab. 6, v. 10: *Duae mulieres adducebantur, propterea quod filios suos circumciderant.* Excipit 1. Bucanus in theolog. instit. loco 47. p. 623. *exemplum Zipporae utpote vel temerarium et illicitum stultae et iracundae feminae vel singulare factum in consecutionem trahi non debere.* Respondemus: quamvis Zippora ex iracundia circumcisionem administraret, fuit tamen vera circumcisio ab ipso Deo approbata, quippe qui postea Moysen *dimisit*, ut habet textus Exod. 4, v. 26. hoc est peracta filioli circumcisione vim letalis morbi a parente avertit. Hypocritica et invita iracundae feminae obedientia non fuit Deo probata, interim tamen ex eventu, Moysis scilicet liberatione, apparet, circumcisionem a Deo approbatam fuisse, *placatus fuit angelus* (scribit Bucanus loco dicto), *quod circumcisus fuerit puer, non quod illa circumciderit.* Rectissime, si ergo coram Deo fuit rata illa circumcisio, utique etiam baptismus a femina administratus. Invertimus igitur argumentum. Si Deus ratam habuit circumcisionem ex iracundo et invito animo profectam, quanto magis ratum habebit baptismum in vera pietate ac fide devota administratum. Quod de facti singularitate additur, exemplo feminarum in Maccabaeorum historia refellitur, ex quo colligimus, ubi similis casus necessitatis, ibi parem rationem obtinere. 2. Alii hac utuntur exceptione, *disparem esse circumcisionis et baptismi rationem, cum de illa nullum exstet mandatum, a quo administrari debeat, hujus vero ministerium iisdem commissum, quibus et praedicandi officium.* Respondemus: circumcisio mandata erat Abrahamo Gen. 17, v. 11. qui fuit *propheta Domini* Gen. 20, v. 7. Ex quo probabiliter colligimus, administrationem hujus sacramenti una cum aliis ecclesiastici muneris partibus sacerdotio levitico postea cessisse. Vide tract. de circumcis. §. 9. per viros ordinarie hoc sacramentum fuisse administratum dubitari nulla ratione potest. Ut ergo illic in casu necessitatis major fuit habita ratio sacramenti quam ordinis; ita quoque circa baptismum idem omnino observari debet, praesertim cum in N. T. sublato levitico personarum discrimine omnes Christiani sint *regale sacerdotium* 1. Petr. 2, v. 9. Apoc. 1, v. 6. *cumque in Christo Jesu nec mas sit, nec femina* Gal. 3, v. 28. 3. Est qui hac exceptione utitur: *Zipporam praesente Moyse propheta Domini circumcisionem administrasse, ex eo fore consequens, licere mulieri praesente ministro ecclesiae baptismum conferre, quod tamen nobis non probetur nec probari etiam debeat.* Respondemus: haec Moysis praesentia habenda est pro absentia, siquidem Moyses letali morbo oppressus ac viribus fractus circumcisionem administrare non potuit. Uxori igitur vices illas sustinendas imposuit. Invertimus igitur argumentum. Si viro praesenti licuit mulieri circumcisionem in casu necessitatis administrare, multo magis verus erit baptismus, quem absente viro in extremae necessitatis casu pia femina substantialibus rite observatis confert. Quod Moyses sanctus propheta fuit, ex eo nihil privilegii iracundae feminae accessit.

2. Esse disparem rationem circumcisionis IX. 97. et baptismi.

3. Zippora praesente Moyse circumcisionem administrasse.

3. Privatus annuntiat absolutionem morienti.

35. 3. Ubi eadem ratio, ibi idem jus. Jam vero aequalis est ratio inter absolutionem, quam privatus quispiam morienti ex evangelio annuntiat, et inter baptismum, quem privatus in casu necessitatis confert, absente scilicet ordinario ecclesiae ministro. Ergo idem etiam jus obtinet. Privati recte faciunt ecclesiam ordinario pastore destitutam et homines aegrotos seu quovis modo afflictos ex verbo Dei instituentes et consolantes, ut tempore obsidionis, pestis, persecutionis etc. Quo pertinent quodammodo exempla prophetissarum in V. T. utpote Deborae Jud. 4. Huldae 2. Reg. 22, v. 14. Hannae Luc. 2, v. 36. item Priscillae, quam Paulus vocat συνεργον Rom. 16, v. 3. quippe a qua *Apollo diligentius expositam audivit viam Dei*, Actor. 18, v. 26. Loidis et Eunicae, quae nepotem et filium Timotheum a pueris in sacris literis instituerunt, 2. Tim. 1, v. 5. c. 3, v. 15. Quare ergo privati in

casu extremae necessitatis non administrarent baptismum, cum itidem sint *regale sacerdotium* 1. Petr. 2, v. 9. *facti coram Deo reges et sacerdotes* Apoc. 1, v. 6. cap. 5, v. 10? Confirmatur argumentum ex eo, quod Paulus 1. Cor. 1, v. 17. ostendit, docendi munus longe difficilius et augustius esse quam baptizandi, cum ad illud majora Spiritus sancti dona requirantur. Neque sexus impedimento est, quominus etiam a feminis baptismus in casu necessitatis administrari possit, cum in *Christo Jesu nec mas sit nec femina* Gal. 3, v. 28.

Dicta veterum. 36. De consensu antiquitatis non est quod laboremus, fatetur enim atque ultro largitur Calvinus lib. 4. instit. c. 15. §. 20: *Multis ab hinc seculis adeoque ab ipso fere ecclesiae exordio receptum fuisse, ut in periculo mortis laici baptizarent, si minister in tempore non adesset.* Hanc confessionem ipsa veritas eidem expressit. Sic enim Tertullianus in exhort. ad cast.: *Ubi ecclesiastici ordinis non est consessus, et offert et tingit ut sacerdos, qui est ibi solus* (ita locum illum legit Chassanio scriptor Calvinianus lib. 2. loc. com. cap. 47.). Idem lib. de bapt. scribit, *laicis baptizandi jus esse ac baptismum ab omnibus exerceri posse.* Ambrosius in c. 4. Eph. testatur, *olim et laicos et clericos baptizasse propter paucitatem ministrorum.* Hieronymus adv. Luciferian: *Si cogat necessitas baptizare, scimus, etiam laicis convenire.* Augustinus lib. 2. contra epist. Parm. c. 13. circa medium:
IX. 98. *Etsi laicus aliqua pereuntis dederit necessitate compulsus, quod cum ipse acciperet, dandum esse addidicit, nescio, an pie quisquam dixerit esse repetendum. Nulla enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris est usurpatio. Si autem necessitas urgeat, aut nullum aut veniale delictum est.* Idem in epist. ad Fortunatum et citatur c. In necessitate dist. 4. de consecr.: *In necessitate cum episcopi aut presbyteri aut quilibet ministrorum non inveniuntur et urget periculum ejus, qui petit, ne sine isto sacramento hanc vitam finiat, etiam laicos solere dare sacramentum, quod acceperunt, solemus audire.* c. Sanctum dist. 4. de consecrat.: *In sacramento baptismi est auctoritas traditionis per Dominum nostrum ad apostolos: per illos autem ad episcopos, et alios sacerdotes, etiam laicos Christianos ab eadem origine et stirpe venientes. Nam cum illa historia narratur, omnes qui audiunt, ad lacrimas moventur; cum in navi quadam nullus fidelis esset, praeter unum poenitentem, naufragium coepit imminere; erat ibi quidam non immemor suae salutis et sacramenti vehementissimus flagitator, nec erat ibi aliquis, qui dare posset, nisi poenitens ille, acceperat enim, sed pro peccato, de quo agebat poenitentiam, amiserat sanctitatem, sed non amiserat sacramentum etc. Dedit ergo quod acceperat, et ne periculose finiret vitam non reconciliatus, petiit ab eo ipso, quem baptizaverat, ut eum reconciliaret, et factum est et sic naufragium evaserunt. Cognitum habes, quod fecerunt, nemo exstitit eorum, qui non pium animum ita crederet, ut consiliis eorum in illo periculo Dominum crederet affuisse. Motus enim animus religiosus et supplex ab homine exegit sacramentum, a Deo ipse impetravit sanctitatem. Quodsi forte hoc, quod narravi de his, qui naufragio imminente periclitabantur, non vult aliquis credere (non enim hoc divinarum Scripturarum auctoritas, sed incerto auctore fama commendat), non repugnabo, sed interrogabo, si tale aliquid contingat, quid futurum est? Non potest enim quisquam dicere, relinquendum esse illum, qui morte imminente petit baptizari a poenitente, quisquis non credat contigisse, oportet ut credat, posse contingere.* Conc. Carthag. 4. can. 99. et cit. c. Mulier dist. 4. de consecrat.: *Mulier quamvis docta et sancta viros in conventu docere vel aliquos baptizare non praesumat, nisi necessitate cogente.* Isidorus lib. 2. de officiis c. 24. et cit. c. constat dist. ead.: *Constat, baptisma a solis sacerdotibus esse tractandum ejusque mysterium nec ipsis diaconis explere est licitum, absque episcopo vel presbytero, nisi his procul absentibus, ultima languoris necessitas cogat, quod et laicis fidelibus plerumque permittitur.* Quibus procul dubio motus Isaacus Casaubonus in resp. ad epist. cardin. Perronii nomine regis Angliae script. observ. 3. p. 24. a suis discedens ac propius ad nos accedens sic statuit: *Quod de nascente olim ecclesia dixit Tertullianus, baptizare episcopum, presbyterum, diaconum, postremo etiam laicis jus esse, in extremae videlicet necessitatis casu, hoc ipsum in ecclesia Anglicana, quod ad episcopos, presbyteros et diaconos hodieque servatur, sine ulla vel loci vel temporis rigida et penitus inviolabili observatione, laicorum vero baptismum aut feminarum, ut fieri legibus suis vetat, sic factum ex legitima formula quodammodo non improbat baptismum esse pronuntians, etiamsi non legitime administratum.*

37. Hisce magnis viribus se opponit Calvinus et qui illum sequuntur. Disputat enim lib. 4. instit. c. 15. sect. 20. 21. 22. *ne quidem in casu necessitatis licitum esse laico baptizare.* epist. 278. et 326. baptismum feminarum *vocat putidam ministerii profanationem.* Beza parte 2. qq. quaest. 139. γυναικοβαπτισμὸν vocat *fabulam, nec eum pluris faciendum esse dicit, quam id, quod regis vel reipublicae nomine privatus quispiam pro libitu gereret, aut quam sigillum ad publici imitationem a privato quopiam effictum et cuipiam instrumento appensum.* Idem tamen qu. 144: *Satanae baptismum in mysterio non dubitanter se velle dicere legitimum asserit.* Innocentius Gentilletus in apol. pro christ. Gallis c. 6. num. 2: *Christus non Mariae nec aliis feminis baptizandi munus commisit* etc. Sententia adversariorum.
Bucanus in instit. loco 47. p. 623: *Mulierum baptismo non potest esse locus in ecclesia, quia ejus ne γρῦ quidem in tota baptismi historia occurrit* etc. IX. 99.
Chassanio lib. 2. locor. comm. c. 47. in fine: *Insulsum est eum, cui salutis praedicatio concredita non est, illius symbolum seu sigillum conferre velle.*

Neque istud est Scripturae consonum. Quis quaeso auderet principis diplomata obsignare, nisi qui huic muneri praefectus est? **Jodocus Naum in conc. dom. 4. adv. p. 48: *Considerent hoc dictum* (cur tu baptizas, cum non sis Christus), *qui vim salvandi baptismo tribuunt et totis viribus gynaecobaptismum in ecclesiam revocare conantur.* Inter Moscovitas aliqui perhibent, baptizandi muneri, quaecunque necessitas inciderit, neminem hominum sufficere, nisi sacerdos extiterit. In opere de variis rerum Moscovitic. auctoribus p. 136. Sed primus canon Johannis metropolitae eorum dicti prophetae pueros quoque jubet in necessitate absque sacerdote baptizari p. 24.**

Argumenta adversariorum. 1. Baptismus est pars ministerii ecclesiastici.

38. Argumentis utuntur sequentibus: *1. Baptismus est pars ecclesiastici ministerii. Ergo a solis ministris rite administratur.* Beza part. 2. qu. 137: *Eorundem est docere evangelium, quorum baptizare. Docendi vero potestas mulieri non permittitur.* 1. Cor. 14, v. 34. 1. Tim. 2, v. 12. Bucanus loco dicto. Respondemus: 1. Quamvis ordinarie ad ministros ecclesiae et docendi et baptizandi munus pertineat, ex eo tamen inferri nequit, quod in extremo necessitatis casu baptismi administratio laicis nulla ratione competat. 2. Quia causa efficiens instrumentalis non ingreditur rei essentiam ac proinde si vel maxime in eo, qui baptismum dispensat, in casu necessitatis qualitas aliqua desit, tamen substantialibus ac proinde integritati baptismi nihil decedit. 3. Neque quicquam in hoc casu agitur contra expressum Dei mandatum, nuspiam enim instituit Deus, administrationem baptismi ministerio ecclesiastico ita esse propriam et peculiarem, ut ne quidem in casu necessitatis privato concedenda sit. 4. Propter sacramenta ordo institutus, non autem propter ordinem sacramenta, necessitati igitur ordo cedere debet. 5. Quemadmodum igitur docendi munus proprie et ordinarie ad ministerium pertinet, interim tamen urgente extrema necessitate, puta in diuturna obsidione, proscriptione, peste etc. privato docendi partes non sunt denegandae; ita quoque res se habet in baptismi administratione, quae juxta communem ordinem ab ecclesiae ministris petenda, sed in casu necessitatis etiam a laico suscipienda. 6. Dicta apostolica non loquuntur de feminis, quae possunt docere, sed quae volunt discere, ut apparet ex 1. Cor. 14, v. 35. 1. Tim. 2, v. 11. Sermo ibi est de publicis congressibus, quibus docti viri intersunt, nec ulla quaestio in textu apostolico de casu necessitatis, ostendimus autem superius, docendi et absolvendi munus in quibusdam casibus pie a privatis, etiam feminis usurpari posse. 7. Ut silentio interim involvamus, Christum ipsummet quidem docuisse, non tamen baptizasse nisi per discipulos, Joh. 4, v. 2. ac Paulum profiteri, se non esse missum a Christo ad baptizandum, sed evangelizandum, 1. Cor. 1, v. 17. ex quo apparet, non esse indivisam ac necessariam inter docendi ac baptizandi partes connexionem, cum absolute et simpliciter necessaria perpetuo talia sint, nec propter universalem rationem exceptionem aliquam admittant.

39. *2. Non magis baptismi quam eucharistiae mulieris λειτουργία sive administratio in ecclesia ferenda est.* Bucanus loco dicto: *Veteres, qui laicis baptismum conferendi potestatem fecerunt, non intellexerunt doctrinam de necessitate sacramentorum, siquidem etiam infantibus coenam Dominicam porrigendam esse judicarunt.* Respondemus: est hic diversa ratio. 1. Baptismus enim est sacramentum initiationis, per quod ecclesiae primum inserimur, ideo magis necessarius est, quam eucharistia, quae est sacramentum confirmationis, de qua in casu necessitatis locum obtinet illud: Crede et manducasti. 2. Adulti quando sacramentorum usu potiri nequeunt, et desiderio sacramentorum et promissione evangelii contenti esse possunt, cum *evangelium etiam sit potentia Dei ad salutem* Rom. 1, v. 16. *et spirituale semen, ex quo renascimur* 1. Petr. 1, v. 23. infantibus vero nullum aliud regenerationis et salutis medium praeter baptismum est relictum. 3. Illi solum ad sacrae coenae usum ab apostolo jubentur admitti, qui se ipsos probare possunt, 1. Cor. 11, v. 28. contra hanc regulam apostolicam directe pugnat, si eucharistia infantibus porrigatur; sed de prohibitione γυναικοβαπτισμοῦ tale quoddam mandatum e divinis literis proferri nequit.

2. Mulieribus non licet eucharistiam administrare.

IX. 100.

40. *3. Usus γυναικοβαπτισμοῦ a Marcione haeretico introductus est* teste Epiphanio in Panario. *Tota vetus ecclesia voluit, ut baptismus in ecclesia tantum, hoc est in coetu fidelium, celebraretur,* Bucanus loco dicto. Respondemus: 1. Marcionitae extra casum necessitatis baptizandi licentiam cuivis dabant, ut apparet ex Epiphanio, nos non nisi in extremo necessitatis casu laico recte instituto et substantialia baptismi rite observanti eam concedimus. 2. Qua in parte veterum auctoritate nos haudquaquam destitui ex superioribus apparet. 3. Ecclesiae nomine si intelligantur publici ac solennes fidelium in templis conventus, negamus, in ecclesia tantum legitime administrari posse baptismum, cum eunuchus Aethiopicus in via a Philippo, Actor. 8, v. 38. Paulus ab Anania in domo, Actor. 9, v. 19. custos carceris in ipso carcere ab apostolis baptizetur, Actor. 16, v. 33. si vero ecclesiae nomine quaevis fidelium congregatio intelligatur, concedimus, in ecclesia baptismum administrandum esse, sed addimus, *ubicunque duo aut tres in Christi nomine congregati sunt, ibi Christum adesse*, Matth. 18, v. 20. ibi etiam esse ecclesiam.

3. Usus γυναικοβαπτισμοῦ a Marcione est introductus.

41. *Mulieres bis peccant, cum baptismum in fictitio illo necessitatis casu administrant, quippe quae absque mandato, imo contra mandatum Dei baptizant et praeterea rei externae salutem aeternam affigunt, quae in sola Christi morte et foedere illo gratiae quaerenda est. Curandum quidem, ut per legitimum ministrum infans baptizetur, sed si obtineri non possit, commendandus est Deo, qui eum sui Spiritus baptismo baptizet, imo credendum est,*

4. Infantes ante baptismum sunt in Dei foedere.

infantem fidelium parentum jam esse baptismo flaminis baptizatum, cum sit in foedere. Bucanus loco dicto. Respondemus: 1. γυναικοβαπτισμὸν contra expressum aliquod divinum mandatum pugnare, demonstrari nondum potuit. 2. In sola Christi morte et foedere gratiae quaerendam esse salutem, ambigue dicitur; vel enim opponitur particula *sola* mediis applicationis, qua ratione nequaquam propositio illa exclusiva concedenda est, perinde enim foret, ac si quis colligere vellet: Solum Christi meritum nos salvat. Ergo baptismus nos non salvat, contra 1. Petr. 3, v. 21. Ergo evangelium non est potentia Dei ad salutem, contra Rom. 1, v. 16. Ergo fides nos non salvat, contra 1. Petr. 1, v. 9; vel particula *sola* opponitur aliis in hoc causae genere, qua ratione propositio exclusiva non excludit salutis media ex parte tum Dei tum nostri. 3. Rei externae non esse affigendam salutem enthusiastice et anabaptistice dicitur; praedicatio verbi et sacramentorum administratio sunt quidem res externae, in sensus incurrentes, interim tamen per has res externas nobiscum agere et interiorem conversionem ac salutem operari Deo placuit. 1. Cor. 1, v. 21:
IX. 101. *Placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes.* 4. Libenter concedimus, Deum haudquaquam ita esse alligatum baptismo, quominus sua gratia in infantibus, qui vel in ipso utero exstinguuntur, vel ante baptismi perceptionem vita defunguntur, possit esse efficax; nos tamen mediis salutis ita alligati sumus, ut ubicunque substantialia baptismi haberi possint, infantibus eundem conferre teneamur. 5. Non ergo nos, sed adversarii fictitium quendam casum necessitatis introducunt, quasi scilicet privatio baptismi sit necessaria, si ordinarius ecclesiae minister haberi nequeat, cum is demum vere sit necessariae privationis casus, cum substantialia baptismi non possunt haberi. 6. Infantes ante baptismum esse in foedere itidem ambigue dicitur, vel quod ipsis aditus pateat ad foedus Dei per baptismum itemque per preces parentum in casu privationis, vel quod actu sint in foedere et gratia etiam ante susceptum baptismum. Priorem sensum acceptamus, posteriorem repudiamus, quem tamen adversarii amplectuntur, ex quo apparet ratio, cur baptismi usum non existiment ita necessarium, ut laico ejus administrationem absente ordinario ministro concedant, nimirum quia statuunt, infantes fidelium jam ante esse in Dei foedere, ideoque parum referre sive baptizentur, sive minus, qua de re plura suo loco.

5. Sexus et pudor feminarum ab omnibus publicis muneribus eas excludit.

42. *5. Sexus et pudor feminarum ab omnibus publicis muneribus eas excludit; etiam civilibus legibus ab officiis publicis domuum ditionumque terrenorum dominiorum tanquam incapaces removentur l. feminae ff. de reg. jur. Ergo etiam a baptismi administratione sunt arcendae.* Innocent. Gentilletus in apolog. pro christ. Gallis cap. 6. num. 2. Respondemus: 1. distinguenda est ordinaria baptismi administratio a casu necessitatis; illam, absit ut feminis, concedimus. 2. An non feminae quandoque in feudis succedunt peculiari dominorum privilegio? 3. An non quandoque testes sunt in casu necessitatis? 4. Adde quod dispar ratio dominii terreni et hereditatis coelestis, cum *in Christo nec mas sit nec femina* Gal. 3, v. 28.

Quaestio de baptismo Johannis.

43. Ad causam instrumentalem baptismi pertinet quaestio de baptismo Johannis, hoc est de baptismo, quem Johannes in N. T. etiam antequam Christus ab eo baptizaretur, aliis administravit, sitne idem sacramentum eandemque habeat efficaciam cum baptismo Christi, hoc est cum eo, quem Christus per apostolos tum ante, tum post resurrectionem suam administravit, et per consequens unum sufficere potuerit cuiquam baptismus Johannis, ita ut post baptismum Johannis non fuerit necessario percipiendus baptismus Christi? Affirmamus nos, Pontificii negant. Antequam vero sententiae nostrae fundamenta expromamus, circa quaestionis statum haec monemus: 1. in omnibus controversiis ea, quae ne- IX. 102.
cessarium usum habent in exercitiis poenitentiae, fidei et pietatis discernenda esse ab aliis disputationibus, in quibus opinionum diversitas, vel etiam levis quaedam hallucinatio non infert jacturam fidei et salutis; proinde cum disputatio de baptismo Johannis, utpote de ceremonia temporis jamdudum praeteriti et quidem exigui, non aeque sit necessaria, ut doctrina de baptismo, quo nunc ecclesia N. T. baptizat, ideo non esse statim anathemate feriendos, qui de hac quaestione collatis Scripturae sententiis paulo aliter quam veteres quidam disputant, si id fiat salva veritate doctrinae de poenitentia, fide et pietate. Quae sunt verba Chemnicii in exam. concil. Trident. part. 2. can. 1. de bapt. 2. Quaestionem esse de identitate non individui, sed speciei, non numerica, sed specifica. An scilicet baptismus Johannis sit idem specie sacramentum cum baptismo Christi? Quamvis enim sint distinctae personae, per quas baptismus administratur, interim tamen manet *unum baptisma* N. T. Ephes. 4, v. 5. nimirum quia *unus est Dominus*, qui per distinctos ministros hoc sacramentum dispensat, *una etiam fides* et una trinitatis invocatio, cum qua baptismus administratur. 3. Quaestionem esse non de gradibus donorum coelestium, sed de ipsis spiritualibus donis. Quamvis baptismus Christi, hoc est quem Christus per apostolos atque alios in primitiva ecclesia administravit, plurimum praestiterit baptismo Johannis donorum Spiritus sancti visibilium specie admiranda, ac donorum invisibilium copia et ubertate majori, cum post glorificationem Christi lucis evangelicae splendor magis effulserit; ex eo tamen non potest inferri, omnem omnino spiritualem efficaciam baptismo Johannis denegandam. In externis quibusdam circumstantiis et gradu efficaciae in donis spiritualibus inter baptismum Christi et apostolorum differentiam quandam agnoscimus; interim substantiale discrimen intercedere negamus. „Quale discrimen est inter verbum de Christo venturo, de veniente et exhibito; talis etiam est differentia inter circumcisionem, baptismum Johannis et Christi ba-

ptismum. Doctrina autem de Christo, licet quoad modum patefactionis sit aliquod discrimen, tamen quoad substantiam fuit eadem et effectus eosdem habuit in credentibus omnibus temporibus, sive tempore V. T. sive tempore Johannis Baptistae, sive post Christum exhibitum, licet in gradibus aliqua differentia esse possit", quae sunt verba Chemnicii in exam. concil. Trident. p. 66. 4. Quaestio-
IX. 103. nem non esse simpliciter et absolute accipiendam de baptismi susceptione post Johannis baptismum, neque enim negamus, quosdam a Johanne baptizatos a discipulis Christi baptismum fortassis iterum suscepisse, Actor. 2, v. 41. in numero trium millium ab apostolis baptizatorum forte fuerunt aliqui Johannis baptismate prius tincti; sed de necessitate susceptionis, an scilicet necessarium fuerit baptizatis a Johanne denuo ab apostolis baptismum petere ac suscipere, ita ut sine illo regenerationis ac salutis non potuerint esse participes, quod negamus.

Argumenta pro nostra sententia.

44. Hisce praesuppositis ita inferimus: Si eadem causa efficiens principalis, eadem materia, eadem forma eadem spiritualis efficacia baptismi Johannis cum baptismo Christi, utique erunt idem sacramentum, adeoque unus baptismus, unitate scilicet non numerica, sed specifica. Sed verum est prius. Ergo et posterius. Assumtionis singula membra confirmanda sunt:

1. Eadem causa efficiens principalis baptismi Johannis cum baptismo Christi.

1. Eandem esse causam efficientem principalem baptismi Johannis cum baptismo Christi, demonstratum fuit superius §. 10. membr. 2. Quamvis enim Christus discipulis sua voce administrationem baptismi mandaverit, tamen cum Deus *per Filium* locutus sit Hebr. 1, v. 2. ac Spiritus sanctus *non ad mensuram ei datus sit* Joh. 3, v. 34. ideo solennis ista institutionis promulgatio ac mandatum illud toti sacrosanctae Trinitati rectissime tribuitur. Jam vero idem Deus, eadem sacrosancta Trinitas Johannem ad baptizandum misit et admiranda illa revelatione Matth. 3. cum Christus in Jordane baptizaretur, Johannis baptismum confirmavit. **Objiciat quis: *Dicitur Johannis baptismus, quia tantum Johannem habet auctorem.* Respondemus: dicitur Johannis 1. ratione ministerii; 2. promulgationis; 3. respectu alicujus discriminis, quod ipsi intercedit cum baptismo Christi, quia per baptismum Johannis non conferebantur illa peculiaria Spiritus sancti dona, quae vigebant in primitiva ecclesia. Rom. 2, v. 16: *Secundum evangelium meum.***

2. Eadem utriusque materia.

45. 2. Materiam utrobique eandem fuisse, dubium nullum. Johannes enim baptizavit *aqua*, Matth. 3, v. 11. Marc. 1, v. 8. etc. idem visibile elementum usurparunt apostoli in suo baptismo, Actor. 8, v. 36.

3. Eadem forma.

c. 10, v. 47. 3. De forma quibusdam dubitatio suboritur. Durandus statuit, *quod Baptista non habuerit certam formam in baptismi administratione.* Lombardus, Alensis, Paludanus, Thomas etc. statuunt, Johannem hac forma usum fuisse: *Ego baptizo te in nomine venturi.* Scotus et Biel disputant, *utramque sententiam esse probabilem.* Bellarminus lib. 1. de sacramento baptismi c. 20. sequitur Durandum, disputat enim, *baptismum Johannis non habuisse invocationem Trinitatis, ac probabile sibi videri, quod nulla verborum forma Johannes fuerit usus.* Atque nihil absurdius a Bellarmino dici potuisset; num enim judicabimus, baptismum Johannis fuisse mutam tantum ceremoniam? num aqua sine verbo est baptismus? quin imo verbum est quasi anima baptismi, qui ab apostolo propterea definitur, quod sit *lavacrum aquae in verbo*, quo (lavacro) *Deus ecclesiam suam mundat*, Ephes. 5, v. 26. Quamvis igitur disertis et expressis verbis in Scripturis non asseratur, qua verborum forma in administratione baptismi Johannes fuerit usus, nullum tamen dubium, 1. quin Johannes in baptismo illum invocaverit et in illius nomine baptismum suum administraverit, *qui misit eum ad baptizandum*, Joh. 1, v. 33. is vero est unus verus Deus, Pater, Filius et Spiritus sanctus. Ergo Johannes baptizando in nomen veri Dei, a quo ad baptizandum missus, baptizavit in nomen Patris, Filii et Spiritus sancti, sicque baptismi formula a Johanne usurpata fuit eadem cum forma verborum, quam Christus IX. 104.
apostolis suis postea praescripsit. 2. Accedit, quod sacramenta sequantur naturam ejus doctrinae, cujus sunt sigilla. Jam vero una atque eadem est doctrina Johannis et apostolorum Christi (quamvis post adscensionem Christi clarior doctrinae lux et uberior donorum copia in N. T. effulserit, tamen gradus distincti non variant ipsam speciem). Ergo etiam unum administrarunt baptismi sacramentum. Quae fuerit doctrina Johannis, ex evangelistis facili negotio colligitur; docuit, Deum *misisse* filium suum eidemque *omnia in manus dedisse* Joh. 3, v. 34. 35. docuit, hunc filium esse *agnum illum Dei*, *qui tollit peccata mundi* Joh. 1, v. 29. 36. quo ipso ostendit typos sacrificiorum Leviticorum in Christo consummatos et in solo Christo quaerendam peccatorum remissionem; docuit *Patrem diligere hunc suum filium*, *eidemque dedisse Spiritum sanctum non ad mensuram* Joh. 3, v. 34. In hujus veri Dei nomen Johannes baptizavit, hanc doctrinam suam de persona et beneficiis Messiae divinitus missi externa baptismi ceremonia confirmavit. Bellarminus lib. 1. de bapt. c. 23. §. 2. nugatur, *Johannem nihil docuisse de passione et merito Christi*, *quod enim ipsum vocarit agnum Dei*, *id posse referri ad innocentiam et mansuetudinem.* Respondemus: si Johannes Baptista nihil docuit de passione et merito Christi, quomodo erit *excellentior*, *quam propheta?* Matth. 11, v. 9. cum quidam ex prophetis, praesertim David et Esaias, verbis tam claris et perspicuis de Christi passione fuerint vaticinati? Quin imo *omnes prophetas testimonium illi perhibent*, *remissionem accipere per nomen ejus omnes*, *qui credunt in ipsum*, Actor. 10, v. 43. Evangelistae non omnia, quae Johannes auditoribus suis late exposuit, sed summa tantummodo capita doctrinae in literas redegerunt. Et quid dicemus de unica illa pericope concionis: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi?* num de innocentia solum Christi agit?

minime vero, dicit enim, hunc agnum αἴρειν, hoc est in se recipere et simul auferre, peccata mundi, quod in passione et morte ejus innocentissima peractum; unica hac concione veluti remoto velo manifestat, quicquid sub typo sacrificiorum V. T. absconditum latebat. Hilarius in lib. de Patris et Filii unitate pag. 765. recte monet, *nomine agni denotari et patientiam et passionem.* Epiphanius haeres. 8. *ex typo paschalis agni appellationem petitam esse* judicat. Justinus in dial. cum Tryph. p. 200. *quod sit symbolum supplicii crucis.* Thomas 2. 2. qu. 2. art. 7: *Non est credendum, quod ignoraverit Johannes Christum ad passionem venturum, ipse enim dixerat: ecce agnus Dei, pronuntians immolationem futuram.* Breviter appellatio agni deducta est ex c. 53. Esaiae, in quo et passio et innocentia et patientia Messiae late describuntur. Videns igitur Bellarminus, hanc exceptionem, quod Johannes nihil docuerit de passione Christi, esse nimis crudam, aliud quaerit latibulum: *Doctrina* (inquit) *nihil facit ad sacramenti essentiam et veritatem, alioquin haeretici, qui haberent falsam doctrinam, haberent etiam falsa sacramenta. Ut ergo diversitas doctrinae non facit diversum baptisma, ita nec doctrinae similitudo facit, baptisma esse unum et simile.* Respondemus: quamvis cum aliquibus doctrinae corruptelis veritas sacramentorum possit consistere, ex eo tamen inferri nequit, quod ex similitudine doctrinae non possit colligi identitas baptismi. Sacramenta enim obsignant illam doctrinam, cui sigilli loco adduntur, nec minus efficacia instrumenta salutis censenda sunt, quam ipsa doctrina. Quare cum non solum apostoli, sed etiam Johannes baptismi administratione evangelii promissiones in credentibus obsignarint, utique ex eo immote colligitur, quod idem sacramentum utrique contulerint. 3. Apostoli etiam ante gloriosam Christi resurrectionem et adscensionem baptizarunt, ut perspicue apparet Joh. 4, v. 2. et quidem eodem tempore, quo adhuc baptismus Johannis durabat. Jam vero in historia evangelica itidem non commemoratur, quod *in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti* baptizarint. Ecquis vero inde inferre velit, quod sine verbo baptizarint, vel alia verborum forma in baptismo usi fuerint? In quem et qua verborum forma baptizarint, colligendum est ex doctrina, quam Christus eo tempore praedicavit, is itidem ut Jo-
IX. 105. hannes docuit, quod *Deus sic dilexerit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam*, Joh. 3, v. 16. quod Filius in assumta carne *exaltandus sit in ara crucis, ut credentes in ipsum salventur*, v. 14. 15. quod *Spiritus sanctus ex aqua baptismi nos regeneret*, v. 5. in hanc doctrinam apostoli Christi baptizarunt. Jam vero eadem fuit doctrina Johannis. Ergo etiam idem baptismus. Lombardus 4. sent. dist. 3. lit. G: *Si quaeritur, in qua forma tunc* (ante Christi resurrectionem) *baptizarunt apostoli, sane dici potest, in nomine Trinitatis, scilicet in ea forma, in qua postea baptizaverunt gentes, quae ante passionem potest intelligi fuisse tradita, licet non sit scriptum.* 4. Joh. 3, v. 26. refertur de discipulis Johannis, quod aegre tulerint, Christum per apostolos baptizare, deferunt igitur rem ad Johannem hisce verbis: *Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat et omnes veniunt ad eum.* Quodsi alia fuisset baptismi forma discipulis Christi usitata, nae eadem opera ad praeceptorem id retulissent suaeque querimoniae speciem aliquam ex eo obduxissent. ** Denique ubi iidem effectus, ibi eadem forma. Atqui in baptismo Johannis et nostro sunt iidem effectus. Ergo etiam utriusque est eadem forma.**

Actor. 19, v. 4. Johannes baptizavit in nomen venturi.

46. *At inquis, Actor. 19, v. 4. videtur expressa verborum forma, qua Johannes usus, quod scilicet in nomen venturi baptizaverit.* Respondemus: 1. non agitur ibi de forma verborum, quibus Johannes in suo baptismo usus est, sed de praedicatione ejusdem, sic enim habent verba apostoli: *Johannes baptizavit baptisma poenitentiae, dicens populo, ut in eum, qui venturus erat post ipsum,* hoc est in Christum Jesum, *crederent.* Bellarminus lib. 1. de bapt. cap. 20. §. 2: *Illa verba Pauli non videntur significare, Johannem baptizasse in nomine venturi, sed tamen admonuisse populum, ut crederent in venturum Messiam. Nam etiam Christum baptizavit eo ritu, quo ceteros et certe ridiculum fuisset, Christum baptizasse in nomine venturi.* 2. Quodsi vel maxime in venturum Messiam baptizasse censendus, id tamen neutiquam tanti est, ut specificam differentiam inter baptismum Johannis et apostolorum Christi constituat, baptizavit enim Johannes in Christum venturum non ratione incarnationis, sic enim digitis ipsum praesentem demonstravit, Joh. 1, v. 29. sed respectu publici ministerii, cumprimis vero ratione officii redemtionis per passionem et mortem. Atque sic ipsi quoque apostoli ante Christi passionem in venturum baptizasse dici possunt, quorum tamen baptismus non est specie diversus ab eo, qui passionem Christi insecutus est; quin imo ut una fides est eorum, qui a Johanne baptizati in Messiam venturum sperarunt, et eorum, qui post Christi passionem in eum crediderunt, ita quoque unum est baptisma Johannis et apostolorum Christi. 3. Si vel maxime Johannes in principio ministerii sui in Christum venturum baptizasset, tamen progressu temporis, cum Christus in Jordane baptizatus officium suum publice ac solenniter fuit auspicatus, procul dubio non amplius in venturum, sed in eum, *qui stetit in medio ipsorum*, Joh. 1, v. 26. baptizavit ac per baptismum sponsam Christo coelesti sponso veluti praesentem adduxit, Joh. 3, v. 29. 4. Neve ulla restet dubitatio, conferimus haec Scripturae loca: Actor. 19, v. 4. de Johanne dicitur, quod baptizaverit *in Christum*, v. 5. vel quod idem est *in nomen Domini Jesu.* Galat. 3, v. 26. de baptismo apostolorum dicitur: *quotquot in Christum baptizati estis, Christum induistis.* Actor. 2, v. 38: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine*

Jesu Christi. Recte autem monet Ambrosius, nomen Christi complecti totam sacrosanctam trinitatem, videlicet Patrem, *qui unxit Filium oleo laetitiae prae consortibus, Psalm. 45, v. 8.* Filium, cui *Pater*
IX. 106. *dedit spiritum non ad mensuram.* Joh. 3, v. 34. et Spiritum sanctum, qui est *ipsa unctio* 1. Joh. 2, v. 27. Ergo qui in Christum baptizat, is Patrem ungentem et Spiritum, qui est unctio, neutiquam excludit. 5. Denique si papa Nicolaus I. recte pronuntiavit, verum ac legitimum esse baptismum, qui in solius Christi expressum nomen datus est, *quod videlicet institutio Christi non de vocibus, sed de rebus sit intelligenda*, quanto verius hoc erit de Johannis baptismo ante traditam expressam illam formam usurpato? Vide Cajetanum in Thom. part. 3. qu. 66. art. 6. pertinet huc, quod Hardingus disputat, *apostolos essentialem verborum formam in baptismo mutasse et quandoque in nomine Christi tantum baptizasse;* qua de re dicetur inferius §. 90.

47. Atque haec dicta sint de forma baptismi, quem Johannes administravit; restat quartum argumenti membrum, scilicet ut demonstremus, eandem esse efficaciam spiritualem baptismi Johannis cum baptismo Christi. Dicimus ergo, quemadmodum Deus per baptismum apostolorum ad regenerationem et remissionem peccatorum fuit efficax; ita quoque eadem beneficia per baptismum Johannis poenitentiam agentibus et in Christum credentibus fuisse divinitus collata. Id demonstramus 1. ex *συνωνυμίᾳ* phrasium, quae de baptismo Johannis et apostolorum usurpatur. Marc. 1, v. 4. Luc. 3, v. 3. *erat Johannes in deserto baptizans et praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum.* Eadem loquendi formula usurpatur de baptismo apostolorum. Actor. 2, v. 38: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum.* Actor. 22, v. 16. Ananias Paulum alloquitur hisce verbis: *Exsurge et baptizare et ablue peccata tua invocato nomine Christi.* Ergo baptismus Johannis non fuit administratus in poenitentiam sine fide et remissione peccatorum, talis siquidem poenitentia est ministerium mortis et opus legale; sed in veram et salutarem poenitentiam ac proinde etiam in remissionem peccatorum, quae cum vera et salutari poenitentia individuo nexu est conjuncta. Atque haec beneficia non significative tantum vel adumbrative, nec praeparative tantum vel dispositive, sed etiam exhibitive et dispensative per baptismum Johannis fuerunt collata, id quod non solum ex ipsis verbis evangelistarum, sed etiam ex concionibus Johannis Baptistae apparet. Joh. 1, v. 29: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi;* v. 16: *ex plenitudine ejus omnes accepimus gratiam pro gratia* etc. 2. Ex verbis Johannis, quibus ad Pharisaeos hypocritas et incredulos baptismum petentes usus est. Matth. 3, v. 7. Luc. 3, v. 7: *Γεννήματα viperarum, quis demonstravit vobis fugere a futura ira?* ubi per iram venturam tempus extremi judicii et poenas inferni intelligendas esse patet ex Matth. 3, v. 12: *Cujus ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inexstinguibili.* Quodsi Pharisaei hypocritae et increduli per baptismum Johannis in vera poenitentia et fide susceptum potuissent effugere venturam iram, utique ergo vere poenitentes baptizati a Johanne fide in Christum acceperunt remissionem peccatorum et reliqua bona coelestia in evangelio promissa. 3. Ex praeconio Christi de baptismo Johannis Luc. 7, v. 30: *Pharisaei et scribae spreverunt consilium Dei adversus semet ipsos non baptizati a Johanne.* Hoc certe fuit consilium evangelicum, fuerunt *cogitationes pacis*, Jerem. 29, v. 11. quod scilicet Deus per baptismum Johannis voluerit eos in gratiam et vitam recipere. Ambrosius in hunc locum: *Justificatur Deus per baptismum, qui enim peccat et confitetur Deo peccatum, justificat Deum, credens ei ab eoque sperans gratiam.* Sic de baptismo Johannis dicitur Joh. 3, v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum coelorum.* Illi baptismo tribuit Christus regenerationem et coelestis regni apertionem, qui tunc erat in ecclesia usitatus. Jam vero series historiae evangelicae ostendit, baptisma Johannis vel solum, vel praecipue tunc temporis viguisse. Ergo baptismus Johannis fuit medium, per quod homines sunt regenerati ad vitam aeternam. 4. Ex vaticinio Zachariae de filio suo Johanne. Luc. 1, v. 77: *Praeibis faciem Domini* etc. *ad dandam scientiam salutis plebi ejus* IX. 107.
in remissione peccatorum eorum. Haec remissio peccatorum non solum per evangelii praedicationem, sed etiam per baptismi susceptionem poenitentiam agentibus et in Christum credentibus contigit. Quale fuit ministerium Johannis in docendo, tale etiam fuit in baptizando, cujus connexionis rationem exposuimus superius. Jam vero per Johannis ministerium in docendo homines viam salutis edocti et peccatorum remissionem fide consecuti sunt. Ergo et per baptismum Johannis eadem beneficia ipsis fuerunt collata. 5. Ex encomio, quod Apolloni a Johanne baptizato tribuitur Actor. 18, v. 24: *Judaeus quidam Apollos nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens devenit in Ephesum potens in Scripturis;* v. 25: *hic erat edoctus viam Domini et fervens spiritu loquebatur et docebat diligenter ea quae sunt de Jesu, sciens tantum baptismi Johannis.* Quodsi Apollos a Johanne baptizatus fuit fervens spiritu, cur Spiritum sanctum cum suis donis tam longe a baptismo Johannis ablegaremus? 6. Quo etiam referri potest, quod Petrus 1. epist. 3, v. 21. de baptismo suo dicit: *Baptisma nos salvat.* Jam vero ex c. 1. Joh. v. 37. et c. 4, v. 2. probabiliter colligitur, Petrum a Johanne fuisse baptizatum (quidam tamen ex veteribus statuunt, Petrum ab ipso Christo baptizatum esse), utique ergo baptismus Johannis fuit medium salutis. 7. Legati Hierosolymitani Joh. 1, v. 25. cum Johanne Baptista expostulant: *Quare ergo baptizas, si non es Christus?* hoc est cum non sis Christus, nec debebis, nec poteris

baptizare in remissionem peccatorum, quippe quae soli Deo competit. Intellexerunt igitur ex concionibus Johannis, baptismum ipsius non esse ceremoniam legalem, sed poenitentibus et in Christum credentibus cedere in remissionem peccatorum. 8. Si baptismus Johannis omni spirituali efficacia destitutus fuit, consequens erit, aquam lustralem majorem vim habere, quam baptismus Johannis habuit. Nam de aqua lustrali dicit Alexander I. in c. aquam sale de consecr. dist. 3. *quod populum sanctificet, mundet, expurget* etc. Discip. de temp. sermon. 110. *quod valeat in deletionem venialium peccatorum.* Bellarminus lib. 3. de cultu sanctorum c 7. *quod habeat vim delendi peccata venialia et fugandi daemones ac curandi morbos.* Denuo tamen monemus, distinguendum esse inter communia et extraordinaria Spiritus sancti dona, itemque inter copiam donorum spiritualium majorem et minorem. Quamvis enim per baptismum Johannis extraordinaria illa dona loquendi linguis, prophetandi, sanandi etc. non fuerint collata, quae per impositionem manuum in baptismo apostolorum credentibus tempore primitivae ecclesiae distribuebantur, Actor. 8, v. 16. c. 19, v. 5. quaeque post gloriosam Christi in coelum adscensionem demum conferenda erant, Joh. 7, v. 39: *Spiritus sanctus nondum erat, quia Jesus nondum fuerat glorificatus;* ex eo tamen inferri nec potest nec debet, ne quidem communia Spiritus sancti dona omnibus salvandis necessaria per baptismum Johannis fuisse collata; contrarium enim ex allatis fundamentis satis manifeste apparet, id quod ad stabiliendam identitatem sacramenti inter baptismum Johannis et apostolorum nobis sufficit. Etenim si ex eo, quod extraordinaria illa Spiritus sancti dona per baptismum Johannis non fuerunt collata, legitime inferri posset, baptismum Johannis non esse idem sacramentum cum baptismo apostolorum, consequens foret, nec nostrum baptismum eundem esse cum apostolorum baptismo, ecquis enim audivit illos, qui hodie in ecclesia baptizantur, novis linguis loqui, prophetare etc.? Quamvis et in baptismo apostolorum major donorum copia baptizatis credentibus fuerit collata, ex eo tamen non potest inferri, quod Johannis baptismus omni efficacia spirituali fuerit destitutus, quia gradus speciem non variant.

Exceptiones Bellarmini. 1. Baptismum Johannis dici baptismum poenitentiae.

IX. 106.

48. Bellarminus lib. 1. de bapt. c. 23. quibusdam ex his nostris argumentis respondere conatur. Profert enim has exceptiones: *1. Baptismum Johannis dici baptismum poenitentiae, sed baptismum Christi nuspiam dici baptismum poenitentiae, sed lavacrum regenerationis.* Tit. 3. Respondemus: 1. Baptismus Johannis non dicitur simpliciter baptismus poenitentiae, sed diserte additur *in remissionem peccatorum;* ea vero sine fide et regeneratione locum habere nequit. Et quemadmodum baptismus apostolorum dicitur *lavacrum regenerationis* Tit. 3, v. 5. ita quoque de baptismo Johannis dicit Christus Joh. 3, v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu* etc. *2. Poenitentiam contrario modo se habere ad baptismum Christi et Johannis, cum baptismum Johannis sequatur ut ejus effectus, baptismum autem Christi praecedat ut ejus dispositio,* quo refert verba Petri Actor. 2: *Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum.* Respondemus: quamvis Marcus dicat, *Johannem baptizasse et praedicasse*, ex ea tamen verborum serie non potest colligi, Johannem prius baptizasse quam praedicasse. Cum enim baptismus fuerit nova ceremonia, utique omnino necessarium fuit, de ea prius homines doceri. Ergo ut apostoli inter gentes prius poenitentiam praedicarunt, postea demum illos, qui Christo nomen dederant, in remissionem peccatorum baptizarunt; ita quoque eodem modo inter Judaeos Johannes egit; id quod ex Matthaeo c. 3. sole clarius apparet, v. 1: *In diebus illis venit Johannes Baptista praedicans in deserto Judaeae;* v. 2. *et dicens: poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum;* v. 5: *tunc exibat ad eum Hierosolyma et omnis Judaea et omnis regio circa Jordanem;* v. 6: *et baptizabantur ab eo in Jordane confitentes peccata sua.* Sic Luc. 3, v. 3: *Venit Johannes in omnem regionem Jordanis praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum;* v. 7: *dicebat ergo ad turbas, quae exibant, ut baptizarentur ab ipso: γεννήματα viperarum* etc. Pulcherrime D. Chemnicius in harm. evangel. c. 16. p. 302: *Johannes non coepit statim baptizare, priusquam vocationem suam exposuisset ac homines doctrina sua, quantum satis erat, instituisset; sed primum in deserto Judaeae, excitato voce clamante hominum concursu capita doctrinae, quam in vocatione divinitus acceperat, proposuit, sicut Matthaeus ostendit; postea cum fundamenta doctrinae suae jecisset, et homines doctrinam illam illustratione Spiritus sancti certatim amplecterentur, tunc ex deserto Judaeae a mari mortuo per aliquot milliaria septentrionem versus progressus venit in regionem finitimam Jordani et ibi coepit eos, quos doctrina sua imbuerat, aqua in Jordane baptizare, haec ratio profectionum Johannis in tabulis considerari potest.* *3. Remissionem peccatorum non tribui baptismo Johannis, sed tantum poenitentiae, ad quam ipsius baptismus provocabat.* Respondemus: imo vero verba evangelistae sunt satis perspicua, quod Johannes et baptizaverit et praedicaverit baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum. Docuit ergo Johannes, mandatum sibi divinitus esse, ut novo ac peculiari ritu baptismi venienti Messiae ecclesiam colligeret atque ad suscipiendum illum homines praepararet utque promissionem regni coelorum credentibus ritu illo applicaret et obsignaret. Quia enim in baptismo Johannis erat verbum seu *promissio regni coelorum*, hoc est gratiae et remissionis peccatorum et quia fides in Christum venturum, quae in baptismo Johannis exigebatur, Actor. 19, v. 5. et promissio regni coelorum Matth. 3, v. 2. Marc. 1, v. 4. Luc. 3, v. 3. baptismo illo obsignabantur; ideo vocatur baptismus *in remissionem peccatorum.* Vide D. Chemnicium in harm. evangel.

3. Remissionem peccatorum non tribui baptismo Johannis, sed poenitentiae.

c. 16. p. 307. ubi addit: *Qui contra manifesta verba contendunt, in baptismo Johannis credentibus non* IX. 109. *datam remissionem peccatorum, illi cogentur verba illa mirabiliter torquere, ut scilicet clausula illa in remissionem peccatorum non referatur ad baptismum, sed ad vocabulum poenitentiae. Sed si poenitentia, quae fuit baptismi Johannis, fuit in remissionem peccatorum, quid igitur prohibet, quominus dicamus, poenitentiae illum baptismum datum credentibus in remissionem peccatorum?*

4. Evangelistam loqui de remissione peccatorum per baptismum Christi demum futura.

4. Evangelistam loqui de remissione peccatorum per baptismum Christi demum futura. Respondemus: imo vero de sui baptismi fructu loquitur. Sic enim dicit ad turbas, quae exierant, ut baptizarentur ab eo Luc. 3, v. 7: *Quis ostendit vobis fugere a ventura ira?* Ergo baptismus Johannis fuit medium salutare, per quod a ventura ira homines liberari potuerunt; quo respectu etiam *consilium Dei* dicitur Luc. 7, v. 30. nimirum de remissione peccatorum et salute per hoc medium conferenda hominibus. Reliqua argumenta Bellarminus non attingit.

Argumenta nostrae sententiae minus principalia.

49. Exposito praecipuo sententiae nostrae fundamento ex identitate causarum petito, restat ut secundaria et minus principalia argumenta proferamus, unde pro stabilienda identitate sacramentali inter baptismum Johannis et apostolorum porro sic inferimus. Si statuitur, baptismum Johannis non fuisse idem sacramentum cum baptismo apostolorum et nostro, consequens fuerit: 1. alio baptismo caput, puta Christum, alio vero membra usum; 2. Christum baptismatis sui susceptione non sanctificasse baptisma nostrum; 3. non esse unum baptisma N. T.; 4. baptistam non fuisse N. T. ἔξαρχον nec gratiae ex plenitudine Christi redundantis οἰκονόμον; 5. apostolos a Johanne baptizatos non suscepisse salutarem baptismum, aut acceptum iterasse; 6. non omnes nos in unum corpus baptizari. Connexionis ratio est manifesta; quae enim essentia differunt, ea etiam adjunctis et effectis differunt. Jam vero absurdum est: 1. statuere, quod alio baptismo Christus, alio vero membra ejus tingantur, cum corporis mystici unitas contrarium testetur cumque eandem circumcisionem cum Israëlitis V. T. Christus susceperit; 2. veteres unanimi consensu asserunt, Christum susceptione sui baptismatis nostrum baptisma consecrasse. Hieronymus, Chrysostomus in c. 3. Matth. Ambrosius et Beda in c. 3. Luc.; *3. unum esse baptisma* N. T. sicut est *una fides, unus Dominus*, evidenter asserit apostolus Ephes. 4, v. 5; 4. Baptistae ministerium non ad vetus, quod fuit tempus umbrarum, sed ad N. T. pertinere ostendimus in tractatu de sacramento et in hoc ipso tractatu §. 17. 5. apostolos baptismum a Johanne susceptum iterasse non potest idoneis testimoniis confirmari; *6. nos omnes in uno Spiritu, in unum corpus baptizari* testatur apostolus 1. Cor. 12, v. 13. Relinquitur ergo, quod baptismus Johannis sit idem sacramentum cum baptismo apostolorum.

Exceptiones Bellarmini.

50. Bellarminus excipit, *1. baptismum Christi ipsi Christo vix tribui posse sine ejus injuria, cum enim sit lavacrum regenerationis et adoptionis filiorum, si is Christo tribueretur, videretur indiguisse regeneratione et adoptione filiorum Dei, quae est maxima in Christum blasphemia, cum sit Filius Dei naturalis et ab ipsa conceptione sanctissimus.*

1. Christum non indiguisse peccatorum remissione.

Respondemus: Bellarminus statuit, *baptismum Johannis provocasse ad poenitentiam*, ita enim loquitur in hoc ipso cap. 23. §. 4. num ergo eodem modo inferemus, baptismum Johannis Christo sine ejus injuria vix tribui posse, cum enim sit provocatio ad poenitentiam, si is Christo tribueretur, videretur indiguisse poenitentia, quae est maxima in Christum blasphemia, cum sit sanctissimus ille, *qui non novit peccatum nec inventus est dolus in ore ejus*, Esa. 53, v. 9. 1. Petr. 2, v. 22. Quicquid Bellarminus huic ratiocinationi responderit, etiam suae responsum statuat. Rem ipsam quod attinet, quamvis Christus non indiguerit regeneratione vel adoptione in Filium Dei, ex eo tamen non potest inferri, quod non susceperit eundem cum nobis baptismum; si quidem qui per IX. 110. verbum jam ante regeniti et in filios Dei adoptati baptizantur, itidem non renascuntur et adoptantur in filios Dei per baptismum, absit tamen, ut statuere velimus, eos non suscipere eundem baptismum cum reliquis; sufficit, quod beneficia jam ante accepta in illis per baptismum obsignentur et Spiritus sancti dona augeantur. Ceterum quamvis Christus pro se non indiguerit peccatorum remissione per baptismum sibi ipsi conferenda, interim tamen nostro loco et nostrum omnium personam ut mediator sustinens, ut agnus onustus totius mundi peccatis ad baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum accessit effecturus, ut per illud ministerium omnis justitia impleatur. Perinde ut in circumcisione ac purificatione sistit se Domino ut agnum onustum peccato, unde in plurali evangelista loquitur, *quod completi fuerint dies purgationis αὐτῶν*, et Mariae et pueri Jesu Luc. 2, v. 22. unde ecclesia in die Epiph. canit, *Christum esse baptizatum, ut lavaret nostra in baptismo crimina.* Bellarmino hoc videtur *blasphemum, cum ex eo sequatur, Christum dici posse furem, homicidam, adeoque maximum peccatorem*, sed de tota hac re late diximus in tract. de justif. §. 241. Addit hoc loco Bellarminus argumentum, quo probare conatur, *magis gloriosum fuisse Christo non accipere suum baptismum quam accipere. Dum enim baptismum confert et non accipit, imperatorem se et principem hujus militiae ostendit, quippe qui characterem suum in aliis imprimit, at si acciperet, videretur etiam ipse ad militiam asscribi.* Respondemus: procedit haec similitudo ex hypothesi Scholasticorum, qui per baptismum characterem quendam animae inprimi statuunt, de qua re quid statuendum sit, exposuimus suo loco. Quicquid autem sit de illo charactere, quemadmodum gloriae Christi nihil decedit, si statuatur, quod simus ejus, tanquam capitis nostri in corpore mystico, membra; ita quoque non minus ipsi gloriosum, quod velut dux et princeps spiritualis mi-

litiae eundem cum nobis, sub vexillo ejus militantibus, baptismum susceperit. Quid enim? num duci turpe erit militibus non solum praecepto, sed etiam exemplo praeire? ac num honorificentius est imperatorem servi, quam suum ipsius characterem gestare?

2. Christus baptismum nostrum non accepit, sed instituit.

51. 2. *Vere quidem dici, quod Christus ideo baptizatus fuerit, ut baptismum salutarem institueret et consecraret; sed ex eo nihil quidquam pro nostra sententia stabilienda elici posse, quin imo cum ea pugnare. Nam antequam Dominus baptizaretur, nunquam apparuit columba, nec audita est vox de coelo, neque sanctificatae sunt aquae, et tamen idem erat baptismus Johannis cum eo, qui postea fuit. Non igitur baptismus, quem habuit Dominus a Johanne, idem erat cum nostro. Nam illum accepit, non instituit, nostrum autem instituit non accepit.* Respondemus: praecipua causa, quare Christus baptizari voluerit, ab ipso Christo proponitur in verbis illis: *Omitte nunc, sic enim decet, ut compleamus omnem justitiam* Matth. 3, v. 15. In quae verba sic commentatur D. Chemnicius c. 17. harm. evang. p. 12: *Quando Christo mediatori tribuitur impletio justitiae, sensus hic est, Pater misit Filium in hunc mundum, ut fieret nobis justitia, 1. Cor. 1, v. 30. Idque hoc modo, ut factus sub lege fieret victima pro nobis et de peccato damnaret peccatum, atque ita justitia legis impleretur in nobis Rom. 8, v. 4. utque daret ministerium reconciliationis, ut ita nos efficeremur justitia Dei in ipso 2. Cor. 5, v. 21. Fuit ergo officium Christi mediatoris omnia illa, quae ad consequendam illam justitiam, qua coram Deo ad vitam aeternam justificamur, pertinent, implere, ut ita ipse in solidum esset nostra justitia. Implevit autem hanc justitiam, primo quando victima pro nobis factus peccata nostra sustulit et perfectissima obedientia legi pro nobis satisfecit. Secundo autem, ut justitia illa nostra fiat et nobis applicetur, opus est mediis seu organis, per quae justitia illa obedientia et sanguine Christi acquisita nobis distribuatur et efficacia Spiritus sancti nobis applicetur. Christus igitur illa etiam media sive organa voluit sanctificare, quae et ipsa ad justitiam fidei pertinent.* Haec Chemnicius ex Luthero. Quodsi ergo baptismus Jo-
IX. 111. hannis non fuit idem cum nostro baptismo, quomodo Christus suscipiendo baptismum Johannis consecravit nostrum, tactu sui corporis aquas sanctificando ad diluenda credentium peccata? Quin potius Christus ipse descendit in baptismum cum suo corpore atque ita illa, quae in corpore carnis suae promeruit et acquisivit, quasi deposuit in baptismo, ita ut per illud medium distribuantur et applicentur; unde in baptismo nostro *Christum induimus*, Galat. 3, v. 27. σύμφυτοι efficimur *in mortem Christi* per baptismum Rom. 6, v. 4. Efficimur membra ipsius, et coalescimus quasi cum ipso, *quia in unum corpus* baptizamur 1. Cor. 12, v. 13. Hoc fundamentum consolationis tollitur, quando negatur, eodem baptismo nos baptizari, quo Christus est baptizatus. Quamvis vero ante solennem illam baptismi consecrationem etiam alios Johannes baptizaverit, ex eo tamen neutiquam inferri potest, quod in illis omni efficacia spirituali baptismus Johannis fuerit destitutus, sed ut fructus passionis Christi extendit se ad praeteritum et futurum, ita quoque illa sanctificatio baptismatis tactu Dominici corporis facta. Ipse Bellarminus ex Hieronymo in c. 3. Matth. disputat, *Christum inter alias causas etiam ideo a Johanne baptizari voluisse, ut baptismum Johannis confirmaret tanquam bonum et Deo gratum;* id si ad tempus post baptismum a Christo susceptum tantummodo refertur, consequens fuerit, reliquos ante Christum a Johanne baptizatos non suscepisse baptismum bonum et Deo gratum. Ut confirmatio, ita etiam sanctificatio baptismi ad tempus praeteritum et futurum referenda est. Invertimus igitur verba Bellarmini. Christus, quia est unus cum Patre et Spiritu sancto verus Deus, a quo Johannes ad baptizandum missus est, ideo etiam Johannis baptismum instituisse est dicendus; et quia eum instituit, ideo etiam suscipere voluit. Vicissim suscipiendo baptismum a Johanne nostrum baptismum instituit et consecravit, quippe cum Johannis baptismus sit idem cum nostro. Quemadmodum Christus *nobis natus ac nobis datus* Esa. 9, v. 6. *factus nobis a Deo sapientia, justitia, sanctificatio et redemtio*, 1. Cor. 1, v. 30. ita quoque baptizatus est, ut nostrum baptismum sanctificaret. Quemadmodum circumcisionem suscepit eandem non diversam a patrum circumcisione; ita quoque eundem nobiscum baptismum suscepisse judicandus est.

3. Sequeretur, etiam Moysis ac Davidis tempore fuisse unum baptismum.

52. 3. *Si argumentum ex loco Ephes. 4. de unitate baptismi deductum valeret, probaret etiam, tempore Moysis et Davidis fuisse Christi baptismum. Tunc enim itidem erat unum corpus ecclesiae, eadem spes, eadem fides etc. Illud saltem voluit apostolus, quod Christiani debeant omni diligentia servare unitatem Spiritus, quia sunt unum corpus et unum habent Spiritum, unum Deum, unam fidem, unum baptismum.* Respondemus: a tempore N. T., in quo baptismus institutus fuit, ad tempus V. T., in quo nondum institutus fuit, non potest legitime procedi. Apostolus loquitur de tempore N. T., in eo omnium Christianorum est unum baptisma, sicut omnium est una fides et unus Dominus, ut in V. T. fuit una circumcisio omnium Israëlitarum, in cujus locum baptismus successit. Quod de baptismo haereticorum Bellarminus addit, apud illos esse verum Christi baptisma, licet apud eos non sit unum corpus, unus Spiritus, una fides etc. non infringit vim nostri argumenti. Neque enim ex unitate corporis mystici et fidei unitatem baptismi deducimus, sed ex unitate baptismi, quam disertis verbis apostolus ponit, discrimen illud, quod inter baptismum Johannis et nostrum a Scholasticis constituitur, evertimus. Adde, quod argumenta a contrario sensu ducta non sint perpetuae et immotae veritatis. Recte dicitur, ut inter vere pios est unum corpus mysticum, unus Spiritus, una fides; ita quoque unum

baptisma, sed ex eo non potest inferri. Ergo ubi non est unum corpus mysticum, unus Spiritus, una fides, ibi non est unum baptisma, siquidem veritas baptismi dependet ab institutione divina, quae ubicunque inviolata servatur, verum baptisma confertur.

IX. 112. 4. N. T. auctor est Christus, non Johannes. 5. Apostolos Christi baptismo esse baptizatos. 6. Paulum loqui de corpore, non de capite.

53. 4. *Novi Testamenti auctorem non esse Johannem, sed Christum*, lib. 1. de sacram. in genere c. 14. part 3. Respondemus: hac de re diximus in tractat. de sacramentis §. 15. 5. *Apostolos Christi baptismo esse baptizatos.* Respondemus: hac de re diximus superius §. 14. 6. *Paulum loqui solum de corpore, non de capite. Nos enim membra Christi et proinde unum corpus efficimur per baptismum, quia per hoc sacramentum regeneramur et Christo annectimur, at ipse caput nostrum factus est, non per baptismum, sed per gratiam unionis hypostaticae.* Respondemus: quamvis Christus per gratiam unionis hypostaticae et exaltationem ad dextram Dei constitutus sit *caput ecclesiae* Ephes. 1, v. 22. nos tamen per baptismum efficimur membra illius corporis mystici, cujus caput est Christus. Baptismum igitur cum nobis peccatoribus commune suscepit, ut testaretur, nos per baptismum effici membra ejus et coalescere quasi cum ipso, cum baptizemur in unum corpus et σύμφυτοι efficiamur in mortem ejus per baptismum Rom. 6, v. 4. Quemadmodum igitur circumcisionem suscepit, ut testaretur, pios in V. T. per circumcisionem factos esse membra ipsius; ita quoque baptismum eundem nobiscum suscepit, ut testaretur, pios in N. T. per baptismum membra ipsius fieri. Breviter, baptismus, quem a Johanne Christus suscepit, tam vere est idem specie cum baptismo ab apostolis collato ac tam vere ad N. T. pertinet, quam vere ejusdem speciei fuit circumcisio, quam suscepit Christus cum ea, quam accepit Abraham ejusque posteri. Ideo enim Christus utrumque sacramentum suscipere voluit, ut tam veterum, quam novorum sacramentorum vim et sanctificationem a se uno utriusque populi tam baptizati, quam circumcisi servatore unice dependere doceret.

Adversariorum de baptismo Johannis sententia.

54. Videamus, quid Pontificii de baptismo Johannis statuant. Concil. Trident. sess. 7. de bapt. can. 1. ita intonat: *Si quis dixerit, baptismum Johannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi, anathema sit.* Lombardus lib. 4. sent. dist. 2. lit. D: *Johannes sola corpora abluebat, a peccatis vero non mundabat; baptismus Johannis erat in poenitentiam, non in remissionem, baptismus vero Christi in remissionem.* Salmeronius tom. 4. p. 19: *Differebat baptismus Christi a baptismo Johannis non in materia, sed solum in forma et verbis, ex quo et in fructu gratiae.* ** Idem tom. 4. p. 52. *Iohannis baptismum a Christi baptismo fuisse diversum*, probat his rationibus: *1. quia Johannes aperte se in aqua tantum baptizare docet; at de Christo ait: ipse vos baptizabit in Spiritu s.; 2. quia in Actis Christus ipse Johannem quidem baptizasse aqua, apostolos autem baptizandos esse Spiritu s. profitetur; 3. multis absurditatibus patere fores, nisi distinguatur Johannis a Christi baptismo: 1. scripturas in depravatos sensus et peregrinos fore detorquendas; 2. praebitum iri occasionem, ut contra Pauli doctrinam ad Corinthios credant homines, ex ministrorum dignitate pendere sacramenta; 3. sacramenta ecclesiae viliora redditum iri, si alius eorum quam Christus auctor et institutor agnoscatur; 4. viam apertum iri Anabaptistis, cum exemplo Pauli possint alios semel tinctos rebaptizare; 5. recedendum fore a communi sensu et consensu patrum.* Bartschius in postill. domin. 4. advent. pag. 352: *Qui baptismum Johannis baptismo Christi aequat, praecipuam N. T. vim et energiam enervat.* Costerus in concion. p. 120. verba Johannis: *Ego baptizo aqua* sic explicat, *ego nihil facio nisi quod aqua naturaliter facit.* pag. 119: *baptismus meus est corporis ablutio, est expers gratiae et remissionis peccatorum.* Stapletonus in promt. cathol. dom. 4. advent.: *Johannis baptismus fuit infirmus, inefficax et nuda ceremonia, adeoque toto genere distinctus a baptismo Chrisi, utpote qui non conferebat gratiam, non dabat Spiritum s. non tribuebat remissionem peccatorum. Sed ad haec omnia praeparabat, sicut totum ejus ministerium erat praeparatorium.*** Barradius in conc. evangel. p. 404: *Baptisma Johannis rudimentarium fuit ad poenitentiam deducens, praeludium saltem quoddam gratiae.* Bellarminus antequam ad canonis Tridentini explicationem accederet, dissensiones nostrorum evincere conatur, *1. quia Lutherus in disputatione de baptismo legis, Johannis et Christi statuit, baptisma Johannis non esse sacramentum, nec remittere peccata, ac baptizatos a Johanne iterum fuisse baptizandos.* Respondemus: habita est illa disputatio anno 1520. de ea igitur accipiendum, quod in praefat. tom. 1. operum Lutherus scribit: *Haec ideo narro, optime lector, ut, si lecturus es opuscula mea, memor sis, me unum fuisse ex illis, qui, ut Augustinus de se scribit, scribendo et docendo profecerint, non ex illis, qui de nihilo repente fiunt summi, cum nihil sint, neque operati, neque tentati, neque experti, sed ad unum intuitum Scripturae totum spiritum ejus exhauriunt.* Quid Lutherus statuerit de baptismo Johannis, patet ex concionibus de paedobaptismo habitis Dessaviae anno 1541. quae exstant tom. 7. Jenens. German. in quibus hos aphorismos invenies, fol. 454: *Baptismus Johannis non minus a Deo institutus, quam baptismus Christi.* fol. 456: *Baptismus Johannis non valet solum ad emendationem carnis, quales lotiones erant in lege Mosaica praescriptae, sed est baptismus poenitentiae in remissionem peccatorum.* fol. 460: *Johannis baptismus non multum distat a baptismo Christi; illi, quos Johannes baptizavit, quique ante baptismum Christi mortui, fide salvi facti sunt.* Tom. 8. Jen. German. conc. 1. de baptismo Christi habita anno 1546. fol. 301: *Johannes baptisma suum vocat baptisma poenitentiae, per quod peccatores, qui poenitentiam agunt et baptizantur, remissionem peccatorum con-*

Quas dissensiones Bellarminus IX. 113. nostris in hac quaestione tribuat.

sequuntur. Quidquid autem sit de Lutheri sententia, nos nemini haereseos dicam scribimus, qui in hac quaestione de baptismo Johannis non per omnia nobiscum consentit. *2. Chemnicius non audet definire, an baptizati a Johanne essent iterum baptizandi Christi baptismo.* Respondemus: Scripturam non nimium vel curiose vel scrupulose illud observasse asserit, quod est verissimum. De tota hac re suo loco plura. Quod Cinglius in libr. de vera et falsa relig. cap. de bapt. Johannis baptismum nominat *elementarem, sola aqua constantem, eumque definit initiale sacramentum, quo se signabant et inter poenitentes accensebant, qui vitam et mores erant emendaturi*, ad nos non pertinet.

Dissensiones Scholasticorum in hac quaestione.

55. Rectius de Scholasticis Bellarminus dixisset, quod in hac quaestione non conveniant 1. Lombardus libr. 4. sentent. distinct. lit. F. distinguit *duo genera baptizatorum, unum eorum, qui sic baptizabantur a Johanne, ut spem ponerent in eo baptismo et non haberent notitiam Spiritus sancti, et hos dicit fuisse baptizandos Christi baptismo. Alterum eorum, qui baptizabantur a Johanne, sed non ponebant spem in eo baptismo et habebant notitiam Spiritus s. et hos dicit non fuisse necessarium baptizari Christi baptismo.* Hanc opinionem Bellarminus vocat irrationabilem et multum improbabilem. 2. Idem Lombardus et multi Scholasticorum docent, *baptismum Johannis fuisse sacramentum quoddam, qualia erant sacramenta veteris legis.* Hanc opinionem Bellarminus vocat erroneam ac statuit, baptisma Johannis non pertinuisse ad legem veterem, sed potius ad novam ut praeparationem quandam ad Christi baptismum. 3. Lombardus, Alexander Alensis, Petrus de Palude, Thomas etc. statuunt,
IX. 114. quod *Johannes hanc formam habuerit: Ego te baptizo in nomine venturi.* Durandus dicit, *quod Baptista nullam habuerit formam.* Scotus et Biel statuunt, *utramque opinionem esse probabilem.* Bellarminus lib. 1. de sacrament. bapt. c. 29. sequitur Durandum. 4. Biel. 4. sent. dist. 2. q. 2. artic. 3. dub. 1. propter tres causas Johannis baptismum institutum fuisse dicit: *1. Ad figurandum baptisma Christi; 2. ad praeparandum populum ad Christi baptismum, ut eum non horrerent; 3. ad consecrandam materiam baptismi Christi.* Alensis addit *4. ut Judaei revocarentur a circumcisione.* Bellarminus dicit, *fuisse provocationem ad poenitentiam.* 5. Alensis statuit, *mulieribus non convenisse Johannis baptismum, ne scilicet in concursu populi nudarentur.* At quomodo id convenit verbis evangelistae, quod *omnis regio circa Jordanem exiverit ad Johannem ac baptismum ab eo susceperit.* Matth. 3, v. 5. Quasi vero nudatione totali opus fuerit ad baptismum? 6. De baptismo Johannis dicit Lombardus lib. 4. sent. dist. 2. lit. E: *A Deo erat, non ab homine tantum;* Bellarminus contrarium statuit libr. 1. de baptism. c. 20.

Argumenta Bellarmini.

56. Ad explicationem canonis Tridentini Bellarminus format tres propositiones: *1. Baptismus Johannis non fuit idem sacramentum cum baptismo Christi.* Hanc c. 29. probare conatur argumentis quatuor: *1. Baptismus Johannis ab ipso Johanne institutus erat, quia in Scripturis passim vocatur baptismus Johannis* Matth. 21. Marc. 11. Luc. 20. Act. 1, v. 18. et 19. Ergo *non erat sacramentum praesertim novae legis.* Respondemus: baptismum Johannis a Deo ipso institutum esse immotis argumentis confirmatum dedimus superius §. 10. et 12. Quo sensu Johannis baptismus dicatur exposuimus §. 13. Atqui *si ratione ministerii tantum dicitur baptismus Johannis, cur non et Christi baptismus vocatur baptismus Petri, Pauli, Philippi* etc. Respondemus: non solum ratione ministerii, sed etiam respectu promulgationis et inchoationis baptismus Johannis dicitur, quia scilicet primus in N. T. baptismi ceremoniam inchoavit ac promulgavit; apostoli vero baptismum a Christo promulgatum administrarunt. Concedimus etiam, ob id cumprimis dici baptismum Johannis, ut a baptismo Christi distinguatur; quale autem sit illud discrimen, exposuimus superius §. 36. membr. 3. *2. In baptismo Christi non sola aqua est de essentia sacramenti, sed etiam invocatio Trinitatis. At baptismus Johannis non habuit invocationem Trinitatis. Ergo non est idem sacramentum cum baptismo Christi.* Respondemus: de forma baptismi a Johanne administrati egimus superius §. 38. et 39. *3. Baptisma Johannis non fuit in praedicatione Christi institutum, nec a Christo mandatum, sed a Johanne, antequam inciperet N. T. auctor praedicare. Ergo non est sacramentum N. T.* Respondemus: de auctore N. T. late egimus in tractat. de sacramentis §. 15. et in hoc ipso tractatu §. 17. *4. Baptismus Christi non potest iterari. At baptizati a Johanne jussi sunt iterum ab apostolis baptizari.* Respondemus: de iteratione baptismi a Johanne suscepti paulo post agemus.

quibus probare conatur quod bi ptismus Johanni non fue rit iden sacramentum cum ba ptismo Christi.

1. Baptismus Johannis fuit ab ipso Johanne institutus.

2. Non habuit invocationem Trinitati

3. Non pertinet ad N. T.

4. Fuit iteratus.

Quod Johannis baptismu non habuerit eandem efficaciam cum baptismo Christi.

57. Secunda propositio Bellarmini haec est: *Baptismus Johannis non habuit eandem vim et efficaciam, quam habet baptismus Christi.* Hanc c. 21. probare conatur: 1. Ex Scriptura Marc. 1: *Johannes Baptista distinguit suum baptisma a Christi baptismate, quod ipse baptizet in aqua, ille Spiritu sit baptizaturus. Ego baptizavi vos in aqua, ille baptizabit vos Spiritu sancto.* Respondemus: 1. ostendimus superius, a Johannis baptismo non posse omnino separari gratiam et efficaciam Spiritus sancti, quae argumenta omnia hoc loco repeti debent. 2. Dicimus ergo baptismi vocabulum dupliciter accipi, primo pro sacramento initiationis, quem vocant baptismum fluminis. Deinde pro visibili effusione Spiritus sancti et donorum ejus, qui dicitur baptismus flaminis. Priorem significationem vox baptizandi habet in verbis prioribus apud Marcum, posteriorem autem in verbis posterioribus. 3. Id quod demonstramus sequentibus fundamentis. Primo usurpatur vox temporis futuri βαπτίσει. Agitur igitur de baptismo Spiritus miraculoso, sequentibus temporibus exspectando. Johannes ac discipuli Christi eodem tempore baptizarunt Joh. 4, v. 1. Per ba-

1. Johannes baptizavit IX. 115. in aqua, Christus in Spirit

ptismum apostolorum communia Spiritus sancti dona fuerunt collata, quod non negat Bellarminus; ergo propter hunc apostolorum baptismum Johannes in praesente dicere debuisset, quod Jesus Spiritu sancto baptizet, si de communibus Spiritus sancti donis, non autem de extraordinariis ageret. Secundo Matth. 3, v. 11. eadem verba Johannis copiosius describuntur: *Ego baptizo vos aqua in poenitentiam, ipse vos baptizabit Spiritu sancto et igne*, ubi vox ignis manifeste ostendit, Johannem loqui de extraordinariis et miraculosis Spiritus sancti donis die Pentecostes in specie linguarum ignearum apostolis et aliis fidelibus collatis. Tertio hanc explicationem ipse Christus diserte comprobat. Cum enim jamjam adscensurus coelos discipulis praeciperet, ne Hierosolymis discederent, sed promissionem Patris exspectarent, Actor. 1, v. 4. αἰτιολογικῶς subjungit: *quia Johannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies*, v. 5. ubi sole clarius elucet, Christum de baptismo flaminis verba Johannis interpretari. Apostoli jam ante baptizati erant baptismo Christi, ut vult Bellarminus lib 1. de bapt. c. 23. Jam vero per baptismum Christi efficax est Spiritus sanctus, nihilo tamen minus Christus promittit apostolis, quod baptizandi sint Spiritu sancto. Quarto accedit complementum hujus dicti, quod describitur Actor. 2, v. 3: *Apparuerunt in apostolis dispertitae linguae tanquam ignis, seditque Spiritus sanctus super singulos eorum.* Ibi jam apparet, quid per promissum Spiritus et ignis baptismum sit accipiendum. Quinto Petrus Actor. 11, v. 16. ad visibilem Spiritus sancti effusionem verba illa diserte applicat: *Cum autem coepissem loqui, cecidit Spiritus sanctus super eos, sicut et vos in initio, et recordatus sum verbi Domini, sicut dicebat; Johannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto.* Sexto exemplar Graecum Lugdunense in concordantiis marginalibus ad horum locorum collationem nos remittit Matth, 3, v. 11. Marc. 1, v. 8. Luc. 3, v. 16. Joh. 1, v. 26. Actor. 1, v. 5. Actor. 11, v. 16. Septimo Hieronymus in c. 3. Matth. itidem intelligit de linguis igneis visis die Pentecostes in apostolis; Hilarius tamen can. 3. in Matth. ita explicat, quod qui jam baptizantur in Spiritu sancto, postea consummandi sunt igne extremi judicii. Chrysostomus hom. 3. operis imperfecti nomine ignis intelligit tribulationes. 4. Quod Bellarminus regerit, *Christum et Petrum alludere solum ad verba Johannis*, nimis dilutum est. Non enim solummodo ad ea modo qualicunque alludunt, sed certam eorum explicationem in ipso complemento nobis monstrant. Quemadmodum igitur alia vaticinia ex eventu optime intelliguntur; ita quoque haec promissio ex complemento rectissime intelligitur et explicatur. Ex eo, quod baptismus Johannis dicatur in aqua, non potest colligi, quod distinguatur a baptismo, qui fit ex aqua et Spiritu, quia Ephes. 5, v. 6. etiam apostolorum baptismus dicitur lavacrum aquae, a quo tamen Spiritus sancti gratia non est separanda. Et Christus Joh. 3, v. 5. de baptismo Johannis tunc vigente dicit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest intrare regnum Dei.* Fictitia ergo est distinctio illa inter tria baptismata, quod *aliud sit in aqua solum, videlicet baptismus Johannis; aliud in Spiritu et igni solo, videlicet visibilis missio Spiritus sancti; aliud in aqua et Spiritu, videlicet baptismus Christi.* 5. Quamvis igitur proprie et commodissime verba Johannis de visibili missione Spiritus sancti accipi statuamus, tamen non improbamus eorum sententiam, qui statuunt, Johannem distin- IX. 114.
guere hoc loco voluisse inter ministerium externum, quod sibi tribuit, et efficaciam baptismi interiorem, quam Christo transscribit, sicut Johannes 1, v. 23. inquit: *Ego vox clamantis in deserto*, ubi efficaciam Deo, sibi vero externum ministerium vendicat: Et ut apostolus 1. Cor. 3, v. 6. dicit: *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem dedit incrementum.* Augustinus tract. 5. in Joh.: *Sibi Dominus potestatem baptizandi reservavit, servis ministerium commisit.* Neque enim in futuro tantum Johannes loquitur: *Ipse vos baptizabit Spiritu et igne*, sed etiam in praesenti dicit Joh. 1, v. 33: *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.* Ac de efficacia ministerii Johannis testantur haec dicta: Joh. 1, v. 16: *De plenitudine ejus omnes accepimus.* Luc. 1, v. 16: *Multos filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum.* Cumprimis vero solennis illa patefactio sacrosanctae Trinitatis circa baptismum Christi baptismum Johannis nobis commendat. 6. Regerit Bellarminus, *Chemnicium non posse causam reddere, cur in futuro omnes evangelistae dixerint: ipse baptizabit, si operabatur Christus interius illo ipso tempore, quo Johannes exterius.* Respondemus: non omnes loquuntur in futuro, ut apparet ex verbis Johannis, et quare in futuro loquantur, optima potest dari ratio, Christus enim baptizat Spiritu s. dupliciter, tum per verbum et sacramenta dona Spiritus s. communia distribuendo, tum extraordinaria Spiritus s. quibusdam conferendo. Nec valet distinctio inter praedicationem et baptismum Johannis, quasi praedicatione verbi tantum moverit corda hominum, non autem per baptismum ea purgaverit, siquidem sacramenta obsignant et confirmant id, quod in verbo promittitur, nec minor vis tribuenda verbo visibili, quam audibili, qua de re diximus superius. Quod columba, in qua Johanne baptizante Spiritus sanctus apparuit, non testetur de efficacia ministerii Johannis, ἀπαιδεύτως Bellarminus negat. Quo enim fine solennis illa Trinitatis patefactio ac coelorum apertio in baptismo Johannis fuit facta, nisi ut baptismum nobis commendaret? nimirum quod tota sacrosancta Trinitas baptismo adsit, quod coeli portae per baptismum recludantur, quod Christum induamus per baptismum, quod Spiritus regenerationis et renovationis per hoc lavacrum in nos effundatur, quod vox complacentiae Patris nos in gratiam recipiendos sonet, ac proinde, quod

baptismus sit stipulatio bonae conscientiae erga Deum per resurrectionem Christi, 1. Petr. 3, v. 21. *At*, inquit Bellarminus, *Christus non eguit efficacia baptismi Johannis, ergo columba illa non testatur de efficacia ministerii Johannis.* Respondemus: plus est in consequente, quam antecedens inferre permittit. Christus a primo conceptionis initio fuit *plenus gratia et veritate* Joh. 1, v. 14. *Plenus sapientia* Luc. 2, v. 40. *plenus Spiritu sancto* Luc. 4, v. 1. *accepit Spiritum non ad mensuram* Joh. 3, v. 34. Non ergo indiguit nova Spiritus sancti collatione. Ideo autem in baptismo a Johanne suscepto *Spiritus sanctus descendit et mansit super ipsum* Joh. 1, v. 32. ut esset publicum testimonium, quod hic Jesus Nazarenus sit verus ac promissus Messias, non oleo corporali, sed *Spiritu sancto unctus* Psalm. 45, v. 8. Esa. 61, v. 1. divina auctoritate coelitus missus ac proinde ab omnibus *audiendus* Deuter. 18, v. 18. Cumque per baptismum *induamus Christum* Galat. 3, v. 27. et efficiamur ipsius membra, ideo descensus Spiritus sancti denotat, etiam nobis per baptismum dari Spiritum sanctum, a quo *regeneramur et renovamur.* Tit. 3, v. 5. Haec consolatio non mediocriter labefactatur, si baptismus Christi a nostro baptismo specie distinguitur.

Dicta patrum. 58. Secundo loco Bellarminus profert testimonia patrum. Respondemus: 1. veteres de Johannis baptismo nec inter se consentiunt, nec diversum sentientes damnant. Origenes in c. 6. Roman. docet, baptismum Johannis non remisisse peccata; sed Basilius dicit, baptismum Johannis dedisse remissionem peccatorum. Sic enim scribit in orat. Quomodo baptizetur aliquis baptismate, quod est in
IX. 117. evangelio Domini nostri Jesu Christi, tom. 1. p. 455: *Johannis baptisma multis modis excelluit* (Moysis baptisma), *nullam enim prorsus faciebat ad gratiam Dei et Christi ipsius perveniendi dilationem. Simul itaque accesserat quis et peccata sua, quantacunque et qualiacunque fuissent, confessus fuerat, in Jordanis flumine baptizabatur et confestim peccatorum remissionem accipiebat.* Augustinus lib. 5. contra Donatistas c. 10. mediam amplectitur sententiam: *Credo Johannem, ita baptizare in aqua poenitentiae in remissionem peccatorum, ut ab eo baptizatis in spe remitterentur peccata, re ipsa vero in Domini baptismo id fieret, sicut resurrectio, quae in fine exspectatur, spe in nobis facta est, quia simul nos excitavit et simul sedere fecit in coelestibus. Item spe salvi facti sumus. Nam et ipse Johannes cum dicat: Ego quidem baptizo vos in aqua poenitentiae in remissionem peccatorum, Dominum videns ait: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Nec tamen hanc suam sententiam Augustinus proponitur ut necessarium dogma, nec damnat, si quis diversum sentiat. Ita enim inquit c. 11: *Ne quisquam contendat, etiam in baptismo Johannis dimissa esse peccata, sed secundum aliquam ampliorem sanctificationem eis, quos Paulus denuo jussit Actor. 19. baptizari, per baptismum Christi remissionem esse collatam, non ago pugnaciter.* Ita etiam lib. 2. contra literas Petiliani c. 37: *Causa et ratio baptismi sive ista sit, quam exposui, sive alia melior certiorque reddatur, illud tamen manifestum est, alium fuisse baptismum Johannis, alium Christi.* 2. Quando igitur patres diversitatem quandam inter baptismum Christi et Johannis statuunt, id de externis quibusdam circumstantiis et de donorum Spiritus sancti visibilium specie admiranda et donorum invisibilium copia et ubertate majori, non autem de substantia et communicatione donorum communium accipiendum. Basilius lib. 1. de bapt. c. 2. Nazianzenus orat. in sancta lumina baptismum Johannis statuunt *medium inter baptismum Mosaicum in V. T. et inter baptismum Christi.* Justinus in qq. et respons. ad orthodox. qu. 37. p. 322: *Baptismus Johannis prooemium fuit evangelii gratiae.* Utique ergo alia quaedam efficacia quam nuda adumbratio et significatio Johannis baptismo tribuenda. *Sicut non sequitur* (ait Chemnicius in examine concil. Trident. in expl. hujus quaestionis), *circumcisos non habuisse remissionem peccatorum propterea, quia differentia est inter circumcisionem et baptismum Christi; ita multo minus baptismo Johannis, qui prius ad N. T. accessit, imo qui fuit initium N. T., ideo deroganda est remissio peccatorum, ut discrimen aliquod sit inter baptismum Christi et Johannis.* 3. Bellarminus ipse non amplectitur omnium veterum de hac quaestione sententias. Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto c. 3. Hieronymus in c. 2. Joëlis docent, *Johannem in suo baptismo usum forma quadam verborum, nimirum in nomine venturi Messiae;* sed Bellarminus lib. 1. de baptismo c. 22. §. *Haec expositio* dicit, *hoc non esse verum.* Idem Ambrosius dicto loco et in cap. 3. Galat. disputat, *duodecim illos viros, qui negabant se scire Spiritum sanctum, non fuisse vero baptismo Johannis baptizatos, sed adulterinum aliquod et corruptum baptisma sine nomine Spiritus sancti accepisse. Johannes* (inquit) *in remissionem peccatorum in advenientis Jesu, non in suo baptizavit nomine, et ideo spiritum nesciebant, quia nec baptismum in Christi nomine, sicut Johannes baptizare solebat, acceperant.* Hanc sententiam itidem Bellarminus improbat. Prudentius Cathemer. hymn. 7. de baptismo Johannis ita canit, ut manifeste appareat, remissionem peccatorum ab eo non sequestrari:

Hortator ille primus et doctor novae
Fuit salutis; nam sacrato in flumine
Pie vetustas lavit errorum notas.
Sed tincta postquam membra defecaverat,
Coelo refulgens influebat Spiritus;
Hoc ex lavacro labe demta criminum
Ibant renati, non secus quam si rudis
Auri recocta vena pulchrum splendeat,
Micet metalli sive lux argentei
Sudum polito praenitens purgamine.

4. Quosdam ex patribus remissionem peccatorum baptismo Johannis tribuere in principio c. 21. Bellarminus agnoscit; addit autem, *intelligendum hoc esse de* IX. 118.

fide et devotione accedentium, vel etiam de contritione, quam homines concipiebant ex concionibus et baptismo Johannis, nequaquam vero baptismum Johannis ex opere operato remissionem peccatorum contulisse. Respondemus: de opere operato suo loco diximus. Virtus baptismi et fides utentis non sunt opposita, sed subordinata. Sacramenta enim non prosunt sine fide utentis; quare si homines non solum ex concionibus, sed etiam baptismo Johannis contritionem et fidem concipere potuerunt, ut hac ratione per veram poenitentiam consecuti fuerint remissionem peccatorum, utique remissio peccatorum et spiritualis efficacia non est baptismo Johannis omnino deneganda.

3. Johannes erat praecursor Domini et solum ad hoc venerat, ut pararet vias ejus.

59. Tertium argumentum petit Bellarminus ex persona et officio Johannis. *Erat enim Johannes praecursor Domini et solum ad hoc venerat, ut pararet vias ejus. Luc. 1, v. 17: Praecedet ante illum in spiritu et virtute Eliae, ut convertat corda patrum ad filios. v. 76: Praeibit ante faciem Domini parare vias ejus. Joh. 1, v. 23: Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domini. At certe parare viam salvatori non est dare salutem et justificationem, sed disponere ad recipiendum salvatorem et salutem.* Respondemus: 1. Bellarminus sibi ipsi contradicit. Nam in hoc ipso cap. 21. §. *Denique* sic scribit: *Nemo negat, quin Johannes efficacissime praedicaverit et converterit plurimos ad Deum.* Atqui si Johannes efficacissima praedicatione plurimos ad Deum convertit, utique etiam plurimis salutem dedit, ὀργανικῶς puta, perinde ut de Timotheo apostolus loquitur 1. Tim. 4, v. 16: *Hoc faciens te ipsum salvabis et eos, qui te audiunt.* In eodem cap. §. 1. scribit, *baptismum Johannis potuisse remittere peccata ex devotione et fide accedentium, vel etiam ex contritione, quam homines concipiebant ex concionibus et baptismo Johannis.* Atqui si praedicatio et baptismus Johannis fuit efficax ad contritionem, utique etiam efficax fuit ad justificationem et salutem. Disputat enim Bellarminus lib. 2. de poenit. c. 12. *contritionem esse causam remissionis peccatorum.* c. 14. object. 17. *contritionem cum solo sacramento voce culpam purgare.* 2. Quod ergo Johannes, praecursor Christi, viam ipsi parasse dicitur, id non de toto Johannis ministerio accipiendum, quasi paraverit saltem homines ad salutem, non autem ipso actu per praedicationem et baptismum eos salvaverit, sed accipitur tantum de parte ministerii, videlicet de praedicatione poenitentiae, ut ostendit series textus apud Matthaeum c. 3, v. 2: *Venit Johannes praedicans, agite poenitentiam, appropinquavit enim regnum coelorum; v. 3: hic est, de quo praedictum per Esaiam: Vox clamantis in deserto, parate viam Domino.* 3. Jam vero non solum poenitentiam sive contritionem docuit Johannes, sed etiam fidem in Christum et peccatorum remissionem in evangelio promissam. Actor. 19, v. 4: *Johannes baptizavit baptismo poenitentiae dicens populo, ut crederent in eum, qui post ipsum venturus esset, hoc est in Christum.* Unde sic argumentamur: Quicunque in ministerio suo legem et evangelium proponit ac poenitentiam et remissionem peccatorum docet, is non solum praeparat homines ad salutem, sed ipso actu eos salvat, instrumentaliter scilicet. Johannes legem et evangelium in ministerio suo conjunxit ac poenitentiam et remissionem peccatorum docuit. Ergo ipso actu homines salvavit. Assumtio constat ex sequentibus Scripturae testimoniis. Matth. 3, v. 2: *Agite poenitentiam;* v. 10: *jam enim securis ad radicem arboris posita est.* Joh. 1, v. 19: *Videns Christum ad se venientem dicit: Ecce, agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Luc. 3, v. 8: *Facite fructus poenitentia dignos.* In his tribus capitibus summa totius Christianismi et tota salutis ratio consistit. 4. Frustra argumentatur Bellarminus ex verbis Zachariae, Johannem *dedisse tantummodo scientiam salutis*, non autem ipsam salutem. Luc. 1, v. 77. Cum illa namque scientia salutis ipsa salus immediate est connexa; siquidem Johannes eo modo dedit populo scientiam salutis, ut digito demonstraret Christum, in quo solo est remissio peccatorum IX. 119.
et salus, unde Zacharias addit: *Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, quae consistit in remissione peccatorum.* Quotquot ergo digitum Johannis secuti verbis ejus fidem adhibuerunt poenitentiam agentes, in Christum credentes et baptismum suscipientes, illi non solum scientiam salutis, sed etiam ipsam salutem consecuti sunt. *Haec enim est vita aeterna, ut agnoscamus Patrem coelestem et Christum ab ipso missum,* Joh. 17, v. 3. 5. Ceterum quod Johannes ex verbo evangelii de remissione peccatorum et salute in Christum quaerenda docuit, illud etiam ceremonia baptismi obsignavit, sigillum enim praedicationis fuit baptismus. Jam vero non de corporis, sed animi sordibus fide in Christum eluendis concionatus est. Ergo etiam baptismus Johannis non externam quandam corporis lotionem, sed animarum purgationem contulit, fide scilicet a vere poenitentibus susceptus. Ut praedicatio Johannis erat praeparatio ad Christum suscipiendum, et tamen erat ipsius Christi verbum; sic baptismus ejus fuit praeparatio ad Christum, et tamen vere fuit ipsius Christi baptismus.

3. Post baptismum Johannis necessario fuisse suscipiendum Christi baptismum.

60. Tertia Bellarmini propositio haec est: *Post baptismum Johannis necessario fuisse percipiendum baptismum Christi.* Hanc cap. 22. probare conatur *1. Ex verbis Johannis* Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. *Ego baptizo in aqua, ille vos baptizabit in Spiritu sancto et igne. Ubi fit collatio baptismi Johannis et Christi, idemque, quos Johannes baptizaverat, dicuntur baptizandi iterum a Christo. 2. Ex historia evangelii et Actorum.* Nam ut legimus Marc. 1. Matth. 3. ac Luc. 3: *Ibant ad Johannem, ut baptizarentur, tota Hierusalem, omnis Judaea et omnes regiones vicinae Jordani. Itaque rari admodum erant eo tempore non baptizati a Johanne. At post Domini ascensionem ipso primo die Pentecostes coepit Petrus in Hierusalem praedicare necessitatem baptismi Christi Actor. 2. et baptizati sunt eo die tria millia, deinde paulo*

post quinque millia etc. *Igitur necesse est, ut multi a Johanne baptizati iterum ab apostolis baptizati fuerint. 3. Ex loco Actor. 19. ubi Paulus jubet baptizari in nomine Domini duodecim viros, qui confessi fuerant, se non habere nisi baptismum Johannis.* Respondemus: nos hac de re sic statuimus, multos a Johanne baptizatos iterum a discipulis Christi baptismum suscepisse, interim non fuisse simpliciter necessarium, ut post baptismum Johannis susciperetur baptismus Christi. Prius patet ex eo, quod apostoli, cum baptizant tria millia, Actor. 2, nec diu post quinque millia, non leguntur curiose et scrupulose inquisivisse, ne quis forte in illa turba lateret Johannis baptismo baptizatus, quem nefas esset, denuo una cum reliquis baptizari. Posterius patet ex eo: 1. Quod Johannes praedicaverit *baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum*, Marc. 1, v. 4. Qui ergo vera fide in Christum susceperunt baptisma Johannis, remissionem peccatorum et salutem consecuti sunt, etiamsi baptismum Christi non consequerentur. 2. Primi apostoli, qui a Johanne baptizati fuerunt, non leguntur denuo aqua baptizati. 3. Apollo sciebat tantum baptisma Johannis, et is quidem assumitur et diligentius instituitur in via Domini, non tamen legitur denuo aqua baptizatus. 4. Si praecise necessarium fuisset post baptismum Johannis suscipere baptismum Christi, sequeretur, ipsi Baptistae necessarium fuisse, cum Christus jam inchoasset ministerium, ut a discipulis Christi baptizaretur. 5. Si absolute necessarium fuisset post baptismum Johannis suscipere Christi baptismum, quomodo Paulus asserit, *unum esse* N. T. *baptisma?* Ephes. 4, v. 5. 6. Johannes et discipuli Christi uno eodemque tempore baptizarunt, ut colligitur ex Joh. 3, v. 23. c. 4, v. 1. Quodsi baptismus Johannis fuit tantummodo praeparatio ad baptismum Christi destituta omni spirituali efficacia, quare non continuo desiit baptizare, cum Christi baptismus inciperet? Cur non remisit homines baptizari desiderantes ad Christi discipulos?

Apostoli an fuerint Christi baptismo tincti. IX. 120.

61. Bellarminus cap. 23. sub finem regerit: *Apostolos et Apollona fuisse Christi baptismo baptizatos. Quamvis enim hoc scriptum non sit, tamen ex eo inferri non posse, quod non fuerit factum, alioqui negandum fore, Romanos, Galatas, Ephesios, Philippenses* etc. *baptizatos fuisse, cum itidem id nuspiam exstet.* De Johanne Baptista dicit, *non levem esse conjecturam, quod a Christo baptizatus sit, cum dicat Matth. 3. Ego a te debeo baptizari.* Respondemus: Romanos, Galatas, Ephesios etc. baptizatos fuisse, colligitur non solum ex eo, quod Paulus in epistolis ad eos scriptis baptismi mentionem facit Rom. 6, v. 3. Galat. 3, v. 27. Ephes. 4, v. 5. sed etiam ex generali regula Joh. 3, v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non intrabit regnum Dei.* Marc. 16, v. 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Actor. 2, v. 38: *Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum.* Talis autem generalis regula, quod scilicet post baptismum Johannis necessario fuerit Christi baptismus suscipiendus, nuspiam exstat. Ideo est dispar ratio in adductis exemplis. Johannem Baptistam a Christo ipso baptizatum esse gratis dicitur. Thomas ex apocryphis illud recitat, quem Bellarminus sequitur. *Jesus non baptizabat*, dicit evangelista Joh. 4, v. 2. Verba illa: *Ego a te baptizari debeo* Nazianzenus orat. in sancta lumina et Hieronymus in c. 3. Matth. de baptismo Spiritus rectius accipiunt. Illa enim interpretatio desumta est ex ipsis verbis Johannis: *hic est, qui baptizat Spiritu sancto* Joh. 1, v. 33. Vide Chemnicium cap. 17. harm. 4. evangelist.

An Act. 19. baptizati a Johanne iterum fuerint Christi baptismo baptizati.

62. Quod ergo ad locum Actor. 19. attinet, varie ab interpretibus illum exponi constat. 1. Ambrosius in c. 3. ad Galat. et lib. 1. de Spiritu sancto c. 3. statuit, Ephesios illos adulterino baptismate ex κακοζηλίᾳ sub nomine baptismi Johannis, non tam tinctos, quam sordidatos, aut certe non rite baptizatos, cum ex ipsorum confessione Spiritum sanctum esse personam a Patre et Filio distinctam nesciverint, sine quo non potest esse recta fides in Christum; a Paulo autem prius edoctos et postea vera baptismi forma in nomen Christi baptizatos fuisse. Haec explicatio confirmari posset eo, quod non simpliciter confitentur, se esse baptizatos Johannis baptismo, sed εἰς Ἰωάννου βάπτισμα. Jam vero non in Johannem, sed in solum Christum verus baptismus conferri debet, Rom. 6, v. 3. Galat. 3, v. 27. 1. Cor. 1, v. 13. Item quod absque nomine Spiritus sancti se baptizatos dicunt. Hanc explicationem urget Musculus in locis p. 332. Eandem sequuntur auctores hist. eccles. cent. 1. lib. 2. c. 4. p. 354. 2. Lombardus lib. 4. sent. dist. 2. et Alensis statuunt, illos quidem a Johanne baptizatos esse, sed spem in illo baptismo posuisse, nec fidem Trinitatis habuisse, ideoque iterum fuisse baptizandos. Reliquos autem, qui non posuerunt spem in eo baptismo et fidem Trinitatis habuerunt, non fuisse denuo baptizatos. 3. Ex recentioribus quidam vocabulum baptismi in priore parte historiae accipiunt proprie pro baptismo aquae, in posteriori autem parte accipiunt metaphorice pro admirandis Spiritus sancti donis per impositionem manuum in primitiva ecclesia ab apostolis conferri solitis, ut sit sensus v. 5: *Baptizati sunt in nomine Jesu*, hoc est cum Paulus imposuisset illis manus, acceperunt peculiaria Spiritus sancti dona. Haec explicatio confirmari posset ex eo, quod vox baptismi eo sensu in Scripturis accipiatur. Actor. 1, v. 5: *Baptizabimini Spiritu sancto* etc. Qua ratione versiculus 6. esset ἐπεξήγησις versus quinti praecedentis et in verbis apostoli v. 4. esset ἔλλειψις καὶ ἀνανταπόδοτον. Addenda enim fuisset ἀντίθεσις, Christum scilicet baptizare Spiritu et igne. Nos secuti D. Chemnicium amplectimur simplicissimam explicationem, quae grammaticam verborum sententiam intuetur. Posselius in syntaxi Graeca recte monet, quod particulae μέν et δέ in oratione sese mutuo consequantur, ita ut altera vocula alteri necessario correspondeat; ex quo intelligitur, versiculum quintum complere sententiam ver-

siculi quarti, atque hos duos versiculos ita cohaerere, ut ambo contineant sermonem Pauli de baptismo Johannis. Verba haec sunt: *Johannes qui-*
IX. 121. *dem baptizavit baptismo poenitentiae dicens populo, ut crederent in eum, qui venturus esset, hoc est in Christum Jesum. Illi vero, qui audierunt,* hoc est qui doctrinam Baptistae de Christo receperunt, *baptizati sunt in nomen Domini Jesu.* Ostendit apostolus modum ac rationem baptismi Johannis, nimirum quod primo populum docuerit de Christo venturo, postea demum illos baptizaverit. Sequitur v. 6: *Et cum Paulus illis imposuisset manus, venit Spiritus sanctus super eos.* Illa jam sunt verba evangelistae Lucae, ubi particula καὶ respondet versui tertio et quarto. Haec explicatio convenit cum eo, quod sub finem capitis 18. de Apollone, *qui tantum baptisma Johannis noverat,* scribitur, *ipsum quidem accuratius in via Domini institutum, aqua autem non fuisse denuo baptizatum.* Et collationis gratia huc referri potest locus Actor. 8, v. 14: *Cum audissent apostoli, quod Samaria recepisset verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Johannem;* v. 15: *qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum;* v. 16: *nondum enim in quemquam illorum supervenerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu;* v. 17: *tunc imponebant manus super ipsos et accipiebant Spiritum sanctum.*

Exceptiones Bellarmini. 63. Huic explicationi Bellarminus c. 22. §. sexta expositio haec obvertit: *1. Si verba illa his auditis baptizati sunt* etc. *pertinent ad populum, cui loquebatur Johannes, sequetur, populum illum bis baptizatum a Johanne, aut certe Paulum rem illam non bene narrasse.* Respondemus: inconsequens est haec illatio. Paulus primum in genere dicit de toto ministerio Johannis, quod baptizaverit baptismo poenitentiae, hoc est quod concionibus et baptismo ad poenitentiam homines provocaverit; postea in specie declarat, quo ordine et modo baptismum suum administraverit, scilicet quod primum hortatus fuerit auditores, ut in Christum crederent, postea demum illos in nomen Christi baptizaverit, perinde ut apostolos Christus jubet *praedicare evangelium et docere omnes gentes,* postea *in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti baptizare,* Matth. 28, v. 19. Marc. 16, v. 16. *2. Vel duodecim illi viri sunt jussu Pauli baptizati baptismo Christi, vel non. Si sunt baptizati, est id, quod nos contendimus; si non sunt baptizati, quorsum pertinet illa narratio Pauli? certe supervacanea videtur. Non enim alia de causa Paulus monuit eos, qui baptizati erant solo baptismo Johannis, ipsum Johannem praedicasse Christum, nisi ut intelligerent, esse necessarium praeterea Christi baptismum.* Respondemus: ex ipso contextu vera causa satis est manifesta. v. 2. quaerit apostolus, an Spiritum sanctum, hoc est
IX. 122. visibilem Spiritus sancti effusionem et miraculosa ejusdem dona, quae cum baptismo apostolorum solebant esse conjuncta, acceperint. (Ita enim vox Spiritus accipitur Joh. 7, v. 39. Actor. 1, v. 5. Atque eo sensu hoc loco accipiendam esse patet ex v. 6. hujus capitis.) Cumque Ephesii eo modo Spiritum sanctum accepisse negarent, imo etiam se nescire, an sit Spiritus sanctus, hoc est, an dentur etiam aliis credentibus talia miraculosa Spiritus sancti dona, diserte profiterentur, quaerendo pergit apostolus v. 3. εἰς τί οὖν ἐβαπτίσθητε, *in quid sive quare ergo baptizati estis,* id est, an non ergo baptismum suscepistis ab apostolis? Cumque illi responderent, se in Johannis baptisma esse baptizatos, hoc est a Johanne (sicut phrasis illa accipitur 1. Cor. 10, v. 2: *Omnes in Moysen baptizati sunt*), hac occasione apostolus de discrimine baptismi Johannis et apostolorum disserit, quod scilicet in baptismo Johannis non fuerit facta visibilis effusio donorum Spiritus sancti sicut in baptismo apostolorum post Christi glorificationem. Joh. 7, v. 39. et tandem per impositionem manuum peculiaria illa Spiritus sancti dona ipsis impetrat.

64. Stapletonus majoribus viribus hanc interpre- Exceptiones Stapletoni.
tationem aggreditur, cujus exceptiones antequam proferamus, monemus, duodecim illos viros, non nisi Johannis baptismo baptizatos, vocari *discipulos* v. 1. *et credentes* v. 2. Utique ergo Johannis baptismus ad discipulos Christi faciendos ac proinde ad fidem et remissionem peccatorum fuit efficax. Sine fide enim nemo potest Deo placere aut Christi esse discipulus. Ubi autem vera fides, ibi gratiosa Spiritus sancti inhabitatio. 1. Cor. 12, v. 3: *Nemo potest Jesum vocare Dominum nisi in Spiritu sancto.* Sic vero Stapletonus in antid. Act. apost. p. 534. et seqq. contra hanc explicationem insurgit: *1. Stante ea sequeretur, Johannem baptizasse in nomine Domini Jesu.* Respondemus: ita est. In ejus enim nomen baptizavit, quem praedicavit. Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto c. 3. Hieronymus in c. 2. Joëlis, Hugo de S. Victore lib. 2. de sacram. part. 6. c. 6. ex hoc ipso loco docent, *Johannem baptizasse in nomine venturi Messiae.* **Johannes baptizavit in Christum venturum, non ratione incarnationis, digito quippe monstrabat eum, sed ratione futurae plenariae per passionem satisfactionis.** *2. Johannes baptizavit dicens, ut in Christum venturum crederent. Ergo in ipso nomine Christi non baptizavit.* Respondemus: invertimus argumentum. Ut docuit Christum venturum, imo tam venientem, quam praesentem digito demonstravit; ita quoque in nomine Christi venturi, adeoque jam venientis et praesentis baptizavit. Quale fuit ministerium Johannis in docendo, tale etiam in baptizando. *3. Non potuit Johannes baptizare in virtute, potestate et instituto Christi, quia redemtio generis humani necdum peracta.* Respondemus: virtus illa nequaquam restringenda est ad momentum actualis passionis in cruce, sed propter infinitatem personae extendit se ad tempus praeteritum et futurum, unde agnus *ab origine mundi occisus dicitur,* Apoc. 13, v. 8. Ipsi apostoli ante Christi passionem baptizarunt Joh. 4, v. 2. quid, num et illorum baptismum omni spirituali efficacia destitu-

tum fuisse asserent? *4. Si Ephesii illi baptizati fuissent in nomine Jesu, non dicerent, se baptizatos esse baptismo Johannis.* Respondemus: subordinata non sunt opponenda. Vocatur baptismus Johannis, non quod Johannes in suo nomine baptismum contulerit, sed quia Johannes non erat ex numero apostolorum Christi, qui tamen primus divino mandato hoc sacramentum inchoaverat et administraverat. Discedit hoc loco Stapletonus a Lombardo, Alensi, Thoma, Paludano etc. qui omnes statuunt, Johannem baptizasse in nomine venturi. *5. Non fuisset necessarium, ut Paulus quaedam diceret ad extenuationem baptismi Johannis.* Respondemus: ubi vero extenuat? quin imo collaudat et approbat, cum
IX. 123. fuerit baptismus poenitentiae in remissionem peccatorum, licet miraculosa illa Spiritus sancti dona non contulerit, nec tantam spiritualium donorum copiam habuerit conjunctam.

Sententia Augustini de loco Actor. 19.

65. Nec tamen dissimulamus, Augustinum et alios statuere, quod duodecim illi viri a Johanne baptizati aqua iterum baptizati fuerint, quodque in genere baptizatis a Johanne necessarium fuerit baptismum Christi suscipere; ex eo autem nondum potest firma et immota consequentia deduci, quod Johannis baptismus fuerit plane inefficax ad remissionem peccatorum et salutem. 1. Quia multi a Johanne baptizati mortui fuerunt, antequam Christi baptismum suscipere possent, quos a salute aeterna exclusos fuisse nequaquam dicendum. 2. Qui circumcisi erant, illis necessarium fuit Johannis baptisma suscipere, nihilo tamen minus circumcisio erat *sigillum justitiae fidei*, hoc est remissionis peccatorum per fidem in venturum Messiam, Rom. 4, v. 11. Ut ergo ex necessitate baptismi a Johanne suscipiendi nihil decidit spirituali efficaciae circumcisionis; ita ex necessitate baptismi ab apostolis suscipiendi nihil decedet spirituali efficaciae baptismi Johannis. 3. Sed ut illis, qui in venturum Messiam circumcisi erant, necessarium fuit Deo per Johannis ministerium patefacienti, Messiam in propinquo esse, fidem adhibere et baptismum Johannis suscipere;
IX. 124. ita quoque baptizatis a Johanne in Christum jamjam venturum necessarium erat Deo per apostolorum ministerium patefacienti, Messiam jam venisse et opus redemtionis perfecisse, fidem adhibere et baptismum apostolorum suscipere, quae necessitas ex ordinatione divina dependeret, nequaquam vero vel circumcisionem vel baptismum Johannis omni spirituali efficacia destitutum argueret.

Quaestiones circa causam instrumentalem baptismi. 1. An quis se ipsum baptizare debeat.

66. Atque haec dicta sint de baptismo Johannis atque in universum de causa instrumentali sive ministro baptismi; antequam vero hinc abeamus, exponenda sunt aliquot quaestiones. *1. An quis se ipsum baptizare debeat?* Scholastici negant, 1. quia mutaretur forma verborum: *Ego baptizo te* etc. quorum loco dicendum foret: *Ego baptizo me in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti.* 2. Quia in baptismi institutione personae duae, videlicet baptizantis et baptizati, diserte exprimuntur: *Euntes docete omnes gentes et baptizate eos.* 3. Sicut nemo potest se ipsum generare; ita nemo debet se ipsum regenerare. Panormitanus in c. debitum de baptismo et ejus effectu: *Nemo potest se ipsum baptizare, etiam instante necessitatis articulo, quia necessitas non facit deficere solennitatem substantialem et quia regeneratio spiritualis debet sequi naturalem in quantum potest; ut igitur nemo potest se corporaliter, ita nec spiritualiter regenerare.* Addunt alii 4. quod Christus ipse a Johanne baptizari voluerit, quodsi in ullo homine, certe in Christo propria baptismi dispensatio locum habuisset. Pro parte affirmante haec argumenta formari possunt: 1. Abrahamus circumcidit se ipsum Genes. 17, v. 24. Jam vero baptismus successit in locum circumcisionis Col. 2, v. 11. 2. Ubicunque substantialia baptismi haberi possunt, ibi baptismus conferendus; jam vero ministri qualitas non pertinet ad baptismi substantialia. 3. Quemadmodum sibi ipsi coenam sacram minister ecclesiae distribuit, ita quoque catechumenus se ipsum baptizare poterit, cum baptismus, utpote sacramentum initiationis, magis necessarius sit, quam eucharistia. 4. Ut ministri dicuntur *se ipsos salvare* 1. Tim. 4, v. 16. ita quoque non erit absurdum, catechumenum per baptismum se ipsum regenerare, sustineret enim in hac actione duplicem personam. Argumenta priora evidenter probant, quod extra casum necessitatis nemo debeat se ipsum baptizare; an vero posteriora efficaciter demonstrent, catechumenum in casu extremae necessitatis se ipsum baptizare posse, in medio relinquimus, cum talis casus rarissime contingat.

2. An baptismus a non baptizato collatus sit legitimus.

67. *2. An baptismus administratus ab eo, qui ipse non est baptizatus, ratus sit habendus?* Gregorius II. pontifex Romanus irritum eum pronuntiat cap. Quos a paganis dist. 4. de consecrat. Nicolaus I. ratum illum habet in rescripto, quod legitur inter decreta tom. 3. concil. Idem statuit Thomas part. 3. q. 67. art. 5. Augustinus libr. 7. de bapt. c. 53. et lib. 2. contra epist. Parmen. c. 13. in dubio relinquit, dicit enim, se non audere rem determinare. Pro affirmante quaestionis parte proferimus haec argumenta: 1. Personae baptizantis qualitas nihil addit vel demit integritati baptismi, modo substantialia observentur. *Baptisma est tale, qualis ille, in cujus potestate datur, non qualis ille, per cujus ministerium datur.* **Bellarminus lib. 1. de sacram. bapt. c. 7: *Res jam definita est in concilio generali, ut Augustinus cupiebat. Nam in Florentino concilio habetur in casu necessitatis licere laico, seu viro, seu feminae, seu Christiano, seu pagano baptizare, modo adsint materia, forma et intentio debita. Et ratio idem suadet. Nam cum non requiratur in ministro baptismi fides aut probitas, aut ordinatio, ut notum est; nulla est ratio, cur non sit verum baptisma, quod a pagano aut Judaeo confertur, si adsint ea, quae necessaria sunt ad baptismi essentiam.* Augustinus lib. 7. de bapt. c. 53. aperte dicit, *si sententia ipsius quaeratur, se responsurum, baptismum esse ratum a quocunque et ubicunque traditum, modo verbis evangelicis consecratum.*** 2. Jo-

IX. 125. hannes Baptista aliis baptismum contulit, cum tamen ipse baptizatus non fuerit. Bellarminus lib. 1. de bapt. c. 23. existimat, Johannem a Christo baptizatum fuisse, argumento ducto ex verbis Johannis: *Ego a te debeo baptizari.* Sed praeterquam quod hoc incertum, unde ipse Bellarminus vocat *conjecturam*, nec satis conveniens verbis evangelistae Joh. 4, v. 2. *Jesus non baptizabat*, unde veteres de baptismo Spiritus verba Baptistae recte exponunt; accedit etiam hoc, quod ex hypothesi Bellarmini Johannes tunc demum fuisset baptizatus, cum Christum prius baptizasset, jam vero series historiae evangelicae ostendit, ante Christi baptismum alios a Johanne baptizatos fuisse, in illis igitur Johannis non baptizati baptismus fuit ratus. 3. Thomas utitur hac ratiocinatione: Licet uti aqua quacunque. Ergo ministro quocunque. 4. Sicut verbum ab eo, qui nondum regeneratus et vere conversus est, praedicatum in aliis per Spiritus sancti gratiam et operationem est efficax; ita baptismus a non baptizato collatus judicandus est efficax et ratus.

1 An baptismi administratio committenda ministro alterutrius manus seu destituto.

68. *3. An baptismi administratio committenda ministro alterutrius manus usu destituto?* Aureolus lib. 4. sent. distinct. 5. quaest. 1. statuit, quod non habens manus non possit administrare baptismum; definit enim ministrum baptismi, *quod sit viator quilibet unus personaliter distinctus, potens contingere et verba proferre intendens in habitu facere, quod facit ecclesia, vel de quo praesumitur, quod intendat.* Petrus de Palude dist. ead. disputat, quod sit verus baptismus, si quis manus usu destitutus proferret verba et mutus aquam in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti affunderet. Alii vero negant, talem baptismum esse ratum. Respondemus: baptismi administrationem non esse committendam alicui alterutrius manus ministerio destituto propter ecclesiae scandalum, interim tamen si baptismus a tali ministro collatus fuerit, ratum esse judicandum, cum omnia substantialia fuerint observata. Ex quo etiam intelligitur, quid statuendum de eo, an plures ministri simul aliquem baptizare possint, ita ut alter aquam affundat, alter vero verba baptismi substantialia proferat? utrumque ab uno eodemque ministro proficisci debet, ut vere dicat: Ego te baptizo etc.

Materia sive externum elementum in baptismo est aqua.

69. A causa efficiente transitum facimus ad baptismi *materiam.* Externum baptismi elementum dicimus esse *aquam;* quod enim baptismus in aqua et per aquam fieri debeat, ac perinde nulli hominum liceat hoc externum elementum mutare atque aliud quiddam substituere, confirmatum damus his argumentis: 1. Johannes, qui primus Dei mandato hoc sacramentum administravit, non nisi aqua baptizavit. *Ego baptizo aqua*, inquit Matth. 3, v. 11. Marc. 1, v. 8. Luc. 3, v. 16. Joh. 1, v. 26. *Johannes aqua baptizavit*, inquit Christus Actor. 1, v. 5. et Petrus Actor. 11, v. 16. *Baptizavit in Jordane* Matth. 3, v. 6. etc. Atque in *Aenon*
IX. 126. *prope Salem, ubi erant aquae multae* Joh. 3, v. 23. Ne quis scilicet cogitaret, aquas Jordanis tantummodo ad baptismum consecratas. 2. Apostoli cum ante, tum post Christi passionem non nisi aqua baptizarunt. Actor. 8, v. 36: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* Actor. 10, v. 47: *Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt?* 3. Oracula Scripturae, quae de externo baptismi elemento agunt, non nisi aquae mentionem faciunt. Joh. 3, v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu* etc. Ephes. 5, v. 26: *Mundat ecclesiam lavacro aquae in verbo.* 4. *Τὸ βαπτίζειν* proprie significat aquae immergere vel aqua adspergere, ut ostendimus superius §. 2. et 3. Reliquae significationes sunt metaphoricae. Jam vero in institutione sacramentorum verba proprie sunt intelligenda, ut suo loco plenius ostendemus. 5. Baptismus vocatur *aqua et lavacrum aquae* Joh. 3, v. 5. Ephes. 5, v. 26. Joh. 5, v. 6. nimirum quia externum baptismi elementum, ac visibilis ejusdem materia est aqua. 6. Quo etiam pertinent typi V. T. superius enumerati, videlicet diluvium, transitus Israëlitarum per mare rubrum, lotiones Leviticae, aqua expiationis, Naamanis septena in Jordane ablutio etc. Qui typi omnes ostendunt, aquam esse baptismi materiam. 7. Christus in Jordane baptizatus Jordanis et reliquas aquas ad salutarem baptismum consecravit Matth. 3, v. 16. etc. 8. Ex latere Christi in cruce pendentis profluxit *sanguis et aqua*, gemina ecclesiae sacramenta, per quae Christo ecclesia colligitur, sicut ex latere Adae dormientis aedificata est Eva, Genes. 2, v. 22. Joh. 19, v. 34. 9. Inter tres testes in terris connumeratur *aqua* baptismi symbolum, 1. Joh. 5, v. 8. 10. Idem docent pii veteres. Augustinus tract. 15. et 80. in Joh. libr. de catech. rudibus c. 3. Ambrosius libr. 1. de initiandis c. 4. etc. **Breviter probatur, aquam requiri 1. ex mandato et institutione ipsius Christi Joh. 1, v. 33. Joh. 3, v. 5; 2. ex omnibus locis, in quibus baptismus describitur, Ephes. 5, v. 26. Tit. 3, v. 5. 1. Joh. 5, v. 6; 3. ex notatione nominis. Baptizare enim significat immersionem seu adspersionem in aqua; 4. ex Baptistae et apostolorum exemplo Joh. 1, v. 26. 31. Joh. 3, v. 23. Actor. 8, v. 36. c. 10, v. 47; 5. a baptismo Christi, qui non alio elemento peractus legitur Matth. 3, v. 16; 6. ex typis V. T. Genes. 6, v. 7. Exod. 15, v. 25; 7. ab aquae in verbo Dei inclusione et cum nomine sacrosanctae Trinitatis conjunctione; 8. a communi omnium lavacrorum materia.** Ex quibus omnibus apparet, aquam esse externum hujus sacramenti elementum a Deo institutum, ab apostolis usurpatum; an vero aqua fluminum, sive maris, sive fontium, sive stagnorum usurpetur, itemque an aqua sit calida, frigida vel tepida, nihil quicquam ad sacramenti veritatem atque integritatem interesse judicandum. Vide Arnobium in Psalm. 74. Johannes et discipuli Christi ex fluentis quamvis obviam sumsere aquam Walafridus Strabo de reb. eccles. c. 26: *Sciendum, primo simpliciter in fluviis vel fontibus baptizatos credentes.*

Errores de materia baptismi.

70. Discedimus igitur ab omnibus, qui hanc divinae institutionis partem in baptismo mutant. *1. Seleuciani et Hermiani* circa annum 380. non aqua, sed igni baptizandum existimabant. Philastrius de haeresibus cap. de Seleucianis. Augustinus de haeresibus c. 59. *2. Pauliciani* pro elemento aquae substituebant illa verba Christi: *Ego sum aqua viva* Joh. 4, v. 14. *3. Jacobitae* circa annum 390. aquae baptismatis loco ferro candente crucis figuram frontibus imprimebant. Bernardus Luxemb. in chronol. Quo referendi sunt Indi Aethiopes Abyssini dicti sub presbytero Johanne, qui baptizandos charactere stellae signare consueverunt. *4. Manichaei* aquam ad baptismum adhiberi nolebant, propterea quod illam a malo Deo conditam opinarentur. Augustinus de haeres. c. 46. *5. Flagellantes* non aqua, sed sanguine proprio, eoque flagellis excusso atque expresso baptizandum esse dicebant. Trithemius in chronol. *6. Quidam sectatores*
IX. 127. *Marci haeretici* baptizandos non ad aquam, sed ad liquorem ex oleo et aqua mistum deducebant eumque capitibus illorum primum infundebant, postea opobalsamo inungebant. 7. Illegitimus, imo nullus fuit baptismus Judaei, qui per loca arida et deserta iter faciens ac in morbum letalem incidens *arena* in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti conspersus est circa annum 241. Nicephorus libr. 3. histor. c. 37. Cedrenus fol. 206. unde Dionysius Alexandrinus cum sua ecclesia recte decrevit, Judaeum illum aqua juxta Christi institutionem baptizandum esse. 8. Improbanda praepostera religio mulierecularum, quae ex fastu huic sexui innato, *aquam rosaceam* vel alium liquorem ex herbis extractum loco elementaris aquae in baptismo adhibent.

An Lutherus usum lactis vel cerevisiae in baptismo concesserit.

71. Bellarminus lib. 1. de baptismo c. 2. *Lutherum* graviter accusat, quod in colloquiis convivalibus interrogatus, num deficiente aqua liceat baptizare in lacte vel cerevisia, primum quidem responderit, *id divino judicio committendum*, deinde vero subjunxerit, *quidquid balnei nomine appellari potest, illud esse aquam ad baptizandum sive sit vinum, sive lac, sive cerevisia.* **Sandaeus quoque Jesuita Herbipolensis in themate seculari de secta Protest. deserenda thes. 110. dicit, *Lutherum in lib. de capt. Babylon. docere, quicquid dici potest balneum, id esse idoneum ad baptismum.*** Respondemus: 1. Liber ille convivalium colloquiorum talis est, qui Luthero nec visus, nec lectus, nec approbatus. 2. Contrarium habet Lutherus in concionibus de baptismo Dessaviae habitis concione 2. tom. 7. Jenensi Germ. p. 469: *Esto* (inquit) *persona sit impia et incredula, dummodo institutionem Christi inviolatam servet et non vino, cerevisia, lixivio, vel alia quapiam re, sed aqua cum adjuncto verbo Dei utatur, tunc est et vocatur sacrum baptisma.* 3. Notae esse debebant Bellarmino Scholasticorum aliorumque Pontificiorum scriptorum disputationes. Guido de monte Rocherii in manipul. curatorum de baptismo c. 2: *In lixivio, si aqua inveniri non possit, posset fieri baptismus, cum lixivium nihil aliud sit, quam aqua colata per cineres. Et propter eandem rationem dicunt aliqui doctores, quod in urina propter defectum aquae posset baptizari, quod non credo verum, quia urina non est aqua, sed humor resolutus a cibis comestis. Nonne in jure carnium fieri posset baptismus, ubi alia aqua inveniri non potest? Dicendum, quod aut tanta resolutio carnium est facta in illo jure, quod desiit esse species aquae et est alia species de novo generata, et tunc non potest fieri baptismus, aut non est ibi tanta resolutio carnium facta, et tunc fieri potest et in tali jure baptizari. Quando autem talis resolutio sit facta, quando non potest perpendi ex spissitudine; si enim sit tanta spissitudo juris, quanta est in carne vel aliquantulum minor, non credo, quod illo jure posset baptizari. Idem dico de luto, si scilicet aqua exprimatur ex illo, in aqua illa expressa posset fieri baptismus.* Eodem modo Richardus libr. 4. sent. dist. 3. art. 3. quaest. 3. concludit, quod *in aqua paludosa fieri possit baptismus.* Toletus IX. 128.
libr. 2. de casibus conscientiae c. 18: *Potest esse baptismus in lixivio, brodio carnium vel piscium, quando non est notabilis mixtio, ut aqua non sit. Potest etiam esse aqua expressa a luto, si qua exprimatur, licet sit cum terra. Similiter in aqua sulphurea.* Idem statuit Gregorius de Valent. tom. 4. disput. 4. quaest. 1. 4. Notum etiam esse debebat Bellarmino, quod Volaterranus lib. 7. geograph. scribit, Innocentium VIII. permisisse usum alterius liquoris in coena pro vino in Norvegiis, ubi vinum non provenit, nec diu conservari potest.

Bezae sententia de quovis liquore exploditur.

72. Huc referendum, quod Beza epistol. 2. ad Thom. Tilium in operibus vol. 3. p. 196. scribit: *Desit aqua et tamen baptismus alicujus differri cum aedificatione non possit, ego certe quovis alio liquore non minus rite quam aqua baptizarim.* **Bezae opinionem approbat Anton. Sadeel volum. oper. theol. 429.** Respondemus: 1. Argumenta superius adducta evidenter probant, aquam, non autem alium quemvis liquorem esse externum hujus sacramenti elementum; sacramenta in substantialibus non sunt mutanda. Jam vero aqua pertinet ad ipsam baptismi substantiam, quippe cum sit ejus materia ab ipso Deo instituta et ordinata etc. Quidquid non constat verbo mandati et promissionis, non est sacramentum vel pars sacramenti. Atqui nullus liquor praeter solam aquam habet verbum mandati et promissionis. Ergo. **Essentiale, quod ad rei essentiam constituendam requiritur, sine mutatione essentiae mutari nequit. At aqua est pars essentialis baptismi, quod concedit Trelcat. instit. p. 189. ubi praeter aquae elementum rem aliam substantialem non admittit. Bellarminus lib. 1. de bapt. c. 2. p. 215. *nullum liquorem esse materiam baptismi, qui non sit vera et naturalis aqua*, et Costerus in augmento enchir. p. 57. *ejus materiam non esse quemvis liquorem, sed aquam naturalem*, adserunt. Et si licet baptizare alio liquore, licebit adorandum nomen Trinitatis elemento in verbo Dei non expresso nec mandato

annectere. Consequens absurdum, quia nomen Dei non est assumendum, in vanum. Exod. 20, v. 7.** Quod Christus in suo baptismo non consecravit, non potest esse lavacrum regenerationis. Atqui solam aquam Christus in baptismo solo consecravit. Ergo. Fides et verbum habent se correlate. Substituere liquorem alium in aquae locum destituitur omni Dei verbo. Ergo non fit ex fide. 2. Baptizatus alio liquore perpetuis diaboli tentationibus exponetur, semper enim dubitabit, an rite sit baptizatus, cum aqua tanquam essentialis pars abfuerit. 3. Opponimus igitur Bezae complicum suorum saniores sententias. Calvinus lib. 4. instit. c. 15. §. 16: *Nihil hic est vel sanctius, vel melius, vel tutius, quam unius Christi auctoritate nos esse contentos.* Zacharias Ursinus part. 1. oper. theolog. fol. 345. in disp. de sacram. in genere thesi 24. edit. ann. 1587: *Signo mutato, vel in alium usum converso, vel pacto non observato sponsoris consensus amittitur, sine quo nihil confirmat arrhabo vel signum, ut si sponsus det annulum, non proderit sponsae suppositum monile vel nummus, non agnoscet enim hunc arrhabonem, qui dederat annulum.* Bucanus de baptismo loco 47. p. 626: *Materia externa baptismi est aqua vera, pura, munda et naturalis et sine discrimine simplex, vulgaris et obvia, non mixta, non medicata, non facta, non stillatitia, nec alius liquor simplex et vulgaris, non oleum, non sanguis, non ignis non sabulum, aut aliud quodvis elementum.* Beza ipse part. 2. resp. ad act. colloq. Mompelg. p. 41. et 42. edit. Genev. ann. 1588. statuit: *Baptismum et sanguinem proprie esse partes essentiales baptismi.* Atqui sublata parte essentiali, non potest salva manere totius essentia.

Argumentum pro opinione Bezae. IX. 129.

73. Posset autem pro opinione Bezae de quovis liquore in casu necessitatis adhibendo afferri hoc, quod *in casu necessitatis esset dispositio de ministro ecclesiae ordinario baptismi collatore.* Respondemus: est dispar ratio in illis, quae ut paria hoc loco conferuntur. Ministri baptizantis qualitas non est pars essentialis baptismi, cum causa efficiens, praesertim ministerialis, nunquam ingrediatur rei essentiam; sed aqua est materia ac proinde pars baptismi essentialis, ergo in casu necessitatis alius quam ordinarius ecclesiae minister ad baptizandi ministerium adhiberi poterit, nequaquam vero alius liquor in aquae locum substitui. Deinde quod laici in casu extremae necessitatis admittuntur ad baptizandum, in eo nihil agitur contra expressam baptismi institutionem, quin potius nititur id exemplis non contemnendis, sed mutatio aquae in alium quemvis liquorem ipsi institutioni hujus sacramenti repugnat.

Consecratio aquae Pontificia.

74. Pontificii aquam in baptismo adhibendam in vigilia Paschatos et Pentecostes certis ritibus et exorcismis prius consecrant, quam postea vocant benedictam. Catech. Rom. p. 308: *Aqua, qua ad baptismum utimur, prius paranda et addito mysticae benedictionis oleo consecranda est, idque non nisi in vigiliis Paschae et Pentecostes fieri debet.* Respondemus: 1. consecratio illa aquae destituitur verbo Dei. 2. Caret exemplo Johannis et apostolorum, qui obviam quamvis aquam baptismati adhibuerunt. Justinus apol. 2. pro Christ. p. 73. *credentes catechumenos eo adduci* ait, *ubi est aqua, qua loti regenerantur;* ex quo constat, simplicem et communem aquam ad baptizandum olim fuisse adhibitam. 3. Derogat elemento aquae, quae per se est bona Dei creatura nullis indigens exorcismis, quin etiam per institutionem Christi baptismo consecrata, in ipso Christi baptismo sanctificata, imo in actu ipso baptizandi per verbum Dei, per preces et Spiritum sanctum fit aqua salutaris abluendis criminibus apta. Augustinus serm. 37. de temp.: *Omnes aquae a Christo in Jordane consecratae sunt.* 4. Consecrationem illam aquae Pontificii non habent pro ritu adiaphoro, sed necessaria divini cultus parte. Bonaventura libr. 4. sent. dist. 3. concedit, *quod non de necessitate, sed de congruo requiratur, ut aqua baptismatis sit prius sanctificata a presbytero;* interim tamen addit, *sacerdotem baptizantem in aqua non sanctificata extra necessitatis casum peccare mortaliter. Baptismus debet fieri cum chrismate illius anni, aliter punitur sacerdos, si contra fecerit nisi* in necessitate c. Si quis de alio. dist. 4. de consecr. Ita quoque Toletanus lib. 2. de casibus consc. c. 18: *Peccat mortaliter, qui in aqua non benedicta baptizat.*

Quaestiones circa materiam baptismi. 1. Quare Deus in aqua baptismum fieri voluerit.

75. Quaeritur hoc loco: *1. Quare Deus in aqua baptismum fieri voluerit?* Respondemus: quamvis rationes divinorum consiliorum nobis non semper constent, cum Deus sit mirabilis in operibus suis, non tamen absurde dicitur, placuisse Deo ad sacratissimum baptismi sacramentum aquam adhiberi, 1. propter vaticiniorum ac typorum V. T. veritatem; 2. propter summam hujus sacramenti necessitatem, ut scilicet ubivis materia baptismi esset obvia, nec propter defectum homines periculum salutis incurrerent; 3. propter aquae naturalis proprietatem. Sicut aqua sordes corporis abluit, sic baptismus abluit sortes mentis. Ezech. 36, v. 25: *Effundam super vos aquam mundam et mundabimini ab omnibus immunditiis vestris.* 1. Petr. 3, v. 21: *Baptisma non est depositio sordium carnis, sed conscientiae bonae interrogatio erga Deum.* Ambrosius in c. 6. ad Rom.: *Ideo per aquam celebratur baptismus, ut sicut aqua sordes corporis abluit, ita et nos per baptismum ab omni peccato spiritualiter purgatos nos et innovatos credamus, ut quod incorporale est, invisibiliter abluatur.* Ut aqua humum foecundari et rigari oportet ad fructificandum; sic per aquam baptismi datur Spiritus s. per quem ad omnis generis opera bona frugiferi reddimur. Ut aqua sitim corporis sedat; sic aestus irae divinae in corde peccatoris gratia baptismi restinguitur et refrigeratur. Hieronymus epist. 83. ad Ocean.: *Aqua refrigerat; sic baptismus praestat refrige-* IX. 130.
rium contra concupiscentiae ardorem. Rom. 6, v. 6: *Vetus noster homo simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.* Aqua exstinguit ignem, sic

baptismus exstinguit ignem infernalem. Marc. 16, v. 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Algerus lib. 3. de euchar. c. 4: *Quia aqua exstinguit, mundat et candidat prae ceteris liquoribus, ideo etiam in baptismate carnis incentivam restinguit, peccatorum tam originalis quam actualium labem abluit et innocentiae candorem reducit.* Anselmus in c. 3. Matth.: *Quaeritur, quare in aqua fieri voluit remissionis sacramentum? scilicet ut flammeum gladium, scilicet ignem gehennalem, nobis exstingueret, quia aqua contrarium est elementum igni.* Aqua submergit; sic baptismus omnem potestatem diabolicam et carnem peccatricem submergit. Aqua est corpus diaphanum et transparens, luminis susceptivum; sic baptismus lumen fidei praestat, unde *φωτισμὸς* a veteribus dicitur. Aqua est argumentum et indicium benedictionis divinae. Lev. 26, v. 4: *Benedicam vobis et dabo vobis pluviam in tempore oportuno;* sic lavacrum baptismi est benedictionis spiritualis medium. Basilius lib. de Spiritu s. c. 15: *Cum duo scopi in baptismo propositi sint abolere scilicet corpus peccati, ut non amplius morti fructum ferat et vivere Spiritu fructumque habere in sanctificatione; aqua quidem mortis imaginem exhibet, velut in sepulchro corpus excipiens; Spiritus autem vivificam vim immittit, a morte peccati ad vitam ab initio animas nostras renovans. Hoc igitur est ex supernis natum esse, ex aqua et Spiritu, nimirum dum mortificatio nostra perficitur in aqua et vitam nostram operatur Spiritus.* Panormitanus in cap. Non ut apponens de bapt.: *Aqua est igni contraria, peccatum autem comparatur igni.* 4. Propter Spiritus sancti aquis in prima creatione incubantis majestatem. Quemadmodum enim Spiritus s. in prima universi creatione *aquis incubabat* easdemque frugiferas faciebat Genes. 1, v. 3. ita quoque placuit Deo ad regenerationem, quae est *ἀνάκτισις*, secunda creatio, aquam adhiberi, quae virtute Spiritus sancti est efficax regenerationis et renovationis medium. Damascenus lib. 2. orthod. fidei c. 9: *πρώτῳ τῷ ὕδατι προσέταξεν ὁ θεὸς ἐξαγαγεῖν ψυχὴν ζῶσαν, ἐπειδὴ ἤμελλε διὰ ὕδαιος καὶ τοῦ ἐν ἀρχῇ ἐπιφερομένου τοῖς ὕδασιν ἁγίου πνεύματος ἀνακαινίζειν τὸν ἄνθρωπον, τοῦτο γὰρ ὁ θεῖος ἔφη Βασίλειος.* Hrabanus lib. 5. de serm. propr. c. 11: *Voluit Deus, ut res seu gratia hujus sacramenti invisibilis per convenientiam, per contrectabile et visibile impenderetur elementum, super quod etiam in principio ferebatur Spiritus.* Aqua principium fuit reliquarum rerum creatarum, unde dicitur: *ὠκεανὸς γένεσις πάντεσσι τέτυκται;* sic baptismi aqua est regenerationis principium.

2. An aqua paludosa, cocta, sulphurea.

76. *2. An aqua paludosa, cocta, sulphurea* etc. *in baptismo sit utendum?* Respondemus: Johannes et Christi discipuli e fluentis limpidam sumserunt aquam, unde merito liquores putidos, lutosos, sulphureos etc. improbamus. Hebr. 10, v. 22: *Abluti corda aqua munda.* Angelus de Clavisio in summa tit. baptismus c. 3. quaest. 3: *Ad cognoscendam aquam sacramento isti debitam attendi debet primo origo, et sic saliva, urina* etc. *non sunt materia debita; secundo ad speciem aquae, hoc est ut sit liquida, non condensata, et sic glacies, nix, lutum non est debita materia; tertio ut sapor alterius cujusdam liquoris non tollat aquae virtutem, et sic aqua vino mixta non est materia debita; quarto ut possit lavare, et sic aqua in linteo vel lana non est materia debita, nisi exprimatur; quinto ut sit aqua materialis, non artificialis, et sic aqua rosea, aqua supernatans emisso sanguini, aquae chymistarum* etc. *non est debita materia.*

3. Quare Johannes in fluvio Jordanis potissimum baptizaverit.

77. *3. Quare Johannes in fluvio Jordanis potissimum baptizaverit?* Respondemus: factum id propter typos. Aqua enim Jordanis Naamani lepram abluit, 2. Reg. 5. sic baptismus a peccati lepra mundat. Per Jordanis fluvium Israëlitae terram promissionis ingressi sunt; *sic baptismus nos salvat* IX. 131. 1. Petr. 3, v. 21. et ad promissam regni coelestis hereditatem traducit. In Jordane Deus incepit Josuam exaltare, Jos. 3, v. 7. sic coelestis Pater Filium suum Jesum Christum apud idem flumen publice manifestare et exaltare in baptismo voluit. Jordanis flumen regionem Israëlitarum a regione gentilium dividit; sic baptismus Christianos ab infidelibus secernit.

4. Quid de facto Constantini statuendum, qui in Jordane baptizari voluit.

78. *4. Quid statuendum de eo, quod Constantinus Magnus in Jordane fluvio, ubi servator baptizatus esset, baptizari voluit ideoque ad finem usque ad annum aetatis 65. baptismum suum distulit?* ita namque Eusebius lib. 4. de vita Constant. c. 61: *Quum ei* (Constantino) *in mentem veniret extremus ejus vitae dies existimaretque, hoc tempus oportunum esse ad delenda illa errata, quae quoniam mortalis erat, admiserat, crederetque, arcanorum mysteriorum efficacia et salutaris lavacri initiatione mentem expiari; haec, inquam, cum ei in mentem venirent, humi procumbens genibus et in ipsa martyrum aede* (Helenopoli) *errata sua confessus supplicem se Deo offerebat; ubi primum manuum per precationem impositione dignus habitus est, inde discedens ad suburbana Nicomediae civitatis pervenit et convocatis episcopis ita fere ad eos locutus est.* c. 62: *Quam ego, fratres, avida mente omnibusque votis a Deo salutem multis hisce annis deprecatus sum, eam nunc hodiernus dies a me vehementer exspectatus attulit. Tempus igitur est, ut tandem insigni illo, per quod immortalitatem adipiscemur, perfruamur. Quod ego etsi in illius Jordani gurgitibus, in quibus servator noster ad nostrum exemplum lavatus esse memoratur, facere constitueram, tamen Deus, quod mihi maxime accommodatum esse cernens, hoc in loco eisdem mysteriis dignatur; omnis igitur amoveatur disputatio* etc. Theodoretus lib. 1. hist. eccles. c. 31. Evagrius lib. 3. hist. c. 41: *Constantinus in ipso aetatis extremo tempore Nicomediae baptismi lavacro tinctus illudque ad id temporis propterea distulit, quod magnopere cupiebat in Jordane fluvio baptizari.* Huc pertinet quod Eusebius de locis Hebr. interprete Hieronymo refert, *multos in Bethabara trans Jordanem, ubi Jo-*

hannes baptizabat, baptizari voluisse. Respondemus: Christus non solum Jordanis, sed omnes omnino aquas ad baptismum salutarem consecravit, ideo Johannes non solum in Jordane, sed etiam *in Enon prope Salem* baptizavit Joh. 3, v. 23. et apostoli quavis aqua obvia in baptismo usi sunt, Actor. 8, v. 38. nequaquam vero baptizandos ad Jordanem deduxerunt, unde etiam mirabili Dei providentia factum, ut Constantinus morbo urgente desiderium illud suum explere non potuerit. Tertullianus lib. de baptis.: *Neque quicquam refert inter eos, quos Johannes in Jordane et quos Petrus in Tiberi tinxit.*

Aqua baptismi est verbo Dei comprehensa.

79. Quamvis vero externa et visibilis baptismi materia sit aqua, quae suam substantiam ac proprietates naturales in baptismo ac post baptismum retinet, tamen aqua baptismi non est simpliciter aqua, sed est aqua mandato Dei comprehensa et verbo Dei conjuncta, unde efficitur salutaris aqua vitae et lavacrum regenerationis ac renovationis in Spiritu s. Ephes. 5, v. 26. dicitur *lavacrum aquae in verbo.* Augustinus tr. 80. in Joh.: *Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum.* Hugo de sacram. p. 6. c. 2: *Baptismus est aqua diluendis criminibus sanctificata per verbum Dei.* Lutherus in catech. min.: *Baptismus non est simpliciter aqua, sed aqua mandato Dei septa et verbo Dei conjuncta.* In catech. majori: *Iterum atque iterum repetens moneo, ne haec duo, verbum et aquam, ullo modo disjungi ac divelli patiamur. Separato enim verbo inde non alia est aqua atque illa, qua in culina utimur etc., sed conjuncto verbo, sicut Christus ordinavit et instituit, tum sacramentum est ac Christi baptismus dicitur.* In art. Schmalc. c. 5: *Baptismus nihil aliud est quam verbum Dei cum mersione in aquam secundum ipsius institutionem et mandatum, sive ut Paulus inquit, lavacrum aquae in verbo.* Tam igitur ad partes essentiales baptismi requiritur verbum, quam
IX. 132. aqua, quippe quod aquae tribuit vim sacramentalem regenerandi, renovandi ac salvandi, sine quo aqua esset ac maneret simpliciter aqua, neque vim illam coelestem obtineret. Verbum illud in sacramento baptismi spectatum distribuitur in tres classes. Est enim *1. verbum mandati* de administrando baptismo; *2. verbum ordinationis divinae* de baptismo administrando in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; *3. verbum promissionis* de fructu et efficacia baptismi: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* ** Lutherus tom. 6. Jen. Germ. p. 281. b: Die Taufe ist Wasser und Gottes Wort, beide aus seinem Befehl geordnet und gegeben. Denn also hat er befohlen, daß man soll die Creatur (nämlich Wasser) dazu nehmen und die Worte in seinem Namen sprechen. Darum wenn dies Beides also aus seinem Befehl geschieht, so heißt es und ist ungezweifelt eine Ruhm-Taufe, also daß diese drei Stücke immediate bei einander bleiben und keines ohne das andere sei, als zusammen verbunden wie eine Kette, ja zusammen verbleibt wie ein Glied im andern. ** Cum autem verbum mandati pertineat ad causam efficientem, verbum promissionis ad finem et effectum, reliquum erit, verbum ordinationis divinae proprie esse partem essentialem, quae una cum aqua hoc salutare sacramentum constituit.

Verus sensus verborum: Ego te baptizo in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti.

80. Accurate igitur consideranda sunt verba institutionis divinae, quae proponuntur Matth. 28, v. 19: *Euntes docete omnes gentes et baptizate eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti;* ex quibus apparet, vi hujus mandati et institutionis divinae nomen Patris, Filii et Spiritus sancti super baptizatum invocari et in baptismo aquae conjungi. Quando igitur minister baptizans dicit: *Ego te baptizo in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti*, eo sensu haec verba sunt accipienda: 1. Quod baptismus non sit ceremonia quaedam ab hominibus excogitata, sed ordinatio veri Dei et sanctum sacramentum divinitus institutum, ab eo scilicet, qui est unus in essentia (unde non dicit in nominibus tanquam multis, sed in nomine tanquam unius veri Dei) ac trinus in personis, quae distincte exprimuntur, quod sint Pater, Filius et Spiritus sanctus. 2. Quod hoc sacramentum non administret privato arbitrio, sed loco Dei, cujus est minister et mysteriorum dispensator; quando ergo minister baptizat, eo loco habendum est, ac si Deus ipse baptizasset. 2. Cor. 2, v. 10: *Si quid condonavi, propter vos condonavi in persona Christi.* 2. Cor. 5, v. 20: *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* 3. Quod super hanc baptismi aquam invocetur nomen Patris, Filii et Spiritus sancti unius veri Dei, ut in hac actione a se mandata juxta promissionem suam adsit et baptizatum in gratiam recipiat. 4. Quod baptismi aqua non amplius sit nude et simpliciter aqua, sed talis aqua, per quam tota sacrosancta Trinitas velit in salutem baptizati esse efficax adeoque per quam in hac ipsa baptizandi actione efficaciter juxta promissionem suam operetur: *Ego baptizo te in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti*, id est ego testificor, quod per hoc sacramentum in foedus Dei recipiaris, quod Pater acceptet te in filium, quod Filius abluat te a peccatis suo sanguine ac veste justitiae te induat, quod Spiritus sanctus te regeneret ac renovet ad vitam aeternam, ut hac ratione in posterum sis filius Dei Patris, frater Christi et habitaculum Spiritus sancti. Pater nominatur ut causa largiens; Filius ut causa promerens; Spiritus sanctus ut causa obsignans. 5. Quod baptizatus in foedus Dei per hoc sacramentum receptus hac ratione obligetur, ut unum illum verum Deum Patrem, Filium et Spiritum sanctum, ex verbo suo agnoscat, invocet et colat ipsique unice serviat ac sub vexillo Christi contra Satanam et omnia ejus organa atque opera militet.

Paraphrasis exegetica illorum verborum. IX. 133.

81. Haec omnia ut breviter complectamur, dicimus, hunc esse verborum baptismi sensum: Ego minister verbi non meo nomine aut privato ausu vel arbitrio, sed mandato, auctoritate, institutione atque ordinatione adeoque nomine et loco Christi, summi ecclesiae pontificis et mediatoris et salvatoris nostri unici, baptizo te, hoc est aqua verbo Dei

sanctificata te perfundo in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti, hoc est mandato et invocatione veri Dei, unius in essentia ac trini in personis, videlicet Patris, Filii et Spiritus sancti, illum oro, ut in gratiam te recipiat, peccata tibi remittat et salutem aeternam conferat ac vere testificor te in gratiam a Deo Patre recipi, sanguine Filii mediatoris a peccatis ablui et Spiritu sancto ad vitam aeternam te regenerante ac renovante obsignari; ac scias, te εἰς ὄνομα, in nomen, unius illius veri Dei baptizari, id est obligari ad illius agnitionem, invocationem ac cultum etc. Hanc esse vim hujus phraseos in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti baptizari patet ex sequentibus Scripturae locis. Exod. 5, v. 23: *Moyses loquebatur in nomine Dei ad Pharaonem.* Deut. 18, v. 7: *Levitae serviunt in nomine Dei;* v. 20: *quando propheta praesumserit loqui in meo nomine, quod non praecepi ei.* 1. Sam 17, v. 45: *Venio ad te in nomine Dei Zebaoth.* 2. Sam. 6, v. 18: *David benedicebat populo in nomine Dei.* 1. Reg. 18, v. 32: *Elias exstruxit altare in nomine Dei.* Matth. 18, v. 20: *Ubi duo vel tres congregati in nomine meo.* Marc. 9, v. 39: *In Christi nomine virtutes facere.* Joh. 16, v. 23: *Quicquid rogaveritis Patrem in nomine meo.* Ex his et similibus locis apparet, in nomine Dei aliquid loqui vel agere idem esse, quod mandato Dei, loco Dei, in vera invocatione Dei, virtute Dei, in vera erga Deum fiducia, ad gloriam Dei etc. aliquid loqui vel agere. Lutherus tom. 2. lat. fol. 286. a: *Cum dicit (minister): Ego baptizo te in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti. Amen. non dicit: ego baptizo te in nomine meo, quasi dicat, id quod facio, non mea auctoritate, sed vice et nomine Dei facio, ut non aliter habeas, quam si ipse Deus visibiliter fecisset. Auctor et minister diversi sunt, sed opus idem utriusque imo solius auctoris per ministerium meum. Sic enim ego arbitror, in nomine referre personam auctoris, ut non tantum sit nomen Domini praetendere et invocare in opere, sed ipsum opus tanquam alienum alterius nomine et vice implere.*

Tota sacrosancta Trinitas in baptismo gratia sua praesens est.

82. Deinde cum nomen Dei nihil aliud sit quam ipse Deus, Psalm. 48, v. 11: *Secundum nomen tuum Deus, sic laus tua usque ad fines terrae.* 2. Paral. 14, v. 11: *Tibi confidimus et in nomine tuo venimus contra multitudinem istam;* et vero nomen Patris, Filii et Spiritus sancti juxta Christi institutionem cum aqua baptismi conjungatur; inde consequitur, totam sacrosanctam Trinitatem in baptismo gratia sua praesentem et per aquam baptismi ad salutem hominum efficacem esse; ut sit talis verborum institutionis sensus: *Baptizate in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti*, hoc est quando vi hujus institutionis et mandati juxta formam praescriptam baptismum administratis, non est nuda quaedam externa ceremonia, lavacrum aliquod externum, sed praesentia gratiae adest huic actioni Deus Pater, adest Deus Filius, adest Deus Spiritus sanctus. Neque haec est otiosa praesentia, sed Deus Pater per baptismum recipit baptizatum in gratiam propter me constitutum generis humani mediatorem ac redemtorem. Ego Filius abluo ipsum a peccatis meo sanguine ipsique dono justitiam meam, participem eum facio meorum beneficiorum etc. Spiritus sanctus baptizatum regenerat ac renovat, quin et promissionem coelestis hereditatis in ipsius corde obsignat. Lutherus tom. 6. Jenensi Germ. fol. 282. 283: *Deus suum nomen ipsi aquae adjunxit, ut jam nomen Dei cum aqua baptismi sit plane unum inseparabiliter mixtum, possitque aqua deificata aut divina vocari.* Ergo pars baptismi substantialis altera est nomen totius venerandae Trinitatis, Patris, Filii et Spiritus sancti, hoc est ipsa infinita majestas, ineffabilis sanctitas, inenarrabilis bonitas, admiranda virtus et gratia totius sacrosanctae Trinitatis, quae cum omni virtute sua et beneficiis gratiae per aquam verbo unitam et sanctificatam efficax est.

IX. 134. Spiritus sanctus in, cum et per aquam baptismi efficaciter agit.

83. Tertio, cum Spiritus sanctus sit tertia Trinitatis persona, cumque baptismus non solum in Patris ac Filii, sed etiam Spiritus sancti nomine conferatur, inde sequitur, Spiritum sanctum in, cum et per aquam baptismi efficaciter agere, fidem, regenerationem et renovationem in illis, qui Deo non reluctantur, operari ac foedus gratiae in cordibus baptizatorum obsignare. Joh. 3, v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest intrare regnum coelorum.* (Spiritus sanctus nominatur solus, quippe cui regenerationis opus peculiariter tribui solet, is baptismi aquam salutare regenerationis medium efficit, non tamen excluduntur personae reliquae, cum opera Trinitatis ad extra sint indivisa, servato tamen ordine et discrimine personarum) 2. Cor. 1, v. 21: *Deus est qui confirmat nos vobiscum in Christum et qui unxit nos;* v. 22: *qui et obsignavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Ephes. 1, v. 13. c. 4, v. 30: *Obsignati estis credentes Spiritu promissionis sancto.* Sicut Spiritus s. supernaturaliter et singulariter conjunctus erat cum columba, in qua descendebat super Christum in baptismo Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Joh. 1. ita adhuc hodie cum aqua baptismi supernaturaliter et singulariter conjungitur. Sicut cum flatu discipulis dabatur Spiritus sanctus, Joh. 20, v. 22. ita per baptismi aquam donatur hominibus. Sicut aqua ab igne calefacta itidem ut ignis calefacit; ita quoque aqua virtute Spiritus sancti sacramentaliter et vere sibi conjuncta regenerat. Cyprianus de baptismo Christi: *Spiritus sanctus invisibiliter manum totius bonitatis apponit et plenitudinem gratiae divinae unctionis pinguedo sanctificationibus officialibus infundit et rem sacramenti consummat ac perficit.* Concilium Nicaenum in can. de baptismo: *Baptisma nostrum non sensibilibus oculis, sed mentalibus considerandum est; aquam vides, sed tamen considera Dei potentiam, quae latet occulta in aquis, nos enim Spiritu sancto et igne baptizari, sacra testantur eloquia.* Nazianzenus orat. 40. in s. bapt. p. 641: διπτων ὄντων ἡμῶν, ἐκ ψυχῆς λέγω καὶ σώματος, καὶ τῆς μὲν ὁρατῆς, τῆς δὲ ἀοράτου φύ-

σεως, διπτὴ καὶ ἡ κάθαρσις, δι' ὕδατός τε φημὶ καὶ πνεύματος, τοῦ μὲν θεωρητικῶς τε καὶ σωματικῶς λαμβανομένου, τοῦ δὲ ἀσωμάτως καὶ ἀθεωρήτως συντρέχοντος, καὶ τοῦ μὲν τυπικοῦ, τοῦ δὲ ἀληθινοῦ καὶ τὰ βάθη καθαίροντος. Ambrosius lib. 1. de sacram. c. 5. tom, 4. p. 430: *Non omnis aqua sanat, sed aqua sanat, quae habet gratiam Christi. Aliud est elementum, aliud consecratio, aliud opus, aliud operatio. Aqua opus est, operatio Spiritus sancti est; non sanat aqua, nisi Spiritus sanctus descenderit et aquam illam consecraverit.* Idem tom. 5. in c. 3. Luc.: *Aqua corpus abluitur, Spiritu animae delicta mundantur.* Basilius in Psalm. 22: *Cum istud elementum aquae acceperit Spiritum sanctum, fit sacramentum et jam non erit aqua potationis, sed sanctificationis.* Augustinus epist. 23. ad Bonifacium: *Aqua exhibens forinsecus sacramentum gratiae et Spiritus operans intrinsecus beneficium gratiae regenerat hominem in uno Christo ex uno Adam generatum.* Idem lib. qq. ex N. T. c. 59: *Sicut sordes corporeas aqua, ita Spiritus animam abluit a peccatis.* Inde dulcissimi versus Paulini epist. 12. ad Serenum:

Sanctus in hunc coelo descendit Spiritus amnem
Coelestique sacras fonte maritat aquas.
Concipit unde Deum sanctamque liquoribus almis
Edit ab aeterno semine progeniem.

Itemque alii recentioris cujusdam poetae Christiani:

Flamma, liquor, verbum coëunt hic foedere in uno,
Inde sacro virtus tanta subest latici.

Haymo in c. 6. Rom.: *In baptismate tria sunt corporalia et visibilia et tria incorporalia atque invisibilia. Visibilia, ut sacerdos, corpus baptizandum et aqua; tria invisibilia: fides et anima, quae abluitur a*
IX. 135. *peccatis et Spiritus, quo cooperante remissio peccatorum datur.* Johan. Ferus in c. 3. Joh.: *Sicut in generatione carnali pater et mater, sic in spirituali Deus pater, ecclesia autem mater; et Deus quidem Spiritum dat, ecclesia vero aquam.* Et postea: *Quemadmodum aqua viribus ignis intensius calefacta non aliter quam ignis urit; sic hic aqua Spiritus sancti operatione, quam sibi adjunctam habet, in divinam reformatur virtutem, qua baptizati corpus abstergit.* Chrysostomus hom. 35. in c. 5. Joh.: *Quemadmodum hujus aquae natura per se non sanabat, siquidem semper sanasset, sed duntaxat cum ab angelo movebatur; ita et in nobis non simplex aqua operatur, sed cum Spiritus gratiam accipit, omnia peccata abluit.* **Chrysostomus hom. 1. in Act. apol. p. 445: *Sed quomodo dicitur baptizabimini, cum aqua non esset in coenaculo? quia in baptismo praecipua pars est Spiritus, per quem et aqua fit efficax.* D. Jac. Andreae referente Beza p. 2. resp. p. 52. dixit: *Spiritus s. tanquam principalis et substantialis pars baptismi* (si ita loqui licet) *in verbo comprehensus et inclusus est.***

Qua ratione Spiritus s. adsit in baptismo.

84. In omni ergo baptismo juxta Christi institutionem administrato adest Spiritus s. 1. ratione essentiae ut et reliquae Trinitatis personae; 2. quoad oblationem salutaris efficaciae et beneficiorum Christi; 3. quoad obsignationem foederis inter Deum et baptizatum initi quovis tempore ex parte Dei rati. Cum vero baptizatorum quidam sint hypocritae, actuali impoenitentia et incredulitate Deo reluctantes; quidam vere pii et credentes, ut adulti, vel certe Deo non resistentes, ut infantes, ideo alia ratione adest Spiritus s. in baptismo hypocritarum et vere credentium. In credentium baptismo concurrit Spiritus sanctus non solum ratione essentiae et quoad gratiae oblationem et foederis ex parte Dei obsignationem, sed etiam ratione efficaciae salutaris in actuali regeneratione et renovatione, itemque ratione actualis et reciprocae obligationis foederis inter Deum et baptizatum initi. In baptismo hypocritarum concurrit non solum quoad oblationem beneficiorum (Spiritus sanctus enim vi factae promissionis promtus est ad operationem salutarem in illis exercendam, si non resistant) et quoad obsignationem foederis ex parte Dei (quamvis enim hypocritae, quamdiu in impoenitentia et incredulitate perseverant, fructum foederis non percipiant, tamen vi foederis semel facti, quod ex parte Dei semper est ratum ac *ἀμεταμέλητον*, Deus gratiam suam baptizato promtam atque obviam exponit, ad quam per poenitentiam ipsis baptizatis perpetuo patet aditus, per quam baptismus eis incipit esse salutaris); sed etiam quoad judicium, quod Spiritus sanctus per baptismum in incredulis exercet.

Sanguinem Christi a baptismo non esse excludendum.

85. Denique cum Filius Dei in plenitudine temporis veram humanam naturam assumserit sibique personaliter et inseparabiliter univerit, inde sequitur, Christum non solum secundum divinam naturam, sed etiam secundum humanam in baptismo praesentem esse, ac proinde sanguinem Christi nequaquam a baptismo excludendum. Adest enim 1. *ratione substantiae*, quia Filius Dei carnem et sanguinem in unitatem personae suae assumsit jamque post factam unionem in, cum et per naturam humanam omnia opera mediatoris perficit, ideo totus Christus *θεάνθρωπος* huic sacramento adesse dicendus; 2. *ratione meriti*, quia fructus baptismi provenit ex sanguine Christi in ara crucis pro peccatis nostris effuso; omnia sacramenta efficaciam et fructum habent ex passione Christi. Joh. 19, v. 34: *Ex latere Christi profluxerunt sanguis et aqua; 3. ratione efficaciae*, quia in baptismo per Christi sanguinem a peccatis mundamur. 1. Joh. 1, v. 8: *Sanguis Jesu Christi Filii Dei emundat nos ab omni peccato; 4. quia in mortem Christi* baptizamur, Rom. 6, v. 3. jam vero mors Christi complectitur etiam sanguinis effusionem. Ad haec membra, praesertim IX. 136.
vero ad tertium, respicit D. Lutherus, quando tom. 6. Jen. Germ. p. 306. scribit: *Baptizari nihil aliud est quam roseo illo et pretioso Christi sanguine lavari ac mundari.* Ibid.: *Baptismus nobis intuendus est ut merus sanguis Christi Filii Dei et merus ignis Spiritus sancti, in quo Filius Dei sanguine suo nos sanctificat et Spiritus sanctus igne suo nos abluit et Pater suo lucis splendore nos vivificat.* in c. 49. Gen. p. 228: *Non male dicitur, nos ba-*

ptisari, absolvi in sanguine vel virtute sanguinis Filii Dei, habent enim efficaciam suam sacramenta ex vulneribus et sanguine Christi. ** Lutherus tom. 6. Jen. Germ. aus Herzog Georgen Buch p. 226: Wer in Christo getauft wird, der wird durch sein Leiden und Blut getauft, oder daß ichs deutlicher sage, durch die Taufe wird er im Blut Christi gebadet und gereinigt von Sünden, daher sie St. Paulus ein Bad der Wiedergeburt nennet, wie auch die Christen sagen und malen, daß die Sacramente aus den Wunden Christi fließen, und ist recht geredet und gemalet. tom. eod. im 2. Theil der Predigten von der Heil. Taufe p. 287. a schreibt er, man soll das Sacrament der Taufe ansehen als viel Blut des Sohnes GOttes und eitel Feuer des Heil. Geistes, darin der Sohn durch sein Blut heiliget, der Heil. Geist durch sein Feuer badet, der Vater durch sein Licht und Glanz lebendig machet.** Postill. eccles. part. 3. p. 34: Das Blut Christi wird kräftiglich in die Wasser-Taufe gemenget, daß man sie nun also nicht soll ansehen und halten vor schlecht lauter Wasser, sondern als schön gefärbet und durchröthet mit dem theuren rosinfarbenen Blut des lieben Heilands Christi, daß es nicht heiße ein gemein Wasserbad, wie Moses oder der Bader geben kann, sondern eine heilsame Blut-Taufe oder Blut-Bad, welches allein Christus durch seinen eignen Tod zugerichtet hat. Quo pertinent verba cantionis ecclesiasticae: Das Aug' allein das Wasser sieht, Wie Menschen Wasser gießen, Der Glaub' allein die Kraft versteht Des Blutes Jesu Christi, Und ist für ihn ein rothe Fluth Durch Christi Blut gefärbet ꝛc. Ocellus ut fit adspicit effusio liquoris, Sed Spiritu vim percipit CHRISTI fides cruoris; Fluenta sanguinis rubra videntur hac tuente, Quae cuncta sanat vulnera accepta de parente, et quolibet patrante. Qua in parte Lutherus sequitur pios veteres. Cyprianus serm. de resurr. Christi: *Baptizantur in nube et mari Hebraei et jam Spiritu sancto et sanguine Christi mundatur a peccatis populus Dei.* Ambrosius libr. 4. de iis, qui initiantur myst. c. 4. tom. 4. p. 423: *Hinc cognosce, quod aqua non mundat sine Spiritu, ideoque legisti, quod tres testes in baptismate unum sint, aqua, sanguis et Spiritus, quia si unum horum detrahas, non stat baptismatis sacramentum; quid enim est aqua sine cruce Christi? Elementum commune sine ullo sacramenti effectu, nec iterum sine aqua regenerationis mysterium est.* Idem libr. 3. de Spiritu s. cap. 11: *Audi, quomodo testis Spiritus mentem renovat, aqua proficit ad lavacrum, sanguis spectat ad pretium. Spiritus enim nos per adoptionem filios Dei fecit, sacri fontis unda nos abluit, sanguis Domini nos redemit.* Augustinus tract. 11. in Joh.: *Unde rubet baptismus Christi nisi sanguine Christi consecratus?* quem locum allegans Joach. Westphal de bapt. fol. 211. sic scribit: *Decet Christianos intueri merita sanguinis Christi, quae in baptismate dispensantur et intelligere, quasi tinctum esse sanguine Christi. Nam verbum promissae salutis additum est baptismo, quod complectitur, offert ac distribuit parta Christi sanguine merita ac beneficia. Pretiosus sanguis Christi facit baptismum pretiosum, salutarem et ita efficacem, ut baptismo ablui idem sit, quod lavari et mundari sanguine Christi; unde ait Johannes in Apocalypsi, eos, qui baptizati sunt in Christum, sanguine Christi lotos esse.*

§6. Ex his omnibus facile apparet, quid statuendum sit de parte substantiali altera hujus sacramenti, quam esse dicimus *verbum*, sive quod idem est, *nomen totius sacrosanctae Trinitatis*, in quo baptizamur. Quamvis enim sacrosancta Trinitas sit causa efficiens, instituens ac ordinans hoc sacramentum, nihil tamen impedit, quominus dicamus, nomen sacrosantae Trinitatis esse partem substantialem alteram, cum verbum institutionis ac promissionis testetur, Deum Patrem, Filium et Spiritum sanctum cum omnibus gratiae beneficiis in baptismo adesse. Christus est causa efficiens, instituens et ordinans sacrae coenae mysterium, idem tamen suo corpore et sanguine in eo nos cibat ac potat, sicut idem in ara crucis est sacerdos, altare et victima. Qui Calvinum sequuntur, inter aquam et sanguinem Christi, quem statuunt esse rem coelestem ac partem materialem alteram hujus baptismi. Talem introducunt analogiam, quod quemadmodum aqua abluit sordes corporis, ita sanguis Christi abluat sordes mentis. ** Beza part. 2. resp. p. 41. 42. *Christi sanguinem esse partem essentialem baptismi*, disputat. Bucanus loc. 47. q. 22. p. 667: *Quae est materia interna baptismi? Res signata, eaque tum sanguis et spiritus Jesu Christi, qui aquae respondent, tum insitio incorporatioque in Christum per Spiritum sanctum* etc. *quae res significata pars etiam essentialis et forma interna baptismi dici potest.* Ursinus tom. 1. in thesibus de baptismo thes. 7. p. 762: *Est igitur in baptismo duplex aqua; externa et visibilis terrena, quae est elementaris et interna, invisibilis, coelestis, quae est sanguis et spiritus Christi.* ** Sed quid de analogia illa dicendum sit, suo manifestum erit loco. Quamvis vero CHRISTUS θεάνθρωπος in baptismo praesens sit suoque sanguine mediante fide nos a peccatis abluat; tamen sanguinem Christi non satis commode partem baptismi materialem alteram dici posse gravissimi theologi statuunt 1. quia in verbis institutionis non fit expressa mentio sanguinis CHRISTI, sicut in eucharistia. Jam vero de substantialibus partibus sacramentorum judicandum est ex propria institutionis sede; 2. distinctae sunt quaestiones de essentia baptismi ac de ejusdem efficacia. Prior quaestio exponitur Matth. 28, v. 19. posterior Marc. 16, v. 16. Ratione efficaciae omnino fit adspersio sanguinis Christi in baptismo; interim tamen ex eo non potest inferri, quod proprie et accurate loquendo sanguis CHRISTI sit pars materialis baptismi altera; 3. ut excludantur πορίσματα adversae partis, quae sunt, sacramenta quoad substantiam non differre, analogiam sacramentalem aquae et sanguinis in baptismo esse tantummodo σχετικὴν et significativam; baptismum esse duplicem, interiorem unum per sanguinem CHRISTI et exteriorem per aquam. Item

IX. 137. Quae sit pars substantialis altera, coelestis scilicet in hoc sacramento.

aquam baptismi non esse regenerationis medium. Vid. Apol. Form. conc. p. 115. Th. Wirt. in colloq. Mom. 445. 450.

Forma baptismi. 87. Atque haec de materia baptismi dicta sint. Forma baptismi in actione consistit, videlicet in mersione hominis baptizandi in aquam, sive quod perinde est, in affusione aquae; ac deinde in recitatione verborum institutionis: *Ego te baptizo in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti*, ut in universum tres substantiales baptismi partes sint statuendae, quae non possunt divelli aut mutari, scilicet *aqua, verbum et actio*, quae complectitur mersionem hominis in aquam vel aquae adspersionem et recitationem verborum: *Ego te baptizo in nomine Patris,*
IX. 188. *Filii et Spiritus sancti.* Quod baptismi forma consistat in actione, patet ex generali illo theoremate superius comprobato, sacramentorum formam in actione consistere. Jam vero baptisma est sacramentum. Quod in hac certa ac determinata actione, videlicet in mersione hominis in aquam sive affusione aquae et recitatione verborum institutionis, baptismi forma consistat, probatur ex verbis institutionis: *Euntes docete omnes gentes et baptizate eos in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti*, ex quibus apparet, baptizare sive sacramentum baptismi administrare, nihil esse aliud quam in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti hominem in aquam mergere vel aqua perfundere; ac proinde utrumque requiri, videlicet hominis in aquam mersionem sive aquae affusionem et sacrosanctae Trinitatis invocationem, hoc est verborum institutionis recitationem. Non sufficit, invocari nomen Patris, Filii et Spiritus sancti super aquam baptismi, sed requiritur etiam, ut homo in aquam mergatur sive aqua perfundatur; vicissim non sufficit hominem in aquam mergere, vel aqua perfundere, sed requiritur, ut hoc fiat in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti. Quod non mersione solum, sed et affusione aquae baptismus legitime administrari possit, postea demonstrabitur.

88. ** Idem cum Bellarmino statuit Becanus de judic. controv. p. 81. §. 53: *Sensus verborum Christi Matth. 28, v. 19. verus et legitimus est, quod in baptismo pronuntiari debeant haec verba: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; et quod baptismus sine tali verborum pronuntiatione non sit validus. At si aliquis negaret, hunc esse sensum, et diceret, non esse opus pronuntiare haec verba* in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti, *sed sufficere, si quis inter baptizandum habeat internam voluntatem et intentionem baptizandi in nomine sanctissimae Trinitatis, quo illum confutaremus? an ex solis Scripturae verbis? nihil minus. Nam illa verba*, baptizantes eos in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti, *non dicunt, vocalem Trinitatis invocationem adhibendam; unde ergo constat oportere? ex praxi et traditione ecclesiae. Si hanc respuis, non habebis ullum praesidium contra adversarium, qui negaret, vocalem prolationem esse necessariam.* Respondemus: 1. Appellatio nominis clare innuit, in publica actione baptismi nominandum esse *Patrem, Filium et Spiritum sanctum.* 2. Diserte in nomine trium distinctarum personarum baptismus administrari praecipitur. 3. Quemadmodum officium docendi non est mutum, sic nec actio in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti debet aut potest esse muta. Quis enim alias ex gentibus sciret, quomodo et in cujus nomen baptizandae essent? aut unde ecclesiae constaret, hunc vel illum certo esse baptizatum? 4. Baptismus a vulgari ablutione aquae hoc ipso verbo et modo distinguitur, ut in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti administretur. Jam vero quod sacramentum baptismi a vulgari ablutione aquae distinguit, illud una cum externa et visibili ablutione omnibus innotescat necesse est, alioqui si externa ablutio saltem videretur, verbum vero non audiretur, nemo de vero ac legitimo baptismo certus esse posset. 5. Quicquid CHRISTUS apostolos eorumque successores in administratione publica baptismi inter Judaeos et gentes facere jussit, illud non occulta mentis intentione, sed publica actione et declaratione coram tota ecclesia absolvitur. Atqui baptizari jussit publice non simplici aquae adspersione, sed in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti. 6. Paulus inquit 1. Cor. 1, v. 13: *Num in nomine Pauli baptizati estis?* quae interrogatio luculenter ostendit, baptismum apud Corinthios ita fuisse administratum, ut certo sciverint, se in nomine Christi vel, ut verba baptismi habent, *in nomine Trinitatis* baptizatos esse. Unde vero hoc scire potuissent, si nominis istius in baptismo publice nulla facta fuisset mentio? Gualtherus cont. Becan. p. 228.**

An forma baptismi demonstrari possit ex verbo Dei scripto. Bellarminus lib. 1. de sacram. c. 19. et lib. 1. de bapt. c. 3. itidem negat, *formulam baptismi in ecclesiis nostris usitatam: Ego te baptizo in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti ex solo evangelio demonstrari posse, sed necessario ad traditiones recurrendum.* Respondemus: exstat disertum Christi mandatum: *baptizate in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti*, quod simul formam actionis expri- IX. 189.
mit, quae cum non possit, nec debeat esse muta, ideo minister exponit, tum quid agat, tum qua auctoritate. Itemque qua aqua baptizatum abluat. Et cum de se ac suo ministerio loquatur, ideo recte prima persona utitur: *ego te baptizo.* Sacramentorum usus applicationem requirit in singulis, qui illis utuntur Actor. 2, v. 38: *Baptizetur unusquisque vestrum.* Igitur verba haec, *baptizate eos*, non in genere efferuntur, sed ad unumquemque baptizandum diriguntur compellatione singulari et individua, videlicet *ego baptizo te.* Ecclesiae Graecae ** (ut et Moscoviticae, in opere de variis rer. Moscovitic. auctoribus p. 136.) ** utuntur tertia persona: *Baptizetur servus Domini in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti*, per quam licet integritati et efficaciae baptismi nihil decedat, tamen forma in ecclesiis nostris usitata convenientior est et proprius accedit ad mandatum Christi in baptismi institutione. Surius in comment. rerum gestarum anno Christi 1501. p. 23. refert, Alexandrum VI. cum percepisset, Ruthenos et alios quosdam in Lituania Graecorum

morem complexos ad Romanae ecclesiae consuetudinem se adjungere, sed interim non deesse, qui dicerent, eos necessario rebaptizari oportere, propterea quod more Graecorum in tertia persona essent baptizati, ad illos scripsisse, *quod revera baptismus conferatur, etiam cum in tertia persona dicatur, baptizetur hic;* quae decisio est verissima. Idemque decretum in concilio Florentino p. 28. Sed summa Angelica in verbo baptismus c. 2. q. 8. judicat, *securius esse, ut baptizatus a Graeco iterum baptizetur propter dubium, quia quidam contradicunt.*

Verba substantialia nec omitti nec mutari debere.

89. Cum ergo juxta institutionem Christi in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti baptizandum sit, inde colligitur: 1. verba illa non debere omitti; 2. nec debere mutari addendo vel detrahendo; 3. non esse verum baptismum, si verba omittantur vel mutentur. Quemadmodum enim non est verus baptismus, si loco aquae aliud quoddam externum elementum usurpatur; ita multo minus erit baptismus, si verba illa substantialia in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti omittantur vel mutentur, utrobique enim ab institutione Christi disceditur; 4. aquae baptismatis extra usum sacramentalem, hoc est extra immersionem vel affusionem in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti factam, non esse in se ac per se latentem aliquam coelestem virtutem tribuendam, nihil enim habet rationem sacramenti extra usum a Deo institutum; quando non amplius ad eum finem usurpatur, ad quem in sacramento est a Deo instituta, nullam amplius habet efficaciam, praeter quam communis aqua obtinet.

An sit baptismus, si verba mutentur.

90. Neque tamen externo verborum sono magicam quandam vim et occultam proprietatem asscribimus, quando non nisi in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti baptizandum esse asserimus; sed hoc ipso docemus et confitemur, veris Christi discipulis hoc incumbere, ut pia simplicitate verbis Christi inhae-
IX. 140. reant ac institutionem ejus inviolatam observent Joh. 8, v. 31: *Si in sermone meo manseritis, vere discipuli mei eritis.* Joh. 10, v. 27: *Oves meae vocem meam audiunt* etc. Quamvis enim sola venerandae Trinitatis gratia et operatio aquam baptismi regenerationis ac renovationis lavacrum faciat, tamen Christus sua institutione ad usum horum verborum in baptismo nos adstrinxit ac promisit, se per baptismum beneficia sua distributurum, si tanquam obedientes discipuli verba institutionis inviolate servemus. Ac quamvis videatur Nicolao I. ad consulta Bulg. c. a quodam dist. 4. de cons. Lomb. lib. 4. sent. dist. 3. lit. E. baptismatis integritati et efficaciae nihil decedere, si in nomine sacrosanctae Trinitatis absque expressa mentione personarum administretur, vel si verba quaedam explicationis gratia addantur: *Ego te baptizo in nomine Patris ingeniti, et Filii unigeniti et Spiritus s. ab utroque procedentis* (Justin. Apol. 2. pro Christianis p. 73: *ἐν ὀνόματι τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων καὶ δεσπότου θεοῦ, καὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Χριστοῦ Ἰησοῦ καὶ πνεύματος ἁγίου τὸ ἐν ὕδατι τότε λουτρὸν ποιοῦνται*); tamen tutissimum est verbis Christi inhaerere, nec alia quam a Christo ipso praescripta verborum forma uti; neque enim defuerunt Christo rationes, propter quas distinctam trium personarum mentionem in baptismo fieri voluerit, inter quas non postrema censenda est, quod omnes ac singulae tres personae hic agant ac beneficia sua baptizato dispensent: Pater recipit baptizatum in filium; Filius in fratrem ac discipulum; Spiritus s. in templum ac habitaculum. Sicut purum hominem non solus Pater potest formare, sed etiam Filius, ac Spiritus s.; ita in *ἀνακτίσει καὶ ἀναπλάσει* tota sacrosancta Trinitas operatur. Didymus lib. 2. de Spiritu s.: *Non arbitror quemquam tam vecordem atque insanum, ut perfectum baptisma putet, quod datur in nomine Patris et Filii, sine assumtione Spiritus s. aut certe in nomine Filii et Spiritus s. non praeposito vocabulo Patris.* Vide Origenem lib. 1. *περὶ ἀρχ.* Athanasium serm. 3. contra Arian. Damascenum lib. 4. orth. fid. c. 10. **Bellarminus lib. de bapt. c. 3. art. 7. in Luthero et Brentio errorem, imo Arianismum vocat pronuntiationem trium personarum in formula baptismi non esse de necessaria baptismi substantia. Idem tamen, imo pejus in quibusdam tum patribus Ambrosio, Beda, Bernhardo tum Catholicis Pontificiis, Hugone, Magistro sententiarum atque ipso Nicolao papa, non est error, sed *opinio tantum quaedam incommoda* judice eodem ibid. art. 8. cum eandem sententiam ibidem dicat esse *contra testimonia pontificum et contra traditiones omnium patrum. Si quaedam ecclesiae alia quadam formula uterentur, certis gravissimisque de causis, salva et invariata manente sententia verborum Christi, nos quidem morem illum non imitandum censeremus, neque tamen baptismum ista formula administratum judicaremus irritum, non enim literis aut syllabis dictionum magicam aliquam vim adscribimus, quo sensu haud dubie scripsit Lutherus in lib. de capt. Babyl. cap. de de sacr. bapt. tom. 2. Lat. fol. 272.* Quocunque modo tradatur baptismus, modo non in nomine hominis, sed in nomine Dei tradatur, vere salvum facit. Balduin. in c. 6. Rom. idem contra Pazmann. lib. 6. c. 5. p. 613: *Ut his verbis baptizetur,* baptizo te in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti, *nuspiam quidem expresse praeceptum est, ex verbis tamen institutionis illa formula recte retinetur. Non tamen ita est de necessitate, ut baptismus nullus sit et infans baptizatus rebaptizandus, si verba usitata praecise non serventur, ut docent Bellarminus lib. 1. de bapt. c. 4. Gregor. de Valent. tom. 4. disp. 4. q. 1. sed si forte aliquid in ea formula mutatum fuerit, salva tamen manente sententia, hoc est ut intelligantur tres personae, licet non omnes nominatim exprimantur, temerarius quidem est, qui sic baptizat et poena dignus, ipsi tamen baptismo nihil decedit, qui non a sono verborum, sed ab institutione Christi dependet.***

Quomodo intelligendum sit quod apostoli in nomine Christi dicuntur baptizasse.

91. *At,* inquis, *apostoli dicuntur baptizasse in nomine Jesu Christi,* Act. 2, v. 38. c. 10, v. 48 etc. Ergo licet alia verborum forma uti. Respondemus: Hardingus Pontificius scriptor art. 2. de comm. sub

una specie sect. 9. statuit, *apostolos ad tempus
ipsam essentialem verborum formam mutasse, qui-*
IX. 141. *bus Christus sacramentum baptismi administratum
voluerit, cum Christus jusserit baptizare in nomine
Patris, Filii et Spiritus sancti, illi vero baptizarint
in nomine Jesu Christi tantum, quo illud hoc
modo illustrius celebratiusque redderent.* Sed ne-
quaquam probabile est, apostolos a verbis institu-
tionis ab ipso Christo praescriptis discessisse, cum
voce coelitus delata eum audire et sequi fuerint
jussi. Ergo verba evangelistae Lucae non de causa
formali, sed efficiente et finali, nec dispensative, sed
recitative intelligenda sunt, hoc est non exprimitur
hic verborum forma, qua apostoli fuerint usi, sed
docetur, eos in Christi nomine baptismum admini-
strasse, inque fidem, doctrinam, agnitionem et nomen
Christi baptizasse, ut hac ratione baptizati Christo
fuerint obligati, quem pro unico mediatore ac pro-
misso Messia agnoscerent et colerent, utpote *in cujus
mortem fuerunt baptizati* Rom. 6, v. 3. perinde ut
Israëlitae dicuntur *in Moysen baptizati* 1. Cor. 10,
v. 2. hoc est pér mare rubrum a Moyse ducti sunt
(qui transitus fuit baptismi typus) atque eo ipso
obligati ad credendum illis, quae Moyses Dei nomine
ipsis annunciaturus erat. Ambrosius lib. 1. de Spi-
ritu s. c. 3. et ex eo Lombardus lib. 4. sent. dist. 3.
§. 2. monent, *nomine Christi totam sacrosanctam
Trinitatem exprimi. Cum Christum dicis, et Pater,
a quo unctus est, intelligitur, et ipse, qui unctus est,
et Spiritus sanctus, per quem unctus est.* Quod igi-
tur apostoli baptizarunt in nomine Patris, Filii et
Spiritus sancti, id compendiosa narratione Lucas ex-
primit, ipsos in Christi nomine baptizasse. Ita quo-
que Basilius: *περὶ τοῦ ἁγίου πνεύμ.* c. 12: *ἡ τοῦ
Χριστοῦ προσηγορία τοῦ παντός ἐστιν ὁμολογία, δηλοῦ
γὰρ τόντε χρίσαντα θεὸν, καὶ χρισθέντα υἱὸν, καὶ
τὸ χρίσμα τὸ πνεῦμα.* **Fulgentius lib. de incar-
nat. et gratia Domini nostri Jesu Christi c. 11.
p. 727: *Omnis qui in nomine et Patris et Filii et
Spiritus sancti sacramento sanctae regenerationis
abluitur, non nisi in Christi morte ac nomine ba-
ptizatur.* Eulogius serm. 2. apud Photium in bibl.
c. 190. post: *τὸ ἐν ταῖς Πράξεσιν εἰρημένον περὶ
τῶν ἐχόντων τὸ Ἰωάννου βάπτισμα, ὅτι ἀκούσαντες
δὲ ἐβαπτίσθησαν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, τοιοῦ-
τόν ἐστιν, ὅτι ἐβαπτίσθησαν κατὰ τὴν παράδοσιν καὶ
διδασκαλίαν τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, ὥστε καὶ ἀλλαχοῦ
ὅταν λέγῃ, ὅτι εἰς Χριστὸν, εἰς θάνατον τοῦ Χριστοῦ
ἐβαπτίσθησαν, τὴν αὐτὴν ἔννοιαν ὀφείλομεν ἐννοεῖν
δηλοῦσθαι, τουτέστιν, ὅτι εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς
καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐβαπτίσθησαν·
οὕτω γὰρ ἐδίδαξε καὶ παρέδωκε βαπτίζειν ὁ Κύριος
ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός. Quod in Actis dicitur de
iis qui habebant Johannis baptisma:* Audientes
vero baptizati sunt in nomen Domini Jesu, *ejusmodi
est, ut baptizati fuerint secundum traditionem et
doctrinam Domini Jesu. Quemadmodum alibi quo-
que cum dicitur:* baptizati sunt in Christum, *vel* in
mortem Christi, *eundem sensum concipere debemus,
hoc est baptizatos esse in nomen Patris et Filii et
Spiritus sancti. Sic enim docuit et tradidit Do-
minus noster Jesus Christus.*** Aureolus 4. sent.
dist. 3. statuit: *Dispensatum fuisse cum apostolis
in baptismi forma ad gloriam nominis Christi.*

92. Discedimus proinde ab omnibus, qui formam Errores circa formam baptismi.
verborum a Christo praescriptam ausu temerario
mutarunt. *1. Marcus haereticus* Valentini discipu-
lus cum suis sectatoribus *in nomen ignoti Patris
omnium, in veritatem matrem omnium, et in nomen
descendentis in Jesu ad unctionem et redemtionem
et communionem virtutum baptizabat, εἰς ὄνομα
ἀγνώστου πατρὸς τῶν ὅλων, εἰς ἀλήθειαν μητέρα
πάντων, εἰς τὸν κατελθόντα εἰς Ἰησοῦν, εἰς ἕνωσιν
καὶ ἀπολύτρωσιν καὶ κοινωνίαν τῶν δυνάμεων.*
Osiander cent. 2. hist. eccles. fol. 41. **Alfonsus
de Castro lib. 3. adv. haereses verbo *baptismus*
haeres. 2: *Quidam sic baptizant:* In nomine ignoti
Patris omnium et veritate omnium matre et in eo
qui descendit in Jesu. *Hi sunt Marcitae, discipuli
Marci cujusdam magicae artis periti, qui circa
tempora apostolorum fuit, de quo mentionem facit
Irenaeus lib. 1. adv. haer. c. 8. et Eusebius lib. 4.
hist. eccles. c. 11. Hic enim Marcus inter alios,
quos docuit, errores dixit,* quod is qui in lege et
prophetis praedicatus est Deus, non esset Pater Do-
mini nostri Jesu Christi, *Cerdonem et Marcionem
hac in parte secutus, quia ille quidem, ut dicebat,
ignotus esset, hic autem notus. Quapropter ab hoc
errore discipuli hujus Marci procedentes sic ba-
ptisma conficiebant:* In nomine ignoti Patris etc.
*Alii vero ex ejusdem sectatoribus Hebraica nomina
ad pavorem audientium super eos, quos initiant, terri-
biliter loquuntur. De Paulianistis et Cataphrygibus
dicitur, quod in nomine Trinitatis minime baptizant,
ut habetur 1. q. cap. Paulianistae. Quapropter in
concilio Niceno praeceptum est, ut cum ad eccle-
siam catholicam aliqui ex illis redierint, rebapti-
zentur, quoniam veram baptismi formam non te-
nuerunt atque ideo nec verum baptisma.*** 2. Ire-
naeus lib. 1. c. 18. p. 72. de *Gnosticis* dicit, quod
quidam ipsorum Marci haeretici formam secuti fue- IX. 142.
rint, *ἄλλοι δὲ ἑβραϊκά τινα ὀνόματα ἐπιλέγουσι πρὸς
τὸ μᾶλλον καταπλήξασθαι τοὺς τελειομένους οὕτως·
βασεμὰ, χαμοσσὶ, βααιανορὰ, μισταδία, ῥουαδὰ,
κουστὰ, βαβόφορι καλαχθεῖ, τούτων δὲ ἡ ἑρμενεία
ἐστὶν τοιαύτη, ὑπὲρ πᾶσαν δύναμιν τοῦ πατρὸς ἐπι-
καλοῦμαι φῶς ὀνομαζόμενον, καὶ πνεῦμα ἀγαθὸν καὶ
ζωὴ, ὅτι ἐν σώματι ἐβασίλευσας.* Quomodo cum hac
interpretatione corrupta illa Hebraica nomina con-
veniant, vide Nicol. Gallasium in annot. *3. Ariani
in solo Patre vero Deo, in Jesu Christo ser-
vatore et creatura et in Spiritu sancto utriusque
servo* baptizabant. Hieronymus adv. Luciferia-
nos **tom. 2. pag. 166. *Arianus,* scribit, *cum
aliud nihil crediderit (claudite quaeso aures, qui
audituri estis, ne tantae impietatis vocibus pol-
luamini!) nisi in Patre solo vero Deo et in Jesu
Christo salvatore et creatura et in Spiritu s. utri-
usque servo, quomodo Spiritum sanctum ab ecclesia
recipiet?* Athanasius serm. 3. contra Arian. p. 219:

Non in Patre et Filio tribuunt baptisma Ariani, sed in creatore et creatura, in factore et factura. Sicut igitur creatura diversum quiddam est a Filio, ita diversum quiddam est a vero baptismate, quod ab illis existimatur dari, tametsi nomen Patris et Filii, quia illa in Scripturis vident, simulent se nominare, non enim qui simpliciter ait Domine, is est qui legitimum donat baptisma, sed qui nomen exprimit et fidem rectam habet. Et postea: *Itidem quoque Manichaei ac Phryges ac discipuli Samosatensis nomina ipsa pronuntiantes nihil ob id sunt minus haeretici; ita quoque deinceps et reliqui et qui cum Ario sentiunt, etiamsi recitent scripta proloquanturque ipsa nomina, frustrantur illuduntque iis, qui ab ipsis baptismum recipiunt.* Vide locum integrum.** Quandoque etiam baptizabant *in nomine Patris per Filium in Spiritu sancto*, qua verborum forma cum Deuterius quidam Arianus episcopus sub imperatore Anastasio Barbam quendam baptizare vellet, aqua evanuit teste Sozomeno lib. 6. hist. c. 26. ac Nicephoro lib. 16, c. 35. 4. *Samosateniani sive Paulianistae, Cataphryges ac Bonosiani* regulam baptismi itidem non tenebant, neque enim in Christum credebant, nec in ipsius nomen baptizabant. Augustinus de haeres. c. 44. Rufinus lib. 1. hist. c. 6. **Baronius tom. 2. ann. 260. num. 16: *Sancti patres licet scirent, Patrem et Filium et Spiritum sanctum ab illis* (Cataphrygibus Pepuzenis dictis) *in collatione baptismatis nominari, tamen quod per Spiritum s. illi Montanum intelligerent, nullum plane esse collatum a Pepuzenis baptismum in synodo Nicaena definierunt.* 5. Apud Irenaeum lib. 1. c. 35. baptizarunt quidam in nomen Patris per Filium in Spiritu sancto. 6. Colorbosiani suo nomine tingebant. 7. Temporibus apostolorum quidam baptizabant in nomine trium *ἀνάρχων*. can. 49. apost. (al. can. 48.) Substituebant illi *τρεῖς ἀνάρχους, ἢ τρεῖς υἱοὺς, ἢ τρεῖς παρακλήτους.* 8. Eunomiani baptizabant in
IX. 143. mortem Domini, Socrat. lib. 4. c. 24.** 9. *Aëtiani et Eunomiani* baptizabant *εἰς ὄνομα θεοῦ ἀκτιστοῦ, υἱοῦ κεκτισμένου, καὶ πνεύματος τοῦ ἁγιαστικοῦ καὶ ὑπὸ κεκτισμένου υἱοῦ κτισθέντος, in nomen Dei increati, Filii creati et Spiritus sanctificativi et a creato Filio creati.* Epiphanius tom. 1. lib. 3. haeres. 76. Augustinus de haeres. c. 49. ** *Quin et in ampliorem insaniam* (inquit Epiphanius) *delati sunt ipsius* (Aëtii) *discipuli et horum successor Eunomius quidam falso appellatus, qui adhuc hodie superest, in vita magnum et temerarium flagitium. Rebaptisat enim jam baptizatos non solum eos, qui ab orthodoxis et sectis aliis ad ipsum veniunt, sed etiam eos, qui ab ipsis Arianis, rebaptizat autem eos in nomen Dei increati, Filii creati* etc. Et postea: *Affirmarunt quidam, quod in caput baptizat eos, qui ab ipso rebaptizantur, pedibus sursum versis et capite deorsum.*** 10. Bernhardus epist. 340. meminit quorundam, qui in Dei *sanctaeque crucis* nomen tingebant. 11. Guilielmus de bapt. c. 2. personis Trinitatis adjicit *Mariam* semper virginem. 12. Zwinglius *non esse necessariam ullam certam verborum formam* asserit lib. de vera et falsa relig. c. de bapt.

93. Quaeritur hoc loco: *1. Num baptismus ratus sit habendus, si alia litera aut syllaba in verbis mutetur.* Respondemus: si sensus maneat integer et incorruptus neque ex industria aliquid corrumpatur, baptismus ejusmodi pro legitimo habendus, nequaquam enim tam de sono, quam sensu verborum institutio Christi accipienda. Aventinus lib. 3. annal. p. 297: *Circa annum Christi 745. presbyter quidam Bavarus latinae linguae ignarus, baptizarat puerum in nomine Patria, Filia et Spiritua sanctua. Bonifacius episcopus Moguntinus puerum jusserat rebaptizari. Salisburgensis episcopus Virgilius et Sidonius pontifex Laureacensis apud Boios baptismum ratum esse volebant; turbae excitatae maximae. Zacharias pontifex Romanus dissidium solvit et Virgilii opinionem confirmavit. Decretum exstat c. Retulerunt. dist. 4. de consec. ad Bonifacium. Retulerunt nuntii, quod fuit in eadem provincia sacerdos, qui latinam linguam penitus ignorabat et dum baptizaret, nesciens loqui Latine, infringens linguam diceret: baptizo te in nomine Patria et Filia et Spiritua sancta, et per hoc tua reverenda sanctitas, consideravit eos rebaptizare, sed sanctissime frater, si ille, qui baptizavit, non errorem introducens, aut haeresin, sed pro sola ignorantia Romanae locutionis infringendo linguam hoc baptizans dixisset, non possumus consentire, ut denuo baptizetur.* Glossa addit rationem, *quia error syllabae non nocet maxime in fine dictionis. 2. Num in nomen, an vero in nomine dicendum.* Respondemus: utraque formula reperitur in Scripturis. Prior *εἰς τὸ ὄνομα* Matth. 28, v. 19. 1. Cor. 1, v. 13. posterior *ἐν τῷ ὀνόματι* Actor. 2, v. 38. c. 10, v. 48. Usus in ecclesia hodie obtinuit, ut dicatur in nomine, a qua consuetudine non est temere cum scandalo recedendum, vide Joach. Westph. de bapt. p. 30. *3. Num in nomine, an vero nominibus Patris, Filii et Spiritus sancti baptizandum sit.* Respondemus: non in nominibus, sed in nomine juxta Christi institutionem, quia una est essentia, una divinitas, una majestas divina, unus Deus cujus mandato, invocatione et auctoritate baptismus administratur. Neque voces illae Patris, Filii et Spiritus sancti per subjunctionem hic positae sunt, ut personas in divinitate supremam, mediam et infimam dignitate distinguant; sed per conjunctionem sunt connexae, ut divinitatis, majestatis et dignitatis aequalitatem sin- IX. 144.
gulis vendicent. Ambrosius lib. 2. de sacram. can. ult.: *In uno nomine baptizari nos jussit, hoc est in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti; noli mirari, quia dixi unum nomen, ubi est una substantia, una divinitas, una majestas, hoc est nomen, de quo dictum, in quo oporteat omnes salvari. 4. Num ad integritatem baptismi requiratur, ut verba illa proferantur cum fide?* Respondemus: Bonaventura lib. 4. sent. dist. 3. art. 2. q. 3. negat, quia baptismus non est sacramentum singularis personae, ideo fides

Quaestiones circa formam baptismi.

personae nihil prodest vel obest, sed est sacramentum ecclesiae Christi, unde quicquid fit de fide cordis personae baptizantis, judicandum est secundum expressionem oris, quae decisio Bonaventurae probe notanda propter controversiam de necessitate intentionis.

An necessaria sit immersio. 94. Diximus, formam baptismi consistere in mersione hominis baptizandi in aquam, sive quod perinde sit, in affusione aquae et in recitatione verborum institutionis: Ego baptizo te in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti. Ergo postquam de forma verborum fuit actum hactenus, restat ut de forma actionis disseramus, ubi primo omnium quaeritur, *1. an immersio sit de necessitate sacramenti, an vero per effusionem aquae in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti factam baptismus conferri possit?* Affirmamus posterius argumentis ductis: 1. a significatione vocabuli; verbum βαπτίζειν generalem habet significationem pro qualibet ablutione, sive fiat immersione, sive adspersione, vel affusione, ut ostendimus superius §. 2. sic leviticae ablutiones vocantur βαπτισμοί Hebr. 9, v. 10. Judaicae lotiones utensilium itidem dicuntur βαπτισμοί Marc. 7, v. 8. Israëlitae dicuntur *in Moysen baptizati* 1. Cor. 10, v. 2. cum tamen in mare non fuerint immersi, sed per illud transierint. Effusio Spiritus s. miraculosa super apostolos in die Pentecostes dicitur baptismus. Cum enim promissionis illius, *vos baptizabimini Spiritu sancto* Act. 1, v. 5. complementum a Luca describitur Act. 2, v. 4. *repleti sunt omnes Spiritu sancto*, simul v. 16. et 17. additur vaticinium Joëlis de isto baptismo Spiritus: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Quod propheta effusionem, illud Christus baptismum nominavit, ac proinde qui effundit aquam super hominem, baptizare dicendus est. 2. A definitione baptismi. Apostolus definit baptismum, *quod sit lavacrum aquae in verbo* Ephes. 5, v. 26. *Lavacrum regenerationis et renovationis in Spiritu sancto* Tit. 3, v. 5. Jam vero lavacrum non solum totali corporis mersione, sed etiam affusione aquae ac particulari ablutione constat, Exod. 2, v. 5: *Filia Pharaonis descendit, ut lavaret se in flumine.* c. 30, v. 18: *facies concham aeneam ad lavandum ac ponas in ea aquam;* v. 19: *et lavabunt Aaron et filii ejus ex ea manus suas ac pedes suos.* 2. Sam. 11, v. 2: *David vidit mulierem lavantem se ex tecto.* 1. Reg. 22, v. 38: *Laverunt currum in piscina Someron.* Psalm. 6, v. 7: *Lacrymis meis stratum meum rigo.* Joh. 9, v. 7: *Abi ad piscinam Siloah et ablue te.* 3. Ab exemplis Johannis Baptistae et apostolorum. Johannes in conspectu omnium in Jordane baptizavit; jam vero non est verisimile ingentem illam hominum ad baptismum ejus accedentium multitudinem, in qua erant viri ac mulieres, vel depositis vestibus, vel una cum vestimentis Jordani immersam fuisse, sed in ripa Jordanis stantes vel eundem paululum ingressi affusione aquae in caput facta procul dubio baptizati fuerunt. Matth. 3, v. 16. Marc. 1, v. 10: *Cum Jesus esset baptizatus, statim ascendit ex aqua.* Act. 2, v. 41: *tria hominum millia uno die baptizantur*, neque tamen egressi dicuntur civitate ad quendam fluvium eidemquo toto corpore immersi. Act. 16, v. 15. Lydia ac tota familia baptizatur, ubi itidem vix locum habet cogitatio de totali mersione. Act. 22, v. 16. dicit Ananias ad Paulum. *Exsurge et baptizare et ablue peccata tua;* baptizatum autem fuisse Paulum in ea domo, in quam diverterat, colligitur ex v. 18. et 19. c. 9. Act. unde vero probabitur tantum aquae et tam ampla vasa subito allata fuisse, ut immergi Paulus totus potuerit? 4. A typis V. T. Utraque enim actionis forma, tam mersio, quam adspersio ὡς ἀντίτυπον respondet suo typo, mersio quidem diluvio, IX. 145.
adspersio vero leviticis lotionibus et adspersionibus. Nec absurde talis analogia inter circumcisionem et baptismum, qui in ejus locum successit, instituitur. Quemadmodum in circumcisione, licet in uno tantum corporis membro fieret concisio, sua tamen sacramento constabat integritas ac toti homini spiritualis circumcisio administrabatur; ita quoque efficacissimum est hoc regenerationis ac renovationis lavacrum, sive totus immergatur homo baptizandus, sive aqua adspergatur, modo id fiat in nomine Patris, Filii ac Spiritus sancti. 5. A fine baptismi. Finis baptismi *non est depositio sordium carnis, sed conscientiae bonae interrogatio erga Deum*, 1. Petr. 3, v. 21. ergo non est necesse talem in baptismo fieri totius corporis confricationem, qualis adhiberi solet, cum sordes corporis in balneo detergendae sunt. Petrus 1. epist. 1, v. 2. notat ῥαντισμὸν *adspersionem*, sanguinis Christi, quae est effectus non solum ministerii evangelici, sed etiam baptismi, in quo sanguine Christi ad peccatorum remissionem adspergi recte dicimur. Ergo per adspersionem aquae etiam baptismus fieri potest.

95. Refero huc testimonium primitivae ecclesiae. Dicta veterum de immersione et adspersione. Immersione usos fuisse veteres, constat ex Tertulliano, qui in lib. de bapt. *hominem in aquam demissum et tinctum* esse dicit; ex Gregorio Nazianzeno, qui in orat. de laudibus patris refert, *patrem suum post baptisma ex aqua egressum;* ex Chrysostomo, qui in epist. ad Innoc. papam, *mulieres, quae se exuerant, ut baptizarentur, metu insidiarum nudas aufugisse* scribit. Idem refert Nicephorus lib. 13. c. 19. Interim tamen adspersionis ritum non fuisse eis improbatum, patet ex Cypriano, qui lib. 4. epist. 7. ad Magnum statim in principio scribit: *Quaesisti frater carissime, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate et languore gratiam Dei consequuntur, an habendi sunt legitimi Christiani eo, quod aqua salutari non loti sint, sed perfusi. Qua in parte nemini verecundia et modestia nostra praejudicat, quominus* IX. 146.
unusquisque quod voluerit, sentiat et quod senserit, faciat. Nos quantum concipit mediocritas nostra, aestimamus, in nullo mutilari et debilitari posse beneficia divina, nec minus aliquid illic posse contingere, ubi plena et tota fide et dantis et sumentis accipitur, quod divinis muneribus hauritur. Neque enim sic in sacramento salutari delictorum contagia, ut in lavacro carnali et seculari sordes

cutis et corporis abluuntur, ut et sapore et nitris et ceteris quoque adjumentis et dolio et piscina opus sit, quibus ablui et mundari corpusculum possit. Aliter pectus credentis abluitur, aliter mens hominis per fidei merita mundatur. Nec quemquam movere debet, quod adspergi vel perfundi vocantur aegri, cum gratiam Dominicam consequuntur, cum Scriptura s. per Ezechielem prophetam loquatur et dicat: Adspergam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus immundiciis vestris. Item in Numeris: Accipe Levitas de medio filiorum Israël et purificabis eos. Et ita facies eis purificationem eorum, circumsperges eos aqua purificationis. Et iterum: aqua adspersionis purificatio est. Unde apparet, adspersionem quoque aquae instar lavacri salutaris obtinere etc. Augustinus vel quicunque fuerit auctor libri de ecclesiast. dogm. c. 74: *Baptizandus catechumenus confitetur fidem suam coram sacerdote et interrogatus respondet; ac post confessionem vel adspergitur aqua vel intingitur.* Quare cum in ecclesia, praesertim in locis septentrionalibus, propter aëris frigiditatem tenellis infantibus aqua lotis facile nocituram adspersio, vel potius affusio aquae usitata sit, ideo haec baptismi forma retinenda, nec propter ritum adiaphorum lites cum ecclesiae scandalo movendae. **Moscovitae totius corporis immersionem requirunt; aqua interdum quidem conspergunt baptizandum, sed rarius, conspersio enim minus sufficiens judicatur. In opere de variis rerum Moscoviticarum auctoribus p. 136.**

Argumentum pro necessitate immersionis.

96. *At*, inquis, *baptizare proprie significat immergere. Ergo baptismus non nisi immersione fieri debet.* Antecedens est Bellarmini lib. 1. de bapt. c. 1: *Baptisma proprie significat immersionem; ordinarie enim baptismus fit per mersionem idque ad Christi sepulturam repraesentandam.* Pistorius disputat, *adspersionem in baptismo ex Scripturis probari non posse, sed esse traditionem ecclesiae*, im Wegweiser p. 492. Eodem fere modo loquuntur Calv. lib. 4. Inst. c. 15. §. 19. Beza epist. 2. Wolfg. Musculus in loc. c. de bapt. Keckermann lib. 3. syst. th. c. 8. p. 451. 452. Chassanio lib. 2. loc. com. c. 43. sect. 2. Respondemus: ostendimus superius contrarium. Quod ad mersionis significationem attinet, dicimus 1. baptismum non esse propter hanc vel illam significationem institutum, sed ut sit efficax medium per quod Spiritus s. hominem regeneret ac renovet. 2. Hanc operationem Spiritus s. perficit atque hunc finem assequitur per salutare baptismi lavacrum, sive homo baptizandus toto corpore immergatur, sive aqua eidem affundatur. 3. Nec tamen repugnamus, quominus concinnae quaedam significationes baptismi excogitentur, modo baptismus agnoscatur efficax regenerationis et renovationis lavacrum. Tales autem significationes non solum immersione, sed etiam adspersione aquae locum habent. Ut mersio significare potest, nos cum Christo in mortem ipsius
IX. 147. baptizari Rom. 6, v. 3. Ac veterem nostrum hominem in baptismo submergi v. 6. Ita quoque adspersio significare potest, nos Christi sanguine in baptismo adspergi, 1. Petr. 1, v. 2. et ab omni peccato mundari, 1. Joh. 1, v. 8. Affusio significare potest, Spiritum s. opulenter in nos effundi Tit. 3, v. 5. 4. Ut immersionis typus quaeri potest in diluvio, ita adspersionis atque affusionis typi praecesserunt in adspersione per sanguinem sacrificiorum, in lotionibus leviticis, in Naamanis ablutione etc.

An trina vel una debeat esse adspersio.

97. Quaeritur 2: *An trina, vel una debeat esse immersio sive adspersio?* Respondemus: hoc ἀδιάφορον esse statuimus. In primitiva ecclesia trina immersio usitata fuit. Tertullianus adv. Prax. c. 26: *Non semel, sed ter ad singula nomina in personas singulas, Patris, Filii et Spiritus s. tingimur.* lib. de coron. milit. c. 3: *Ter mergitamur.* Vide etiam Cyrillum catech. 2. Basilium de Spiritu s. c. 27. Ambrosium lib. 2. de sacr. c. 7. Chrysostomum hom. 24. in Joh. Augustinum serm. 201. de temp. Isidorus Hispalensis in lib. de vir. illust. c. 26. refert, Joh. Cappadocum antiquorum patrum sententias de trina immersione collegisse. **Cyprianum primo semel, postea vero ter mersisse parvulos in baptismo, refert Haymo in c. 14. Rom. Lombardus lib. 4. dist. 3. lit. I: *Qui semel immergit tantum, non peccat, nisi consuetudo ecclesiae obsistat vel hoc modo tantum fieri debere asserat.*** In nostris ecclesiis itidem trina adspersio observatur; nec tamen *in una fide officit ecclesiae sanctae consuetudo diversa; quia enim in tribus subsistentiis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismo ter vel semel immergere, quia et in tribus mersionibus personarum Trinitas et in una potest divinitatis singularitas* (unitas) *designari*, ut scribunt Isidorus Hispalensis de vir. illust. c. 27. et Lombardus lib. 4. dist. 3. sect. 9. Item c. de trina dist. 4. de consec. Trinam mersionem sive adspersionem adhiberi propter mysterium τῆς παναγίου τριάδος docent Hieronymus in c. 4. Eph. et Ambrosius lib. 2. de sacr. c. 7. alii vero ad mysterium triduanae sepulturae Christi in ea respici docent. Damascenus lib. 4. orth. fid. c. 10. Gregorius lib. 1. epist. 41. ad Leandr. refert: *Cum Ariani trina mersione uterentur ad significandas tres naturas trium personarum; loco ejus unam mersionem in Hispania fuisse receptam.* Haymo in c. 14. ad Rom.: *In suo sensu abundabat Cyprianus, cum semel mergebat baptismo parvulos, quia quod intelligebat, studiose implebat bonis operibus abundando, licet in hoc nescius delinqueret, sed quia bonis operibus abundabat, postea correptus a Deo abundavit altiori sensu, ter illos mergendo. Ecce* IX. 148.
habemus, inquit Lombardus l. d., *quia deliquit, qui semel mersit; sed hoc ideo, quia aliter se habebat consuetudo illius ecclesiae, vel quia unam tantum faciendam mersionem afferebat.*

An adspersio debeat esse totalis.

98. Quaeritur 3: *An immersio, vel adspersio debeat esse totalis, hoc est an totum corpus abluendum?* Respondemus: et hoc ἀδιάφορον est, cum in verbis institutionis nullum de eo exstet praeceptum, cum in actione sacramentali distinguendum sit inter

δόσιν καὶ δόσεως τρόπον; inter λῆψιν καὶ λήψεως τρόπον· δόσις καὶ λῆψις necessaria sunt, τρόπος δόσεως καὶ λήψεως arbitrarius; denique cum finis baptismi non sit depositio sordium carnis, ut propterea totum corpus abluendum ac fricandum sit; sed regeneratio et ab omni immundicie peccati purificatio spiritualis. Quamvis autem regeneratio illa totum hominem spectet, non tamen necessarium est, ut totum corpus aqua baptismi abluatur, cum vis regenerandi non sit ab aqua, sed a Spiritu s. per aquam verbo sanctificatam efficaciter agente; ideoque uno corporis membro aqua baptismi loto totius hominis regeneratio a Spiritu s. perficitur, id exemplo circumcisionis declaratum fuit superius. Sanguine foederis adspergebatur populus, ita ut in omnes sparsus diceretur, etiamsi totum cujusque corpus non esset conspersum Exod. 24.

Quod membrum tingendum sit.

99. Scholastici quaerunt 4. *Quodnam corporis membrum sit aqua adspergendum?* Respondemus: Richardus in lib. 4. sent. dist. 4. q. ult.: *Quod principaliter caput seu facies, quia in ea vigent sensus, postea pectus, quod est sedes cordis.* Comp. th. verit. lib. 6. c. 9. p. 434: *Ablutio fieri debet in digniore corporis parte, videlicet in capite.* Recte tamen addit Summa Angelica in verbo baptismus c. 4. q. 2: *Tenetur communius, quod qualitercunque quis tingatur, est baptizatus et quod sufficit adspersio, quantumcunque modica in casu necessitatis.*

Finis baptismi.

100. Egimus hactenus de causa efficiente, materiali ac formali baptismi, restat, ut de fine et effectis ejusdem disseramus. Cum enim baptismus non sit simpliciter aqua, sed aqua verbo Dei comprehensa, sanctificata ac unita, ideo non adhibetur eo fine, ut corporis sordes abluat (quo fine communis aqua affundi solet) 1. Petr. 3, v. 21. sed est divinum et salutare medium atque organum, per quod tota sacrosancta Trinitas efficaciter ad salutem hominis operatur. Quamvis autem varii ac multiplices sint baptismi effectus, eos tamen omnes secuti apostolum Tit. 3, v. 5. ad haec duo capita revocabimus, quod baptismus sit lavacrum 1. *regenerationis* et 2. *renovationis.* Sane regenerationis vocabulum quandoque generale est, ipsam quoque renovationem ambitu suo complectens; interim tamen proprie et accurate loquendo regeneratio a renovatione distincta est, ut ostendimus in tract. de justificat. **Contra dictum Tit. 3, v. 5. excipit Schmaltzius in catech. de officio Christi proph. c. 4. *purificationem per verbum per figuram dici lavacrum, ut Eph. 5, v. 26. Hebr. 10, v. 22.* Respondemus: 1. uterque locus de baptismo aquae agit, nihil ergo probat adversarius; 2. nec sequitur, vox *lavacri* alicubi significat *purificationem per verbum*, ergo et hoc loco; 3. subordinata sibi invicem vitiose opponuntur. DEUS purificat per verbum et sacramenta. Eph. 5, v. 27. per *verbum* intelligitur verbum institutionis et ordinationis divinae in baptismo, quodque ad baptismi formam pertinet.**

101. Baptismum esse medium regenerationis, 1. expressis verbis docet Christus Joh. 3, v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu* etc. ubi baptismum cum naturali nativitate comparat. Ut ergo per naturalem nativitatem homo nascitur ad hujus vitae usuram; sic per baptismum, utpote spiritualem nativitatem, ad vitam animae et bona coelestia renascitur. Et apostolus Tit. 3, v. 5: *Juxta misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* 2. Quo pertinent hi typi: 1. quod Gen. 1, v. 3. Spiritus s. dicitur aquis in prima creatione *incubuisse* easque fructiferas reddidisse; eodem namque modo ad παλιγγενεσίαν, quae est ἀνάκτισις, aqua baptismi utitur. 2. Quod Ezech. 47, v. 9. *aquae subter limen domus Dei egressae, quidquid contigerant, sanasse ac vivificasse* dicuntur. Referenda etiam huc piorum veterum dicta. Dionysius de eccl. hierarch. c. 2. vocat ἀναγέννησιν, θεογενεσίαν. Justinus in dial. cum Tryphone p. 178. vocat ὕδωρ τῆς ζωῆς. Irenaeus lib. 1. adv. haeres. c. 18. τὸ βάπτισμα τῆς εἰς θεὸν ἀναγεννήσεως. Cyrillus Hierosol. in praef. catech. p. 6: *Baptismus est animae regeneratio.* **Basilius in exhort. ad bapt. vocat λύτρον *captivorum, mortem peccati, renovationem animae, vehiculum coeli.*** Leo serm. 4. in solenn. nat.: *Aqua baptismatis instar est uteri virginalis, eodem Spiritu s. replente fontem, qui replevit et virginem.* Optatus Milevit. lib. 2. advers. Parmen.: *In sacramentis Trinitati occurrit fides credentium et professio, quae apud acta conficitur angelorum, ubi miscentur coelestia et spiritualia semina, ut sancto germine nova possit renascentium indoles procreari; ut dum Trinitas cum fide concordat, qui natus fuerit seculo, renascatur spiritualiter Deo. Sic fit hominum pater Deus, sancta fit mater ecclesia.* Chrysostomus homil. 25. in c. 3. Joh.: *Quod est matrix embryoni, hoc est fideli aqua, si quidem in aqua fingitur et formatur.* Cassiodorus in Cant. c. 7: *Est fons divinus, quo fideles in novam creaturam regenerantur.* Lutherus tom. 3. Lat. fol. 157: *Est puerpera regni coelorum.* **Idem tom. 6. p. 306: *Inspiciatur baptismus, ut merus sanguis Filii DEI et merus ignis Spiritus s., in quo Filius Dei per suum sanguinem nos sanctificat, Spiritus s. igne suo nos lavat, Pater luce sua et splendore nos vivificat, ita ut singulae personae enter praesenter adsint, unum et idem divinum opus operentur et omnem suam vim et virtutem baptismati infundant.*** Dulcissimos versus Paulini: *Sanctus in hunc coelo descendit Spiritus amnem* etc. superius §. 73. recensuimus.

Baptismum esse medium regenerationis. IX. 149.

102. Antequam vero hinc abeamus, demonstrandum fuerit, dictum CHRISTI Joh. 3, v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu* etc. de baptismo accipiendum. Cum enim verbis hisce solis radio scriptis aquae baptismi regeneratio diserte tribuatur, ideo quidam subterfugia quaerunt negantes, ea de baptismo accipienda esse. Zwinglius in lib. de baptismo tom. 2. p. 69. et 93. aquam exponit de *agnitione Christi et de consolatione fidei.*

Dictum Christi Joh. 3, v. 5. de baptismo agere.

Calvinus quamvis verborum evidentia convictus in epist. p. 377. concedat, locum illum de baptismo intelligi posse, id ipsum tamen libr. 4. inst. c. 16. sect. 25. rursus negat: *Falluntur* (inquit), *qui baptismi mentionem fieri putant, Joh. 3. quia aquae nomen audiunt;* mox aquam *pro Spiritu* accipiendam esse docet, ita ut nomen posterius ἐξηγητικόν sit prioris: *Neque haec* (inquit) *est nova locutio, prorsus enim cum illa, quae habetur Matth. 3. convenit, qui me sequitur, ille est, qui baptizat Spiritu s. et igne;* tandem addit: *scio, alios aliter interpretari, sed hunc esse genuinum sensum non dubito, et tenenda est simplex sententia, neminem, donec renovatus fuerit aqua viva, id est Spiritu, posse ingredi in regnum Dei.* Quam interpretationem repetit et commendat in epist. l. d. Petrus Martyr in loc. comm. class. 4. c. 9. sect. 26. aquam exponit *de gratia Dei, quae mentem fidelium suaviter irriget ac foecundet.* Bullingerus in Joh. p. 29. locum illum in genuino sensu et secundum literam de baptismo intelligendum esse itidem negat, unde factum, ut locus ille pulcherrimus in confessionibus
IX. 150. Helveticis et Gallicis cap. de baptismo praetermissus
fuerit. Idem in decad. serm. 8. p. 353. aquam metaphorice *de Spiritu sancto*, seu *de renovatione cordis per Spiritum sanctum interpretatur.* Gualterus in homil. in Joh. p. 39. aquam potissimum *de verbo Dei* intelligendam esse dicit. Beza in confess. fid. locum hunc sicco pede praeterit, alibi *de immenso Dei amore* aquam interpretatur. Chassanio lib. 2. locor. c. 47. circa finem: *Baptismi necessitatem veteres ex loco Joh. 3, v. 5. perperam intellecto collegerunt, non enim agitur ibi de baptismi sacramento, sed de regenerationis et Spiritus sancti gratia, sine qua nemo regni Dei mysteria percipere potest.* Vorstius in Anti-Bellarmino tom. 3. controv. pena. 2. Ad thesin 2. In solut. object.: *Johan. 3. proprie non de externo corporalis aquae baptismo, sed de aqua spirituali tantum agitur.* ad thes. 5. in cens: *Locum Joh. 3. impertinenter huc trahi et Anabaptistis opponi.* **Piscator in schol. h. l. p. 603: *Ex aqua et Spiritu, id est ex Spiritu sancto exserente quasi vim aquae, figura loquendi quae nominatur* ἓν διὰ δυοῖν, *quasi dicatur, ex aqua, quae est Spiritus.* Postea tamen addit: *Si quis per aquam hoc loco malit intelligere sacrum baptismum, tum duae istae regenerationis causae sapienter erunt distinguendae, ne quod proprium est Dei, tribuatur creaturae.* Idem amplectitur cupide Schmaltzius in catech. de off. Christi proph. c. 4. ac pro illa explicatione affert dictum Matth. 3, v. 11: *Ipse baptizabit vos Spiritu sancto et igne.* Socinus in epist. ad Siemichoviam p. 376: *Ut doctissimi viri plurimi ante me animadverterunt, Christus cum Joh. 3, v. 5. aquam nominat, non intelligit hanc terrenam aquam, nec aliquid re ipsa diversum a Spiritu, quem similiter ibid. nominat, quemadmodum sequentia verba indicant, in quibus nulla prorsus aquae mentione facta Spiritus tantum meminit.***

103. Nos opponimus illis sequentia fundamenta: 1. Nulla potest afferri necessitas, propter quam a litera in explicatione verborum Christi discedendum sit. 2. Nec inveniunt, ubi pedem figunt, qui literae insistere nolunt, ut variae ac diversae illae interpretationes ostendunt. 3. Non est fidi interpretis ex peregrinis locis varias vocabuli significationes quaerere easdemque textui inferre, sed ex contextu genuinam explicationem eruere; non enim hoc quaeritur, quomodo variae cujusque loci interpretationes excogitari possint, sed quae genuina et propria ejus sit sententia. 4. Ostendit autem contextus, scopus ac tenor verborum, de baptismo Christum agere. Vult enim Nicodemo medium regenerationis ac salutis ostendere. Atqui illud medium est baptismus Tit. 3, v. 5. 1. Petr. 3, v. 21. **Tum temporis vero insignis ille per aquas baptizandi ritus introductus erat et magna auctoritate subinde usurpabatur. Omnino ergo loquitur Christus de tali regeneratione, quae fit per aquam et per Spiritum.** 5. Christus describit regenerationem omnibus salvandis necessariam ab efficiente principe, scilicet Spiritu sancto, et instrumentali, scilicet aqua baptismi, perinde ut apostolus Tit. 3, v. 5: *Juxta misericordiam suam* (Deus) *salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus s.* 6. Ac proinde verba illa non sunt ἐξηγητικά, sed Christus utrumque conjungit, aquam scilicet externum baptismi elementum et Spiritum s. efficaciter interius per aquam operantem. 7. Quin imo Christus digitum intendit in baptismum Johannis, qui fuit *consilium illud Dei* de regeneratione ac salute, *quod spreverunt Pharisaei et Scribae* Luc. 7, v. 30. quem quotquot in vera poenitentia et fide susceperant, iram venturam effugere potuerunt, Matth. 3, v. 7. 8. Totus chorus antiquitatis dictum istud de baptismo accipit. *Hanc Christi sententiam* (scribit Marloratus ex Bucero in hoc loco) *omnes pene de baptismo interpretantur.* Vide Augustinum tract. 11. et 12. in Joh. Cyrillum lib. 1. in Joh. c. 42. Chrysostomum hom. 23. in Joh. Theophylactum in hoc loco. 9. In verbis Johannis Baptistae: *Hic est, qui baptizat Spiritu et igne*, vox ignis non est metaphorica, sed denotat externum
illud symbolum, in quo et per quod in die Pente- IX. 161.
costes datus fuit Spiritus s. videlicet linguas igneas. [151.]
Pari ratione dicendum, quod in verbis Christi vox aquae non sit metaphorica, sed denotet externum illud symbolum, per quod Spiritus s. in baptismo ad regenerationem efficaciter operatur. **Insuper 1. ταυτολογία Spiritui s. praeter omnem causam affingeretur, *ex aqua et Spiritu*, id est ex Spiritu et Spiritu; 2. demonstrandum, vocem *aquae* nude juxta Spiritum positam denotare Spiritum s. Nullum exemplum proferri potest; 3. aquae mentio non clariorem, sed obscuriorem reddidisset Christi sententiam, si de solo Spiritu egisset. Si Calviniani ita perrexerint Scripturam depravare et detorquere, parum aberit, quin baptismum aquae in totum negent

et ubique nomine *aquae* Spiritum s. intelligant. Sed de *baptismo* hoc dictum intelligendum esse, ipse agnoscit Trelcatius lib. 2. instit. p. 209.**

Exceptiones adversariorum.

104. Quominus aquae nomen de baptismo accipiant, moveri se dicunt his rationibus: *1. Sequeretur ex hac interpretatione, hominem non posse salutem assequi, nisi aqua baptismi fuerit ablutus.* Respondemus: hac de re dicetur inferius in quaestione de infantibus ante usum baptismi ex hac vita decedentibus. **1. Falsa praesupponitur hypothesis, quasi quae copula *et* connectuntur, paris sint necessitatis. Contrarium evincit Martyr in 1. Cor. 7. ex illo apostoli Rom. 10, v. 9: *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum et corde credideris.* 2. Loquitur salvator de ordinaria institutione, non de extraordinariis casibus. Confer Gen. 17, v. 14. cum Jos. 5, v. 7.** *2. Praepostere salutis fiducia sub signo includeretur.* Respondemus: verbum et sacramenta sunt media salutis divinitus instituta; quisquis ergo id tribuit verbo et sacramentis, quod Deus ipse illis tribuit, non avertit cordis fiduciam a Deo, sed debitum potius honorem et reverentiam ipsi praestat. Distinguendum enim inter causam salutis principalem et instrumentalem; principalis causa salutis soli Deo tribuenda, ideoque cordis fiducia in ipsum solum collocanda; instrumentalis vero causa salutis et efficacia spiritualis verbo et sacramentis nihilominus relinquenda, quod ipsum quisquis praefracte negat, ad Carolstadii et Swencofeldii castra transit. *3. Tota Scriptura non elemento, sed Spiritui Dei regenerationis vim merito tribuit.* Respondemus: subordinata non sunt sibi invicem opponenda; Spiritui sancto tribuitur vis regenerationis ut causae principali, aquae vero ut causae instrumentali; aqua enim baptismi non est simpliciter aqua, sed aqua verbo Dei comprehensa, Spiritu sanctificata et sanguine Christi quasi mixta, ut fiat efficax regenerationis medium. Ephes. 5, v. 26: *Christus mundavit ecclesiam lavacro aquae in verbo.* Tit. 3, v. 5: *Deus salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* 1. Petr. 3, v. 21: *Baptisma nos salvat. 4. Cum Christus subjicit rationem, cur renasci oporteat praeterita aquae mentione; solo Spiritu quam exigit vitae novitatem constare docet; unde sequitur, aquam non esse a Spiritu separandam.* **Calvinus lib. 4. instit. c. 16. sect. 15. in harm. p. 754: *Mihi in hac re contextus suffragatur. Nam cum mox rationem Christus subjungit, cur nos renasci oporteat, praeterita aquae mentione, solo Spiritu quam exigit vitae novitatem constare docet* etc. Idem habet catechesis Racoviensis p. 201.** Respondemus: 1. efficaciam Spiritus ab aqua baptismi non separamus, sed cum Spiritu conjungimus, sicut *verbum* et *Spiritus* conjunguntur 1. Petr. 1, v. 23. Jac. 1, v. 18. Spiritus s. non convertit nos enthusiastica ratione, sed per verbum et sacramenta. 2. Causae principalis positio non est instrumentalis exclusio. Non separamus aquam a Spiritu, cum regenerationis vim et efficaciam non a naturali quadam aquae proprietate ipsi inhaerente, sed a Spiritu sancto per aquam baptismi efficaciter agente provenire statuamus; ipsi vicissim non separent Spiritum a baptismi aqua, sed agnoscant, verbo Dei haec duo arctissime conjuncta baptismum constituere efficax et salutare
regenerationis lavacrum. Quamvis vero Christus in IX. 152.
sequentibus solius Spiritus mentionem facit dicens: *Quod natum est ex Spiritu, Spiritus est* Joh. 3, v. 6. *Sic est omnis natus ex Spiritu*, v. 8. Ex eo tamen inferri nequit, quod aqua baptismi non sit externum illud organum, per quod Spiritus sanctus regenerationem operetur; illud enim in praecedentibus verbis diserte et expresse Christus docuerat; nefaria haec est divulsio et separatio aquae a Spiritu, cujus nos reos agere frustra laborant.

Ad regenerationis fructum pertinet. 1. Quod per baptismum fides accenditur.

105. Ex hoc baptismi fructu (regenerationem intellige) promanat, imo ad eum pertinet 1. quod per baptismum fides a Spiritu sancto in corde baptizati accenditur. Cum enim baptismus sit lavacrum regenerationis, ut ex verbis Christi et apostoli evidenter ostendimus, atque efficax medium remissionis peccatorum, υἱοθεσίας et salutis aeternae, ut paulo post demonstrabitur, ex eo immote evincitur, quod Spiritus sanctus in cordibus illorum, qui operationi ejus actuali impoenitentia ac pertinacia non resistunt, per baptismum fidem accendat, siquidem tota Scriptura testatur, sine fide nec regenerationem, nec remissionem peccatorum, nec υἱοθεσίαν, nec salutem aeternam locum habere. Praeterea baptismus non est simpliciter aqua, sed est aqua verbo Dei conjuncta; jam vero verbum Dei est medium illud, per quod Spiritus sanctus fidem in cordibus hominum ad regenerationem et salutem ipsorum accendit. Joh. 17, v. 20: *Rogo pro illis, qui per verbum ipsorum in me credent.* Rom. 10, v. 17: *Fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* 1. Petr. 1, v. 23: *Regeniti estis ex incorruptibili semine, nimirum ex vivo Dei verbo* etc. Huc etiam refero, quod Paulus Galat. 3, v. 27. dicit, nos *Christum in baptismo induere*, illud ἐνδύσασθαι significat specialem beneficiorum Christi applicationem ac spiritualem cum Christo unionem, quae absque fide non habet locum, quod confirmat ἰσοδυναμία verborum in disputatione illa apostolica, cujusmodi sunt *fieri filium Dei per fidem in Christum, fieri semen Abrahae patris credentium, esse ex fide* etc. Quo etiam pertinet, quod veteres baptismum vocant fidei sacramentum, non solum quia obsignat divinas promissiones, sed etiam quia Spiritus sanctus per illud fidem operatur, auget et confirmat. **Observa insuper, quod Paulus ibi agat de negotio justificationis hominis peccatoris coram Deo, ut monstrat συνέπεια quatuor priorum capitum ad Galatas. Capite enim tertio ita infert: *Postquam venit fides, non amplius sub paedagogo sumus. Omnes enim filii DEI estis per fidem in Christo Jesu.* Sed quia poterat interrogari, quando simus filii DEI facti? mox subjicit: *Quotquot enim baptizati estis, Christum induistis.* Ergo baptizari in Christo est Christum induere et fieri filium Dei per fidem.**

2. Quod per baptismum remittuntur peccata.

106. 2. Quod baptismus est efficax medium remissionis peccatorum, id quod probatur primo ex evidentibus N. T. dictis, Marc. 1, v. 4. Luc. 3, v. 3: *Johannes baptizavit et praedicavit baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum.* Act. 2, v. 38: *Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Actor. 22, v. 16: *Exsurge et baptizare et ablue peccata tua.* Rom. 6, v. 3: *Quotquot in Christum Jesum baptizati sunt, in mortem ejus baptizati sunt* (per baptismum participes facti beneficiorum, quae Christus morte ac passione sua promeruit, inter quae eminet remissio peccatorum, tam vere ipsis propter Christi mortem remissa sunt peccata, ac si ipsi pro peccatis suis essent mortui, 2. Cor. 5, v. 14: *Si unus pro omnibus mortuus est, omnes mortui sunt*). 1. Cor. 6, v. 11: *Abluti estis in nomine Domini nostri Jesu Christi et in Spiritu Dei nostri.* Ephes. 5, v. 26: *Christus mundavit ecclesiam suam lavacro aquae in verbo;* v. 27: *ut exhiberet ipsam sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi, sed sit sancta et immaculata.* 1. Petr. 1, v. 2: *Electis secundum praescientiam Dei Patris*
IX. 153. *in sanctificationem Spiritus, in obedientiam et adspersionem sanguinis Jesu Christi* (haec adspersio sanguinis Christi non solum per evangelii praedicationem, sed etiam per usum sacramentorum fidelibus contingit). 1. Joh. 1, v. 7: *Sanguis Jesu Christi Filii Dei emundat nos ab omni peccato* (hic sanguis Christi in baptismo ad emundationem spiritualem nobis adspergitur). Deinde idem probatur ex V. T. vaticiniis; Ezech. 16, v. 9: *Ablui te a sanguine.* c. 36, v. 25: *Adspergam super vos aquam mundam et mundabimini ab omnibus immundiciis vestris.* Mich. 7, v. 19: *Projiciam peccata vestra in profundum maris.* Zach. 13, v. 1: *In illo tempore erit fons patens domui Davidis et civibus in Jerusalem contra peccata et immundiciem.* Tertio ex V. T. typis, quales sunt *diluvium* Genes. 7. ** *Aegyptiorum in mari rubro exstinctio* (Augustinus concion. 1. in Psalm. 115: *Sicut Aegyptios in mari obrutos, ita in baptismo peccata nostra demersa et exstincta luce clarius intimat propheta dicens*, projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Gregorius lib. 9. epist. 39: *Qui dicit peccata in baptismate non funditus dimitti, dicat in mari rubro Aegyptios non veraciter mortuos* **). *Lotiones Leviticae* Levitic. 15. *adspersio aquae ex cineribus vaccae ruffae paratae* Numer. 19. *mundatio Naamanis a lepra* 2. Reg. 5. Ut enim aquae illae ad corporalem mundiciem profuerunt, ita baptismus spiritualem nostram immundiciem tollit. Refero huc, quod in signum spiritualis mundationis ac sanitatis per baptismum tempore Theodosii junioris accidisse refert Socrates lib. 7. histor. c. 4. *Judaeum quendam paralyticum et multis annis lecto affixum omnibus medicamentis et Judaeorum precibus ad sanitatem illi restituendam nihil conferentibus, cum tandem vera fiducia ad baptismum Christianorum, velut ad remedium efficacissimum, confugisset, postquam ab Attico episcopo Constantinopolitano de fide in Christum recte institutus esset, una cum lecto ad baptismum deportatum, quem cum sincera fide ab Attico recepisset, subito a morbo liberatum ac longi temporis sanitate divinitus donatum fuisse, atque hoc ipsius exemplo multos ex gentibus ad usum, amorem et admirationem baptismi invitatos et in Christo lucrifactos esse.* Nicephorus lib. 7. histor. c. 33. refert, *Constantinum Magnum a lepra in baptismo liberatum esse.* Sed de hac Constantini lepra non immerito dubitatur, cum Eusebius et reliqui ecclesiastici scriptores veteres nullam ejus mentionem faciant. Socrates lib. 5. histor. c. 6. narrat, *Theodosium morbo correptum, posteaquam ab episcopo Thessalonicensi baptizatus fuisset, melius habuisse.* Vincentius lib. 23. c. 76. refert de Arnulpho, quod *ab eo leprosus quidam baptizatus statim inter baptizandum coeperit sanari et aliam induere carnem.* Quarto ex reliquis baptismi effectis. Si enim per baptismum *regeneramur*, Tit. 3, v. 5. *in foedus Dei recipimur*, 1. Petr. 3, v. 21. *Iram venturam effugimus*, Matth. 3, v. 7. *filii Dei reddimur*, Gal. 3, v. 26. *ac salvamur*, 1. Petr. 3, v. 21; utique etiam baptismus ad remissionem peccatorum est efficax, siquidem omnia illa beneficia remissionem peccatorum habent conjunctam. Si fide *Christum* in baptismo *induimus*, utique etiam remissionem peccatorum consequimur, Actor. 10, v. 43. Quinto ex appellationibus lavacri, lotionis, mundationis, quae baptismo tribuuntur, Ephes. 5, v. 26. Tit. 3, v. 5. Hebr. 10, v. 22. Quo etiam pertinet lotio pedum Joh. 13, v. 8. defluxus aquae et sanguinis ex Christi latere Joh. 19, v. 34. mare vitreum coram throno agni Apoc. 4, v. 6. etc. Justinus in dial. cum Tryph. p. 178. vocat *λουτρὸν τῆς μετανοίας καὶ τῆς γνώσεως τοῦ θεοῦ, ὃ ὑπὲρ τῆς ἀνομίας τῶν λαῶν τοῦ θεοῦ γέγονεν.* Et postea: *τὸ βάπτισμα τὸ μόνον καθαρίσαι τοὺς μετανοήσαντας δυνάμενον.* Epiphanius lib. 1. tom. 1. haeres. 8: Baptismus est *μεγάλη περιτομὴ, circumcidit enim nos a peccatis.* Cyrillus Hierosolymitanus praefat. catech. p. 6: *Baptismus est peccatorum remissio et mors peccati.* Tertullianus lib. 4. adv. Marcion. p. 231: *Baptismus est lavacrum compendiosum.* Origenes homil. 15. in Jos.:
An non ita credimus, quia omne genus peccati, IX. 154.
cum ad salutare lavacrum venimus, aufertur? Eusebius Emissenus serm. fer. 6: *Ecce quidquid iniquitatum sempiternus ignis excoquere et expiare vix posset, subito sacro fonte submersum est et de aeternis debitis brevissimo lavacri compendio cum indulgentissimo creditore transactum est.* Nazianzenus orat. 40. in s. bapt. p. 637: *ἡ γέννησις ἐκ βαπτίσματος πᾶν ἀπὸ γενέσεως κάλυμμα περιτέμνει καὶ πρὸς τὴν ἄνω ζωὴν ἐπανάγει.* ** Canon Nicen. ecclesiae cathol. sententiam exponens sic habet: *Baptisma nostrum non sensibilibus oculis, sed mentalibus considerandum est. Aquam vides? considera divinam vim, quae in aquis latet. Nos enim Spiritu et igni baptizari tradunt sacrae loquia. Nam*

in fide ejus qui baptizat et ejus qui baptizatur per sanctam invocationem plenas sanctificationis Spiritus et divini ignis cogita aquas. Ipse enim inquit, baptizabit Spiritu s. et igni. Itaque descendit quidem is qui baptizatur peccatis obnoxius et corruptionis servitute detentus; adscendit autem ab ea servitute et peccatis liber, filius Dei et heres gratia Dei factus, coheres autem Christi ipsum indutus Christum, sicut scriptum est: Quotquot baptizati estis in Christum, Christum induistis. Symbol. Nycen.: *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum.* Ambrosius in epist. Rom. c. 4: *Propheta* (David) *tempus felix praevidens in salvatoris adventu beatos nuncupat, quibus sine labore vel aliquo opere per lavacrum regenerationis remittuntur, et teguntur et non imputantur peccata.* Ibid.: *Ex dono baptismatis apostoli profitentur, non solum remissionem peccatorum accipere nos, sed justificari et filios Dei fieri, ut beatitudo haec perfectam habeat securitatem et gloriam. Item omnes gradus peccatorum baptismate obliterantur.*** Ambrosius lib. 1. de poen. c. 7: *In baptismo est remissio omnium peccatorum.* lib. 3. de Spiritu s. c. 19: In *baptismo peccata donari non est ambiguum.* Hilarius in Psalm. 64. *Crimina, quae inique extra legem Dei geruntur, novae generationis sacramento abluuntur.* Beda lib. 1. c. 3. in Joh.: *Peccator in fontem descendit, purificatus adscendit; descendit filius mortis, adscendit filius resurrectionis; descendit filius praevaricationis, adscendit filius reconciliationis; descendit filius irae, adscendit filius misericordiae; descendit filius diaboli, sed ascendit filius Dei.* Phavorinus: *βάπτισμα, ἐν ᾧ βάλλεται, ἤγουν πίπτει, τὸ πταῖσμα.*

3. Quod foedus gratiae nobiscum Deus erigit. 107. 3. Quod Deus in baptismo foedus gratiae nobiscum erigit, quod complectitur remissionem peccatorum et donationem Spiritus s. Jer. 31, v. 31. et 34. Probatur id 1. ex generalibus Scripturae pronuntiatis, quae de foedere gratiae cum hominibus inito agunt Esa. 55, v. 3: *Feriam nobiscum aeternum foedus.* Jer. 32, v. 40: *Statuam cum illis pactum sempiternum.* Hos. 2, v. 19: *Desponsabo te mihi in sempiternum* etc. Id namque in baptismo fieri apparet. 2. Ex specialibus pronuntiatis de baptismi fructu, 1. Petr. 3, v. 21: *Cui correspondens baptisma etiamnum nos salvat, non depositio sordium carnis, non conscientiae bonae interrogatio erga Deum per resurrectionem Jesu Christi* (*τὸ ἐπερώτημα* significat interrogationem et responsionem; quemadmodum in foederibus et contractibus pars una interrogat, altera respondet, ita conscientia nostra ex foedere in baptismo nobiscum inito potest esse certa de Dei gratia, cujus fundamentum consistit in resurrectione Christi. LXX interpretes utuntur hac voce, quando in certis casibus os Domini pios V. T. consuluisse asserunt). 1. Joh. 5, v. 6: *Hic est, qui venit cum aqua et sanguine, Christus Jesus, non cum aqua solum, sed cum aqua et sanguine* (si cum aqua baptismi Christus ad nos venit, utique baptismus erat medium, per quod beneficiorum Christi reddimur participes et in foedus Dei recipimur); v. 8: *tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua et sanguis, et hi tres in unum sunt,* (Spiritus s. testatur in verbo, quod est ministerium Spiritus, nos esse in foedus gratiae receptos, et hoc foedus confirmat sigillis sacramentorum, baptismo scilicet et coena Domini). 3. Ex typis V. T. Ad Noa- IX. 155.
hum arcam ingredi jussum dicit Dominus Gen. 6, v. 18: *Statuam tecum foedus, et ingredieris arcam* etc. *Huic antitypon baptisma nos salvat bonae conscientiae interrogatio erga Deum.* 1. Petr. 3, v. 21. Per circumcisionem cum Abraha et posteris ipsius sese *pactum inire Deus* asserit Gen 17, v. 10. Jam vero in circumcisionis locum successit baptismus Col. 2, v. 11. Sic Exod. 24, v. 8. adspergit Moyses populum Israëliticum sanguine sacrificiorum dicens: *En hic est sanguis foederis, quod erigit Deus vobiscum;* pari ratione ipsius Christi sanguine, qui est N. T. sanguis, in *baptismo adspergimur* 1. Petr. 1, v. 2. *ad emundationem peccatorum* 1. Joh. 1, v. 7. et in foedus gratiae a Deo recipimur. Dionysius in hierarch. eccles. c. 3. baptismum vocat *sigillum pactionis divinae*, Basilius in s. bapt. *σφραγίδα ἀνεπιχείρητον*, Oecumenius 1. Petr. 3. *τὸ ἐπερώτημα* interpretatur *ἀῤῥαβῶνα, ἐνέχυρον καὶ ἀπόδειξιν.* **Nazianzenus orat. 40. de bapt.: *εἰ γὰρ δεῖ συντόμως εἰπεῖν, συνθήκας πρὸς θεὸν δευτέρου βίου καὶ πολιτείας καθαρωτέρας ὑποληπτέον τὴν τοῦ βαπτισμοῦ δύναμιν. Ut compendio dicam, nihil aliud esse vim et facultatem baptismi existimare debemus, quam secundae vitae ac purioris vivendi rationis pactum cum Deo initum.***

4. Quod Christum induimus. 108. 4. Quod Christum in baptismo induimus ipsiusque justitia velut splendida quadam veste nos Deo commendante ornamur. Esa. 61, v. 10: *Gaudens gaudebo in Domino, qui operit me vestibus salutis et pallio justitiae induit me, id in baptismo fieri* testatur apost. Gal. 3, v. 27: *Quotquot baptizati estis, Christum induistis,* (cujus dicti talem paraphrasin proponit Lutherus tom. 4. Jen. fol. 115: *Non accepistis per baptismum tesseram tantum, per quam asscripti estis numero Christianorum, ut nostro tempore multi fanatici ex baptismo tesseram tantum seu nudum et inane signum faciunt, sed quotquot baptizati estis, Christum induistis, hoc est estis extra legem, rapti in novam nativitatem, quae facta est in baptismo; ideo, inquit, non estis amplius sub lege, sed novo indumento, hoc est justitia Christi vestiti estis. Docet ergo apostolus, baptismum non signum, sed indumentum Christi, imo ipsum Christum nostrum indumentum esse, quare baptismus potentissima et efficacissima res est.* Et paulo ante: *Induere Christum dupliciter intelligitur, legaliter et evangelice. Legaliter Rom. 13. Induamini Dominum Jesum Christum, hoc est imitemini exemplum et virtutes ejus. 1. Petr. 2. Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum. Induere Christum evangelice non est imitationis, sed nativitatis et creationis novae, quod videlicet ego induor ipso Christo, id est ipsius in-*

nocentia, *justitia*, *sapientia*, *potentia*, *salute*, *vita*, *Spiritu*. Idem in enarr. h. l.: *In baptismo non datur vestitus legalis justitiae, aut nostrorum operum, sed Christus fit indumentum nostrum. Is autem non est lex, non legislator, non opus, sed divinum et inenarrabile donum, quod donavit nobis pater, ut esset justificator, vivificator et redemtor noster.* 1. Cor. 12, v. 13: *In uno Spiritu nos omnes in unum corpus baptizati sumus* (per baptismum facti sumus membra Christi et participes beneficiorum ipsius Spiritu sancto efficaciter operante fidem in cordibus nostris, per quam Christus corporis mystici caput in nobis vivit sibique nos incorporat, quae est beata illa *σύμφυσις καὶ ἐμφύτευσις*, cujus meminit Christus Joh. 15, v. 4. et apostolus Rom. 6, v. 5.) Basilius de s. bapt. et Cyrillus Hierosolymitanus in praefat. catech.: *βαπτισμός ἐστιν ἔνδυμα φωτεινόν*.

5. Quod in filios Dei adoptamur. 109. 5. Quod per baptismum in filios Dei adoptamur, id quod ex priori concludere nos docet apostolus Galat. 3, v. 26: *Omnes estis filii Dei per fidem in Christum Jesum;* v. 27: *quotquot enim baptizati estis, Christum induistis* (ubi notanda est suavissima
IX. 156. illatio apostoli: Per fidem in baptismo Christum induistis. Ergo estis Dei filii, nimirum quia Christus est naturalis et unigenitus Dei filius, per quem in filios Dei adoptamur, *diligimur in dilecto* Ephes. 1. v. 6.) Eodem modo ex reliquis baptismi effectis concludimus. Baptismus est *lavacrum regenerationis* Tit. 3, v. 5. Jam vero *qui ex Deo nati sunt, Dei filii censentur,* Joh. 1, v. 13. Ergo per baptismum filii Dei reddimur. **Basilius in exhortat. ad bapt.: *Κύριος κηρύσσεται βάπτισμα υἱοθεσίας, καὶ τίς τῶν ἐλπιζόντων εἰς αὐτὸν οὐχ ὑπακούεται; Dominus praedicat baptisma adoptionis, et quis eorum, qui in eum sperant, non obtemperabit?*** In baptismo donatur fides in Christum. Jam vero qui in Christum credunt, sunt Dei filii Joh. 1, v. 12. Ergo. In baptismo datur remissio peccatorum. Jam vero quibus peccata sunt remissa, illi sunt Dei filii Matth. 9, v. 2. Ergo. Per baptismum recipimur in foedus gratiae. Jam vero qui in foedus gratiae sunt recepti, sunt Dei filii Lev. 26, v. 11. Esa 52, v. 11. 2. Cor. 6, v. 18. Ergo. Hieronymus in c. 3. Galat.: *Toti membra ejus et filii Dei effecti estis.* Lutherus tom. 3. Lat. f. 157. baptismum pulcherrima appellatione vocat *puerperam regni coelorum*.

6. Quod ex potestate et regno Satanae liberamur. 110. 6. Quod per baptismum ex potestate et regno diaboli liberamur. Hic fructus ponitur a Luthero in catech. minore et ex superioribus sequitur. Qui enim transferuntur in regnum gratiae, adoptantur in Dei filios, consequuntur remissionem peccatorum, illi e potestate et regno diaboli liberantur. Col. 1, v. 13: *Deus eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum dilecti Filii sui;* v. 14: *in quo habemus redemtionem, remissionem peccatorum.* Jam vero per baptismum transferimur in regnum gratiae, adoptamur in Dei filios, consequimur remissionem peccatorum etc. Ergo etiam per baptismum ex regno et potestate diaboli liberamur. Hac de re pulcherrime scribit Cyprianus lib. 4. epist. 7. ad Magnum circa medium: *In baptismo omnes nequitiae vires diabolus amittit*, id declarat typo Pharaonis in mari rubro submersi et subjungit: *Sicut scorpii et serpentes, qui in sicco praevalent, in aquam praecipitati praevalere non possunt, aut sua venena retinere; sic et spiritus nequam, qui scorpii et serpentes appellantur et tamen per nos data a Deo potestate calcantur, permanere ultra non possunt in hominis corpore, in quo baptizato et sanctificato incipit Spiritus s. habitare.* Hesychius lib. 1. in 5. c. Lev.: *Aqua baptismatis remissionem praebente mens diaboli conteritur, unde David de Deo dicebat: Tu contribulasti capita draconum supter aquas.* Theodotus in epitome orient. doctrinae citante Neandro: *ὁ εἰς θεὸν ἐχώρησεν καὶ εἴληφεν ἐξουσίαν* Εἰς θεὸν βαπτισθείς. *ἐπάνω σκορπίων καὶ ὄφεων περιπατεῖν τῶν δυνάμεων τῶν πονηρῶν. διὰ γὰρ πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος σφραγισθεὶς ἀνεπίληπτός ἐστι πάσῃ δυνάμει.* Lutherus in c. 27. Gen.: *Quando baptizo te in nomine Patris, Filii et Spiritus s. perinde est, ac si dicerem: rapio te ex manibus diaboli et offero te Deo, idque vere et realiter.* **Idem c. 48. Genes. p. 711: *Ego non sum patriarcha Abraham, Isaac, Jacob, sed vide quid faciam? accipio infantem et baptizando eum redimo ipsum a morte et diabolo, a peccatis et transfero ex regno tenebrarum in regnum lucis.* Idem tom. 4. Jen. Germ. p. 423: Rechne du, wenn irgend ein Arzt wäre, der die Kunst könnte, daß die Leute nicht stürben, oder ob sie schon stürben, darnach ewig lebten, wie würde die Welt mit Geld zuschneien und regnen, daß vor den Reichen Niemand könnte zukommen. Nun wird hier in der Taufe Jedermann umsonst vor die Thür gebracht ein solcher Schatz und Arznei, die den Tod verschlinget und alle Menschen beim Leben erhält. p. 422. b: Darum fasse es aufs allereinfältigste also, daß dies der Taufe Kraft, Werk, Nutz, Frucht und Ende ist, daß sie selig mache. Denn man tauft Niemand darum, daß er ein Fürst werde, sondern wie die Worte lauten, daß er selig werde. Selig werden weiß man aber wohl, daß nicht anders heißet, denn von Sünden, Tod, Teufel erlöset in Christi Reich kommen und in ihm ewig leben.** Pertinet huc ceremonia exorcismi jam olim IX. 157.
baptismo infantum praemitti solita, qua declaratur baptismi efficacia, quod scilicet per illum infantes ex potestate tenebrarum in regnum Filii Dei transferuntur.

111. 7. Quod per baptismum salus et vita aeterna 7. Quod salus et vita aeterna nobis donatur.
nobis donatur, id probatur primo ex perspicuis Scripturae oraculis. Marc. 16, v. 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Joh. 3, v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire regnum Dei.* (Ergo a contrario sensu: qui renascitur ex aqua et Spiritu, introire potest regnum Dei). Tit. 3, v. 5: *Secundum misericordiam suam salvos nos facit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti.* 1. Petri 3, v. 21: *Baptisma nos salvat* (nimirum instrumentaliter, quemadmodum Timotheus se ipsum et auditores suos salvare dicitur 1. Tim. 4, v. 16. praedicando et

tractando evangelium, quod est *potentia Dei ad salutem omni credenti*, Rom. 1, v. 16. *Et animas nostras salvare potest*, Jacob. 1, v. 21.). Secundo ex reliquis baptismi effectis. Baptismus est *lavacrum regenerationis*. Jam vero regeneratio fit ad vitam aeternam, Jacob. 1, v. 21. Ergo. In baptismo donatur fides. Jam vero, *qui credit in Filium Dei*, *habet vitam aeternam*, Joh. 3, v. 36. Ergo. In baptismo datur remissio peccatorum. Jam vero ubi est peccatorum remissio, ibi est vita et salus aeterna, Psalm. 32, v. 1. Ergo. Per baptismum recipimur in Dei foedus. Jam vero qui est in Dei foedere, est heres vitae aeternae, 2. Cor. 6, v. 16. Per baptismum induimus Christum. Jam vero *qui habet Filium*, *habet vitam aeternam*. 1. Joh. 5, v. 12. Ergo. Per baptismum adoptamur in Dei filios. Quodsi *filii Dei sumus*, *utique et heredes; heredes quidem Dei*, *coheredes autem Christi*, Rom. 8, v. 17. Ergo. Tertio ex V. T. typis. In arca tempore diluvii octo animae servabantur Genes. 8, v. 18. Id Petrus ad baptisma *ἀντίτυπον* arcae transfert, 1. epist. 3, v. 20, in quo ad vitam aeternam conservamur et a diluvio irae divinae praeservamur. Ezech. 47, v. 9: *Subter limen templi egrediuntur aquae sanantes et vivificantes omne*, *quidquid contigerint*. Quarto ex apertione coelorum facta in baptismo Christi, Matth. 3, v. 16. Marc. 1, v. 10. Luc. 3, v. 21. Qua significatum fuit, in nostro etiam baptismo, per quem Christo incorporamur, clausas coeli fores nobis aperiri, nosque ex filiis irae filios gratiae et heredes vitae aeternae fieri, qua de re vide omnino Chemnicium in harm. evang. c. 17. Huc referenda dicta veterum: Clementis Alexandrini lib. 1. paedag. c. 6: *Tincti illuminamur*, *illuminati in filios adoptamur*, *adoptati perficimur*, *perfecti immortales reddimur*, Basilii in s. bapt. et Cyrilli Hierosolymitani praefat. catech.: *βαπτισμός ἐστιν ὄχημα πρὸς οὐρανὸν*, *βασιλείας πρόξενος*; Chromatii in Matth. c. 5: *Renatis in baptismo coelorum regna patent*, *quae nobis Filius Dei in corpore ad coelum ascendens primus aperuit*; Augustini lib. 2. contra Crescon. gramm. c. 13: *Est sacramentum novae vitae ac salutis aeternae;* Theodoreti q. 26. in Genes.: *Baptismus dicitur aqua viva*, *non quod aqua baptismatis eam habeat naturam*, *sed quia per illam aquam divina gratia donat vitam aeternam;* Bedae in Marc. lib. 1. c. 1: *Quod Christus vidit coelos apertos post baptisma*, *nostri utique gratia factum est*, *quibus per lavacrum undae regeneratricis janua panditur regni coelestis*. Quod igitur Lombardus libr. 4. sent. dist. 3. lit. M. negat *baptismum aperuisse aditum regni coelestis*, id intelligendum de adspersione in classe causae meritoriae, non autem in classe causae instrumentalis, ut ex contextu patet.

Renovationem esse fructum baptismi posteriorem.

112. Prior ergo baptismi fructus est *regeneratio*, quae complectitur fidei donationem, peccatorum remissionem, in foedus gratiae receptionem, Christi induitionem, in filios Dei adoptionem, ex potestate Satanae liberationem et aeternae salutis possessionem. Posterior fructus est *renovatio*, quae licet a regeneratione proprie et specialiter accepta distinguatur, individuo tamen et perpetuo nexu cum ea IX. 158.
est conjuncta. Tit. 3, v. 5: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis*. Ergo per baptismum homo non solum renascitur, id est peccatorum remissionem consequitur, justitiam Christi induit, filius Dei et heres vitae aeternae efficitur; sed etiam renovatur, hoc est datur ipsi Spiritus sanctus, qui intellectum, voluntatem et omnes animae vires renovare incipit, ut amissa Dei imago in ipso incipiat instaurari, ut homo *interior renovetur*, 2. Cor. 4, v. 16. ut *vetus homo exuatur et induatur novus*, Col. 3, v. 10. ut spiritus repugnet carni eique dominetur, ne peccatum in corpore regnum obtineat. Monendum tamen, renovationem non esse statim perfectam, sed de die in diem crescere debere, qua de re plura suo loco. De hoc baptismi effectu cumprimis testatur evidens dictum apostolicum Tit. 3, v. 5: *Baptismus est lavacrum renovationis*. Quidam huc referunt typum diluvii, quo tota rerum universitas velut renovata fuit et immutata, ac dictum Psalm. 103, v. 5: *Renovabitur ut aquilae juventus tua*. Veteres huc accommodant verba apostoli Gal. 6, v. 15: *In Christo nec circumcisio aliquid valet*, *nec praeputium*, *sed nova creatura*. Hebr. 6, v. 6. itidem fit mentio *ἀνακαινισμοῦ εἰς μετάνοιαν*, quod de renovatione per baptismum quidam accipiunt. Ambrosius in c. 6. Rom.: *Baptismus mors peccati est*, *ut alia sequatur nativitas*, *quae corporis manente compagine hominem mente innovat sepulta omnium malorum actuum vetustate*. Nazianzenus *εἰς τὸ ἅγιον βάπτισμα: ἄγωμεν ἐντεῦθεν λαμπροὶ λαμπρῶς ὑπὲρ χιόνα λάμψαντες, ὑπὲρ γάλα τυρωθέντες, ὑπὲρ λίθον σάπφειρον αὐγασθέντες*. Lombardus lib. 4. sent. dist. 3. liter. L.: Causa *institutionis baptismi est innovatio mentis*, *ut homo*, *qui per peccatum vetus fuerat*, *per gratiam baptismi renovetur*, *quod fit depositione vitiorum et collatione virtutum*. *Sic enim fit quisque novus homo*, *cum abolitis peccatis ornatur virtutibus: abolitio peccatorum pellit foeditatem*, *appositio virtutum affert decorem*.

Pertinet ad fructum renovationis: 1. Quod per baptismum peccati carnem deponimus.

113. Ad hunc baptismi fructum pertinet: 1. Quod per baptismum *carnem peccati deponere* dicimur, Col. 2, v. 11: *In Christo circumcisi estis circumcisione non manu facta ἐν τῇ ἀπεκδύσει τοῦ σώματος τῶν ἁμαρτιῶν τῆς σαρκός, in exuitione corporis peccatorum carnis, in circumcisione Christi*. (Petr. 1. epist. 3, v. 21. negans, baptismum esse depositionem sordium carnis, loquitur de externa corporis immundicie; Paulus vero de interna ac spirituali corporis et animae immundicie loquitur, quando per baptismum corpus peccatorum carnis exui docet.) Huc pertinent typi V. T.: *diluvium*, per quod omnis caro peccatis corrupta fuit submersa Gen. 7, v. 21. *circumcisio*, per quam praeputium cordis fuit ablatum, Genes. 17, v. 27.

2. Quod cum Christo in mortem sepelimur.

2. Quod cum Christo per baptismum *in mortem consepelimur*, hoc est quod vetus noster homo in baptismo et per baptis-

mum cum Christo *crucifigitur*, *interit ac sepelitur*, *ut resurgat novus homo*, qui in vitae novitate Deo serviat. Rom. 6, v. 3: *Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in mortem ejus baptizati sumus;* v. 4: *consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quemadmodum Christus ex mortuis surrexit per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus;* v. 6: *scientes, quod vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ulterius non serviamus peccato.* Col. 2, v. 12: *Consepulti estis cum Christo in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem, quam operatur Deus, qui excitavit illum a mortuis.* **Augustinus contra Julian. lib. 6, c. 1: *Quid est in morte Christi baptizari nisi peccato mori?* Et postea: *Quomodo Christus moriendo similitudini peccati peccato mortuus praedicatur, ita quicunque in illo fuerit baptizatus, idem peccato, cujus in Christo similitudo non veritas, eidem rei, cujus illa fuerit similitudo moritur.* c. 2: *Si non pro parvulis Christus mortuus, ut quid baptizantur? Quicunque enim baptizati sumus in Christo Jesu, in morte illius baptizati sumus. Sin autem etiam pro eis mortuus est, qui unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt et isti cum omnibus. Et quia in peccato mortui sunt, moriuntur et peccato, ut vivant Deo, quando renascuntur ex Deo.***

IX. 159. 3. Quod Spiritus sanctus nobis donatur.

3. Quod Spiritus sanctus in baptismo nobis donatur, ejus enim operatio est illa regeneratio et renovatio, quae in baptismo contingit, Joh. 3, v. 6: *Quod natum est ex Spiritu, Spiritus est*, hoc est renati per baptismum sentiunt novos motus Spiritus, impelluntur ad vitae novitatem. Tit. 3, v. 5: *Salvos nos facit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus s.;* v. 6: *quem effudit in nos opulenter.* Idem est Spiritus υἱοθεσίας Gal. 4, v. 6: *Quia estis filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra;* idem est arrhabo hereditatis nostrae, sigillum et obsignatio regenerationis, foederis et promissionis de vita aeterna 2. Cor. 1, v. 21. 22. Eph. 1, v. 13. et 14. c. 4, v. 30. Sic 1. Cor. 12, v. 13. *in uno Spiritu in unum corpus baptizati* dicimur, hoc est accipimus in baptismo Spiritum s. qui nos efficit membra corporis Christi mystici. Huc referendum, quod in baptismo Christi Spiritus s. in specie columbae super Christum descendit Matth. 3, v. 16. Quo significatum fuit, baptizatis datum iri Spiritum s. licet non eo modo, nec in tali mensura, in qua Christo secundum humanam naturam fuit datus. Act. 2, v. 38: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi et accipietis donum Spiritus s.* **Cyrillus in Joh. c. 42: *Ex hoc* (nisi quis renatus fuerit ex aqua) *discamus, idcirco nos Dei fieri participes, quoniam Spiritum, qui substantialiter ex Deo procedit, per baptismum acquirimus, quo in pristinam pulchritudinem reformati et ad novam vitam renati a Deo in filios adoptamur.*** Lutherus in post. eccles. epist. Fest. natalit. fol. 65: *In baptismo datur Spiritus s. quia Paulus eum vocat lavacrum renovationis per Spiritum s. imo in baptismo nascimur ex Spiritu s.*

4. Quod Christum induimus.

4. Quod in baptismo *Christum induimus* Galat. 3, v. 27. Id enim fit non solum ad regenerationem, quatenus fide in Christum omnium beneficiorum ipsius participes reddimur, justitia ejus induimur et heredes vitae aeternae scribimur; sed etiam ad renovationem Rom. 13, v. 14. quatenus Christus *per fidem in cordibus nostris habitat* Eph. 3, v. 17. *in nobis] vivit* Gal. 2, v. 20. et fructus Spiritus in nobis operatur Gal. 5, v. 22. Atque hic est novus ille homo, quem induere jubemur Col. 3, v. 10. nimirum *viscera misericordiae*, *benignitatem*, *humilitatem*, *modestiam*, *patientiam*, ut ibidem v. 12. exponitur.

5. Quod in foedus Dei recipimur.

5. Quod per baptismum in foedus Dei recipimur 1. Petr. 3, v. 21. Hoc enim foedus complectitur non solum regenerationem et peccatorum remissionem, sed etiam renovationem ac Spiritus s. donationem, Jerem. 31, v. 31: *Feriam cum domo Israël foedus novum;* v. 33: *legem meam scribam in corda ipsorum* (haec est renovatio); v. 34: *et peccatorum ipsorum non recordabor amplius* (haec est regeneratio in peccatorum remissione). Ezech. 36, v. 25: *Adspergam super vos aquam mundam et mundabimini ab omnibus immundiciis vestris* (haec est regeneratio); v. 26: *dabo vobis cor novum et Spiritum novum*, *auferam cor lapideum ex medio vestri et dabo vobis cor carneum* (haec est renovatio). In baptismo est obligatio reciproca, ideo etiam baptismus dicitur ἐπερώτημα τῆς ἀγαθῆς συνειδήσεως. 1. Petr. 3, v. 21. non solum quia conscientia nostra redditur certa de Dei gratia et favore, sed etiam quia obligamur Deo, ut pro summis beneficiis in nos collatis gratos nos ipsi praestemus per omnem vitam *militando bonam militiam, retinentes fidem et bonam conscientiam*, 1. Tim. 1, v. 19. ipsique obsequentes simus in vita, in vocatione, in cruce.

6. Quod regeneramur. IX. 160.

6. Denique huc referri possunt omnia dicta, quae de regeneratione et fructibus ad illam pertinentibus agunt, siquidem renovatio cum regeneratione individuo nexu conjuncta est, Tit. 3, v. 5. Ac *fide purificantur corda* Actor. 15, v. 9. vera fides *est efficax per caritatem*, Galat. 5, v. 6. cum remissione peccatorum conjuncta est donatio Spiritus s. 1. Cor. 6, v. 11. *Qui est in Christo est nova creatura. Qui Christi sunt, crucifigunt carnem cum affectibus et concupiscentiis* Gal. 5, v. 24. *qui Spiritu Dei aguntur* (ad omne opus bonum), *sunt filii Dei* Rom. 8, v. 14. *et sine sanctimonia nemo videbit Deum* Hebr. 12, v. 14.

Fines baptismi quo modo ab aliis enumerentur.

114. Atqui hi sunt salutares baptismi effectus, quos aliqui hoc ordine enumerant, ut dicant, finem baptismi esse duplicem, principalem et minus principalem. Principalem finem statuunt esse vel propiorem, vel remotiorem. Propiorem esse dicunt regenerationem vocabulo generaliter accepto, ut ipsam quoque renovationem ambitu suo complectitur; remotiorem esse apprehensionem salutis aeternae. Minus principalem baptismi finem itidem geminum constituunt, generalem et specialem. Generalem finem vocant eum, quod baptismus sit partim testimonium professionis, partim nervus congregationis

Christianae; specialem vero, quod sit commonefactio de perpetuo foedere cum Deo inito. Sed enim cum finis ille generalis ad doctrinam de sacramentis in genere pertineat, quin et una cum speciali ad locum adjunctorum potius quam finis referendus sit, ideo non opus est multis de eo hic agere. Alii disputant finem baptismi vel proprio vel figurato sermone exprimi. Proprium baptismi finem esse regenerationem, υἱοθεσίαν, remissionem peccatorum, donationem Spiritus s. et vitae aeternae; allegoricum sive metaphoricum finem consistere in conformitate submersionis in aquam cum submersione veteris Adami, itemque emersionis ex aqua cum emersione novi hominis et secutura tandem liberatione ex omnibus aerumnis. Sed enim cum de hoc allegorico fine baptismi in quaestione de significationibus baptismi rectius agatur, ideo ad propriam sedem eundem remittimus. Alii hac enumeratione utuntur, ut dicant, finem et effectum baptismi esse duplicem, communem et proprium. Communis est, quod baptismus sit sigillum promissionis. Hic finis ab ipsis statuitur geminus, alius internus, quod baptismus sit sigillum justitiae et salutis: alius externus, quod significationem habeat et tesseram populi Dei. Proprius finis statuitur quadruplex: 1. Mundatio a peccatis; 2. imputatio justitiae Christi; 3. renovatio; 4. adoptio in filios Dei. Sed enim cum de fine communi in generali doctrina de sacramentis actum fuerit, cumque proprii illi fines ad regenerationem et renovationem commodissime referri possint, ideo apostolicam illam enumerationem Tit. 3, v. 5. propositam rectissime sequimur.

Errores circa finem baptismi. 1. Photinianorum. Quod baptismus sit ceremonia externa certi tantum temporis.

115. Ab hac de salutaribus baptismi effectibus ὀρθοδοξίᾳ longissime abeunt Neophotiniani Catabaptistae, qui disputant, baptismum aquae non esse institutum eo fine, ut esset ordinarium et perpetuum N. T. sacramentum ac medium regenerationis ac renovationis, quod durare debeat in ecclesia usque ad finem mundi, sed ut externa istac ceremonia in auspicio N. T. de vera ad Deum conversione et interiore a peccatis ablutione homines admonerentur. Catech. Racoviens. major p. 225. et 226. **Augustinus de haeres. ad Quodvultd. c. 46: Manichaei *baptismum in aqua nihil cuiquam perhibent salutis afferre, nec quemquam eorum, quos decipiunt, baptizandum putant.* Fulgentius Donatista negavit, *baptismum abluere peccata*, quem peculiari libello refutavit Augustinus. Dadoes Messalianae haereseos magister apud Nicephorum libr. 11, c. 14. et Theodorus lib. 4, c. 11. idem negat. Enthusiastae nullam utilitatem baptizatis ex baptismo accedere, solam orationem studiosam inhabitantem fugare daemonem. Tripart. libr. 1, c. 11. Thom. Pisecius in respons. ad 8. rat. Camp. p. 95. *baptismum non esse undam salutis, non canalem gratiae, non merita Christi in nos derivare, sed ritum et ceremoniam esse, per quam Judaei et gentes Christiana religione se devinciebant, est dogma veritati divinae consonum.* Ostorodus in institut. c. 39. *morem baptizandi retinendum esse propter caritatem Christianam, donec ecclesia ipsorum ex verbo Dei certius et plenius discat veritatem* (hoc est donec omnes pro re vana baptismum habeant et abrogare discant, quippe cum non sit a Christo institutus). Concedit Schmaltzius, in catech. c. 4. petit, *sibi dari mandatum Dei de paedobaptismo et exempla baptizatorum infantium.* Sommerus in tract. de baptismo adultorum, *baptismum ad tempora apostolorum solum spectare* scribit. Ex Photinianorum hypothesi baptismus est *solum ritus externus, quo homines e Judaismo vel gentilismo ad religionem Christianam accedentes manifeste profitebantur, se Christum pro suo domino agnoscere.* Schmaltzius in refut. disput. Frantz. p. 310. Catech. Racov. p. 195. Ostorodus instit. c. 39. §. 1. Socinus disput. de baptismo c. 2. p. 13.** His opponenda sunt dicta Scripturae omnia et singula, quae de institutione, fine et efficacia baptismi agunt, quorum emphasis et genuinus IX. 161.
sensus contra adversariorum elusiones diligenter asserendus. **Notanda cumprimis contra Photinianos sequentia: 1. Scriptura nusquam externae professionis fini baptismum destinat. 2. Baptismus Johannis non fuit habitus pro externa ceremonia, sed pro ritu divinitus instituto Joh. 1, v. 33. Matth. 21, v. 32. effectibus divinis pleno Matth. 3, v. 5. 6. 7. 11. Marc. 1, v. 4. Actor. 19, v. 4. et judicio primatum Hierosolymitanorum Joh. 1, v. 25. plebis Judaicae Matth 3, v. 5. Luc. 20, v. 6. discipulorum Johannis Joh. 3, v. 26. Christi Matth. 21, v. 24. Luc. 7, v. 28. 29. Lucae evangelistae c. 7, v. 30. 3. Baptismus Christi a nemine unquam jam inde ab ejus institutione ad haec usque tempora pro ritu inani fuit habitus. 4. Ejusmodi typis descriptus est, qui non conveniunt externae ceremoniae, arcae Noae 1. Petr. 3, v. 20. 21. defensioni et conservationi Israëlitarum per mare rubrum 1. Cor. 10, v. 2. 5. Iis similibus descriptus, quae non quadrant in ritum externum, utpote fontis Zach. 13, v. 1. lavacri Eph. 5, v. 26. Tit. 3, v. 5. 6. Iis effectibus laudatus, qui a ritu nudo non proveniunt.** Subterfugia ipsorum potiora haec sunt: *1. Baptismus est typus interioris ablutionis, unde Hebr. 9, v. 10. refertur inter justitias carnis. Iam vero omnes typi in N. T. sunt abrogati.* Respondemus: baptismi illi V. T. de quibus epist. ad Hebr. loquitur, fuerunt typi, ideoque in N. T. abrogati sunt, sed baptismus N. T. est *lavacrum regenerationis et renovationis* Tit. 3, v. 5. Umbrae igitur successit veritas et typo ἀντίτυπον. *2. Sicut prophetae divinitus excitati adhibuerunt externa quaedam signa, quibus ad poenitentiam homines excitarent; ita Johannes per externam baptismi ceremoniam de poenitentia et remissione peccatorum homines admonuit.* Joh. Sommerus Pirnensis in tract. de baptismo adultorum Ingolst. ann. 1583: *Baptismus ad nos nihil pertinet, nec saniori a nobis imitatione usurpatur, quam si quis arcam Noae Gen. 8. jugum Jeremiae Jer. 28. aut regis Joas sagittas 2. Reg. 13. sine certo Dei jussu et mandato velit imitari et red-*

integrare. Respondemus: ostendimus superius invictis argumentis, baptismum Johannis non fuisse nudam quandam externam ceremoniam, sed efficax medium regenerationis, remissionis peccatorum, υἱοθεσίας et vitae aeternae. Quid de analogia significativa baptismi statuendum sit, paulo post apparebit. *3. Mandatum apostolis datum spectat solummodo tempora apostolorum.* Respondemus: Christus docere et baptizare jubens omnes gentes ostendit, Deum usque ad finem mundi ex omnibus gentibus per praedicationem verbi et baptismi administrationem sibi collecturum ecclesiam. Sic ergo concludimus: Quocunque tempore in N. T. vixerunt et vivent gentes, eodem etiam debet administrari baptismus. Ratio est, quia Christus jubet baptizare omnes gentes. Jam vero non solum temporibus apostolorum, sed et sequentibus ut et nostris ad novissimum usque diem vixerunt, vivunt et vivent gentes. ** Notandum 1. quod Christus post resurrectionem in coelos ascensurus solennissime et gravissime citra determinationem certae alicujus durationis discipulis baptismi administrationem injungat. 2. Sommerus disputat, *quod Johannes praedicaverit Judaeis baptismum poenitentiae, ut instantem urbis et politiae interitum evitare discerent.* At quo fine seu ad quas poenas evitandas omnibus ethnicis Christus baptismum per apostolos novo et inusitato more praedicare jussit? Non potest ostendere certas quasdam corporales poenas, ad quas devitandas ethnicis initio praedicatus fuerit baptismus. 3. Sommerus ostensurus, baptismum fuisse praedicatum gentibus ad evitandas poenas corporales tales, quibus Judaea periit, imprudens delabitur ad illud, gentibus baptismi praedicationem contemnentibus denuntiatas fuisse aeternas poenas, Act. 17, v. 31. At haec sunt ἀσύστατα. 4. Remittit nos ad testimonia historicorum de ethnicis per famem, bella, incendia tunc temporis ita afflictis, sicut tunc affligebatur Judaea. Atqui quaedam gentes impiae tunc temporis illis poenis caruerunt, quaedam vero etiam piae gentes illis affectae fuerunt. 5. Scriptura alium finem baptismi nobis monstrat quam liberationem a poenis temporalibus. Quis vobis monstravit fugere ab ira ventura? Matth. 3, v. 7. haec ira opponitur possessioni vitae aeternae Joh. 3, v. 36. 1. Thess. 1, v. 10: *Christus liberavit nos ab ira ventura.*** Praeterea Christus man-
IX. 162. dato de baptismo suavissimam addit promissionem: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*, quae promissio cum sit generalis, non apostolos solum, sed etiam successores ipsorum concernens; ex eo immote colligitur, mandatum de docendo et baptizando itidem esse generale omnes omnium temporum gentes complectens. Addimus et hoc argumentum: Si mandatum de baptismo non esset universale, ad omnia tempora N. T. spectans, sequeretur, homines absque adminiculo baptismi regnum coelorum ingredi posse. Consequens repugnat verbis Christi Joh. 3, v. 5: *Nisi quis renatus fuerit* etc. *4. Mandatum illud accipiendum de baptismo doctrinae, non autem de baptismo aquae, quia apostoli non baptizarunt in nomine Trinitatis, sed in nomine Christi Act. 2, v. 38. c. 10, v. 48. et Paulus negat, se missum esse ad baptizandum.* Respondemus: haec exceptio tollit priorem. Si enim mandatum Christi de baptismo doctrinae accipiendum, utique non solum ad tempora apostolorum, sed ad omnes omnium temporum gentes referendum erit. Utrumque Christus jubet et docere et baptizare omnes gentes. Ergo non de solo baptismo doctrinae, sed etiam aquae, hoc est de verbo et sacramento, de promissione et sigillo agit. Qui debent fieri discipuli Christi, debent etiam baptizari; ratio est, quia Christus utrumque praecipit apostolis. Jam vero ex omnibus gentibus colligendi sunt Christo discipuli. Ergo.** In mandato Christi Matth. 28, v. 19. Marc. 16, v. 16. verbum *baptizate* item *baptizatus* ita intelligi oportet, quemadmodum apostoli mandatum hoc secuti in ipsa praxi expresserunt. Atqui apostoli in praxi tum docuerunt, tum baptizarunt aqua in nomine Dei Patris, Filii et Spiritus s. ut ostendunt exempla in actis et epistolis apostolorum adeoque in tota primitiva ecclesia quod fatetur Ostorodus. Quare verbum *baptizate* et baptizatus eo in loco notat baptismi administrationem. Diligenter observa locum Act. 2, v. 38. ubi baptismus et poenitentia conjunguntur, et praxis immediate subjecta ostendit, de baptismo aquae loqui apostolum. Esset ταυτολογία in Christi verbis, *doctrinae* enim jam ante fecerat mentionem, ac verbum *baptizandi* absolute positum significare in Scriptura *baptismum doctrinae*, nunquam demonstrabunt.** Quis vero est ille baptismus doctrinae? Novimus totum ministerium Johannis, quod in docendo et baptizando occupatum erat, baptismi nomine appellari Act. 18, v. 25. Sed ex eo non potest colligi, baptisma pro sola doctrina usurpari ac proinde baptismum doctrinae excogitandum esse, quin potius a parte eaque sensui magis obvia et propter novitatem miranda fit denominatio totius. Ut ergo baptismus aquae non excluditur, sed includitur, quando Johannis ministerium baptismi nomine appellatur; ita quoque pari ratione baptismus aquae non exclusus, sed inclusus intelligitur, quando apostolis docendi et baptizandi ministerium commendatur. Quomodo accipiendum sit, quod in Christi nomine apostoli dicuntur baptizasse, expositum est superius §. 91. quove sensu neget Paulus, se ad baptizandum esse missum, docuimus §. 17. object. 2. Ac si vel maxime ex hypothesi concedatur, discipulos solum haec verba usurpasse: *baptizate in nomine Christi*, nondum tamen sequeretur, illos sine aqua baptizasse, contrarium
enim ipsa praxis in Actis ostendit c. 8, v. 38. c. 10, IX. 163.
v. 47. *5. Mirum foret apostolos tam pauca de baptismo scribere, si esset tale ac tantae efficaciae sacramentum, cum de aliis longe minoribus, ut de educatione liberorum, de officio servorum etc. tam copiose scribant.* Respondemus: quae apostoli de baptismo scribunt, non sunt pauca, nec obiter vel incidenter prolata, ut constat ex superioribus, et si vel maxime essent paucissima, tamen cum sint divina,

immediato Spiritus s. afflatu edita, merito maximi ponderis sunt apud eos, qui norunt unum in Scripturis jota coelo ac terra praestantius, stabilius, augustius. Matth. 5, v. 18. Luc. 21, v. 33. ***6. Dictum Matth. 28. euntes docete omnes gentes etc. ab Athanasianis esse textui immistum.* Francisc. Davidis et Georg. Blandratus in refutat. scripti Georg. Majoris liter. N. fol. 4. Respondemus: 1. omnes haeretici omnia Scripturae dicta hoc modo eludere possent; 2. quamdiu ergo non probant, ut mendacium illis relinquimus; 3. recentiores hujus commenti pudet, eoque non amplius utuntur.**

Quod non sit medium regenerationis. 116. Regenerationem per baptismum fieri negant. **Schmaltzius in examin. 157 errorum err. 139. p. 37: *Quis unquam audivit, externae ceremoniae regenerationem tribui? nonne regenerationis ipsa vox totam nostri mutationem designat et postulat? haec autem non baptismo aquae, sed consideratione divinorum promissorum acquiritur, ut ait Petrus 1. epist. 1, v. 23.* err. 140: *Baptismo infantium regenerationem adscribere ad idololatriam declinare esse dicimus, ipsum baptismum infantum pro re puerili et adiaphora prorsus habentes*; in refutatione eorum, quae Smigl. ad examin. 100. errorum adduxerat p. 58: *Non tantum error, sed idololatricum aliquid est, ceremoniali actioni sive soli sive cum alia spirituali junctae tribuere remissionem peccatorum, quae aliud nihil est re ipsa quam vita aeterna.* Idem in refut. disput. D. Frantz. p. 311: *Aquam baptismi esse organum seu instrumentum Spiritus s. quo in ipso actu baptismi regenerationem operatur, non tantum falsum, sed aliquid idololatricum omnino censendum est.*** Argumentis utuntur porro hisce: *1. Aqua est res mere naturalis; ergo impossibile est, nos ea renasci.* Respondemus: aquae baptismi conjunctum est verbum Dei, unde baptismus vocatur *lavacrum aquae in verbo* Eph. 5, v. 26. conjuncta est eidem gratia et operatio Spiritus s. *unde ex aqua et Spiritu renasci* dicimur Joh. 3, v. 5. ac apostolus baptismum vocat *lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus s.* Tit. 3, v. 5. Proinde quamvis aqua in se ac per se sit res materialis, tamen accedente verbo et operatione Spiritus s. fit efficax medium regenerationis. Siquidem causa instrumentalis a directione et influentia causae principalis hoc sortiri potest, ut effectum semet ipsa praestantiorem ac digniorem producat, id quod multis exemplis comprobatum dari posset. *2. Infantes nequeunt distinguere inter dextrum et sinistrum Jon. 4, v. 11. Ergo in illis non habet locum regeneratio.* Respondemus: si infantes non regenerantur, consequens est, ipsos in universum omnes regni coelestis extorres esse, *quia nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire regnum Dei* Joh. 3, v. 5. Quamvis infantes usu rationis destituantur, ex eo tamen inferri nequit, ipsos fidei et regenerationis non esse capaces, cum Johannes in utero materno adhuc conclusus Spiritu s. fuerit repletus, qua de re inferius plura dicentur, ubi Anabaptistica argumenta contra fidem et baptismum infantum excutienda erunt. *3. Regeneramur a Deo per verbum Jac. 1, v. 18. 1. Petr. 1, v. 23. Ergo non per baptismum.* Respondemus: τὰ ὑπάλληλα non debent sibi ἐναντίως opponi. Regenerationis causa princeps est Spiritus s., instrumentalis non solum verbum, sed et baptismus, juxta disertum apostoli pronuntiatum Tit. 3, v. 5: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis.* Monemus autem hoc argumentum contradicere primo. Verbum enim non minus est res materialis ac sensibilis quam aqua baptismi. Si ergo Spiritus s. per verbum potest regenerationis opus perficere, utique etiam per aquam baptismi.

117. Sed et illi peccant in ἐλλείψει circa hanc doctrinae baptisticae partem, qui disputant, baptismum esse saltem signum ac symbolum, non autem medium regenerationis, ac talem constituunt analogiam significativam: Sicut aqua abluit sordes corporis; ita sanguis Christi abluit sordes mentis, id quod exteriori illa ablutione praefigurari, adumbrari et obsignari statuunt. Cinglius in confess. an. 1530. art. 7: *Non hac mersione affertur Spiritus gratiae.* Item: *Externus baptismus, qui aqua constat, ad peccatorum ablutionem nihil facit. Baptismo ecclesia publice accipit eum, qui prius receptus est in gratiam.* Item: *Baptismus non aliter ecclesiae Christi signum est quam exercitus aliquis signatur, non quod signum hoc conjungat ecclesiae, sed qui jam conjunctus est, publicam tesseram accipit.* **Idem lib. de vera et fals. relig. p. 204: *Baptismus significat tantum vitae novitatem vel renovationem.* tom. 2. contra Strathion. p. 313. *non ideo dari baptismum, ut in homine quidquam operetur, sed ut novo huic tironi, qui militiae regis nostri et ecclesiae nomen dat, ratione illud populi Dei signum conferatur,* disputat.** Oecolampadius de verb. Dom. c. 2: *Aqua mystica in baptismo non regenerat, nec efficit filios Dei, sed declarat.* Calvinus lib. 4. inst. c. 15. §. 2. negat, *ablutionem et salutem nostram baptismatis aqua perfici, aut aquam illam purgandi, regenerandi, renovandi virtutem in se continere, neque salutis causam in hoc sacramento percipi;* et subjicit: *Quis ergo nos aqua ista mundari dicat?* §. 22: *Non ideo baptizantur liberi fidelium, ut filii Dei primum fiant, qui ante alieni fuerint ab ecclesia, sed solenni potius signo ideo in ecclesiam recipiuntur, qui jam ante promissionis beneficio ad corpus Christi pertinent.* Idem in comm. c. 5. Ephes. dicit, *idolum quoddam a nonnullis constitui, qui elemento aquae vim purgandi animas attribuunt, id quod vel sanguini Christi, vel Spiritui s. in solidum sit adscribendum.* Petrus Martyr class. 4. loc. comm. c. 9. sect. 14: *Est in hoc dogmate graviter hallucinatus Augustinus, quod nimium baptismo tribuerit, non enim agnoscit, illum esse regenerationis externum symbolum, sed ipsa tingendi actione vult nos regenerari et adoptari atque in familiam Christi transire.* Collocutores adversae partis in colloqu.

2. Calvinianorum, quod baptismus sit tantum signum ac symbolum et IX. 164. sigillum regenerationis, non autem medium.

Momp. Lat. p. 433. Germ. p. 764: *Aliquam latentem virtutem aliam aquae licet sacramentali attribuere, quam sacramentalis significationis existimamus manifestam esse idololatriam, qua remittendorum peccatorum et renovandi cordis hominum vis ad aquam, quamvis sacramentalem, transfertur.* Ibid. in coll. Lat. p. 435: *Infantes merito baptizantur et adoptionis fructu donari probabiliter censentur, relictis Deo arcanis suis judiciis.* **Tossan. in notis ad biblia Germ. Ephes. 5: *Lavacro aquae in verbo, id est per sanguinem et Spiritum sicut hoc per lavacrum aquae in sacro baptismate figuratur et confirmatur, quae mundatio nobis in evangelio annuntiatur et promittitur*, ad Tit. 3, v. 5: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis* etc. *dum nos mundat a peccatis nostris per sanguinem et Spiritum Christi et renovat nos ad imaginem Dei, ut pie et inculpate vivamus. Quidam hoc intelligunt de baptismo, qui est sacramentum et sigillum nostrae mundationis et regenerationis.* 1. Petr. 3, v. 21. *Fideles in baptismo admonentur et assecurantur, quod per sanguinem et Spiritum Christi purgati atque ita ab aeterna morte liberati sint*, Gal. 3, v. 27. *baptizati inquiens non tantum externe aqua, sed etiam interne per virtutem Spiritus s. qui in credentibus operatur, quod per externum signum significatur.* in notis ad c. 3. Matth. v. 6: *Baptizabantur in Jordane et confitebantur sua peccata; ideo inquit confitebantur, quia baptismus est sacrum signum et sigillum remissionis peccatorum, quae contingit omnibus resipiscentibus.* Sim. Episcopius disp. privat. de bapt. th. 8: *Finis baptismi est sola tantum divinae gratiae et professionis nostrae significatio.* Vide quoque Paraeum in c. 2. Rom. dub. 9. p. 232. ubi scribit: *Infantum, qui in Christo moriuntur, antequam operari aliquid potuerint, diversa est ratio. Hi enim simpliciter aut servabuntur secundum gratiam, aut damnabuntur secundum naturam filii irae ut et reliqui.* lib. 6. de amiss. grat. cont. Bellarminum p. 891: *De solis infantibus ecclesiae in foedere natis, si morte praeveniantur, canone caritatis ita pronuntiant* (Calvinus et Zwinglius) *ex singulari privilegio promissionis parentibus et liberis factae: Ero Deus tuus et seminis tui; salva tamen electione Dei, quae ut olim in Abrahami et Isaaci, ita deinceps in fidelium liberis saepe discrimen fecit ac facit.* Martyr. class. 2. loc. comm. c. 1. num. 31. p. 137: *De parvulis Christianorum qui absque sacramento discedunt, si interrogarer, responderem, de illis spem bonam habendam esse* etc. *quae tamen promissio cum non sit ita generalis ut omnes comprehendat, ideo nemini sic decedenti ausim peculiariter promittere certam salutem, sunt enim aliqui sanctorum filii, qui ad praedestinationem non pertinent.*** Beza praefat. part. 1. resp. ad coll. p. 24: *Nunquam simpliciter dixi, baptismum esse regenera-*
IX. 165. *tionis in pueris obsignationem, sed adoptionis ex formula foederis: Ero Deus tuus* etc. *neque dixi, pueros, vel omnes vel aliquos re ipsa in illo baptismi momento regenerari, sed regenerationis beneficium suo demum tempore divinitus ordinato illum baptismi actum in infantibus ex verbi auditu subsequi.* part. 2. resp. p. 115. vocat *palpabilem errorem, quo causativa, ut loquuntur Scholastici, vis conferendae gratiae principalis quidem Deo, instrumentalis autem sacramentis tribuitur.* Inde etiam duplicem statuit baptismum, *interiorem, qui perficiatur a Spiritu s. et exteriorem, qui fiat per aquam.* In colloq. p. 436: *Externae adspersionis, quam proprie dicit vocari baptismum, ministrum dicit esse hominem, internam autem adspersionem sanguinis Christi fieri per Spiritum s.* Part. 2. resp. ad acta colloq. p. 114. quod latius deducit Grynaeus (disput. de euchar. anno 1584. thes. 17. et seqq. **Paraeus in c. 2. Rom. p. 218. negat, *geminum a suis statui baptismum, sed quod de baptismo interno et externo ab illis docetur, id accipiendum de duobus baptismi actibus, quorum uterque nomen baptismi sermone ecclesiae sortiatur.* Beza part. 2. resp. ad colloq. p. 44. *miratur, cuiquam in mentem venire potuisse, ut putaret, quod in duo distribuitur, in totidem tota secari.* Atqui revera statuunt geminum baptismum Calvinus in 1. Cor. 12. Beza in colloq. Momp. p. 446. Tossan. contr. Marbach. p. 350. Distinguuntur illi baptismi: 1. nominibus, alterum vocant internum, alterum externum; 2. definitionibus, illum vocant ablutionem sordium corporis, hunc ablutionem sordium animae; 3. effectibus, quos etiam temporibus discriminant. Actionem in baptismo internam et externam ecclesia Christi agnoscit eamque distinctam quidem, non tamen temporibus separatam ex actione autem diversa baptismum diversum non facit. Si uterque ille actus vocatur baptismus, cur non utraque manducatio vocatur sacramentum coenae? Schwenckfeldius in ep. p. 16. 32. 490. facit *duplicem baptismum, internum Spiritus et externum aquae.* Ad illius opinionem quam proxime accedit Calvinianorum hypothesis.**

118. Ex quibus omnibus apparet, ipsos statuere: 1. quod infantes Christianorum ante baptismum sint in foedere gratiae; 2. nec tamen omnes, sed illi solum, qui absoluto Dei decreto sunt electi; 3. quod reliqui, licet millies baptizentur, non tamen regenerentur; 4. cum baptismus non sit efficax medium, sed saltem signum et symbolum regenerationis, idque non nisi in electis; 5. regenerationem autem illam non in baptismo fieri, sed futuro demum tempore ex auditu verbi in electis subsequi; 6. ideoque de regeneratione et salute infantum non posse certi quid ex baptismo statui, sed tantum probabiliter; 7. esse enim duplicem baptismum, internum et externum; eosque causa efficiente, subjecto et tempore ita distinctos, ut non omnes illi interiorem baptismum percipiant, qui exterius aqua baptizantur; 8. cum gratia Dei sit libera et electio ad vitam absoluta.

Σύνοψις errorum, quos circa hoc membrum doctrinae de baptismo Calviniani propugnant.

119. De reliquis corruptelis suus erit dicendi locus, hac vice illud excutiendum, quod baptismus negatur efficax medium regenerationis, contra vero

Argumenta contra analogiam significativam.

tantummodo externum ejusdem signum et symbolum inque electis obsignatio statuitur. Cui significativae analogiae opponimus haec fundamenta:

Adversarii 1. contradicunt dicto Petri 1. epist. 3, v. 21.

1. quod patroni ejusdem diserte et velut apertis tibiis contradicant Petro, qui negat, aquae in baptismo officium esse abluere sordes corporis 1. epist. 3, v. 21: *Baptisma nos salvat, non depositio sordium carnis, sed interrogatio bonae conscientiae erga Deum.* Si aqua baptismi propter significationem interioris mundationis adhiberetur, necesse foret, talem fieri confricationem corporis, quae sordes ejus detergeret totumque ablueret, qua ratione non sufficeret adspersio vel affusio aquae.

IX. 166.

2. Causam instrumentalem cum loco adjunctorum confundunt.

2. Quod causam instrumentalem cum loco adjunctorum confundant. Scriptura aquam baptismi verbo Dei sanctificatam, munitam et comprehensam statuit causam instrumentalem regenerationis, renovationis et salutis, ut apparet ex his dictis sole clarioribus Joh. 3, v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu.* Ephes. 5, v. 26: *Christus mundavit ecclesiam lavacro aquae in verbo.* Tit. 3, v. 5: *Deus nos salvos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis.* 1. Petr. 3, v. 21: *Baptisma nos salvat* (nimirum ὀργανικῶς, sicut et minister se ipsum et auditores suos salvare dicitur. 1. Tim. 4, v. 16). Quo referenda etiam haec dicta: Marc. 16, v. 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*, (ubi conjunguntur media salutis ex parte Dei et nostra). Gal. 3, v. 27: *Quotquot baptizati estis, Christum induistis.* Sed analogia illa significativa aquam baptismi statuit tantummodo signum et symbolum istorum effectuum. Sic ergo inferimus: Per quod regeneramur, renovamur, mundamur, Christum induimus et salvamur, illud non est tantummodo regenerationis, renovationis, mundationis etc. signum, quia priores propositiones pertinent ad causam instrumentalem, posteriores ad locum adjunctorum. Per aquam baptismi regeneramur, renovamur, mundamur, Christum induimus et salvamur. Ergo aqua baptismi non est tantum signum regenerationis, renovationis et mundationis. **Porro argumentamur: 1. Cuicunque ita tribuitur regeneratio, ut per illud nec sine illo salus obtingere possit, illud non significat sed confert regenerationem. At baptismus ita est lavacrum regenerationis, ut per eum regeneremur Tit. 3, v. 5. nisi quis ex aqua et Spiritu etc. Joh. 3, v. 5. Ergo non tantum significat, sed confert regenerationem. 2. Quodcunque nos servat et quidem ita, ut arca Noam, illud non significative, sed effective, id est instrumentaliter scilicet, hoc facit. At baptismus ita nos salvat ut arca Noam, 1. Petri 3, v. 21. Ergo. 3. Aut omnes phrases de effectu baptismi erunt aliter interpretandae, aut concedendum, quod baptismus conferat regenerationem et salutem, quia omnes ad classem non adjunctorum significantium, sed causarum instrumentalium conferentium pertinent. Tit. 3, v. 5. 1. Petri 3, v. 21. Joh. 3, v. 5. Zach. 13, v. 1. Marc. 16, v. 16. Gal. 3, v. 27. Rom. 6, v. 3. Act. 2, v. 38. c. 22, v. 16. Ephes. 5, v. 26. Prius dici nequit, quod tamen Schmaltzius sine ulla ratione facit, 1. quia esset contra regulam, quod a τῷ ῥητῷ, nisi impugnet articulum fidei, non sit discedendum; 2. omnia illa dicta κατὰ τὸ ῥητὸν essent falsa; 3. Nuspiam effectus baptismi essent propriis verbis propositi.**

3. Discedunt a literali verborum sensu.

3. Quod universa Scripturae dicta, quae de baptismi fine et effectu agunt, aliter interpretentur, quam sonant. Ursinus in comp. p. 503: *Impropriae seu figuratae loquendi formae sunt: baptismus est lavacrum regenerationis, baptismus nos salvat. Propria loquendi forma est, quod sit signum ablutionis.* Piscator in anal. c. 3. Tit.: *Deus salvat nos per regenerationem et renovationem Spiritus s. tanquam per lavacrum quoddam, quo scilicet abluimur a peccato, cujus lavacri sigillum est baptismus.* Idem in anal. c. 5. Ephes.: *Christus mundat ecclesiam sanguine suo in ara crucis effuso, de quo testantur baptismus et evangelium.* Perversiones dicti Joh. 3: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* etc. vidimus superius.

4. Coguntur statuere, quod Sriptura sacra nuspiam proprie de effectu baptismi loquatur.

4. Quod cogantur statuere, nullibi in tota Scriptura propriis et perspicuis verbis finem et effectum baptismi exprimi, id quod perfectioni ejusdem repugnat. Ubi enim legitur in Scripturis, quod baptismus sit signum regenerationis? Certe Christus in institutione baptismi nullam facit hujus analogiae figurativae mentionem, sed jubet *baptizare in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti* addita promissione, quod baptismus sit efficax medium salutis Matth. 28, v. 19. Marc. 16, v. 16. Sohnius tom. 1. exeges. in meth. theol. p. 262. *omnes de baptismi efficacia propositiones, quae in Scripturis occurrunt, figuratas, improprias et metonymicas esse* dicit *praeter hanc unam: baptismus est typus depositionis sordium,* quam dicit exstare 1. Petr. 3, v. 21. sed textus inspectio plane contrarium ostendit.

IX. 167.

5. Evertunt discrimen sacramentorum V. et N. T.

5. Quod evertant discrimen sacramentorum V. et N. T. qua de re in tract. de circumcisione et agno paschali §. 4. et seqq. latius disputavimus.

6. Typos baptismi nondum impletos esse statuere coguntur.

6. Quod vaticinia et typos V. T. de baptismi efficacia nondum impletos esse statuere cogantur. Petrus 1. epist. 3, v. 20. confert baptismum cum *arca Noae*, quae non fuit tantum signum, sed medium conservationis in diluvio. Psalm. 29, v. 10. baptismus dicitur *diluvium*. Ut aqua diluvii omnem carnem peccati submersit; ita quoque idem spiritualiter fit in baptismo. *Lotionibus leviticis* tanquam typis successit baptismus velut antitypon. Aqua baptismi est *aqua vivificans et sanans omnia* Ezech. 36, v. 25. c. 47, v. 9. *Est fons ille patens in expiatione peccati* Zach. 13, v. 1. *Est mare illud, in quod peccata projiciuntur*, Mich. 7, v. 19. Gregorius lib. 9. epist. 39: *Qui dicit, peccata in baptismate non funditus dimitti, dicat, in mari rubro Aegyptios non veraciter mortuos.*

7. Minus tribuunt baptismo quam verbo.

7. Quod minus tribuant baptismo quam verbo, cum tamen sacramenta sint verbum visibile ac proinde, quod verbo tribuitur, id sacramentis non est denegandum. Verbum Dei est *potentia ad salutem omni credenti* Rom. 1, v. 16. est efficax medium et organum, per quod Deus fidem ad salutem in cordibus operatur Rom. 10, v. 17.

1. Tim. 4, v. 16. ita quoque baptismus non est nudum signum, sed organum ac medium, per quod gratia et salus nobis offertur.

Argumenta adversariorum. 1. Sequetur baptismum prodesse ex opere operato.

120. Quibus vero argumentis sententiam nostram oppugnant? *1. Si aqua baptismi statuitur organum regenerationis, sequetur, baptismum prodesse ex opere operato et occultam aliquam vim latere in aqua* etc. Respondemus: 1. Nequaquam vero opinionem operis operati tuemur, sed fidem ad salutarem baptismi usum omnino requirimus ac disertis verbis profitemur, baptismum nemini prodesse absque fide. 2. Hanc fidem et illi conjunctam regenerationem Spiritus s. per ipsum baptismum in cordibus infantum operatur, ut ostendimus superius §. 93. quemadmodum igitur *verbum non prodest fidei non admixtum* Hebr. 4, v. 2. ac nihilominus est et manet salutare medium, per quod fides in cordibus hominum accenditur Rom. 10, v. 17. ita quoque sacramentum baptismi non prodest absque fide et nihilominus est salutare medium, per quod Spiritus s. in illis, qui non resistunt et repugnant ipsius operationi, fidem vult accendere, augere et confirmare. 3. Longissime igitur ab opinione operis operati sententia nostra distat. Aliud enim est agere de efficacia mediorum ex parte Dei offerentis in se ac per se, aliud est dicere, quod media illa prosint absque medio recipiente ex parte hominum; proinde perversa ratio est, ut quotiescunque de ordinationum divinarum et mediorum divinitus institutorum efficacia ad salutem agitur, statim opinio operis operati inde eliciatur. 4. Sic nec latentem aliquam occultam vim aquae baptismi tribuimus, sed effectus illos divinos regenerandi, mundandi, salvandi Spiritui s. ut causae principali in solidum tribuimus; interim tamen per aquam baptismi verbo Dei sanctificatam, munitam et comprehensam beneficia illa dispensari Scripturas secuti statuimus. 5. Addimus autem, in hac quaestione de effectu baptismi distinguendum esse inter infantes et adultos. Infantes non resistunt Spiritui sancto ejusque operationi, ideoque per baptismum fides et salus illis indubitato confertur; adulti vero actuali impoenitentia et obstinatione salutarem Spiritus sancti operationem impedire possunt, quo in casu baptismus haudquaquam ex opere operato ipsis prodest, sed potius in judicium ipsis cedit et damnationem graviorem attrahit.

Gratia Dei non est affixa signis. IX. 168.

121. *Gratia Dei non est affixa signis. Ergo baptismus non est medium, sed tantummodo signum et sigillum regenerationis.* **Zwinglius part. 2. oper. in tract. de vera et fals. relig. p. 198: *Hac ratione libertas divini Spiritus alligata esset, qui dividit singulis ut vult, i. e. quibus, quando, ubi vult. Nam si tunc cogeretur intus operari, cum nos extra signis notamus, signis prorsus alligatus esset.* Respondemus: aliud est quaerere de instrumento regenerationis, aliud de diversis donis, quae hominibus regeneratis conferuntur, de quibus agit dictum Joh. 7, v. 39. aliud est quaerere de coactione, aliud de divina ordinatione.** Porro: 1. Verissimum hoc est, quod gratia regenerationis non ita sit affixa baptismo, quo minus extraordinarie in casu necessitatis Deus infantes regenerare possit absque baptismatis sacramento, interim tamen ex eo non potest inferri, baptismum non esse ordinarium regenerationis medium, ad cujus usum alligati sumus. 2. Id simili exemplo declarari potest. Placuit Deo per verbum homines convertere Rom. 1, v. 16. placuit ipsi *per stultam praedicationem salvos facere credentes* 1. Cor. 1, v. 21. Ordinarie igitur per auditum et meditationem verbi in cordibus hominum fidem excitat, interim tamen illa Dei actio non est absolute alligata ad verbi auditum, quia Saulum spirantem minas et rebellantem convertit, Actor. 8. 3. Nec dicimus, quod aquae vis regenerandi tanquam subjecto φυσικῶς inhaereat, aut quod naturali quacunque ratione et vinculo quodam insolubili gratia Spiritus s. ei sit alligata, sed sacramentali mysterio vim illam huic sacramento ex ordinatione divina ὀργανικῶς et ὑπερφυσικῶς ad salutem credentium conjunctam esse dicimus. 4. Rectius hac in parte scribit Calvinus lib. 4. instit. c. 16. §. 5: *Non enim Dominus olim circumcisione dignatus est, quin eorum omnium participes faceret, quae per circumcisionem signata tunc fuerunt, alioqui meris praestigiis ludificatus esset populum suum, si fallacibus symbolis eos lactasset, quod solo auditu horrendum.* **Idem tamen errat, quando lib. 4. instit. c. 15. sect. 2. et cum eo Ursinus in expl. catech. p. 502. ita argumentatur: *Solus sanguis Christi emundat nos ab omni peccato, 1. Joh. 1, v. 7. 1. Cor. 6, v. 11. Ergo non aquae baptismus.* Respondemus: 1. particula *solus* non exstat in textu, nec potest opponi baptismo aquae vel aliis personis Trinitatis; 2. emundatio a peccatis asscribitur in Scriptura et Deo et sanguini Christi et baptismo. Deo κυρίως καὶ πρώτως, principaliter et primario; baptismo ὀργανικῶς καὶ δευτέρως instrumentaliter et secundario Ephes. 5, v. 27. *mundat lavacro aquae;* 3. distinguendum inter gratiae acquisitionem et ejus oblationem. Quam gratiam Christus suo sanguine nobis acquisivit, eam in baptismo offert, oblatam credentibus confert, collatam auget, obsignat et confirmat.**

3. Infantes fidelium ante baptismum sunt in Dei foedere.

122. *3. Infantes fidelium ante baptismum sunt in Dei foedere vi divinae promissionis* Genes. 17, v. 17: *Ero Deus tuus et Deus seminis tui. Ergo non per baptismum in foedus gratiae recipiuntur, sed beneficii jam ante accepti sigillum ipsis datur.* **Beza part. 2. quaest. et resp. p. 74. Aretius in probl. p. 245.** Respondemus: 1. infantes fidelium non minus ac reliqui sunt *natura filii irae* Ephes. 2, v. 3. *concepti et nati in peccatis* Psalm. 51, v. 7. *ex immundo semine geniti* Job. 14, v. 4. *sunt caro de carne* Joh. 3, v. 6. quomodo ergo actu sunt in foedere gratiae ante baptismi usum? 2. Dictum Gen. 17, v. 7. continet insignem promissionem gratiae, quod Deus semen Abrahae, adeoque semen eorum omnium, qui sunt ex fide Abrahae, in foedus suum recipere velit, non sine certo quodam medio, vel ob carnalem ex fidelibus paren-

tibus nativitatem, sed in V. T. per sacramentum circumcisionis, in N. T. per sacramentum baptismi, unde v. 10. diserte additur: *Hoc autem foedus meum, quod servabitis inter me et vos et semen vestrum, circumcidetur in vobis omne masculinum;* v. 14: additur comminatio: *masculus, cujus praeputii caro non circumciditur, ejus anima eradicabitur ex populo suo, eo quod foedus meum fecerit irritum.* 3. Actor. 2, v. 39. proponitur illustris hujus dicti explicatio. *Poenitentiam agite,* inquit Petrus v. 38. *baptizetur unusquisque vestrum in nomine Christi;* v. 39. αἰτιολογικῶς addit: *vobis enim facta est promissio et liberis vestris.* Si infantes
IX. 169. Israëlitarum vi illius promissionis ante circumcisionem in V. et ante baptismum in N. T. fuissent in Dei foedere, quomodo Petrus ad baptismum suscipiendum eos fuisset cohortatus adducta rationis loco hac ipsa promissione? 4. Ergo vi illius promissionis infantes fidelium habent aditum ad circumcisionem in V. et baptismum in N. T. ac si casu quodam contingat, ipsos ante susceptum initiationis sacramentum e vita decedere, divina gratia vi ejusdem promissionis extraordinarie in illis regenerationem et salutem operatur, ex eo tamen non potest inferri, quod baptismus non sit ordinarium regenerationis ac salutis medium.

4. Quandoque baptizantur illi, qui jam ante sunt renati.

123. 4. *Quandoque baptizantur illi, qui jam ante sunt per verbum et Spiritum s. renati, ut patet exemplo eunuchi Actor. 8, v. 38. et eorum, in quos jam ante acciderat Spiritus s. Actor. 10, v. 47. illis cum baptismus non fuerit regenerationis medium, nec in reliquis hunc finem habere dicendus fuerit.* **Zwinglius de vera et fals. relig. p. 198: *Cornelius Spiritum sanctum acceperat, priusquam aqua tingeretur, certus ergo de gratia Dei fuit ante baptismum.*** Respondemus: 1. quamvis hi aliique complures ante baptismi usum vere fuerint regeniti, ex eo tamen baptismi efficaciae nihil quidquam decedit, quominus sit et dicatur *lavacrum regenerationis.* 2. Id quod exemplo verbi divini declarari potest, quod a multis auditur, qui jam ante sunt regeniti, nihilo tamen minus verbum est salutare illud medium, per quod *tanquam incorruptibile semen renascimur,* 1. Petr. 1, v. 23. Jac. 1, v. 18. 3. Ut ergo fides et dona Spiritus sancti per auditum et meditationem verbi in renatis augentur, ita quoque idem fit per baptismum; quin et baptismus donum regenerationis in illis efficaciter obsignat. 4. Proinde in quaestione de usu baptismi distinguendum inter infantes et adultos. Infantibus baptismus principaliter est medium ordinarium regenerationis et mundationis a peccatis etc. secundario autem sigillum justitiae et fidei confirmatio: Adultis credentibus baptismus principaliter praestat usum obsignationis ac testificationis de gratia Dei, υἱοθεσίᾳ et vita aeterna, sed minus principaliter renovationem et dona Spiritus sancti auget. Infantes per baptismum primitias Spiritus et fidei accipiunt: adulti, qui per verbum primitias fidei et Spiritus acceperunt, per baptismum incrementa ejusdem consequuntur. Augustinus lib. 4. contra Donat. c. 21: *Sicut in Abrahamo praecessit fidei justitia et accessit circumcisio signaculum justitiae fidei; ita in Cornelio praecessit sanctificatio spiritualis in dono Spiritus sancti et accessit sacramentum regenerationis in lavacro baptismi. Et sicut in Isaac, qui octavo nativitatis suae die circumcisus est, praecessit signaculum justitiae fidei, et quoniam parentis fidem imitatus est, secuta est in crescente ipsa justitia, cujus signaculum in infante praecesserat; ita in baptizandis infantibus praecedit regenerationis sacramentum, et si Christianam tenuerint pietatem, sequitur etiam in corde conversio, cujus mysterium praecessit in corpore.* Lombardus lib. 4. sent. dist. 4. lit. F: *Cum baptismum percipiunt, qui jamdum per Spiritum sanctificati sunt et a peccatis, si quae interim post conversionem contraxerunt, mundantur et ab exteriori satisfactione absolvuntur et adjutrix gratia omnisque virtus in eo augetur, ut vere novus homo tunc dici possit, fomes quoque peccati in eo amplius debilitatur; ideo Hieronymus dicit, quod fides, quae fideles facit, in aquis baptismi datur vel nutritur, quia non habenti aliquam ibi datur et jam habenti, ut plenius habeat, datur; sic et de aliis intelligendum est. Qui ergo mundus accedit, ibi fit mundior et omni habenti ibi amplius datur.* Et postea: *Multum ergo confert baptismus etiam jam per fidem justificato, quia accedens ad baptismum quasi ramus a columba portatur in arcam, qui autem intus erat judicio Dei, nunc etiam judicio ecclesiae intus est.*

5. Non omnes baptizati regenerantur.

124. 5. *Exemplum Simonis Magi testatur, non omnes, qui baptizantur, regenerationis et renovationis participes fieri,* Actor. 8, v. 22. *Ergo baptismus non erit regenerationis et renovationis medium.* IX. 170.
Respondemus: 1. alia est ratio infantum, alia vero adultorum. Infantes in baptismo omnes et singulos regenerari dicimus, cum operationi Spiritus sancti veram fidem accendentis non ponant obicem, nec actuali impoenitentia et incredulitate eidem resistant, nec hypocriseos periculo sint obnoxii, id quod contra Bezam in coll. Mompelg. p. 479. Aretium parte 2. problem. p. 175. Simlet. de bapt. thes. 22. et 114. Ursinum in comp. theol. p. 545. id ipsum negantes, demonstramus ex generalibus Scripturae pronuntiatis de salutari baptismi efficacia. Rom. 6, v. 3: *Quotquot in Christum baptizati sumus, in mortem ejus baptizati sumus.* Galat. 3, v. 27: *Quotquot baptizati estis, Christum induistis;* uti et ex propensa Dei erga omnes voluntate; ex universalitate meriti Christi, cujus applicatio fit per baptismum; ex veritate et integritate baptismi in infantibus baptizatis omnibus aequali etc. Si per baptismum non regenerarentur omnes infantes, illud foret aut ex parte infantum, id quod locum non habet, quia pares sunt in vitii originalis contagione; aut ex parte baptismi, id quod itidem non habet locum, quia ex hypothesi verus et aequalis baptismus illis confertur; aut ex parte Dei, quod ipsum etiam dici nequit, quia *non est voluntas Dei, ut pereat unus*

de pusillis istis, Matth. 18, v. 14. *Deus vult, omnes homines salvos fieri*, 1. Tim. 2, v. 4. *Auctor promissionis fidelis est*, Hebr. 10, v. 23. Et quae alias foret consolatio piorum parentum, quorum liberi in infantili aetate moriuntur? num probabiliter saltem de ipsorum salute statui potest, ut vult Beza in coll. Momp. p. 435.? At hoc est dubitationis Pontificiae μορμολύκειον reducere. 2. Adultos vero quosdam actuali impoenitentia, hypocrisi item et obstinationis obice salutari baptismi efficacia se ipsos defraudare, libenter concedimus; sed ex eo neutiquam inferri potest, quod baptismus in se ac per se non sit salutare medium regenerationis, cum ex remotione actus secundi aliquo objecti vitio impediti nondum sequatur remotio actus primi. 3. Verbum Dei non est in omnibus ad fidem et salutem efficax, at num propterea non erit salutare medium, per quod Deus fidem et salutem operatur? 4. Securis non desinit esse instrumentum sectionis, etiamsi lapides non secet. Sic baptismus est et manet lavacrum regenerationis, etiam quando hypocritis confertur, non ratione objecti, quia hypocritae fide carent et operationem Spiritus sancti intervertunt, sed ratione definitionis, vel potius institutionis divinae. 4. Laudamus igitur verba Bezae p. 2. resp. ad colloq. p. 112: *Existimare causae efficienti vim suam ἐνεργητικὴν detrahi, quoties vitio τοῦ πάσχοντος impeditur ejus effectus, est certe erratum dignum commiseratione potius, quam refutatione hominis, qui ἀῤῥωστίᾳ διανοίας laboret.*

6. Multi baptizati pessime vivunt. 125. 6. *Multi in infantili aetate baptizati, ubi adoleverint, pessime vivunt. Ergo non fuerunt per baptismum regeniti, qui enim ex Deo natus est, non peccat, 1. Joh. 3, v. 9.* Respondemus: 1. flagitiosi illi peccatores hac ratione ostendunt, non quod nunquam fuerint regeniti, sed quod regenerationis gratia et beneficio exciderint; posse autem renatos Dei gratia per peccata contra conscientiam iterum excidere ostendimus ὀφθαλμοφανῶς in tract. de bonis operibus sub finem. 2. Regeneratio et renovatio, quae fit in baptismo, ita comparata est, ut prava concupiscentia et peccatum non penitus ex carne deleantur et eradicentur, sed remittantur ac mortificentur, atque eo fine datur per baptismum Spiritus s., ut renati actiones carnis per Spiritum mortificent et contra peccatum in carne adhuc reliquum viriliter pugnent. Quodsi homo per baptismum renatus ac renovatus concupiscentiis carnis secure indulgeat et secundum carnem vivat, amittit gratiam Dei, inhabitationem Spiritus sancti et salutem aeternam. 3. Inserimur quidem Christo spirituali viti tanquam palmites, interim tamen *qui non manent in ipso, exscinduntur et in ignem abjiciuntur*, Joh. 15, v. 6. 4. Hinc Prosper ad object. Gallor. c. 2: *Relapsum post baptismum ad infidelitatem et impios mores qui negat originali peccato fuisse purgatum, tam falsa opinatur, quam qui eundem asserit non aeterna morte damnandum.* 5. Dictum Johannis
IX. 171. exposuimus suo loco et cum reduplicatione accipiendum esse ostendimus. *Qui ex Deo natus est*, quatenus talis manet et Spiritu actiones carnis mortificat, *non peccat* sive peccatum facit.

126. *Ergone*, inquis, *omnes omnino significationes ex baptismo eliminandae?* Respondemus: minime vero. Quamvis enim sacrum baptismi lavacrum ex institutione divina proprie et principaliter sit efficax medium regenerationis et renovationis ad vitam aeternam, nequaquam vero nudum istius beneficii signum; hoc tamen non impedit, quominus enumerentur concinnae aliquot significationes et commonefactiones, ad quas minus principaliter et secundario baptismus respiciat, modo illud firmum fixum teneatur, baptismum nec solum, nec principaliter propter illas significationes ac commonefactiones institutum, nec totam substantiam et efficaciam baptismi in illis consistere. Primum igitur baptismus significat, quod vetus homo debeat subinde per mortificationem ac poenitentiam in nobis submergi et exstingui cum omnibus peccatis et pravis concupiscentiis, ac rursus quotidie emergere ac resurgere novus homo, qui in sanctitate et justitia coram Deo vivat in aeternum. Rom. 6, v. 3: *Quotquot in Christum Jesum baptizati sunt, in mortem ejus baptizati sunt;* v. 4: *sepulti igitur sumus una cum Christo per baptismum in mortem, ut quemadmodum Christus excitatus est ex mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus;* v. 5: *si enim σύμφυτοι facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus.* Col. 2, v. 12: *Consepulti sumus Christo in baptismo.* Quemadmodum enim baptizatus aquis immergitur, ut videatur in eis suffocandus, postea tamen vivus iterum extrahitur; sic vetus homo in baptizatis et renatis quotidie submergendus est et exstinguendus, ut prodeat novus. Quemadmodum Christus propter peccata nostra mortuus ac sepultus die tertio propter justificationem nostram surrexit vivus, Rom. 4, v. 25. sic in baptismo vetus noster homo cum Christo sepelitur, ut in novitate vitae et justitia Deo in posterum serviamus. Basilius in serm. quando baptizetur aliquis baptismate Christi tom. 1. p. 460: *Quemadmodum qui crucifigitur, a viventibus abalienatur; ita et is, qui in similitudine mortis cum Christo crucifigitur, abalienatur ab omnibus, qui secundum veterem hominem vivunt. Et quemadmodum qui crucifigitur, mortis subjectus condemnationi ab illis disjungitur, cum quibus aliquando vitae commercium habuit, sublimior jam illis, qui in terra adhuc repunt, factus; ita et qui cum Christo per baptisma crucifigitur, ab omnibus in universum, qui secundum hoc seculum vivunt, abalienatus est, sublata jam mente ad coelestem conversationem exaltatus.* 2. Quod per baptismum abluamur a peccatis. Quemadmodum enim alias aqua naturalis abluit sordes corporis; sic aqua baptismi, cum sit verbo Dei comprehensa, abluit sordes mentis; et quam vere aqua in baptismo adspergimur, tam vere Christus suo sanguine nos adspergit et a peccatis mundat. Ezech. 36, v. 25: *Adspergam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus*

Non omnes significationes ex baptismo eliminandas esse.

Cum significet. 1. quotidianam peccati mortificationem.

2. Peccati ablutionem.

immundiciis vestris. Hebr. 10, v. 22: *Abluti corde aqua munda.* 1. Petr. 1, v. 2: *Electis in obedientiam et adspersionem sanguinis Christi.* 1. Joh. 1, v. 7: *Sanguis Jesu Christi Filii Dei emundat nos ab omnibus peccatis.* Plures comparationes inter aquae naturalis proprietates et baptismi effectus

3. Ex calamitatibus liberationem.

propositae sunt superius §. 65. 3. Quod ex omnibus adversis et aerumnis liberati tandem aeternae gloriae participes simus futuri. Quemadmodum enim baptizatus ex aquis, in quibus videbatur submergendus, extrahitur; sic Deus in baptismo sese obligat, quod ex omnibus adversis, ex mari calamitatum, quibus in hac vita immergimur, nos extrahere et ad gloriam vitae aeternae traducere velit. 2. Sam. 22, v. 17. Psalm. 18, v. 17: *Extraxit me de aquis multis.* Psalm. 32, v. 6: *In inundatione aquarum multarum ad eum non pertingent.* Psalm. 69, v. 2: *Serva me Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam;* v. 3: *veni in profunda aquarum;* v. 16: *ne inundet me decursus aquarum.* Psalm. 144,

IX. 172. **4. Nostram ad spirituale proelium obligationem.**

v. 7: *Mitte manum tuam de excelso et erue me ex aquis multis.* 4. Quod sub vexillo Christi contra Satanam et omnia ipsius opera strenue pugnare debeamus. Cum enim in baptismo Deus nobiscum foedus ineat ac sacrae militiae nos asscribat, eo ipso monemur, ne quid contra foederis illius capita proterve agamus, sed usque ad sanguinem pro Christo et ipsius gloria pugnemus, quemadmodum et ipse propter nos suum effudit sanguinem, quo in baptismate abluti in foedus gratiae reciperemur. Huc referendum, quod 1. Cor. 1, v. 13. apostolus dicit: *Num in Pauli nomen baptizati estis?* quasi dicat, non mihi, sed Christo nomen dedistis in baptismo, a Christo igitur, in quem baptizati estis, non a Paulo vos denominari convenit. 1. Cor. 10, v. 2: *Patres nostri omnes in Moysen baptizati sunt in nube et in mari.* Quemadmodum Israëlitae per mare rubrum ductu nubis miraculose traducti obligati sunt Moysi, ut ipsius doctrinae et mandatis a Deo per ipsum promulgatis fidem adhiberent; sic et nos per baptismum, transitus illius ἀντίτυπον, ad fidem et confessionem nominis Christi obligamur. 1. Petr. 3, v. 21: *Baptismus est stipulatio bonae conscientiae erga Deum.* Cum per baptismum in foedus Dei recepti ac sacrae militiae asscripti simus, utique nobis incumbit, ut militemus bonam militiam

5. Fraternam dilectionem.

retinentes fidem et bonam conscientiam. 5. Cum unum omnes suscipiamus baptisma, neque quisquam melius altero sortiatur, hoc ipsum nobis debet esse unitatis et fraternae concordiae symbolum. 1. Corinth. 12, v. 13: *In uno Spiritu omnes in unum corpus baptizati sumus, sive Judaei, sive gentiles, sive servi, sive liberi;* v. 20: *multa quidem membra, unum autem corpus* (aequum igitur est, ut velut membra unius corporis mystici unitatem colamus). Ephes. 4, v. 3: *Solliciti estote servare unitatem Spiritus in vinculo pacis;* v. 4: *unum corpus et unus Spiritus, sicut et vocati estis in una spe vocationis vestrae;* v. 5: *unus dominus, una fides, unum baptisma.*

3. Pontificiorum,

127. De effectis baptismi disputat Bellarminus lib. 1. de baptismo c. 12: *Duae* (inquit) *sunt de hac re quaestiones. Una de veris effectibus, quos agnoscunt Catholici* (Romanenses); *altera de falsis effectibus, quos adversarii baptismo tribuunt. Veri*

qui statuunt, baptismum 1. delere culpam et poenam; 2. prodesse ex opere operato; 3. imprimere characterem.

effectus apud Catholicos tres sunt: 1. enim baptismus tollit ac delet vere omnem culpam et poenam; 2. confert ex opere operato gratiam et dona divina, quibus vere et formaliter homo justificatur; 3. imprimit characterem indelebilem, ob quem reiterari non potest. Adversarii alios quinque effectus baptismi enumerant: 1. quod baptizatus non possit damnari, etiamsi velit, nisi nolit credere; 2. quod baptismus liberet ab obedientia legis divinae; 3. quod liberet ab humanarum legum observatione; 4. quod liberet ab omnibus votis; 5. quod sola memoria baptismi justificet a peccatis, quae fiunt post baptisma. Qui certe non tam sunt baptismi effectus, quam Lutheranorum errores damnati in concilio Tridentino. Hactenus Bellarminus. Cum vero de opere operato et impressione characteris in tractatu de sacramentis copiose dictum sit, de primo saltem baptismi effectu, videlicet de vera omnis culpae et poenae per baptismum deletione, hoc loco agendum restat; quod antequam aggrediamur, monemus, Bellarminum studio praeterire dissensiones suorum circa asserendum baptismi effectum. Innocentius III. pontifex lib. 3.

Dissensiones eorum circa effectus baptismi.

decretal. narrat varias opiniones doctorum de baptismo ejusque efficacia, quas leviter attingens minime concordat, sed eorum dissidium incompositum relinquit. *Cum propter haec* (inquit) *inter doctores theologos quaestio referatur, aliis asserentibus, per virtutem baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri; nonnullis dicentibus, peccatum dimitti et virtutes infundi habentibus illas quoad habitum, non ad usum, donec perveniant ad adultam aetatem* etc. Bonaventura lib. 4. sent. dist. 4. art. 1. quaest. 3. *ad gratiae infusionem et characteris impressionem* addit *innocentiae restitutionem*; deletionem peccati refert ad gratiae infusionem, *gratia enim* (inquit) *habet duplicem actum, scilicet delere peccatum et habilitare ad bonum.* Illud quoque non mediocriter derogat baptismi dignitati et efficaciae, quod monasticen aequiparant baptismo IX. 173.
dictitantes, *monachos tam purgari a suis peccatis per ingressum religionis, quam infans recens e baptismi fonte prodiens a peccatis suis sit lotus.* Thomas 2. 2. q. 89: *Legitur in vitis patrum, quod eandem gratiam consequantur religionem intrantes, quam consequuntur baptizati.* Bellarminus lib. 2. de monach. c. 6. negat, *monasticen aequari baptismo, cum baptismus et culpam et poenam tollat, professio autem monastica non culpam, sed solam poenam, idque se non certo asserere, sed pie credere;* et tamen mox addit ex Athanasio: *Antonium in visione audivisse sanctos angelos dicentes, omnia peccata sibi remissa fuisse, quoniam monasticam vitam suscepit,* et ex Thoma docet: *recte credi, per monasticam professionem satisfieri pro omnibus peccatis et esse hanc professionem alterum baptisma.*

Explicatio quaestionis, an baptismus deleat culpam et poenam. 1. Quod culpam deleat.

128. Quod ergo 1. attinet deletionem culpae in baptismo, ea de re sic sentimus. *Baptismus est lavacrum regenerationis et renovationis* Tit. 3, v. 5. ad regenerationem pertinet remissio peccatorum; ad renovationem vero mortificatio carnis et vivificatio Spiritus. Regeneratio sane et peccatorum remissio plena ac perfecta fit in baptismo, *ita ut nulla damnatio sit his, qui sunt in Christo Jesu*, Rom. 8, v. 1. renovatio autem non ita plena ac perfecta fit, quo minus quotidie debeat crescere, sed in baptismo incipit, durat per totam vitam in illis, qui Spiritu actiones carnis mortificant, et tandem consummata erit in vita aeterna. Id quidam sic efferunt, distinguendum esse inter ablutionem per sanguinem et inter ablutionem per Spiritum Christi. Ablui sanguine Christi est consequi remissionem peccatorum ac justificari propter effusum sanguinem Christi; ablui Spiritu Christi est renovari per Spiritum s. quae renovatio est mutatio inclinationum et qualitatum malarum in bonas facta virtute Spiritus s. in mente, voluntate et corde etc. Utraque ablutio fit in baptismo, interim tamen distincta haec sunt beneficia ac proinde nequaquam confundenda; illa ablutio est perfecta, haec vero inchoata in hac vita. Quodsi ergo quaeratur, quale peccati remedium in baptismo proponatur, respondemus: 1. peccatum remitti in baptismo, ita ut non imputetur; 2. peccatum et veterem Adamum in baptismo mortificari, ut non regnet. Haec autem mortificatio non est ita comparata, ut concupiscentia prava penitus aboleatur, vel in se ac per se peccatum esse desinat, sed ut non amplius regnet, nec renatis in culpam damnabilem deputetur. Augustinus lib. 1. de mor. eccles. cath. c. 35: *Sacrosancto lavacro inchoata innovatio novi hominis perficiendo perficitur in aliis citius, in aliis tardius.* Bernhardus serm. de coena: *Lavari quidem cito possumus, sed ad sanandum multa curatione opus est.* 3. Denique tollitur peccatum, quia tandem ipsa morte virtute sanguinis Christi, quo in baptismo abluti sumus, totaliter destruitur.

2. Quomodo deleat poenam.

129. Quod 2. ad deletionem poenae attinet, distinguendum est inter poenas peccati. Alia enim est poena *aeterna*, alia *temporalis*. Haec vicissim est *vel aliunde contracta*, quam in scholis vocant poenalitatem, *vel sponte attracta*. Item remissio poenae alia est *quoad Deum*, alia *quoad homines*. Quoad Deum omnis poenae remissio fit in baptismo, quia remissio culpae coram Deo complectitur etiam remissionem poenae, ut suo loco in tractatu de poenitentia uberius docuimus. Quoad homines non tollitur per susceptionem baptismi poena civilis, quam sibi enormibus delictis quis attraxit, evangelium enim non abolet politias, et multi hypocritae baptismum assumerent, ut meritas peccatorum poenas in foro civili evaderent. Mitigari tamen solet ordinaria poena, ut homines ad baptismum invitentur. *Judaeum per baptismum liberari a poena civili, quam meruit propter delictum antea commissum,* statuunt Gloss. in c. Quoniam 48. dist. et in c. quod autem 32. q. 1. Anton. de Butr. Felinus et alii in c. de his de accus. quam opinionem communem dicit Ferratus cautela 24. in eamque ut mitiorem et aequiorem quaeque religioni naturae magis faveat magisque ad conversionem attrahat Judaeos, inclinat clarus §. fin. q. 51. num. 19. Sed et Paduae in causa cujusdam Judaei convocatis illustrioribus totius universitatis doctoribus causaque per utramque partem disputata eam obtinuisse ac Judaeum liberatum fuisse testis est Ferrat. loco dicto. Contrariam vero opinionem, Judaeum scilicet baptizatum nihilominus puniri posse de delictis antea commissis IX. 174.
veriorem statuunt Aret. Zabarell. Abb. Joh. de Anan. Baro in c. de his de accusationibus etc. gaudemus de divort. Marquard. de Judaeis p. 3. c. 5. quam magis communem testantur Caevallos comm. contra comm. q. 294. et Chucus lib. V. instit. de baptismo §. 1. num. 111. ubi dicit, quod in catechismo Romano sit approbata. Eundem defendit Covarruv. lib. 2. variar. resol. c. 10. num. 4. Tiraq. de poenis temper. causa 25. quia *baptismus et absolutio, quae per baptismum contingit, respiciat animam c. quia passus de poenit. dist. 2. de ecclesia quae est cultum justitiae. c. 1. de al. feud. non defendat juste condemnatos pro furtis et delictis* c. ult. 24. q. ult. *diversae poenae sunt et tendunt ad diversos effectus, una Deo, altera magistratui debetur propter exemplum.* c. admonere 33. q. 2. *Spiritualis ut animae, secularis ut reipublicae, quam delinquens laesit, consulatur.* Et hoc in nostris judiciis observari testatur experientia. Quod attinet poenas ex peccato primorum parentum contractas, eae vel sunt tantum poenae, vel simul peccatum et poena, ut docuimus in tractatu de peccato originis §. 122. Poenae sunt vel temporales, vel aeternae. In classem poenarum temporalium referuntur multiplices hujus vitae calamitates ac miseriae, morbi varii ac tandem mors. Quod ergo poenas aeternas concernit, ab illis baptizati fideles omnino liberantur, manent autem obnoxii temporalibus hujus vitae calamitatibus, morbis ac morti, sed hae respectu ipsorum non amplius sunt poenae proprie sic dictae, sed paternae castigationes, quibus quo fine subjiciantur, alibi a nobis est expositum, in tractatu scilicet de poenit. §. 125. Poena et peccatum simile est pravae concupiscentiae, cujus reatus in baptismo remittitur ac vis ejus infringitur et mortificatur, non tamen penitus aufertur. Lombardus lib. 4. sent. dist. 4. lit. F: *Quaeritur, cur poenalitas, cui pro peccato addicti sumus, non tollatur per baptismum? hoc ideo tradunt fieri viri sancti, quia si a poena homines per baptismum liberarentur, ipsam putarent baptismi pretium, non aeternum regnum, ideo soluto reatu peccati temporalis poena tamen manet, ut illa vita studiosius quaeratur, quae erit a poenis omnibus aliena. Ideo etiam manet, ut sit fideli et certandi materia et vincendi occasio, qui non vinceret, si pugnaret, nec pugnaret si in baptismo fieret immortalis.*

Peccati reliquias manere post baptismum probatur, 1. ex Scripturae dictis.

130. Hanc sententiam nostram de reliquiis peccati in baptizatis probant: 1. omnia illa Scripturae dicta, quae docent, concupiscentiam in renatis post baptismum adhuc reliquam vere esse peccatum coram Dei παντεπόπτου, renes ac corda probantis judicio, si vel maxime Spiritus virtute concupiscentiae illi resistatur, quominus in externa graviora delicta prorumpant. Exposuimus autem illa Scripturae testimonia in tractatu de peccato actual. §. 27. et seqq. ubi eadem ab exceptionibus adversariorum vindicavimus.

2. Ex sanctorum querelis.

2. Omnes querelae sanctorum de peccato in carne adhuc habitante, cujus remissionem seriis et ardentibus precibus expetunt. Psalm. 19, v. 13: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me.* Psalm. 32, v. 6: *Pro hac peccatorum remissione orabit ad te omnis sanctus.* Psalm. 130, v. 3: *Si peccata imputare volueris, Domine, quis sustinebit?* Psalm. 143, v. 2: *Ne intres in judicium cum servo tuo, quia coram te non justificabitur omnis homo vivens.* Matth. 6, v. 12. ex institutione Christi jubentur apostoli et omnes baptizati orare: *Remitte nobis debita nostra.* Rom. 7, v. 7: *Peccatum non cognovi nisi per legem, nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex dixisset: Non concupisces.* v. 17: *Non ego operor illud, sed quod habitat in me*, hoc est in carne mea peccatum etc. Beda in c. 7. Rom. de Paulo apostolo: *In viis Domini ambulabas et tantum peccatum habebas.* 1. Joh. 1, v. 8: *Si dixerimus, nos non habere peccatum, mendaces sumus et veritas non est in nobis.*

3. Ex cohortationibus apostolicis.

3. Omnes cohortationes apostolicae, quibus jubentur renati peccato in carne adhuc habitanti resistere, renovari quotidie in spiritu mentis, exuere veterem hominem etc. Certe si peccatum omnibus fibris radicitus ex ipsis esset evulsum, quare metuendum foret, ne iterum excresceret? Rom. 6, v. 4. testatur apostolus, *nos cum Christo per baptismum in mortem sepultos*

IX. 175.

esse; v. 6: *veterem hominem nimirum simul cum ipso crucifixum, ut destruatur corpus peccati*, et tamen v. 12. subjungit: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Rom. 8, v. 1. negat, *quidquam damnationis esse iis, qui sunt in Christo Jesu*, et tamen v. 12. subjungit: *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus;* v. 13: *si secundum carnem vixeritis, moriemini, si autem Spiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis.* 1. Cor. 5, v. 7. testatur apostolus, Corinthios *esse azymos*, et tamen jubet *vetus fermentum expurgare.* 1. Cor. 6, v. 11. dicit, illos esse *ablutos et sanctificatos*, et tamen 2. Cor. 7, v. 1. praecipit, *ut mundent se ab omni inquinamento carnis et spiritus ac sanctificationem perficiant in timore Dei.* 2. Cor. 4, v. 16: *Interior noster homo de die in diem renovatur.* Ephes. 4, v. 23: *Renovamini spiritu mentis vestrae;* v. 24: *induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* Ephesii non minus quam baptizati Galatae Christum induerant Galat. 3, v. 27. nihilominus apostolus eos jubet novum hominem induere et veterem cum suis concupiscentiis et operibus exuere, Col. 3, v. 9. etc.

4. Ex loquendi formulis.

4. Formulae loquendi, quas de peccati remissione Spiritus s. usurpat. Psalm. 32, v. 1: *Beatus, cui dimittitur* נְשׂוּי, *praevaricatio, cui tegitur* כְּסוּי *peccatum;* v. 2: *beatus homo, cui non imputat* יַחְשֹׁב. *Deus iniquitatem*, quod apostolus Rom. 4, v. 7. sic vertit: μακάριοι ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι καὶ ὧν ἐπεκαλύφθησαν αἱ ἁμαρτίαι. v. 8: μακάριος ἀνὴρ, ᾧ οὐ μὴ λογίσηται κύριος ἁμαρτίαν. Quod tegendo et non imputando remittitur. Ergo non penitus aboletur.

Exceptiones Pistorii.

Pistorius regerit כָּסָה *idem esse quod* נָשָׂא *tollere, auferre, cum pro aequipollentibus haec duo vocabula accipiantur.* Respondemus: verbum כָּסָה nuspiam in tota Scriptura aliter usurpatur quam pro tectione ejus, quod adhuc praesens est, unde LXX interpretes et apostolus reddiderunt per ἐπεκαλύφθησαν. Sic Proverb. 10, v. 12. 1. Petr. 4, v. 8: *Odium excitat contentiones, sed dilectio teget*, יְכַסֶּה καλύψει, *transgressiones.* Jam vero dilectio non abolet ac penitus delet proximi delicta, sed pallio caritatis eadem tegit. Vox נָשָׂא significat non solum auferre et abolere, sed etiam ignoscere, condonare, praesertim si addatur vel etiam subintelligatur dativus, ut apparet ex Num. 14, v. 19. Gen. 4, v. 13. c. 50, v. 17. etc. ideo LXX interpretes Psalm. 85, v. 3. reddiderunt ἀφῆκας τὰς ἀνομίας τῷ λαῷ σου; quin imo ipse apostolus hoc ipso in loco reddidit per ἀφίημι dimitto, condono, libero aliquo debito. Rom. 4, v. 7: μακάριοι ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι.

Bellarmini et Becani.

Bellarminus lib. 2. de justific. c. 9. excipit: *Deo nihil potest tegi, nisi penitus deleatur.* Becanus de justific. c. 1: *Si peccata teguntur, aut Deus videt illa, aut non videt. Si videt, quomodo in conspectu ejus tecta sunt? Si non videt, quomodo stat apostolicum illud, omnia nuda et aperta in oculis ipsius?* Respondemus: peccata in conspectu Dei dicuntur tegi non proprie, sed metaphorice per usitatam ἀνθρωποπαθείας figuram. Quemadmodum enim maculae teguntur injecta veste, sic justitia Christi teguntur peccata nostra ne nobis imputentur. Ludunt igitur Bellarminus et Becanus in voce tegendi, quam illi proprie accipiunt, nos vero ex mente apostoli tropice, huc enim redit sensus, quando dicimus, peccata tegi coram Deo, quod Deus ea non imputet, non autem quod nulla ratione ea videat; quemadmodum etiam peccatorum nostrorum oblivisci dicitur. Videt quidem et novit ea, sed propter meritum Christi fide apprehensum remittit offensam.

5. Ex propagatione labis originalis.

5. Propagatio peccati originalis. Infantes a parentibus baptizatis et renatis geniti, non minus ac reliqui nascuntur peccato originali obnoxii, ut suo loco clarissime ostendimus ex dictis Scripturae Jobi 14, v. 4. Psalm. 51, v. 7. Joh. 3, v. 6. Ephes. 2, v. 3. Quomodo vero illa peccati propagatio locum haberet, si peccatum ipsum radicitus cum omnibus fibris in baptismo esset evulsum? Augustinus lib. 1. confess. c. 27: *Vidi ego et expertus sum zelantem parvulum, nondum loquebatur et intuebatur pallidus amaro adspectu collactaneum suum.*

6. Ex baptizatorum actualibus peccatis.

6. Peccata actualia baptizatorum. Si in baptismo peccatum

IX. 176. plane tollitur et deletur, consequens fuerit, baptizatos non posse in posterum peccare, vel si peccant, quaerendam esse novam novae corruptionis causam. Macarius homil. 15. p. 188: *Si perseveres dicere, post baptismum vitium non habere, ubi pascatur aut collocetur in corde, ignoras, quot ab adventu Dei ad hoc usque tempus baptizati sunt et nihilominus interdum prava cogitaverunt? an non reperimus, post baptismum multa committi peccata ac plerosque delinquere?* Augustinus tract. 41. in Joh.: *Numquid quia deleta est iniquitas, nulla remansit infirmitas? si non remansisset, sine peccato viveremus; quis vero audeat haec dicere?*

7. Ex hujus vitae calamitatibus. 7. Calamitates, dolores, morbi adeoque ipsa mors, cui baptizati adhuc sunt obnoxii. Ubi omnis abest culpa, ibi calamitates, dolores, morbi et mors non possunt nec debent habere locum. Atqui infantes baptizati obnoxii sunt calamitatibus, doloribus, morbis et morti, ut testatur experientia. Ergo ab illis non omnis abest culpa, nec penitus deletum ex illis peccatum. Augustinus lib. 22. de civit. Dei c. 22. scribit, *infantes Christianorum baptizatos misere saepe vexari a spiritibus immundis*; quomodo ergo omnis culpa penitus ex illis deleta? Bellarminus lib. 1. de bapt. c. 13. regerit, *argumenta nostra nihil aliud probare, nisi concupiscentiam vere esse peccatum, licet ei non consentiamus, quae omnia se solvisse asserit* in quaestione de peccato originis; quid vero praestiterit, suo loco ostendimus.

Pontificiorum antithesis. 131. Huic sententiae nostrae vehementer adversantur Pontificii, norunt enim, eam persuasioni de perfectione ac meritis operum extreme adversari. Concil. Trident. sess. 5. decernit, *per baptismum tolli re ipsa id omne, quod habet in homine rationem peccati.* Bellarminus loco proxime citato sententiam concilii sic interpretatur, *quod baptismo re ipsa tollantur omnia peccata, ita ut non solum non imputentur, sed nec sit, quod imputari possit.* **Conferatur Gregorius de Valent. tom. 2. disp. 8. de grat. Becanus part. 2. tract. 4. de gratia q. 1. Costerus in enchirid. de peccat. origin. pag. 394.** Ceterum antequam ad examen argumentorum descendamus, evolvenda est ambiguitas, quae latet in voce peccati. Eam vero verbis Cassandri in consult. de August. confess. art. 2. expositam dabimus: *Ex Augustino* (inquit) *et reliquis ecclesiasticis scriptoribus convenit, concupiscentiam etiam post baptismum reliquam apostolum et eum secutum Augustinum peccatum nonnunquam appellare, non modo quia ex peccato facta est, sed quia est fomes peccati et dominationi mentis resistit. Certe insignis theologus aperte asserit, etiam in renatis manere peccatum, etiamsi non imputetur* etc. *Si peccati rationem in vitio illo et in iniquitate, languore et morbo constituas, cui Spiritu resistendum est, ne illicitos actus gignat, non inepte peccatum dicitur. Sin peccati rationem in ipsa offensa Dei et reatu, cui ex adverso poena et damnatio respondet, sitam intelligas, non est peccatum in regeneratis, quia nisi voluntas ei consentiat, ad peccatum non deputatur.* Hactenus Cassander. Manet peccatum post baptismum actu, propter statum naturae, quoad morbum seu radicem peccati et quoad materiale; sed tollitur propter statum personae, quoad reatum sive formale, quia non imputatur credentibus in Christum. Ex quo intelligi potest, quo sensu Augustinus quandoque neget, quandoque vero asserat, concupiscentiam in renatis post baptismum reliquam esse peccatum. Nimirum ubi asserit, concupiscentiam esse peccatum, respicit *ad inobedientiam contra dominatum mentis*, ut se ipsum exponit lib. 5. contra Julian. c. 3. ubi vero negat, concupiscentiam esse peccatum, respicit ad actualem reatum, ut se ipsum exponit lib. 1. de nupt. et conc. c. 26. *hoc est non habere peccatum, reum non esse peccati.*

132. Bellarminus antequam classes argumentorum suorum producat, admonet: *1. Esse antiquissimam haeresin Origenistarum et Messalianorum, quod peccata non tollantur per baptismum, sed solum tegantur; eam nostro seculo renovatam a Lutheranis.* Respondemus: psaltes diserte utitur voce tegendi Psalm. 32, v. 1: *Beatus, cui remissae sunt iniquitates, cui peccatum tectum.* Ergone Scripturae phrasis est haeretica? Haeretici illi, quos Bellarminus allegat, statuerunt peccata solum tegi et fomitem concupiscentiae non minui, nihil ergo cum illis nobis commune, qui utrumque dicimus, baptismum auferre peccatum, ut non imputetur ad condemnationem, deinde etiam concupiscentiam debilitari, ut non perinde in corpore mortali dominetur, cum baptismus non solum *regenerationis*, sed etiam *renovationis sit lavacrum* Tit. 3, v. 5. Proclus Origenista apud Epiphanium haeres. 64. statuit, *peccatum semper vivere*, ut ipse Bellarminus lib. de notis ecclesiae c. 9. verba Procli allegat. Cum vero dicit, peccatum vivere, id intellexit regnare et dominari etiam in renatis, ut tum ex assertione Procli, tum etiam ex responsione Methodii apud Epiphanium loco citato satis constat. Sic enim ille p. 162: *Ne haberet homo malum immortale peccatum praedominans;* hic vero p. 171: *Si talis est natura carnis, ut legi Dei subjici nequeat, quomodo Paulus hortatur, non regnet peccatum* etc. p. 173. probat, *toties carnem subjici, quoties actualibus peccatis non indulget, non paret scortationi, deliciis, omne enim peccati studium per carnem, consummationem acquirit.* p. 175: *Lex Spiritus vitae per Christum penitus peccatum regnans in carne vicit.* Haec Epiphanius ex Methodio contra Proclum; quis vero nostrum peccatum in renatis adhuc regnare et dominari asserit? Messalianorum haeresin Alphonsus de Castro lib. 3. de haeres. tit. baptismus sic describit: *Messaliani tantam vim orationi tribuebant, ut baptismo derogarent, dicentes, nullam utilitatem baptizatis ex baptismo accedere, sed solam orationem studiosam daemonem inhabitantem effugare.* Quid vero cum illa haeresi nobis commune, qui in baptismo omnia peccata remitti dicimus? Nimirum idem nobis objiciunt Pontificii, quod Augustino olim

Bellarmini calumnia.

IX. 171. [sic.]

Pelagiani, de quibus Pererius comment. in c. 5. Rom. num. 9: *Pelagiani olim affingebant Catholicis talem errorem, quasi dicerent, per baptismum auferri omnino peccata, sed quasi capillos radi, remanentibus eorum radicibus, unde iterum renascantur. Augustinus, Dicunt, inquit, Pelagiani, baptismum non dare omnem indulgentiam peccatorum aut auferre crimina, sed radere, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur. Quis hoc adversus Catholicos, inquit Augustinus, nisi infidelis affirmat? Dicimus enim baptismum dare omnium indulgentiam peccatorum et auferre crimina, non radere, nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescunt iterum resecanda. Eodem spectare videtur, quod Gregorius habet: Si qui sunt, qui dicuntur baptismate peccata superficietenus dimitti, infidelis est. Si peccata in baptismo non funditus dimittuntur, quomodo qui lotus est, mundus est totus, cum de peccato aliquid remansit? 2. Lutherum et Philippum Melanthonem insigne mendacium commisisse, dum Augustino hanc sententiam attribuunt: Peccatum in baptismo remittitur, non ut non sit, sed ut non imputetur. Lutherum a Roffensi, Philippum Melanthonem ab Eccio convictum, quod locus Augustini male sit citatus.* Respondemus: de tota hac re latissime disputavimus in tract. de peccatis actualibus §. 67. et 68.

Deleri in baptismo quidquid peccati rationem habet. 1. Scriptura utitur verbis mundandi, tollendi, delendi etc.

133. His ita praemissis, aciem argumentorum suorum ex Scripturis Bellarminus contra nos producit: *1. Scriptura de remissione peccatorum utitur vocabulis mundandi, tollendi, delendi, auferendi et similibus, quae non possunt nisi ineptissime exponi per non imputari, non enim recte quis dicitur tollere ignorantiam vel malitiam ab alio, quia ignoscit illi, quod aliquid ignoranter aut malitiose fecerit.* Respondemus: ** 1. Peccata comparantur sordibus, remissio ablutioni, sed a comparatis et similibus citra Spiritus s. dictamen non potest apodicticum duci argumentum. 2. Non est eadem ratio macularum et sordium, quae haerent in corpore, et illarum, quae in anima. Illae elui possunt facillime manu et opera humana, hae non item. 3. Nimis tenuiter et exiliter de peccato sentiunt, qui malum illud internum et profundissimum ac non nisi per Christum auferendum instar externae alicujus adsperginis habent. 4. Purgatur, tegitur, tollitur peccatum, non ut non sit, ut evanescat et dispereat, sic enim factum fieret infectum, sed ut ne imputetur, noceat et in damnationem cedat et ceu nunquam factum a Deo censeatur. 5. Hinc dicitur anima renati munda in judicio et oculis Dei peccatum remittentis et a conspectu suo removentis, non autem in oculis hominum peccata habentium et sentientium 1. Joh. 1, v. 8. 6. Si mysterium justificationis censurae humanae rationis velimus subjicere, sanguis Christi adspersus potius videbitur commaculare quam purgare. 7. Quod abstergit et emundat naturaliter et physica ratione, de eo recte colligitur, quod nihil sordium in subjecto relinquat. Sanguis Christi mundat non physice, sed mystice, non in oculis hominum, sed Dei. Haec ut rectius alligantur, nota porro: ** 1. Peccatum consideratur vel absolute in praedicamento qualitatis, ut est vitiositas, inordinatio et ἀνομία; vel relate, ut est damnabile quid, reos nos faciens coram Deo. Respectu posteriore plane tollitur, aufertur ac deletur peccatum, hoc est reatus peccati in credentibus; respectu priore non plane tollitur, manet enim vitiositas illa naturae, licet refracta, imminuta et castigata, cui per Spiritum s. renati quotidie debent resistere, eandem mortificare et in renovatione crescere. 2. Hanc distinctionem confirmant argumenta superius adducta, quae testantur, *in carne renatorum habitare adhuc peccatum* Rom. 7, v. 18. *renovationem quotidie debere crescere* 2. Cor. 4, v. 16. *veterem hominem exuendum* Col. 3, v. 9. Corinthii sunt *azymi* et tamen jubentur *expurgare vetus fermentum* 1. Cor. 5, v. 7. *Nulla est condemnatio in his, qui sunt in Christo Jesu* Rom. 8, v. 1. et tamen *qui Christi sunt, crucifigunt carnem cum suis concupiscentiis* Gal. 5, v. 24. Paulus per baptismum ablutus *est a peccatis* Act. 22, v. 16. et tamen conqueritur, *in carne sua adhuc habitare peccatum*, Rom. 7, v. 17. *Sanguis Filii Dei emundat nos ab omni peccato 1. Joh. 1, v. 7.* et tamen *si dixerimus, nos non habere peccatum, mendaces sumus* v. 8. Baptismus est *lavacrum regenerationis* Tit. 3, v. 5. et tamen *interior noster homo renovatur de die in diem* 2. Cor. 4, v. 16. 3. Id ipsum alii sic efferunt: Peccatum consideratur vel ratione materialis, quatenus est corruptio naturae pugnans cum lege Dei etc. vel ratione formalis sive reatus, quatenus nos actu reos facit irae Dei et aeternae damnationis. Si de peccato loquamur respectu formalis ac reatus, certum est, eo modo penitus deleri, remitti, auferri et mundari, ut non amplius ad damnationem imputetur Rom. 8, v. 1. Si vero de peccato loquamur ratione materialis, quatenus est vitiositas et corruptio naturae pugnans cum lege Dei, testatur Scriptura et ipsa renatorum experientia, *quod in carne post baptismum* adhuc maneat, Rom. 7, v. 23. debilitatum tamen et refractum, ut possit homo renatus per Spiritum s. illi resistere ac dominium eidem auferre. 4. Hoc discrimine recte observato verus sensus dictorum Scripturae non potest esse obscurus vel dubius. Quod enim peccata dicantur deleri, auferri, mundari etc. id spectat remissionem vel non imputationem peccati, quod Deus illud non imputet, sed pallio misericordiae propter Christum *tegat*, prout peccati remissio exponitur Psalm. 32, v. 1. quod Deus *peccatorum nostrorum non amplius recordari velit*, Jer. 31, v. 34. quod peccata nostra nobis *imputare* nolit, 2. Cor. 5, v. 19. Quia ergo haec peccati remissio sive non imputatio tam vera vel efficax est coram Deo, ac si nulla amplius peccati macula nobis inhaereret, ideo vocatur deletio, ablutio, mundatio etc. Interim tamen verissimum est, concupiscentiam pravam etiam post

IX. 172. [sic.]

baptismum et peccati remissionem in carne renatorum manere. 5. Declarari id potest remissione peccatorum actualium. Quemadmodum enim peccatorum actualium antegressorum remissio reatum eorum tollit, ipsum tamen actum eorum non praecessisse haudquaquam efficit; sic peccati originalis tenacissime nobis inhaerentis remissio reatum ejusdem tollit, ipsam tamen vitiositatem non amplius ullo modo nobis inhaerere haudquaquam efficit. Innocentius in Psalm. 4. poenit.: *Originale peccatum transit reatu, quantum ad labem, et remanet actu, quantum ad fomitem, ex quo surgunt motus vel actus peccandi, sicut e contrario dici solet, quod actuale peccatum transit actu et remanet reatu.* 6. Sic Paulus *nullam damnationem dicit esse in his, qui sunt in Christo Jesu* Rom. 8, v. 1. Inter quos se ipsum utique connumerat et tamen conqueritur, in *carne sua non habitare bonum, sed peccatum,*
IX. 173. [sic.] Rom. 7, v. 17. Quomodo haec invicem concilianda? Respondemus: quamvis peccatum in carne renatorum adhuc habitet seseque exserat, tamen non facit actu reos irae Dei et aeternae damnationis, modo peccatum inhabitans et circumstans agnoscant, ob id serio doleant, fide in Christum remissionem ejus petant eidemque efficaciter resistant, nec dominium illi permittant. Sic Christus Joh. 13, v. 10. pronuntiat, *eum, qui ablutus est, mundum esse totum,* et tamen addit, quod *pedes adhuc lavare*, id est pravis affectibus et concupiscentiis resistere debeat. 7. Haec et similia dicta superius producta evidenter probant, peccati remissionem non esse in praedicamento qualitatis, sed in praedicamento relationis collocandam, cum non sit totalis peccati ex carne ablatio, sed sectio et non imputatio. Cum hac tamen peccati remissione perpetuo et individuo nexu conjuncta est renovatio, hoc est carnis peccatricis mortificatio et Spiritus vivificatio, quae in baptismo incipit, per totam vitam durat et in vita aeterna consummata erit. 8. Peccata ergo *deleri dicuntur* metaphora a tabulis rationum transsumta. Quemadmodum enim industrii creditores debita in tabulas referunt, quae remissa sive persoluta deleri solent et obliterari; sic Deus peccatorum debita in librum quasi refert et catalogum eorum in conspectu habet, in remissione autem illa delet et obliterat. Sicut autem debitum persolutum quamvis lineola deleatur, signatura tamen et pictura literarum manet; ita quoque peccata nostra ex libro Dei expunguntur, non ut non amplius exstent, sed ne imputentur, cum Christi sanguine sint deleta. Col. 2, v. 14. 9. Locus apostolicus Ephes. 5. non hoc dicit, quod ecclesia in hac vita sit sine macula et ruga, sed *Christum mundare ecclesiam lavacro aquae in verbo, ut sisteret eam,* scilicet in vita aeterna *sine ruga et macula, tunc* enim vere et perfecte erit gloriosa, in hac vero vita est *nigra et formosa* Cant. 1, v. 5. et 6. uti Augustinus contra Pelagianos pluribus in locis probat et Thomas ipse agnoscit part. 3. q. 8. art. 3. resp. ad 2. Vide tract. de justif. §. 227. sub finem.

134. Secundam classem Bellarminus tribuit illis Scri- 2. Scriptura asserit maculas, inquinamenta et iniquitates tolli.
pturae dictis, quae asserunt, *maculas aut inquinamenta aut iniquitates tolli. Voces maculae, inquinamenti, iniquitatis* etc. *non significant reatum, id est obligationem illam, quae potest tolli per non imputationem, sed significant ipsam peccati foeditatem, quam tamen nos manere dicamus.* Cant. 4, v. 7: *Tota pulchra es et macula non est in te. Joh. 13, v. 10: Qui lotus est, mundus est totus. Ezech. 36, v. 25: Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus immundiciis vestris. Ephes. 1, v. 4: Elegit nos in corpore carnis ejus et per mortem exhibere nos sanctos et immaculatos et irreprehensibiles, ubi vides, non solum non habere maculam, sed nec aliquid, unde reprehendi possint.* Respondemus: 1. quaedam dicta loquuntur de reatu, quaedam de fine, ad quem adspirandum, quaedam de peccatis mortalibus, quae nos actu irae Dei et damnationi obnoxios faciunt. 2. Cant. 4, v. 7: *Pulchra est* ecclesia Christi amica *et non est in ea macula*, scilicet respectu Dei non imputantis, interim tamen *nigra* adhuc est Cant. 1, v. 5. scilicet respectu sui, nimirum si peccatum in carne ejus adhuc haerens in se et per se spectetur. *Sponsa naevo nigredinis in hac vita non caret*, ait Bernhardus serm. 25. super Cant. 3. Joh. 13, v. 10: *Qui lotus est, mundus dicitur totus*, interim tamen diserte ibidem additur, eundem *indigere, ut pedes lavet*, hoc est affectus vitiosos corrigat iisdemque resistat. 4. Ezech. 36, v. 25. *ab omnibus immundiciis* per baptismum mundari dicimur, nihilo tamen minus *ab omni inquinamento carnis et spiritus nos mundare et significationem perficere* jubemur, 2. Cor. 7, v. 1. Ex quo apparet, mundationem illam de reatus ablatione et incepta naturae renovatione intelligendam. 5. Eph. 1, v. 4. *sancti et immaculati* dicimur, nimirum *coram Deo*, κατ' ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, ut ibidem additur. Col. 1, v. 22: *Christus reconciliavit nos exhibere nos sanctos et immaculatos et irreprehensibiles,* nimirum *coram ipso*, ut itidem additur. Ergo coram Dei judicio propter Christi meritum fide apprehensum, habemur pro sanctis et immaculatis, donamur etiam Spiritu sancto, cujus virtute peccato in carne adhuc habitanti resistimus, illudque mortificamus; interim tamen respectu nostri jubemur *exuere veterem hominem, concupiscentias carnis mortificare, ab omni inquinamento nos mundare.* etc. 6. Bellarminus re- IX. 174. [sic.]
gerit, *haec et similia intelligenda esse vel de peccatis, quae postea fiunt, vel de mortificatione sensuum et inclinationum, quae ad malum provocant, licet formaliter peccata non sint.* Respondemus: peccata illa, quae postea fiunt, ex peccato in carne adhuc habitante procedunt, si dominium illi permittatur, ergo ex stolonibus de radice, ex fluvio de fonte, ex progenie de matre fieri potest judicium. Vitiosas illas carnis inclinationes et pravas concupiscentias esse peccata, diserte docet vox legis divinae: *Non concupisces.*

135. Tertium caput (inquit Bellarminus) est *ex* 3. Figurae baptismi idem docent.
figuris baptismi. Nam in circumcisione vere non

autem per solam imputationem circumcidebatur caro; in mari rubro vere suffocabantur Aegyptii. Idem dicendum de Jordane sanante lepram 2. Reg. 5. de suffocatione porcorum Matth. 8. de piscina probatica Joh. 5. de lotione et curatione caeci nati Joh. 5. quas fuisse baptismi figuras testantur veteres. Respondemus: 1. vitiose opponitur id, quod vere fit et quod per imputationem fit. Christo mediatori imposita et imputata sunt peccata nostra, quis vero negabit id vere coram Deo fuisse factum? Vide tractatum de justificatione §. 234. et sequentibus. 2. Comparatio inter typum et antitypum non est extendenda ultra tertium. Baptismum esse spiritualem circumcisionem et salutare medium, per quod vetus homo noster mortificatur, lepra spiritualis aufertur, illuminatio et sanitas animae donatur etc. libenter concedimus; sed ex eo minime sequitur, quod tota carnis vetustas penitus aboleatur, cum Scriptura disertis verbis contrarium testetur. 3. Peccatum plane deletur, tollitur, aufertur etc. in baptismo quoad reatum et damnationem, vetus etiam homo noster mortificatur et novus exsurgit; nihilo tamen minus etiam post susceptum baptismum *membra, quae sunt super terram, mortificare jubemur*, Col. 3, v. 5. *nec peccato*, quod in carne adhuc habitat, *dominium permittere*, Rom. 6, v. 12. Quae verba expendens Augustinus tract. 41. in Joh. sic scribit: *Non dicit apostolus non sit, sed non regnet peccatum in corpore vestro. Quamdiu vivis, peccatum necesse est esse in membris tuis, saltem illi regnum auferatur.*

4. Mundatio a peccatis comparatur rebus vere mundis.

136. Quartam classem Bellarminus tribuit illis Scripturae dictis, *quae comparant mundationem justificationis rebus vere et proprie mundis.* Psalm. 51, v. 9: *Lavabis me et super nivem dealbabor.* Esa. 1, v. 18: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, sicut nix dealbabuntur, et si fuerint rubra ut vermiculus, sicut lana alba erunt.* Esa. 44, v. 22: *Delevi ut nubem iniquitates tuas et tanquam nebulam peccata. At certe cum solaris radius dissolvit nebulas calore suo, ita eas evanescere facit, ut nihil remaneat tenebrarum, sed coelum vere serenum appareat.* Respondemus: 1. dicta illa proprie non agunt de baptismo, hactenus igitur sunt a quaestione aliena. 2. Peccata delentur ut nubes ac nebulae, dealbantur sicut nix etc. ratione formalis ac respectu reatus, quia scilicet Deus non amplius illorum ita recordatur, ut propterea nobis irascatur et poenas irroget; interim tamen materiale et vitiosa qualitas in nobis manet; cum enim duplex sit baptismi beneficium, regeneratio scilicet ac renovatio, regeneratio quidem plenissima est, renovatio itidem verissima, sed non statim plena et perfecta est. *Ego carnalis sum, sub peccatum venundatus*, dicit apostolus Rom. 7, v. 14. qui tamen per baptismum vere erat renatus ac renovatus. 3. Dealbatus erat David in conspectu Dei super nivem, interim tamen orat Psalm. 19, v. 13: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me.* Psalm. 130, v. 3: *Si peccata imputare volueris, Domine, quis sustinebit?* Psalm. 143, v. 2: *Ne intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

5. Per Adamum vera et inhaerens injustitia in nos propagata.

137. Quinta classis testimoniorum continet similitudinem peccati originalis. Rom. 5, v. 19: Sicut *per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obedientiam justi constituentur multi. At illi vere constituuntur peccatores et vere justitiam amittunt, non sola imputatione. Joh. 3, v. 6: Quod natum est ex carne, caro est, et quod natum est ex Spiritu, Spiritus est. Illi vere sunt carnales, isti igitur vere spirituales. 1. Cor. 15, v. 22: Sicut in Adamo omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificantur.* IX. 175. [sic.] *Hic locus intelligitur de vera morte et vera resurrectione, igitur etiam loca supra citata de vero peccato et vera justificatione.* Respondemus: 1. dictum primum et tertium non agunt de baptismo, hactenus igitur sunt a quaestione aliena. 2. De antithesi Adami et Christi, injustitiae ac justitiae in dicto apostolico Rom. 5, v. 19. late egimus in tractatu de justificatione §. 11. 26. 29. et 222. 3. Nimirum apostolus Rom. 5, v. 19. et 1. Cor. 15, v. 22. agit de causa meritoria justificationis et condemnationis, non autem de applicatione. Si quis ad ipsam applicationem haec dicta extendere velit, sequeretur, omnes omnino homines per Christum justificari, sicut omnes ab Adamo damnationem trahunt. 4. Vitiosam oppositionem inter id, quod vere et quod per imputationem fit, excussimus in tractatu de justificatione §. 234. et sequentibus. 5. Qui nascuntur ex aqua et Spiritu, non statim plene et perfecte spirituales fiunt, sed luctam carnis et Spiritus sentiunt Gal. 5, v. 17. Ideo jubentur *carnem crucifigere cum vitiis et concupiscentiis* v. 24. et coguntur cum Paulo conqueri, se adhuc ex parte *carnales sub peccatum venundatos* Rom. 7, v. 14. In vita aeterna demum toti erunt spirituales ab omni carnis vetustate liberati ac liberi. 6. Justitia Christi per fidem imputata vere tollit reatum peccati et damnationem ab Adamo in nos traductam; quin etiam beneficio Spiritus s. a Christo nobis donati inchoamus operum justitiam, sed illa in hac vita nunquam ad tantam puritatem et perfectionem assurgit, ut coram Dei judicio eadem niti possimus, qua de re plura suo loco disputavimus. Lutherus serm. de baptismo tom. 1. Jen. Germ. f. 187. sic respondet: *Quod attinet significationem vel signum sacramenti, peccata cum homine baptizato jamdum mortua sunt, ipseque resurrexit et completum est sacramentum; sed opus sacramenti nondum est consummatum, id est mors et resurrectio (in qua fiet totalis peccati deletio) adhuc restat.*

6. Christi mors est vera mors.

138. Sextum caput (inquit Bellarminus) continet similitudinem mortis Christi. Rom. 6, v. 4: *Consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem. Et postea: Si mortui sumus, quomodo vivemus cum illo? Idem repetitur Col. 2. de quo loco Augustinus in enchir. c. 52: sic loquitur. Quemadmodum in illo vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum; et quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera justificatio.*

At Christi mors et resurrectio verae fuerunt omnibus modis, non autem verae quoad aliquid et quoad aliquid falsae; igitur et remissio peccati vera mors est peccati, non quoad reatum tantum, sed quoad omnia, quae peccati rationem habent. Respondemus: 1. dupliciter cum Christo per baptismum peccato mortui dicimur: primo respectu remissionis peccatorum, quae est beneficium mortis Christi, qua fit, ut tam vere coram Deo nobis propter Christi mortem remittantur peccata, ac si ipsimet propter illa mortem sustinuissemus; eo respicit apostolus Rom. 6, v. 7: *Qui mortuus est, justificatus est a peccato*, et 2. Cor. 5, v. 15: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Deinde respectu renovationis, quae complectitur mortificationem carnis peccatricis, haec itidem est beneficium mortis Christi per baptismum nobis collatum; eo respicit apostolus Rom. 6, v. 4: *Consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem, ut quemadmodum Christus a mortuis surrexit per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus;* v. 5: *si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus;* v. 6: *scientes, quod vetus noster homo simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato.* 2. Illa peccati mortificatio non minus vera est, quam remissio, non autem ita perfecta est, quin renati adhuc quotidiana carnis mortificatione indigeant, jubentur enim *mortificare membra, quae sunt supra terram*, hoc est carnem cum suis concupiscentiis, Col. 3, v. 5. Gal. 5, v. 24. 3. Adeoque ipsa experientia piorum hominum testatur, non omnem carnis vetustatem in illis exstinctam et abolitam esse Rom. 7, v. 23: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis.* 4. Illa ipsa Scripturae loca, quae Bellarminus adducit, hanc sententiam nostram efficaciter probant. Monet enim apostolus, renatos peccato mortuos et cum Christo per baptismum in mortem consepultos, *ut ultra non serviant peccato* Rom. 6, v. 6. *nec regnare peccatum sinant in mortali corpore* v. 12. *nec exhibeant membra sua arma iniquitatis peccato;* v. 13: sed ut *mortificent membra sua, quae sunt super terram, fornicationem, immundiciem, libidinem, concupiscentiam malam* etc. Col. 3, v. 5. *exspolient veterem hominem cum suis actionibus* v. 9. *et induant novum, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creavit illum* v. 10. Quae omnia clarissime demonstrant, mortificationem carnis in baptismo coeptam per totam vitam continuari debere.

IX. 176. [sic.]

7. In baptismo renascimur.

139. Septimam classem assignat Bellarminus illis Scripturae dictis, quae docent, baptismo nos renasci. Joh. 3, v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu* etc. Tit. 3, v. 5: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Col. 2, v. 13: *Cum essemus mortui propter delicta, convivificavit nos Christo.* 1. Petr. 2, v. 2: *Quasi modo geniti infantes. At certe nova ista generatio et vita requirit veram mortem peccatorum et veram mutationem interiorem, non autem solam imputationem. Quomodo enim vere sumus vivificati et regenerati, si adhuc mors in nobis manet?* Respondemus: 1. libenter fatemur, veram peccatorum mortem et veram mutationem interiorem in baptizatis fieri, cum baptismus sit *lavacrum* non solum *regenerationis*, sed etiam *renovationis*, Tit. 3, v. 5. sed ex eo non potest inferri, quod mutatio illa interior sive renovatio statim sit perfecta. 2. Si enim ea esset gradibus ac numeris omnibus perfecta, tum nihil differret ab illa, de qua Christus Matth. 19, v. 28. loquitur: *In regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis, sedebitis et vos* etc. Ubi regenerationis vox generaliter accipitur, prout ipsam naturae renovationem ambitu suo includit. 3. Distinguenda igitur regeneratio proprie et specifice sic dicta a renovatione. Illa perfecta est in baptismo, haec vero *crescit de die in diem.* 2. Cor. 4, v. 16: *Etsi exterior noster homo corrumpitur, tamen interior de die in diem renovatur.* Eph. 4, v. 23: *Renovamini spiritu mentis vestrae.*

8. Non possunt simul habitare lux et tenebrae.

140. Octavam classem tribuit Bellarminus illis dictis, quae docent, non posse simul habitare lucem et tenebras, peccatum et justitiam. 1. Cor. 10, v. 21: *Non potestis mensae Domini participes esse et mensae daemoniorum.* 2. Cor. 6, v. 14. 15. 16: *Quae societas luci ad tenebras? quae participatio justitiae cum iniquitate? quae conventio Christi ad Belial? qui consensus templi Domini cum idolo? Vos enim estis templum Dei. Adversarii autem*, inquit Bellarminus, *volunt simul et diabolum in nobis habitare per peccatum, quod vere semper est in nobis, et Christum per justificationem.* Respondemus: 1. uterque locus non agit de baptismo, hactenus igitur est a quaestione alienus. 2. Prior locus ne quidem de peccati remissione, quomodo ea comparata sit, tractat. Ergo non nisi violenta quadam interpretatione huc accommodari potest. 3. Locus posterior gravem continet exhortationem, ne *renati jugum ducant cum infidelibus*, 2. Cor. 6, v. 14. sed *exeant e medio eorum et separentur ab illis*, v. 17. hoc est ne *communicent infructuosis illorum operibus*, addita gravissima ratione, *quae enim participatio justitiae cum iniquitate?* etc. 4. Agit igitur de peccatis mortalibus et regnantibus, per quae fides, Spiritus s., gratia Dei et vita aeterna amittuntur. 5. Bellarminus regerit, *ex nostra sententia omne peccatum esse sua natura mortale dignum aeterna morte. Si ergo vere est in nobis iniquitas, ergo tenebrae, ergo Belial; ergo est conventio luci ad tenebras, justitiae ad iniquitatem, Christo ad Belial; non enim iniquitas desinit esse iniquitas, licet non puniatur.* Respondemus: quamvis omne peccatum sua natura sit mortale, tamen discrimen est inter peccata regnantia et non regnantia, illa non solum sua natura, sed etiam actu sunt mortalia; haec vero, licet sua natura mortalia sint, tamen in renatis sunt venialia, ideo propter ea nec rei irae divinae, nec filii tenebrarum, nec servi iniqui-

tatis, nec filii Belial, nec mancipia diaboli sunt vel dicuntur renati, cum gratuitam eorum remissionem in Christo consequantur et Spiritu actiones carnis mortificent. 6. Quamvis igitur peccatum in se et per se comparetur tenebris, tamen renati dicuntur *esse et versari in luce* 1. Joh. 1, v. 7. dicuntur *filii lucis* Luc. 16, v. 8. quia non ambulant in peccatorum tenebris, sed secuti lucem et ductum
II. 177. [sic.] Spiritus s. peccato resistunt. 7. Nec Belial ibi est, ubi sunt peccata, quibus per Spiritum s. resistitur, sed ubi peccata regnant ac dominantur. In renatis est perpetua lucta carnis et Spiritus; si caro adversus Spiritum concupiscens imperium obtinet, tunc demum homines efficiuntur filii Belial; si vero Spiritus adversus carnem concupiscens imperium retinet, tunc sunt et manent filii Dei. Rom. 8, v. 14: *Qui Spiritu Dei aguntur, illi sunt filii Dei.* 8. Apostolus Paulus fatetur, *in carne sua adhuc habitare peccatum*, Rom. 7, v. 17. Johannes exclamat: *Si dixerimus, nos non habere peccatum, mendaces sumus*, 1. epist. 1, v. 8. Afferat Bellarminus suum argumentum. Ergo in illis fuit iniquitas, ergo tenebrae, ergo Belial, ergo est conventio luci ad tenebras etc. **Macarius hom. 16: *ὥσπερ ἐστὶν εἰς τὸν ἀέρα ὁ σατανᾶς, καὶ ὁ θεὸς παρὼν ἐκεῖ οὐδὲν ἀδικεῖται· οὕτως καὶ ἐν τῇ ψυχῇ ἐστιν ἡ ἁμαρτία, ὁμοίως δὲ καὶ χάρις θεοῦ σύνεστι μηδὲν ἀδικουμένη*, *Quemadmodum Satanas est in aëre, et Deus, qui praesto ibidem est, nihil laeditur omnino; sic peccatum est in anima, similiter quoque gratia divina, nulla omnino injuria affecta.*** 9. Quod Bellarminus addit, manere quidem in renatis vetustatem carnis et concupiscentiam pravam, sed eam non esse peccatum, nisi quando libera voluntate ejus desideriis consentitur, de eo suo loco disputatum fuit uberrime.

9. Deus peccata odit. 141. Nonum caput (inquit Bellarminus) continet ea loca, quae docent, Deo odio esse peccata. Psalm. 5, v. 5: *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem. Psalm. 34, v. 17: Odisti iniquitatem. Sap. 14, v. 9: Odio est Deo impius et impietas ejus. Ex his enim locis efficitur, ut aut Deus in justificatione penitus tollat peccata, ita ut nihil sit, quod odio habere possit; aut certe nihil omnino remittat, ne obligationem quidem ad poenam. Si enim peccatum maneret, Deus illud odisset, si odisset, punire vellet, si punire vellet, non ignosceret. Itaque dicere, Deum non imputare peccata, quae vere manent, atque ea nolle punire est manifesta contradictio secundum Scripturas, quae Deum hostem et vindicem peccatorum severissimum ubique describunt.* Respondemus: 1. Bellarminus sibi ipsi repugnat. Nam lib. 5. de amissione gratiae et statu peccati c. 13. §. Itaque et c. 14. Respons. ad quartam rationem concedit, *concupiscentiam odio haberi a Deo;* quomodo ergo verum manet, quod in justificatione Deus ita tollat peccata, ut nihil sit, quod odio haberi possit? quomodo vera manet connexio: Si Deus peccatum odisset, punire vellet; si punire vellet, non ignosceret? 2. Ex ipso Bellarmino solutionem hujus argumenti petimus. Sic enim ille lib. 5. de amissione gratiae et statu peccati c. 13. §. penult: *In concilio Tridentino recte dictum est, Deum nihil in renatis odisse, quia loquitur concilium de odio, quod redundet in personam, odium autem concupiscentiae, quod ponit Augustinus in Deo, non redundat in personam, non enim Deus propter concupiscentiam, quae est in renatis, vult renatos damnare, sed potius vult concupiscentiam paulatim consumere, ut renati perfecte sanentur ac liberentur.* Haec Bellarminus, quae licet sententiae concilii Tridentini non sint conformia (ut ostendimus in tractatu de peccato actuali §. 70. argum. 4.), tamen veritati optime congruunt. 3. Dicimus ergo, hanc oppositionem, *aut Deus in justificatione tollit omne id, quod odio haberi possit, aut ne obligationem quidem remittit*, non esse immediatam. Sed dari tertium, quod est misericors remissio, tectio et non imputatio peccati propter Christum; *nullam esse damnationem, οὐδὲν κατάκριμα*, illis, qui sunt in Christo, pronuntiat apostolus Rom. 8, v. 1. sed nihil damnabile in illis esse, nequaquam asserit. 4. Tollitur enim reatus a persona renati, non autem ab ipsa concupiscentia, ut fiat grata Dei filia. Augustinus lib. 6. contra Julian. c. 6: *Nos eam* (concupiscentiam) *malam dicimus et manere tamen in baptizatis, quamvis reatus ejus, non quo ipsa rea erat, neque enim aliqua persona est, sed quo reum hominem originaliter faciebat, fuerit remissus atque vacuatus.* tractatu 41. in Joh.: *Non ergo Deus quaedam peccata damnat, quaedam justificat et laudat, nulla laudat, sed odit omnia*, ubi addit, *quod Deus concupiscentiam odio habeat et curando agat, ut consumatur.* 5. Quemadmodum enim mater odit scabiem et sordes infantis, medicus febrem IX. 178.
aegroti, nec tamen ipsum infantem odit mater, nec aegrotum medicus; ita quoque pravam concupiscentiam in renatis odit Deus, ipsos tamen renatos non odit, sed in Christo gratos et acceptos habet. 6. Regerit Bellarminus, *si concupiscentia esset peccatum, Deus eam ita odisset, ut odium redundaret in personam.* Respondemus: sane odium illud in personam redundaret, nisi persona esset Deo reconciliata et fide in Christum ipsi placeret, unde apostolus notanter dicit, *nullam damnationem esse his, qui sunt in Christo Jesu*, Rom. 8, v. 1. ac nos *in dilecto gratos et dilectos a Deo haberi*, Ephes. 1, v. 6. Quamvis igitur peccatum ex se et sua natura sit damnabile, tamen renatos non damnat nec reos facit irae Dei et aeternae damnationis, quia renati sunt sub umbraculo gratiae divinae et placent Deo propter Christum, cujus justitiam fide induerunt. 7. Remotio actus secundi non statim tollit actum primum. Quamvis concupiscentia in renatorum carne adhuc haerens non damnet renatos actu secundo, ex eo tamen non sequitur, quod non sit peccatum ex se et sua natura damnabile, quod posset hominem damnare, nisi sub umbraculo gratiae constitutus esset. Rom. 6, v. 14: *Peccatum vobis non dominabitur, quia non estis sub lege, sed sub gratia.*

Rom. 8, v. 1: *Nulla damnatio est his, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant,* ubi non κρίμα, sed κατάκριμα respectu renatorum legi detrahitur.

Quomodo intelligendum sit illud Lutheri: Baptizatus non potest gratiam Dei amittere, nisi nolit credere.

142. Cap. 14. disputat Bellarminus contra Lutherum, qui in lib. de captiv. Babylon. cap. de bapt. dixerat, *baptizatum non posse gratiam Dei amittere, nisi nolit credere.* Respondemus: 1. Nobis nihil quidquam commune est cum errore Joviniani, qui referente Hieronymo lib. 2. contra Jovin. et Augustino libr. de haeresibus c. 82. statuit, *hominem vere baptizatum non posse amplius peccare, et si peccat, non fuisse tinctum nisi aqua.* 2. Nec probatur nobis error Calvinianorum, quod fides semel habita non possit peccatis contra conscientiam penitus amitti; qua de re in tractatu de bonis operibus sub finem late disseruimus. 3. Nec in sinum ecclesiae nostrae recepimus fanaticas illas opiniones, quas recitat et refellit Augustinus lib. 21. de civit. Dei c. 25: Quod *speranda sit liberatio ab igne aeterno vel omnibus hominibus, vel eis tamen, qui Christi baptismate abluti et corporis ejus sanguinisque participes facti fuerint, quomodolibet vixerint, in quacunque impietate vel haeresi fuerint; vel certe solis illis, qui post accepta sacramenta externam professionem catholicam retinent, licet pessime vivant.* 4. Contra vero in nostris ecclesiis diserte et perspicue docetur, fidem justificantem non consistere cum peccatis contra conscientiam, baptizatos nequaquam accipere privilegium turpitudinis; gratiam Dei peccatis vastantibus conscientiam excuti, fidem veram non consistere cum impoenitentia et peccandi proposito etc. 5. Lutherum quod attinet, is eo ipso in loco diserte affirmat, *baptizatos per peccata conscientiam vastantia deserere promissionem gratiae baptismi, a fide et veritate ejus deficere, item excidere ex virtute et fide baptismi.* 6. Disputat autem contra Pontificiorum opinionem, quae gratiam et virtutem baptismi tantum ad unicum illud momentum, quando baptizamur, restringit, ita ut per totam vitam postea ejus nullus sit usus; siquidem per peccata post baptismum commissa ipsa baptismi navis illidatur et in tabulas dissolvatur, hoc est vim, virtutem et gratiam baptismi prorsus amitti et irritam fieri, ita ut in vera poenitentia fides ad eam reverti et redire nullo modo et nullo unquam tempore possit, sed jam circumspicienda sit alia tabula, scilicet nostrae contritionis et satisfactionis, cujus virtute ad portum salutis pervehamur. Huic erroneae opinioni Lutherus propositionem suam opponit, quam mutilate et truncate allegatam Tridentini Areopagitae damnant.

Bellarmini sophisticationes de hac propositione.

143. Hac D. Chemnicii explicatione ex ipsis verbis et scopo Lutheri petita Bellarminus noluit esse contentus, disputat enim, *tribus modis intelligi posse propositionem illam, quod homo non possit damnari, nisi nolit credere. Primo ut sit sensus, nullum esse peccatum vere et in se mortale nisi in-*

IX. 179. *credulitatem, et haec* (inquit) *non docent adversarii, imo e contrario contendunt, omnia opera, etiam optime facta esse peccata mortalia, si secundum rigorem justitiae judicentur a Deo.* Respondemus: De tota hac re in tractatu de bonis operibus §. 39. late egimus, ubi ostendimus, quis sit sensus illarum propositionum, quod sola incredulitas damnet, quod omnia peccata sint sua natura mortalia, quod bona opera propter adhaerentem imperfectionem et immundiciem sint coram Dei judicio peccata etc. *Secundo ut sit sensus, peccata omnia ita esse conjuncta cum infidelitate et contra fidem ita conjunctam esse cum justificatione, ut non possit fides consistere cum ullo peccato mortali; proinde qui habet fidem, nullum habere peccatum, nec posse perire et contra, quicunque peccat, hoc ipso carere fide; hunc sensum vult esse Chemnicius illius Lutheranae propositionis. Tertio modo potest intelligi illa propositio, ut sit sensus, posse hominem simul, dum peccat, retinere fidem et per hoc non amittere Dei gratiam praesentem, quia licet peccata ex natura sua hominem reum facerent et Dei inimicum, tamen fides permanens in corde facit, ne imputentur et non damnent.* His ita praemissis concludit Bellarminus, *propositionem illam Lutheri recte damnatam esse in concilio Tridentino, cum sit dicta a Luthero in sensu tertio et praeterea etiam sit haeretica in sensu secundo.* Quomodo utrumque pronuntiatum probat? *Primum* (inquit) *fuisse illam mentem Lutheri patet ex his locis:* in lib. de capt. Babylon. cap. de bapt. postquam *dixerat, hominem baptizatum non posse damnari, nisi nolit credere,* subjungit*: Nulla peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas, cetera omnia, si redeat vel stet fides in promissionem divinam baptizato factam, in momento absorbentur per eandem fidem. Ubi vides, eum dicere, si redeat vel stet fides. Putavit igitur Lutherus, posse stare fidem, dum quis peccat, et per eam fidem peccata non imputari, etiam dum fiunt.* Respondemus: Peccata sunt duplicia, infirmitatis et contra conscientiam; peccata infirmitatis stant cum fide et ab ea, ut recte dicit Lutherus, absorbentur; peccata contra conscientiam non consistunt cum fide, interim tamen si per veram poenitentiam ea deleantur, fides etiam eorum remissionem in baptismi foedere invenit. Lutherus igitur disjunctiva oratione usus est, si stet, vel redeat fides, propter duplicis generis peccata: In peccatis infirmitatis stat adhuc fides, in peccatis contra conscientiam exstinguitur; necesse igitur est, ut redeat; quem esse verum illius propositionis sensum integer contextus docet. Quae ulterius ex Luthero affert Bellarminus pro stabiliendo Epicureo illius propositionis sensu, quasi statuerit, peccata contra conscientiam cum fide consistere, utpote quod personam bonam non faciat nisi fides, nec malam nisi incredulitas; quod nihil peccet, nisi incredulitas, quod credentis in Christum nulla sint tam mala opera, quae possint illum accusare et damnare; quod ubi fides sit, ibi nullum noceat peccatum etc., ea ex allata peccatorum distinctione recte intelliguntur et late exposita sunt in tractatu de bonis operibus §. 33. et sequentibus.

Denique quae affert pro stabiliendo dogmate, quod vera fides possit esse sine caritate et cum peccatis contra conscientiam simul subsistere, ea late discussa sunt in tractatu de justificatione §. 183. et sequentibus.

Quomodo intelligendum sit illud Lutheri: Baptismum liberare nos a lege.

144. Cap. 15. contra aliam Lutheri propositionem Bellarminus disputat, ubi repetit can. 7. concil. Trid. *Baptismus non id efficit, ut homo solius fidei debitor sit, non autem universae legis Christi servandae.* Respondemus: insidias illius canonis exposuit Chemnicius, ex quo haec repetimus: si qui affirmant ac docent, baptizatos per baptismum tantum debitores fieri solius fidei, hoc est historicae notitiae articulorum fidei et externae professionis, ita ut peculiari privilegio prorsus exempti sint ab obedientia mandatorum Dei ac liberum et arbitrarium sibi esse statuant, sive obsequi mandatis Dei, sive ea violare et secure peccatis indulgere posse: illis jure anathema dici. Hoc vero a nobis abest quam longissime; dicimus autem, non pendere ex conditione legis a nobis impletae, ut promissio et gratia baptismi nobis rata sit et firma, sed requiri tantum fidem, qua gratuita illa beneficia, quae nobis propter Christum donantur, ad nos recipiamus.
IX. 180. Fides enim accipit promissionem baptismi Marc. 16, v. 16. *Lex autem non est ex fide* Galat 3, v. 12. Et fides perpetuo maneret incerta, promissio etiam nec rata nec utilis esse posset, si penderet ex conditione legis a nobis impletae; ideo ex fide, *ut secundum gratiam sit firma promissio*, Rom. 4, v. 16. Haec omnia D. Chemnicius.

Exceptiones Bellarmini.

145. Bellarminus excipit, *Lutheri sententiam tam diserte ab ipsomet Luthero expressam esse, ut nullo modo excusari possit. Sic enim ipsum loqui in lib. de libert. Christ.: Nullo opere, nulla lege Christiano homini opus est, cum per fidem liber sit ab omni lege. Item in argum. epist. ad Gal.: Summa ars et sapientia Christiana est nescire legem, ignorare opera et totam justitiam activam. Et infra: Ad novum hominem nihil pertinet lex; quibus similia alibi passim doceat.* Respondemus: loquitur Lutherus non de vita hominis Christiani, sed de ipso actu justificationis recte statuit, remissionem peccatorum, justitiam et salutem apprehendi sola fide in Christum, justificationem non esse ex lege et operibus, sed ex evangelio et fide; hactenus igitur et hoc respectu nulla lege, nullo opere homini Christiano opus est, sed justitia Christi per fidem ipsi imputata liberat eum ab accusatione et damnatione legis, non tamen ab obedientia legi praestanda. Si ad renovationem haec Lutheri dicta quis extendere velit, cum reduplicatione et in sensu composito erunt accipienda. Homini Christiano et renato, quatenus Christianus et renatus est, nulla lege opus, urgente scilicet et cogente, quia sponte facit bona opera; interim tamen, quia non totus renovatus, sed sub carnis vetustate ex parte adhuc constitutus, ideo legis praeceptis et minis caro ejus refractaria coërcenda et Spiritus imperio subjuganda. Pergit Bellarminus, sententiam concilii non esse, quod *requiratur ad gratiam baptismi consequendam conditio legis servatae, cum alibi doceat, nulla esse nostra merita ante gratiam justificationis, sed solum propositum servandae legis post baptismum.* Respondemus: an non ipse Bellarminus docet, nos non justificari fide sola, sed fide et operibus, illa autem opera nostra perfecte implere legem? An non docet, in baptismo infundi habitus fidei, caritatis, spei etc. per quos formaliter sit justus? Jam vero caritas ad legem pertinet et est legis impletio. Ad justificationem omnino requiritur justitia et perfecta legis impletio; jam vero illam justitiam et legis impletionem non docent fide in Christo quaerendam, utique ergo nostram justitiam et nostram legis impletionem requirunt. Quod ad propositum legis servandae attinet, illud omnino et nos requirimus in baptizatis, interim non hoc fine, ut per suam impletionem sperent, se promereri posse gratiam Dei, remissionem peccatorum et vitam aeternam, sed ut se gratos Deo et proximo utiles praestent ac fidem suam per opera demonstrent etc. Fatemur et nos, baptizatos esse debitores, non ut secundum carnem vivant, sed secundum Spiritum ambulent ac in via mandatorum Dei currant; interim tamen beneficia in baptismo oblata non a conditione nostrorum operum ac meritorum dependere dicimus, sed gratis propter Christum donari et fide a nobis accipi; et quamvis regenerationi perpetuo conjuncta sit renovatio, per quam liberati a peccato servi reddimur justitiae et in novitate vitae Deo in posterum servimus, tamen promissio gratiae, remissionis peccatorum et vitae aeternae non ex nostris operibus, vel nostra impletione legis pendet, sed fide in Christum accipitur. Reliqua, quae de operum necessitate ad salutem Bellarminus disputat, suo loco, nimirum in tractatu de justificatione, sunt exposita. Vehementer hoc loco Bellarminus exagitat Lutherum, quod in c. 3. Galat. scripserat: *Cum illaqueant te argumentis ex Scripturis pro defensione bonorum operum desumtis, simpliciter respondendum est: hic mecum est Christus, illic vobiscum Scripturae testimonia pro operibus. Christus autem dominus Scripturae et bonorum operum* etc. *Egregia vero solutio* (inquit Bellarminus), *quoniam Christus et Scriptura sint contraria et non potius Christus per Scripturam nos alloquatur.* Et paulo post: *Nimirum illud assequi voluit Lutherus, ut ipse unus non solum pro omnibus patribus et conciliis, sed etiam pro omnibus divinis literis habeatur.* Respondemus autem, Lutherum de actu justificationis et de angore conscientiae legis minis territae eo in loco agere, quo IX. 181.
in casu doctrina legis et operum omnino ex oculis removenda et solus Christus cum suo merito respiciendus etc.

Quid statuendum de propositione Lutheri per baptismum liberari homines

146. Cap. 16. conatur Bellarminus demonstrare, falsam esse Lutheri propositionem, quod *per baptismum liberentur homines ab obligatione legis ecclesiasticae.* Respondemus: repetimus ex Chemnicio verum hujus propositionis sensum. Quando per baptismum a Deo in filios ejus adoptati et in fa-

ab obligatione legis ecclesiasticae.

miliam ejus recepti et adscripti sumus, tunc ad obedientiam filialem Deo praestandam obligamur; sed juxta ipsius mandata, non autem juxta traditiones hominum. Cum enim Deus in domo sua magna, quae est ecclesia, sibi soli vindicet jus et auctoritatem gubernandi verbo conscientias familiae suae, imo liberorum suorum, et quia in baptismo ad hujus patrisfamilias obedientiam nos obligavimus, qui etiam conscientias nostras ab omnibus humanis traditionibus, mandatis et doctrinis liberavit et absolvit, sicut Scripturae dicta manifeste testantur Ezechiel. 20. Matth. 15. 1. Cor. 7. Coloss. 2. Jacob. 4. etc. ideo Lutherus libere et recte concludit, nec papam, nec ullum hominem habere jus unius syllabae constituendae super conscientiam Christiani hominis, quidquid vero aliter fit, tyrannico spiritu fieri contra libertatem ecclesiae. Num vero haec sententia absolvit Christianos ab obedientia politico magistratui debita? Nequaquam, expresse enim loquitur de iis, quae conscientiae imponuntur; et ipsa obedientia politico magistratui debita verbo Dei mandata et sancita est. Num vero nulla debet esse reverentia vel auctoritas ministerii ecclesiastici? omnibus modis, sed non ita, ut habeat imperium vel merum vel mixtum in ecclesia, sed ut habeant ministerium. Quando igitur afferunt doctrinam, vocem et verbum Dei, tunc non hominibus, sed ipsi Deo praestamus obedientiam; quando vero conscientiis aliquid imponunt extra, praeter aut contra verbum Dei, tunc baptismus commonefacit nos et nostrae obligationis ad obedientiam verbi divini et nostrae libertatis a mandatis, doctrinis et traditionibus hominum. Quid vero si de rebus indifferentibus ecclesia aliquid statuat, quod ad ordinem, decorem et aedificationem faciat? Respondemus: si constitutiones pugnant cum verbo Dei, aut quando assuuntur impiae opiniones, tunc interdicta est obedientia; quando vero res sunt adiaphorae et sine impiis opinionibus proponuntur, tunc valet regula apostoli: *Omnia fiant decenter, ordine et ad aedificationem.* Caritas etiam exemplo Pauli in obsequium fratrum infirmorum multa talia, quae sine laesione conscientiae fieri possunt, facit; et tamen salva conscientiae libertate, sine opinione necessitatis talia servanda sunt. Haec omnia Chemnicius.

Exceptio Bellarmini.

147. Bellarminus rejicit hanc disputationem ad locum de summo pontifice et argumentis nostris pro libertate a traditionibus humanis ex Scriptura adductis respondet hoc modo: *Deum esse unum legislatorem, scilicet summum, qui ita ferat aliis leges, ut nullas ab alio accipiat; interim tamen et ecclesiasticum et politicum magistratum leges ferre posse.* Respondemus: concedimus, politicum magistratum habere auctoritatem ferendarum legum civilium, iisque Christianos obligatos esse, modo cum divina lege non pugnent. Ecclesiae ministris itidem concedimus, quod possint ordinationes honestas ordinis et decoris causa in ecclesia servandas instituere, interim tamen si praeter vel etiam contra verbum Dei conscientias hominum suis legibus velint illaqueare easdemque sub opinione necessitatis, cultus et meriti obtrudere, tunc dicimus, Christianos ab earum obligatione esse liberos, quod toties Scriptura docet, quoties mandata hominum, doctrinas hominum et traditiones fugiendas monet, quoties ad solam legem DEI nos revocat, quoties libertatis per CHRISTUM nobis partae meminit etc. Cumprimis vero monarchicam illam potestatem pontifici denegamus, qua possit leges ferre, quae omnium et singulorum Christianorum in toto orbe conscientias obligent; ex quibus intelligi possunt ea, quae Chemnicii argumentis Bellarminus obvertit.

Quomodo intelligenda sit illa propositio IX. 182. Lutheri, per baptismum vota fieri irrita.

148. Cap. 17. disputat Bellarminus contra Lutherum, *per baptismum non fieri irrita omnia vota.* Respondemus ex D. Chemnicio: in V. T. verbum Dei disponebat rationem votorum, de quibus rebus et quomodo fieri possent; in N. autem T. Christus et apostoli nihil nobis praescripserunt de peculiaribus votis, sed in baptismo ex praescripto verbi Dei fit generalis professio, votum seu promissio, qua nos Deo subjicimus et obligamus ad obedientiam. Ad professionem igitur baptismi recte et merito exigenda sunt omnia Christianorum vota, quae legitima censeri debent, regula autem et norma voti, quod in professione baptismi emittimus, est sententia illa Christi Matth. 28, v. 20: *Docentes eos servare, quaecunque ego praecepi vobis.* et Rom. 6, v. 18: *Liberati a peccato servi facti estis Deo traditi in formam doctrinae apostolicae.* Col. 2, v. 20: *Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid adhuc decretis mundi tenemini juxta mandata et doctrinas hominum?* Et haec cum ita se habeant, conqueritur Lutherus, baptizatorum conscientias onerari et implicari infinitis aliis votorum legibus ab hominibus constitutis; quaedam enim sunt vota religionum, quaedam peregrinationum, quaedam aliorum operum, de illis legibus et opinionibus votorum queritur et fidei et baptismo detrahi. Quasi enim ipsum baptismi votum non satis sit vel praestans vel sufficiens, conquiruntur et cumulantur alia, quibus conscientiae ita occupantur, ut et memoria baptismi obruatur et dignitas ejus extenuetur. Disputatur enim et statuitur, opus intra tale votum factum esse praestantius et infinitis praemiis praeferendum, quam si extra tale votum simpliciter ex mandato divino fieret. Addunt alii, ingressum religionis esse velut novum baptismum, quem deinceps liceat toties renovare, quoties ab integro propositum religionis renovatur. Et inter hos strepitus opinionum de votis vix quisquam baptismum suum recordatione dignatur. Leges etiam, vincula et laquei votorum pugnant cum libertate a mandatis et doctrinis hominum, in quam per baptismum collocamur, Col. 2, v. 6. Et quia in baptismo abunde et plus, quam possimus implere, vovimus, sat etiam negotium habituri, si per totam vitam huic rei intenderemus, censet igitur Lutherus, satis esse, ut omissis et sublatis aliis votis, quae nec Dei mandatum, nec Scripturae exem-

plum habent, omnes Christiani revocentur ad baptismi vota. Haec Chemnicius ex Luthero.

Exceptiones Bellarmini.

149. Bellarminus regerit: *1. vota esse de jure naturae, ideo nihil mirum, si Christus et apostoli de illis nihil praescripsissent; praeterea falsum esse, quod apostoli nihil de votis tradiderint, cum Paulus 1. Tim. 5, v. 22. loquatur de voto continentiae.* Respondemus: integra doctrina de votis ad alium locum pertinet, votum patriarchae Jacobi fuit eucharisticum toto coelo a votis Pontificiis, de quibus hoc loco agitur, discrepans; dictum apostolicum 1. Tim. 5, v. 22. suo pertractabitur loco. *2. Voveri posse tum res praeceptas a Deo, ut per votum homo magis obligetur tum res non praeceptas, modo sint bonae et juvent ad vitanda peccata.* Respondemus: quae vota a nobis approbentur vel improbentur, suo apparebit loco. *3. Falsum esse, quod in baptismo plus promittamus, quam implere possimus, cum Christus legem suam vocet jugum suave et patres asserant, blasphemum esse dicere, quod mandata Dei sint impossibilia.* Respondemus: in tract. de lege §. 181. et sequentibus evicimus immotis argumentis, legem Dei ne a renatis quidem in hac carnis imbecillitate perfecte impleri, ubi et Christi dictum et patrum pronuntiatum exposuimus. Addit hoc loco Bellarminus egregium emblema: *Baptismus est sufficiens ad suum finem, hoc est ad salvandum hominem, licet addi aliquid possit, ut vel facilius vel excellentius aliquis salvetur, nimirum per vota.* De quo piae mentes judicent.

Quid statuendum de propositione illa Lutheri, sola memoria et fide suscepti baptismi dimitti peccata.

150. Cap. 18. disputat Bellarminus, *sola memoria et fide suscepti baptismi non posse dimitti peccata post baptismum commissa, sed necessarium esse poenitentiae sacramentum.* Suarez. in Apocal. serm. 15. p. 323: *Quid magis nefandum, quid magis exsecrabile quam affirmare, baptismum non solum pro peccatis praeteritis purgandis accipi, sed etiam pro futuris, ita ut quoties aliquis in peccatum labitur, dummodo recordetur, se semel baptizatum fuisse, veniam delicti accipiat.* Respondemus: repetimus nos explicationem ex Chemnicio illius sententiae, quam in Luthero can. 10. conc. Trident. damnare voluit. Lutherus lib. de captiv. Babylon.
IX. 183. inter cetera in doctrina Pontificia reprehendit etiam hanc periculosam, falsam et perniciosam opinionem, quod finxerunt, gratiam baptismi valere tantum ad remissionem peccatorum praeteritorum vel quae baptismi tempus in homine invenit, ita ut si post baptismum aliquis in peccatum labatur, etiamsi poenitentiam agat et vera fide ad promissionem gratiae et reconciliationis propter meritum Christi in baptismo sibi oblatam, datam, communicatam, applicatam et obsignatam redeat, nihil tamen amplius ad reconciliationem sibi prosit gratia promissionis baptismi; sed quia per lapsum gratia baptismi ita sit amissa, ut fracta et illisa prorsus exciderit et irrita facta sit, etiamsi in seria poenitentia per veram fidem peccator ad foedus illud revertatur, quod in baptismo Deus nobiscum pepigit, ideo in poenitentia de peccatis post baptismum commissis, fidem quaerere debere expiationem et reconciliationem, non in gratia illius promissionis, quae in baptismo nobis oblata, communicata et obsignata est, sed alia circumspicienda, quaerenda et tentanda esse media, per quae consequamur gratiam, reconciliationem et remissionem peccatorum. Contra vero Scriptura testatur, virtutem, efficaciam et operationem purgationis et sanctificationis baptismi per totam Christiani hominis vitam durare et valere.

Quomodo Bellarminus sententiam nostram exponat.

151. Bellarminus primo sententiam nostram per quatuor hypotheses exponit: *Adversarii* (inquit) *de hac re docent 1. baptismum non aliter justificare, nisi subjiciendo ante oculos promissionem et eo modo excitando fidem, quae sola justificat.* Respondemus: docemus, baptismum esse *lavacrum regenerationis et renovationis*, Tit. 3, v. 5. Quae cum sine fide locum non habeant, ideo baptismum etiam esse efficax medium, per quod Spiritus sanctus fidem accendat, augeat, confirmet et obsignet; id fit non solum exterius ante oculos subjiciendo promissionem, sed etiam interius in ipsa et per ipsam baptismi actionem operando, ut docet exemplum infantum baptizatorum, quos fide in baptismo donari paulo post demonstrabimus, cum in oculis et auribus ipsorum verbum promissionis non possit eo modo subjici, ut meditatione illius fides excitetur. *2. Inde colligunt, cum quis peccat post baptismum, posse per memoriam baptismi iterum redire ad gratiam ipsam baptismi. Nam sicut ipse baptismus subjicit ante oculos promissionem, ita etiam facit memoria et cogitatio baptismi, proinde ipsa etiam memoria excitat fidem et eodem modo justificat. Id quod etiam in aliis rebus videmus; nam si quis visa insigni imagine crucifixi moveatur ad amorem Christi crucifixi, certe etiam postea, cum imaginem non videt, si mente recogitet et recordetur eam speciem, movebitur.* Respondemus: in quibus vero scriptis nostrorum illas speculationis legit Bellarminus? Baptismum nequaquam statuimus esse nudum signum et memoriale gratiae, eo modo fidem excitans, quo imago crucifixi amorem Christi excitat; sed dicimus, baptismum esse salutare et efficax medium, per quod in foedus gratiae recipimur, sanguine Christi a peccatis abluimur, fide, Spiritu s. et vita aeterna donamur. *Ut ergo semel super nos lata divina promissione baptismi: qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, usque ad mortem veritas ejus perseverat; ita fides in eandem nunquam debet intermitti, sed usque ad mortem ali et roborari perpetua memoria promissionis ejusdem in baptismo nobis factae. Quare dum a peccatis resurgimus sive poenitemus, non facimus aliud quam quod ad baptismi virtutem et fidem, unde cecideramus, revertimur et ad promissionem tunc factam redimus, quam per peccatum deserueramus;* quae sunt verba Lutheri in lib. de capt. Babyl. cap. de baptismo. *3. Inde rursum colligunt* (inquit Bellarminus), *sacramentum poenitentiae nihil aliud esse nisi ipsum baptismum memoria et fide repetitum. Et sicut post baptismum non remanet ulla satis-*

factio, nec sunt necessariae indulgentiae, nec purgatorium post hanc vitam; ita existimant, post poenitentiam, id est post memoriam baptismi, nullam superesse satisfactionem. Respondemus: nemo nostrum dicit, poenitentiam nihil aliud esse quam baptismum memoria et fide repetitum, sed teste ipso Bellarmino libr. 1. de poenitent. c. 19. duas poenitentiae partes statuimus, contritionem scilicet et fidem, cum quibus nova obedientia tanquam fructus et immediatum consequens perpetuo est conjuncta. Dissimulat hoc Bellarminus, ut speciem aliquam calumniae suae inducat, quasi statuamus,
IX. 184. illos, qui sine vera peccati agnitione in sceleribus perseverant, modo perfunctorie et historice recordentur, se aliquando baptizatos esse, tali recordatione peccatorum remissionem consequi, ut non sit opus poenitentia et ministerio clavium. Unde paulo post subjungit Bellarminus. *Haec est ipsorum sententia et certe satis delicata et mollis, ut ne Epicuro quidem merito displicere queat.* At quis nostrum ita docuit? ab illis, qui post baptismum in peccatum prolapsi sunt, non solam et nudam historicam recordationem baptismi, sed veram et seriam poenitentiam requirimus. Cum autem verae poenitentiae pars sit fides, eam recordatione foederis in baptismo olim initi et promissionis semel factae confirmari et posse et debere dicimus. 4. *Inde colligunt, non recte dixisse Hieronymum in c. 3. Esai. et ante eum Tertullianum libr. de poenit., poenitentiam esse secundam post naufragium tabulam.* Respondemus: quo sensu hanc descriptionem poenitentiae probemus vel improbemus, exposuimus in tract. de poenit. §. 13.

Bellarmini de hac propositione sententia.

152. Huic sententiae nostrae depravatae potius quam expositae suam et suorum opinionem Bellarminus opponit, quam itidem quatuor hypothesibus complectitur. *Catholici statuunt 1. baptismo remitti peccata ex opere operato, id est vi sacramenti.* Respondemus: de opere operato in tractatu de sacramento in genere late egimus. Si opus operatum fidei opponitur, negamus, baptismo ex opere operato remitti peccata; si vero opus operatum opponitur illi opinioni, quod baptismus sit tantummodo signum, non autem efficax medium ablutionis a peccatis, jubemus, ut mentem teneant, barbaram vero linguam corrigant. 2. *Inde colligunt, baptismi efficaciam non se extendere ad futurum, sed tantum ad praeteritum.* Respondemus: contrarium paulo post demonstrabimus. 3. *Inde colligunt, amissam baptismi gratiam non posse iterum recuperari per baptismum, sed quaerendum esse aliud remedium magis arduum et difficile, id est sacramentum poenitentiae, post quod remanet luenda poena temporalis pro satisfactione, et inde consequitur utilitas indulgentiarum, purgatorii locus* etc. Respondemus: de tota hac re in tractatu de poenitentia diximus, quantum satis. Ne unico quidem Scripturae dicto probari potest, aliam rationem esse reconciliationis cum Deo, aliud remissionis medium post baptismum quam ante baptismum. Utrobique eadem promissio, idem meritum Christi, eadem gratia Dei, eadem fides. 4. *Inde colligunt, rectissime dictum esse a patribus, poenitentiam post baptismum esse secundam naufragii tabulam, quia non redeunt, qui poenitentiam agunt, ad baptismi navim, sed magno cum labore navigant ut ii, qui arrepta tabula post naufragium in ea vehuntur.* Respondemus: foedus, quod in baptismo Deus nobiscum init, non praeteritum tantum tempus, vel momentum illud, in quo baptizamur, respicit, sed est aëternum foedus; quamvis ergo per peccata postmodum ex eo excidamus, non tamen ita dissolvitur et frangitur, ut per poenitentiam non pateat ad illud reditus. Si ergo ex art. baptismi in mare perditionis prosiliunt, hoc est deserta promissionis fide in peccatum sese praecipitant, navis ipsa permanet integra, ad quam si per veram poenitentiam redeunt, in portum salutis provehuntur.

An Chemnicius sententiam concilii in hac quaestione depravaverit.

153. Secundo loco Bellarminus accusat Chemnicium, quod depravaverit concilii Tridentini sententiam tribuendo ipsi, quod statuat: *1. non posse hominem etiam per veram poenitentiam redire ad gratiam baptismi et foedus, quod Deus in baptismo nobiscum pepigit. At* (inquit Bellarminus) *hoc non dicunt Catholici, fatemur enim, posse hominem redire per veram poenitentiam ad gratiam et ad foedus in baptismo initum, hoc est ut simus iterum filii Dei per gratiam; sed negamus, id fieri per eadem instrumenta foederis, hoc est per baptismum aut ejus memoriam, sed per sacramentum poenitentiae.* Respondemus: ipsam baptismi navim frangi ac dissilire dicunt, si quis post baptismum in peccata prolabatur; quomodo igitur ad foedus in baptismo initum patebit iterum reditus? πρῶτον ψεῦδος in eo consistit, quod baptismum ex opere operato sine fide prodesse statuunt et ex poenitentiae partibus fidem eliminant; nos contra statuimus, eandem esse fidem, quae in ipsa actione baptismi apprehendit promissionem gratiae quaeque post lapsum in poenitentia rursus promissionem illam apprehendit, IX. 185.
ac proinde idem esse medium et instrumentum, per quod in baptismo et post baptismum in vera poenitentia gratiae Dei et remissionis peccatorum participes reddimur. 2. *Quod statuat Catholicos, cum peccant post baptismum, niti propria constitutione et satisfactione, ut redeant ad gratiam. Sed hoc etiam falso dictum est,* (inquit Bellarminus) *nitimur enim gratia Dei, Christi meritis et virtute atque efficacia sacramenti, non propria contritione, licet contritionem ut dispositionem requiramus, sicut etiam cum baptizamur, requirimus fidem et poenitentiam et tamen non iis nitimur ut causis justificationis, sed Dei gratia, Christi merito et sacramenti efficacia.* Respondemus: recolat Bellarminus sua verba. *Contritio est actio bona et libera ad evangelium pertinens.* lib 2. de poen. c. 2: *In bonis autem meritis fiducia aliqua collocari potest, modo superbia caveatur.* lib. 5. de justif. c. 7: *Contritio est causa remissionis peccatorum duobus*

modis, quia disponit ad justificationem et impetrat remissionem peccatorum, est meritum de congruo justificationis. lib. 2. de poenit. c. 12: *Potest tanta esse poenitentia sive contritio, ut deleat omnem culpam, et sic reditur ad gratiam omnino similem ei, quae in baptismo habita est.* lib. 1. de bapt. 18. §. Nota secundo: *Maxime consentaneum est rationi, ut si Deus ex misericordia peccata condonet, etiam justitiae, quoad ejus fieri potest, satisfieri velit* (nimirum per nostra opera, de ea enim satisfactione ibi agit). lib. 4. de poenit. c. 5: *Ex quibus omnibus apparet, confessionem non tantum ut dispositionem, sed etiam ut meritum requiri.* Nec fieri potest, ut sola Dei gratia et solis Christi meritis nitantur, qui suorum operum merita ac proprias satisfactiones justificationis articulo ingerunt; de tota hac re suo loco plura. *3. Quod concilium Tridentinum damnaverit Epicuream sententiam de sola memoria baptismi in sceleribus, quae tamen Luthero non venerit in mentem. At* (inquit Bellarminus) *concilium addit fidem, dum negat, sola recordatione et fide suscepti baptismi vel dimitti, vel venialia fieri peccata.* Respondemus: fidem describunt nuda historiae notitia, non autem agnoscunt eam pro fiduciali apprehensione meriti Christi, quae cum vera poenitentia, dilectione et bonis operibus perpetuo sit conjuncta; inde est, quod fidem in fornicariis Sodomitis adulterisque permanere dicunt. Atqui talem fidem historicam nequaquam Lutherus intellectam voluit, sed vivam et efficacem illam fidem, quae Christum apprehendit et per dilectionem operatur.

Argumenta pro nostra sententia, quod efficacia baptismi extendat se in futurum. 1. Foedus Dei in baptismo nobiscum initum est perpetuum.

154. His ita praemissis argumenta sententiae nostrae proferemus. 1. Deus in baptismo foedus gratiae nobiscum init ac pollicetur, se fore Deum ac patrem nostrum, perinde uti olim in circumcisione cum Abrahamo et semine ejus pactum iniit. Jam vero foedus Dei est aeternum et perpetuum, nec si per peccata inde excidimus, ita frangitur ac dissolvitur, ut etiamsi in vera poenitentia per fidem ad illud redeamus, Deus tamen illud amplius servare, ratum et firmum esse poenitentibus nolit, cum incredulitas hominum fidem Dei nequaquam evacuet. Quo pertinent sequentia Scripturae dicta: Genes. 17, v. 7: *Feriam tecum pactum in foedus sempiternum.* Exod. 6, v. 5: *Recordatus sum foederis mei.* Conjunge Levit. 26, v. 9. et 44. Num. 18, v. 19. Deut. 4, v. 31. c. 7, v. 9. 1. Reg. 8, v. 23. 2. Reg. 13, v. 23. Nehem. 1, v. 5. Dan. 9, v. 4. Esa. 55, v. 3. Jerem. 32, v. 40. c. 33, v. 20. Ezech. 16, v. 60. c. 37, v. 26. Hos. 2, v. 19. Cumprimis notanda sunt haec testimonia: Esa. 54, v. 10: *In misericordia sempiterna misertus sum tui; montes enim commovebuntur et colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet a te et foedus pacis meae non movebitur, dixit miserator tuus Dominus.* Rom. 3, v. 3: *Num incredulitas hominum fidem Dei evacuabit? absit.* c. 11, v. 29: *sine poenitentia sunt dona et vocatio Dei.* 2. Tim. 2, v. 13: *Si non credimus, ille fidelis permanet, se ipsum negare non potest.* Unde Deus ipse jubet homines lapsos ad pactum cum illis initum per veram poenitentiam reverti, quo pertinet dulcissima promissio Jerem. 3, v. 1: *Si dimiserit vir uxorem suam et recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid revertetur ad eam ultra? tu autem fornicata es cum amatoribus* IX. 186.
multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus; v. 12: *revertere rebellis Israël* etc. Foedus in baptismo initum comparatur foederi conjugali, ut ostendit locus Ephes. 5, v. 25. Quemadmodum igitur maritus uxorem, quam in adulterio deprehensam bono jure repudiare poterat, retinens non ad aliud quam conjugii semel contracti foedus revocat; ita Deus sponsam adulteram fornicantem cum amatoribus multis non ad aliud quam semel initum spiritualis conjugii pactum reverti jubet. Lutherus in libr. de captivit. Babylon. cap. de baptismo tom. 2. Jenens. Lat. fol. 271: *Si filii Israël ad poenitentiam reversuri primo omnium exitum de Aegypto memorabant et hac memoria ad Deum, qui eduxerat eos, revertebantur, quae memoria et hoc ipsum praesidium eis toties a Moyse inculcatur et a Davide repetitur; quanto magis nos nostrum de Aegypto nostra exitum debemus memorare et ejus memoria redire ad eum, qui nos eduxit per lavacrum regenerationis novae, cujus memoria in hoc ipsum nobis commendata est.*

Exceptiones Bellarmini. 1. contra locum Esa. 54.

155. Bellarminus regerit, *Chemnicium sine ulla verecundia ludere in Scripturis, earumque testimoniis abuti: 1. cum locus Esaiae c. 54. contineat promissionem absolutam, nimirum de fovenda perpetuo ecclesia, ista enim promissio a nulla conditione pendet, est enim matrimonium inter Christum et ecclesiam plane indissolubile.* Respondemus: Deus non solum cum ecclesia in genere, sed etiam cum singulis fidelibus in specie init foedus, quod ex parte Dei est aeternum et inviolabile, ut testantur dicta superius allegata. Ergo locus propheticus non solum ad universam ecclesiam, sed etiam ad quamvis fidelem animam per baptismum in foedus Dei receptam accommodari potest, cum genus includat suas species. Quod absoluta quaedam promissio ecclesiae data sit, pugnat non solum cum Scripturis, quas in loco de ecclesia proferemus, sed etiam cum ipsa experientia. Deus enim synagogae Judaicae dedit libellum repudii propter fornicationes spirituales; invertimus ergo rationem a Bellarmino adductam. Quemadmodum matrimonium, licet in sese sit vinculum indissolubile, tamen per adulterium solvitur; ita quoque desponsatio ecclesiae facta propter spirituales ejusdem fornicationes et apostasias evacuatur et exspirat. Esa. 1, v. 21. Jerem. 3, v. 8. Ezech. 16, v. 50. Hos. 2, v. 2. *2. Locus Rom. 3.* (ait Bellarminus) *continet absolutam promissionem de mittendo Messia in mundum. At promissio baptismi non est absoluta, sed conditionata, quia includit conditionem fidei, perseverantiae* etc. Respondemus: nemo nostrum dicit, promissionem baptismi esse absolutam eo modo, ut perseverantes in sceleribus sine poenitentia et fide nihilominus

2. Contra locum Rom. 3.

salutis futuri sint participes, sed requirimus et nos conditionem fidei perseverantis; addimus autem, esse veram fidem non tantum, quando in ipsa actione baptismi apprehendit promissionem gratiae, verum etiam quando post baptismum eam retinet, imo quando post lapsum in poenitentia rursus promissionem illam apprehendit. Ut veritas promissionis in baptismo nobis factae perseverat usque in seculum; ita quoque fides in eandem nunquam debet intermitti, sed usque ad mortem ali et roborari perpetua illius promissionis recordatione. Dictum Roman. 3. generale est de omnibus Dei verbis et promissis, quibus si vel maxime homines fidem denegent, ipse tamen manet verax et constans, ac promissa illius manent veracia. *3. Locus 2. Tim. 2. promissionem conditionatam continet, si negaverimus, ille negabit nos.* Respondemus: sane illos, qui post baptismum in delictis contra conscientiam secure perseverant et pertinaciter sine poenitentia Deo obluctantur, Deus abjicit et repudiat; interim tamen eos, qui post lapsus per poenitentiam revertuntur, vi foederis et promissionis semel in gratiam recipit, cum sit fidelis et se ipsum, hoc est suam misericordiam et promissionem ex ea factam, negare non possit. Distinguendum igitur inter peccata infirmitatis, lapsus quotidianos, delicta involuntaria, vel etiam graviores lapsus, quos sequitur poenitentia; et inter obstinatam pertinaciam cum finali impoenitentia conjunctam, de qua Zach. 11, v. 10: *Tuli virgam meam, quae vocabatur amabilis, et confregi eam, ut irritum facerem foedus meum* etc. *4. Locus Jerem. 3. docet, Deum recipere homines ad gratiam, si redeant, sed non docet, recipere eodem modo et per eadem instrumenta, quibus antea recepit.* Respondemus: si per eundem modum et per eadem instrumenta intelligit Bellarminus baptismi iterationem, negamus et nos, eodem modo et per eadem instrumenta lapsos post baptismum in gratiam recipi. Si vero intelligit, gratis in baptismo ex opere operato remitti peccata, post baptismum vero nostris operibus et satisfactionibus eorum remissionem promerendam, dicimus, ut eadem est Dei misericordia in baptismo et post baptismum remittentis peccata; ut idem est Christi meritum, propter quod Deus peccata remittit; ut idem est verbum evangelii, in quo gratuitam peccatorum remissionem Deus offert, exhibet et annuntiat: ita quoque ex parte nostra unum idemque esse medium, quo in baptismo et post baptismum remissionem peccatorum consequimur, videlicet fidem in Christum, cujus anteambulo contritio, pedissequa vero bona opera. Emphasin dicti prophetici in argumenti nostri ἐργασίᾳ exposuimus. Deus sponsam adulteram cum multis amatoribus fornicatam non ad aliud quam semel initum spiritualis conjugii pactum reverti jubet.

3. Contra locum 2. Tim. 2.

IX. 187.

4. Contra locum Jerem. 3.

Contra argumentum ex perpetua promissionis veritate.

156. Argumento a perpetua promissionis veritate ducto et exemplo Israëlitarum in vera poenitentia exitus ex Aegypto recordantium confirmato Bellarminus hoc obvertit, *1. argumentum illud nihil concludere, quia licet veritas promissionis sit perpetua, tamen conditionata est, non absoluta, alioqui omnes apostatae salvarentur, de illis enim verum est dicere: crediderunt et baptizati sunt; intelligitur itaque conditio: si permanserit in fide et foedere baptismali, salvus erit; quodsi non permanserit, non salvabitur hoc remedio, sed aliud quaerere debet.* Respondemus: quo sensu promissiones evangelicae possint dici conditionales, exposuimus in tractatu de evang. §. 42. hoc loco monemus, conditionem illam esse bipartitam; qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, hoc est sive in vera fide et obedientia erga Deum perseveraverit, sive in peccata prolapsus per veram poenitentiam et fidem ad Deum reversus fuerit, baptismus ad salutem ipsi efficax erit. Regerit Bellarminus: *2. Eum qui semel excidit a foedere baptismi, non posse iterum ad illud redire, cum non redeatur ad foedus baptismi per solam cogitationem, sed per baptismi iterationem, quae nullo modo liceat, sicut ad fidem redire dicitur, non qui cogitat, se aliquando credidisse, sed qui iterum actu incipit credere.* Respondemus: sane sola memoria et historica recordatione baptismi sine vera poenitentia et fide nequaquam reditur ad foedus baptismi, sed fideli memoria (ut sic loquar) hoc est tali memoria, quae et veram poenitentiam et fidem habet conjunctam, ad foedus illud pristinum rediri potest. Ut enim fides gratuitam promissionem de remissione peccatorum propter Christum in baptismo sibi oblatam amplectitur sibique applicat; ita eadem fides eandem promissionem in verbo evangelii repetitam et institutione sacrae coenae confirmatam in vera poenitentia amplectitur, per quam homo baptizatus denuo in gratiam et foedus Dei recipitur. Praecedunt hae argutiae Bellarmini ex ignoratione fidei, gratuitae justificationis, remissionis peccatorum, poenitentiae, virtutis baptismi etc. fidem enim definit per nudam historicam notitiam vel potius ignorantiam; justificationem secundam a meritis operum nostrorum deducit, remissionem peccatorum per realem deletionem et exstirpationem describit; a poenitentiae partibus fidem excludit, virtutem baptismi ex opere operato valere disputat etc. *3. Israëlitae non commemorabant exitum de Aegypto, quasi ea commemoratione peccata purgarentur, sed ut commemorato tam insigni beneficio arguerent ipsi suam erga Deum ingratitudinem et eo modo se ad poenitentiam provocarent, quod commodum nobis quoque baptismum afferre non negamus.* Respondemus: commemoratio illa non solum erat ὁρμητήριον ad poenitentiam, sed etiam confirmatio fidei. IX. 188.
Recordabantur enim foederis, quod Deus cum patriarchis, populi Israëlitici majoribus, inierat et miraculosa liberatione ex Aegypto confirmaverat, inde fidem suam de misericordia Dei peccata propter Messiam remittentis confirmabant. Siquidem commemorationi foederis illius et liberationis ex Aegypto includebatur recordatio promissionis de Messia, cum foederalis promissionis caput primarium fuerit istud: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, cumque eo

fine Deus Israëlitas ex Aegypto eductos in terram promissionis introduxerit, ut promissio de Messia ex hoc populo nascituro complementum suum sortiri posset. *4. Si vera esset Lutheri sententia, debuissent Judaei potius commemorare circumcisionem, quae erat illis pro baptismo, quam exitum de Aegypto.* Respondemus: quo spectet commemoratio illius liberationis, modo exposuimus. Quod ad circumcisionem attinet, ejus itidem in vera poenitentia ac precibus mentionem fecerunt, tum explicitam, ut paulo post exemplo Davidis et Jonathanis demonstrabitur, tum implicitam, quotiescunque recordantur foederis cum patribus initi, illud enim per circumcisionem fuerat obsignatum et confirmatum.

2. Fideles Israëlitae ex circumcisione efficaces consolationes duxerunt.

157. 2. Secundo igitur loco pro nostra sententia sic concludimus: Baptismus in N. T. successit circumcisioni, Col. 2, v. 11. quod ergo circumcisioni tribuitur, id baptismo denegandum non est; non negabit hoc Bellarminus, cum statuat, *Israëlitis circumcisionem fuisse pro baptismo, quin et sacramenta N. T. longe majoris virtutis et efficaciae, quam V. T. sacramenta.* Jam vero fideles Israëlitae ex circumcisione, hoc est ex foedere Dei, in quod per circumcisionem recepti fuerant, efficaces consolationes in V. T. petierunt, ut testantur exempla Jonathae 1. Sam. 14, v. 6: *Transeamus ad castra illorum incircumcisorum* (nos sumus in foedere Dei, cujus signum gerimus in carne nostra, illi vero non sunt in hoc foedere; Deus ergo nobis aderit sua gratia et auxilio) ut et Davidis 1. Sam. 17, v. 26: *Quis ille Philistaeus incircumcisus exercitu Dei viventis maledicens?* Ergo etiam Christiani fideles ex baptismo, hoc est ex foedere Dei, in quod per baptismum recepti sunt, efficaces consolationes petere possunt. Bellarminus hoc argumentum non attingit. Declarabimus igitur illud verbis Lutheri serm. de S. Antonio tom. 2. Lat. Jen. f. 535: *Generale verbum promissionis contra omne malum, sive peccatum, sive mortem, sive tribulationem quamcumque, quicunque crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* etc. *hoc uno est maxime gaudendum, quia si in tribulatione quacunque hujus promissionis Dei memor fueris et sic dixeris contra diabolum: Ecce ego baptizatus sum et credo in Christum, adducendo mox illud: Quicunque crediderit et baptizatus fuerit* etc. *jam es vere in loco pacis et laetitiae et quietis. Si enim adhaeseris his verbis fortiter et non dubitaveris, ea esse vera, teque vere baptizatum, impossibile est, ut te peccatum vel mors vel diabolus superet aut contristet. Sic legimus de sancta quadam virgine, quae ad omnem tentationem cujuscunque mali non aliud opposuit, quam suum baptismum dicens brevi verbo ad Satanam et ad mala impugnantia sic: baptizata sum, quasi dicat: baptizata sum et credo, ideo nihil facis Satan, quia stat contra te invictissimae promissionis verbum: Qui crediderit* etc. *Majoricum martyrem Africanum sub Honorio raptum ad supplicium capitis propter confessionem evangelii nulla alia re magis confirmavit Dionysia, matrona pientissima, quam inculcatione foederis sanctissimi per baptismum cum sacrosancta Trinitate initi: Memento fili, te in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti baptizatum esse.* Vide plura inferius §. penult. hujus tractatus.

3. Fideles in N. T. consolationes ex baptismo hauserunt. IX. 189.

158. 3. Exempla fidelium in N. T. expresse testantur, quod foederis baptismalis recordatione se consolati fuerint, postquam a baptismo in peccata prolapsi et per veram poenitentiam ad Deum rursus conversi fuerunt. Inde sic concludimus. Si homines pii vere resipiscentes consolationibus ex pacto Dei in baptismo cum ipsis inito se erexerunt, sequitur, non aboleri penitus baptismi foedus per hominis lapsum. Sed verum prius. Ergo et posterius. Assumptum constat. Corinthii multis et gravibus peccatis contaminati fuerant, apostolus tamen ad baptismum eos iterum revocat. 1. Cor. 6, v. 11: *Abluti estis*, nimirum in baptismo. 1. Cor. 12, v. 13: *In uno Spiritu, in unum corpus baptizati sumus.* Galatas haud leviter lapsos itidem ex baptismo deducta consolatione apostolus erigit, Galat. 3, v. 27: *Quotquot baptizati estis, Christum induistis.* Hebr. 10, v. 22: *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei adspersi corda a conscientia mala et abluti corpus aqua munda.* Petrus abnegatione Christi gravissime peccaverat, idem tamen post conversionem de suo baptismo scribit 1. epist. 3, v. 21: *Baptisma nos salvat.* Bellarminus excipit, *1. locum Galat. 3. nihil ad rem facere, cum apostolus ibi non doceat, quomodo justificentur impii lapsi post baptismum, sed quod homines non justificentur circumcisione aliisque operibus legis, sed per fidem Christi, id quod probat, quia qui baptizantur, Christum induunt.* Respondemus: Galatae non discesserant a confessione Christi, sed fide et operibus simul justificari volebant a pseudo-apostolis seducti; illos in viam revocare satagens apostolus potenter evincit, non ex lege, sed ex evangelio; non ex operibus, sed ex fide esse justificationem, de quo late egimus in tractatu de justificatione. Quodsi esset alia justificationis ratio in baptismo, alia vero post baptismum, quomodo Galatas ad baptismum revocaret apostolus in praeclara illa de gratuita justificatione per fidem disputatione? *2. Paulum 1. Corinth. 12. tantummodo dicere, nos esse unum corpus, quia in uno Spiritu baptizati sumus, neque quidquam addere de lapsis justificandis post baptismum.* Respondemus: Si Corinthii in gravia peccata prolapsi consolatione ex baptismo deducta in vera ad Deum conversione ab apostolo eriguntur, utique virtus et efficacia baptismi ipsorum respectu nondum erat plane irrita et abolita. Sed verum prius. Ergo et posterius. *3. Etsi baptismus promittat salutem per Christum et quicunque post quemcunque lapsum justificatus per Christum justificetur, non tamen inde sequi, eos justificari per baptismum, qui post baptismum lapsi sunt. Nam latius patet justificari per Christum quam justificari in baptismo per Christum, cum etiam sacramenta poenitentiae et eucharistiae et cetera salutem promittant per Chri-*

Exceptiones Bellarmini.

stum. Respondemus: acceptamus hoc, quod lapsi post baptismum non minus quam baptizati, non aliter quam per Christum justificari possint et debeant. Jam vero per Christum justificari non est suis meritis et satisfactionibus pro peccatis Deum placare velle, sed fide Christum et ipsius beneficia amplecti ac gratuitam peccatorum remissionem propter ipsum consequi. De illis vero, qui in operibus justificationem quaerunt, graviter pronuntiat apostolus Gal. 5, v. 4: *Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini, a gratia excidistis.*

4. Scriptura de efficacia baptismi loquitur verbis in praeterito, praesenti et futuro.

159. 4. Scriptura de virtute et efficacia baptismi loquitur verbis in praeterito, praesenti et futuro, ut ostendat, baptismi efficaciam non esse restringendam ad illud temporis momentum, in quo baptizamur, sed per totam vitam se extendere. 1. Tit. 3, v. 5: *Salvos nos fecit*, ἔσωσεν ἡμᾶς, *per lavacrum regenerationis.* Galat. 3, v. 27: *Quotquot baptizati estis, Christum induistis.* (En tempus praeteritum!) 2. 1. Petr. 3, v. 21: *Baptismus nos salvat*, ἡμᾶς νῦν σῴζει (nos sive jam pridem, sive dudum baptizatos post lapsum resipiscentes baptismus salvat.) Ephes. 5, v. 26: *Christus mundat ecclesiam lavacro aquae in verbo.* (En tempus praesens!) 3. Marc. 16, v. 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Quisquis per baptismum in foedus Dei receptus in vera fide perseveraverit, vel post lapsum per veram poenitentiam ad Deum conversus fuerit,
IX. 190. salvus erit. (En tempus futurum!) Huc pertinet, quod Rom. 6, v. 3. *in mortem Christi baptizati* dicimur, fundatur igitur baptismi efficacia in morte Christi; jam vero mors Christi non solum praeterita, sed omnia omnino peccata expiavit, 1. Joh. 1, v. 7: *Sanguis Domini nostri Jesu Christi emundat nos ab omni peccato;* utique ergo ex baptismo peti potest consolatio, si in peccata prolapsi per poenitentiam ad Deum convertimur. Sic baptismus vocatur *lavacrum renovationis* Tit. 3, v. 5. jam vero renovatio in baptismo incipit et per totam vitam durat. Inde Basilius in exhort. ad bapt. pag. 445. *in baptismo non solum praeteritorum remissionem, sed et futurorum dona proponi* asserit. Augustinus lib. 1. de nupt. et concup. c. 26: *In eis qui regenerantur in Christo, cum remissionem accipiunt prorsus omnium peccatorum, utique necesse est, ut reatus etiam hujus licet adhuc manentis concupiscentiae remittatur, ut in peccatum non imputetur.* c. 33: *Quod Paulus ait, mundans eam lavacro aquae in verbo, sic accipiendum est, ut eodem lavacro regenerationis et verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundentur atque sanentur, non solum praeterita peccata, quae omnia nunc remittuntur in baptismo, sed etiam quae posterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur, non ut baptismus, quoties peccatur, toties repetatur; sed quia ipso, quod semel datum est, fit, ut non solum antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur.* Et paulo ante: *Eadem regeneratione, quae nunc fit per sacrum lavacrum, usque in finem cuncta mala hominis purgantur atque sanantur.* Idem tract. 124. in Johan. circa med.: *Credentes in Christum per lavacrum regenerationis soluto reatu omnium peccatorum et originalis videlicet, contra quam maxime regeneratio est instituta et ceterorum, quae male agendo contracta sunt, liberantur a damnatione perpetua.* Unde Alphonsus Salmeron tom. 13. p. 487. citatis his Augustini locis diserte concludit, *baptismo non tantum praeterita, sed etiam futura remitti peccata.* Nazianzenus orat. 40. in s. bapt. pag. 642: *Si te luminis persecutor et tentator* (τοῦ φωτὸς διώκτης καὶ πειραστής) *post baptismum adortus fuerit, ut certe adorietur, habes quo eum superes; ne certamen reformides, aquam adversus eum appone, Spiritum appone, in quo ignita omnia pravi illius tela exstinguentur. Spiritus quidem est verum dissolvens montes; aqua quidem est, sed quae ignis exstinguendi vim habet*, πυρὸς σβεστήριον.

Exceptiones Bellarmini. 1. Contra locum Marc. 16.

160. Excipit Bellarminus, *1. locum Marc. 16. accipi vel de salute in re, hoc est de ipsa gloria sempiterna, quae non est effectus, sed finis baptismi, vel de salute in spe, hoc est de ipsa gratia justificationis, quae est tantum peccatorum praeteritorum, non autem futurorum, quemadmodum qui dicit: Si hoc pharmacum acceperis, curaberis; indicat curationem secuturam post medicinam, sed eam curationem esse morbi contracti, non autem postea contrahendi.* Respondemus: salus et vita aeterna non solum finis est, sed etiam effectus baptismi. Per baptismum enim *induimus Christum* Gal. 3, v. 27. Jam vero *qui habet Christum*, habet vitam aeternam, 1. Joh. 5, v. 11: *Vitam aeternam dedit nobis Deus, et haec vita in Filio ejus est;* v. 12: *qui habet Filium, habet vitam.* Proinde ut Christus in futuro dicit: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit;* ita Petrus in praesenti dicit: *Baptisma nos salvat.* Exempla infantum, qui statim post baptismum moriuntur, expresse testantur, non solum salutem in spe, sed etiam salutem in re esse non solum finem, sed etiam effectum baptismi. Paulus asserit, *nos baptizari in mortem Christi* Rom. 6, v. 3. hoc est per baptismum nos fieri participes beneficiorum mortis Christi, quae sunt gratia Dei, remissio peccatorum et vita aeterna. Baptismus est *lavacrum regenerationis et renovationis* Tit. 3, v. 5. Jam vero ubi regeneratio et renovatio, ibi vita aeterna. *2. Petrum, cum loquitur de tempore praesenti, non comparare baptismum cum peccatis, sed tempus Christi cum tempore Noae, hoc sensu: sicut tempore Noae diluvium salvos fecit octo homines* IX. 191.
per arcam, ita nunc tempore Christi salvat baptismus credentes. Respondemus: comparationem inter arcam Noae et baptismum institui non negamus, interim hoc urgemus, quod Petrus in gravissimum peccatum abnegationis prolapsus ex baptismo suo consolationem petit ac se ipsum jam olim baptizatum includit, cum de baptismi efficacia disserit: baptisma (inquit) nos salvat. *3. Vocabulum mundans Ephes. 5. non referri ad singulos homines, sed ad varios, qui unam constituunt ecclesiam.*

2. Contra locum 1. Petr. 3.

3. Contra locum Ephes. 5.

Christus enim quotidie mundat ecclesiam lavacro aquae, quia quotidie aliqui baptizantur, omnes tamen cum baptizantur, mundantur a peccatis praeteritis, non autem futuris. Respondemus: quid interim fiet Augustino, qui diserte ad futura peccata mundationem illam refert? Vidit hoc Bellarminus, ideo aliud quaesivit subterfugium: *Quodsi quis* (inquit) *referat ad singulos homines, tum dicendum est, baptismo purgari peccata futura non immediate, sed mediate, quia videlicet qui baptizatus est, per gratiam, quam in baptismo accepit, impetrat veniam peccatorum venialium, quae postea facit, si eam petat, et praeterea per baptismi characterem jus habet ad sacramentum poenitentiae, quo peccata etiam mortalia purgantur, quod sacramentum percipere non possunt, qui baptismo carent;* quo refert Bellarminus illud Augustini epist. 23. ad Bonif.: *Semel acceptam parvulus Christi gratiam non amittit nisi propria impietate, si aetatis accessu tam malus evaserit, tunc enim etiam propria incipiet habere peccata, quae non regeneratione auferantur, sed alia curatione sanentur.* Respondemus: nequaquam dicimus, per baptismum futura purgari peccata, quocunque se modo baptizati gerant, sed requirimus, ut in vera poenitentia, fide et novitate vitae perseverent, vel etiam in peccata infirmitatis prolapsi per veram poenitentiam resurgant, quo respicit Augustinus, quando peccata actualia graviora post baptismum commissa non regeneratione, sed alia curatione sanari oportere asserit. Sano igitur sensu concedimus, baptismo purgari peccata futura non immediate, sed mediate, quia videlicet qui baptizatus est per gratiam, quam in baptismo accepit, obtinet remissionem peccatorum venialium, quae postea facit, si eam petat, et praeterea per veram poenitentiam redire potest ad foedus gratiae, in quod per baptismum olim receptus, et hac ratione etiam mortalium peccatorum remissionem impetrare. Beda lib. 1. in Esdr. c. 3: *In hujus perfectione fidei et generaliter omnis ecclesia per baptisma a morte suscitatur peccatorum et cum post baptisma denuo mortem peccati incurrimus, per eandem necesse est fidem poenitendo resurgamus. 4. Apostolum Rom. 6. non docere, quomodo remittantur peccata post baptismum, sed quomodo cavere debeant, dicit enim, per baptismum hominem mori peccato, ut deinceps vivat Deo, proinde hominem semel renatum omni diligentia cavere debere, ne iterum inquinetur.* Respondemus: duplici modo in mortem Christi baptizari dicimur; tum quia per baptismum participes reddimur beneficiorum mortis Christi, quae non sunt restringenda ad momentum baptismi, sed extendunt sese ad totam hominis vitam; tum quia per baptismum morimur peccato, ut deinceps vivamus Deo; atque hic renovationis effectus itidem per totam vitam durat. Lutherus tom. 2. Lat. f. 287: *Nunquam fit baptismus irritus, donec desperans ad salutem redire nolueris, aberrare quidem ad tempus poteris a signo, sed non ideo irritum est signum; ita semel baptizatus es sacramentaliter, sed semper baptizandus fide, semper moriendum semperque vivendum.*

4. Contra locum Rom. 6.

161. Atque haec sunt potiora sententiae nostrae fundamenta, secundaria constitui possunt alia, utpote: Si efficacia baptismi non extendit se ad futurum, sequetur, hypocritarum baptismum esse iterandum. Consequens improbatur c. Nullus autem dist. 4. de consecr. ex Augustino lib. 2. contra Parmen. c. 13. Item: si baptismi efficacia non extendit se ad futurum, satius fuerit ad finem vitae cum clinicis baptismum differre quam in prima aetate illum suscipere. Quae de puritate Christi per baptismum nobis communicata et potestate clavium, quae a baptismo separari non possit, ex Calvino Bellarminus affert, ea non probant directe et principaliter quaestionem propositam; referenda igitur sunt ad hunc scopum, quod praedicatio poenitentiae, annuntiatio evangelii, ministerium clavium et usus coenae Dominicae non proponant nobis post lapsum aliam et novam tabulam, post fractam et dissolutam baptismi arcam, ad reconciliationem cum Deo et ad salutem diversam ab ea, quae in baptismo nobis per promissionem Dei oblata, donata et obsignata fuit, sed tantum sint media, per quae vel in gratia baptismi confirmamur, vel ad eam post lapsum revertimur. Baptismus enim est perpetuum sigillum et testimonium, nos recipi in communionem et participationem beneficiorum Christi et gratiae Dei ad remissionem peccatorum, salutem et vitam aeternam, si promissionem fide apprehendamus et teneamus. **Urgemus insuper absurda, quae ex adversariorum sententia consequuntur: 1. Scripturam non recte loqui de effectu baptismi in futuro; 2. Deum in promissionibus esse inconstantem; 3. lapsum non habendum pro baptizato; 4. baptismum esse differendum usque ad mortem. Augustinus epist. 50. ad Bonif.: *Quidquid ab iis, qui post acceptum baptismum hic vivunt, infirmitate humana contrahitur quarumcunque culparum, propter ipsum lavacrum dimittitur.***

Secundariae nostrae sententiae fundamenta.

IX. 192.

162. Videamus argumenta, quae pro stabilienda contraria opinione Bellarminus affert. *1. Hebr. 6, v. 4: Impossibile est eos, qui sunt illuminati, iterum renovari ad poenitentiam; ubi apostolus dicit, lapsos post baptismum non posse renovari ad poenitentiam; quomodo renovantur, qui baptizantur, ut Ambrosius, Chrysostomus et alii exponunt?* Respondemus: loquitur apostolus de peccato in Spiritum s. ut omnes loci circumstantiae ostendunt et clarissime demonstratum fuit in tractatu de peccatis actualibus §. 109. Qui renovationem ad poenitentiam de baptismo accipiunt, nobiscum non pugnant; negant enim, baptismum post lapsus repetendum esse, id quod et nos negamus; inde vero haudquaquam sequitur, poenitentibus non esse propositam consolationem in promissione gratiae, quae in baptismo ipsis fuit data et obsignata. Bellarminus hoc urget, *quod apostolus non dixerit, impossibile esse, eos iterum baptizari, sed impossibile, eos iterum renovari ad poenitentiam, scilicet baptis-*

Argumenta Bellarmini, 1. Hebr. 6: Impossibile est eos etc.

malem. Respondemus: non in genere de omnibus quocunque modo prolapsis, sed de illis, qui peccant in Spiritum s. apostolus loquitur, eos ad poenitentiam renovari posse negat, quia scilicet medium, per quod Spiritus s. poenitentiam operatur, proterve repudiant. Perinde uti Christus Matth. 12, v. 32. peccatum in Spiritum s. *in hoc et futuro seculo remitti negat.* De poenitentia quadam baptismali, hoc est distincta ab ea, quae post baptismum agitur, altum in Scripturis silentium, quae unam solummodo veram poenitentiam agnoscunt. Vide tract. de poenit. §. 16.

2. Patres peccantibus post baptismum graves labores imposuerunt. *2. Patres peccantibus post baptismum imposuerunt gravissimos labores.* Respondemus: non eo fine, ut illis coram Deo promererentur gratiam Dei et remissionem peccatorum, sed ut ecclesiae satisfacerent atque ipso facto ostenderent, se vere et serio ob admissa peccata dolere, utque reliqui his spectaculis ad peccata majori studio vitanda ac declinanda excitarentur. Hieronymus in c. 6. Matth:: *Fateor, longe aliam esse rationem de criminum poenitentia et satisfactione, de qua ecclesia, quando laesionem accepit et offensa est, publice suum judicium interponit indicens satisfactionem publicam et graviorem, ut innotescat omnibus vere poenitere, qui promto*
IX. 193. *animo suscipiant, quidquid ecclesia decreverit.* Augustinus in enchirid. ad Laurent. c. 65: *Quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri* etc. *recte constituuntur ab his, qui ecclesiae praesunt, tempora poenitentiae, ut fiat etiam satis ecclesiae,*
3. Aequitas non patitur, ut qui post baptismum peccent, aeque facilem viam habeant ad gratiam. *in qua remittuntur ipsa peccata. 3. Nulla aequitas patitur, ut aeque facilem viam habeant ad gratiam Dei, qui peccant ante baptismum et qui post baptismum, cum illi Deum ignorarent, isti nossent; illi gratiam non haberent, isti haberent.* Respondemus: remissio peccatorum cum ex mera Dei gratia et Christi satisfactione proficiscatur, non est aestimanda ex peccatorum quantitate vel qualitate; ac Spiritus sanctus non solum ante baptismum, sed etiam post baptismum lapsos ad unicam Christi satisfactionem in ara crucis propositam deducit; nuspiam vero talem differentiam statuit, ut remissionem peccatorum in baptismo gratuitam esse dicat, pro illis vero, quae post baptismum committuntur, proprias satisfactiones exigat. Vide tract. de poenit. §. 128. memb. 3. Nec vero baptizatorum poenitentia adeo facilis et levicula, ut Bellarminus somniat, cum non sufficiat nuda et historica baptismi recordatio, sed requiratur insuper peccatorum et irae Dei illis promeritae vera ac seria agnitio, serius dolor, tremor, pavor etc. quo pertinent omnes descriptiones verae et seriae contritionis in Scripturis propositae, quibus psalmi Davidici sunt refertissimi. Et quid? num catechumeni etiam ante baptismum non noverunt Deum? an destituuntur omni gratia? Regerit Bellarminus: *Etsi catechumeni ante baptismum Deum per fidem noverunt, saepe etiam caritate flagrant; tamen haec omnia ad gratiam baptismi pertinent. Nam et catechismi doctrina dispositio ad baptismum est et gratia illa atque caritas, quae interdum in catechumenis reperitur, ex voto baptismi procedit.* Respondemus: fingere hoc est et pingere, non autem serio de articulis fidei disserere. Quomodo fides et caritas catechumenorum ex baptismo procedere vel ad baptismum referri potest, cum illum nondum susceperint? Negat Bellarminus, baptismi efficaciam extendere se in futurum, et hoc loco pronuntiat, baptismum illis prodesse, qui eum nondum susceperunt. Fides et reliqua Spiritus s. dona in catechumenis ex auditu et meditatione verbi oriuntur, quae postea in baptismo et per baptismum in illis augentur, confirmantur et obsignantur. Qui ergo ante baptismum peccant, cum in lumine fidei peccent, non minus tenerentur pro peccatis suis satisfacere, quam qui post baptismum peccant, si propriae satisfactiones a Deo exigerentur. Ignorantia non excusat, cum sit per peccatum attracta. 1. Tim. 1, v. 13 Paulus non excusat peccatum suum, sed obstinationi Pharisaicae ignorantiam illam opponit. Justinus in apol. 2. p. 73. et Tertullianus de baptismo etiam catechumenis ante baptismum jejunia imposita fuisse referunt; jam vero ex hypothesi Bellarmini jejunium est satisfactorium. Ergo et catechumenis satisfactiones fuissent impositae. Res eo redit, monstretur vel ex unico Scripturae pronuntiato talis differentia inter peccata ante baptismum et post baptismum commissa, quod illorum remissio sit gratiae beneficium, horum vero condonatio nostrorum operum ac propriarum satisfactionum meritum.

163. Lib. de poen. cap. 13. allis Bellarminus utitur fundamentis: *1. Circumcisio data fuit Judaeis in figuram baptismi. At nusquam praescribitur memoria circumcisionis tanquam remedium peccatorum post circumcisionem perpetratorum, sed sacrificia, expiationes, confessio peccatorum.* Respondemus: non est necesse nihilo plus in re significata, quam in signo reperiri. Bellarminus ipse disputat, circumcisionem non profuisse ex opere operato, non contulisse gratiam, non esse datam, ut justificaret etc. quae tamen omnia baptismo tribuit. Neque dicimus, nudam baptismi vel circumcisionis memoriam esse remedium peccatorum in baptizatis et circumcisis, sed foedus Dei in baptismo nobiscum initum ex IX. 194. Alia Bellarmini fundamenta alibi proposita. 1. Memoria circumcisionis non fuit remedium peccatorum.
parte Dei manere ratum ac firmum, nec everti penitus per nostram incredulitatem, redire autem nos ad foedus illud per veram ac seriam poenitentiam asserimus. Porro illa poenitentia lapsorum post baptismum non est nova quaedam pactio, sed ad priorem pactionem regressio ac vera et integra in possessionem amissae gratiae et salutis restitutio; id quod declarari potest similitudine adulteri et nautae, quorum ille salvis et minime iteratis sponsalibus foedus conjugale violatum instaurare; hic in navim, e qua excidit, iterum recipi potest, navi similiter semper salva et integra. Probavimus autem superius exemplis Davidis ac Jonathanis, quod pii veteres non minus ex circumcisione in V. T. quam nos ex baptismo in N. T. efficaces consolationes petierint. Sacrificia V. T. non profuerunt ex opere operato sine fide, sed fuerunt typi Christi, ut suo

2. Johannes 1. epist. 1. ad confessionem peccati nos revocat.

loco ostendimus. *2. Johannes 1. epist. 1. loquens de remedio peccatorum, quae baptizati in dies committunt, non ait: si baptismum ad memoriam revocaverimus, sed: si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra.* Respondemus: opponuntur ea, quae sunt sibi invicem subordinata. Contritio enim et fides, cum sint essentiales poenitentiae partes, sese invicem non tollunt; humilis confessio peccatorum pertinet ad contritionem, memoria baptismi confirmat fidem in promissionem gratiae.

3. Exempla lapsorum post baptismum testantur contrarium.

3. Cum in Scriptura legamus exempla earum, qui post baptismum lapsi sunt, ut Simonis Actor. 8. et Corinthii incestuosi 1. Cor. 6. nusquam tamen legimus, eos remissos fuisse ad memoriam baptismi. Respondemus: est insufficiens enumeratio exemplorum. Ostendimus superius Galatas, Corinthios et Petrum post baptismum in peccata prolapsos consolationem ex baptismo petiisse.

4. Sequetur minori facilitate lapsos post baptismum ad gratiam pervenire.

4. Ex nostra sententia sequeretur, non eadem, sed quod longe absurdius, majori facilitate ad veniam pervenire eos, qui scienter post fidem et baptismum, quam qui ignoranter in incredulitate peccassent; facilius enim est baptismum olim acceptum ad memoriam revocare quam re ipsa iterum baptizari. Respondemus: hypothesis argumenti est falsa, quasi scilicet statuamus, sola memoria baptismi ad veniam peccatorum perveniri, cum veram ac seriam poenitentiam in lapsis post baptismum diserte requiramus.

5. Sequetur adultos solum baptizandos.

5. Consequens fuerit, non debere nisi adultos baptizari, nam alioqui incertissima erit justificatio, quippe quae ab hominum testimonio pendeat, neque enim qui infantes baptizantur, cum postea adoleverint, baptizatos se fuisse recordantur. Respondemus: baptismus confertur publice in coetu Christianorum, quorum testimonium non potest repudiari; eodem fine etiam adhibentur patrini, tanquam testes baptismi; sed et annales ecclesiastici baptizatorum album complectuntur et ipsum cujusque nomen de baptismo fert testimonium. Accedit obsignatio Spiritus s. qui est arrhabo hereditatis nostrae et συμμαρτυρεῖ spiritui nostro, quod simus filii Dei per fidem.

6. Tolletur frequentatio eucharistiae.

6. Tolletur hac ratione eucharistiae frequentatio, cum ita sufficere possit memoria spiritualis cibi aliquando gustati, quemadmodum memoria sufficit lavacri aliquando percepti; vel si ridiculum est, ita memoriam cibi ad saturitatem prodesse, ut cibus ipse prodest; cur non sit etiam ridiculum, ita memoriam lavacri ad maculas eluendas conferre, ut lotio ipsa confert. Respondemus: non dicimus, sola baptismi recordatione purgari peccata, sed fidem in vera ac seria poenitentia amplecti promissionem gratiae in foedere baptismi obsignatam, in cujus confirmationem sacrosanctae eucharistiae usus a Christo institutus est. Facessant igitur ineptiae de memoria cibi ad saturitatem ac memoria lavacri ad lotionem sufficiente Bellarmini ingenio indignae.

IX. 195. Objectum baptismi.

164. Atque haec dicta sint de causis baptismi, tum internis, materia scilicet et forma, tum externis, efficiente scilicet ac fine et effectis; restat ut *de objecto* hujus sacramenti disseramus, ubi primo omnium dicimus, ***homines vivos*** esse baptismi objectum ac proinde quod non est in censu ac numero hominum vivorum, illi baptismus non est conferendus.

Sunt homines vivi.

1. In baptismi institutione tantummodo fit mentio hominum. Matth. 28, v. 19: *Euntes docete omnes gentes et baptizate eos.* Ergo ab hoc institutionis divinae capite non est discedendum. 2. Johannes Baptista et apostoli non nisi vivos homines baptizarunt, ut constat ex evangelistarum et actorum apostolicorum scriptis. 3. Quemadmodum Deus propter homines se in verbo revelavit; ita quoque non nisi propter hominum salutem sacramenta instituit; illis igitur solis administranda erunt. Gen. 17, v. 12. circumcisio viventibus adhiberi praecipitur; idem judicium de agno paschali Exod. 12, v. 4. 22. 4. Sacra coena tantum datur viventibus, ex Christi institutione Matth. 26, v. 26. etc. Idem ergo in administratione baptismi observandum. 5. Baptismus mortuis collatus plane inutilis et inefficax, cum quilibet judicetur a Deo *et referat ea, quae per corpus in vita egit* 2. Cor. 5, v. 10. *Baptismus est lavacrum regenerationis et renovationis* Tit. 3, v. 5. Jam vero soli homines viventes regenerationis et renovationis sunt capaces, non mortui, nec alia inanimata.

Errores circa objectum baptismi. 1. νεκροβαπτισμός.

165. Improbandus igitur 1. baptismus mortuorum. *Cerinthiani* referente Epiphanio haeres. 28. contra Cerinth. mortuos baptizarunt freti pravo intellectu verborum apostoli 1. Cor. 15, v. 29: *Quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis,* ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, *si omnino mortui non resurgunt? cur igitur baptizantur pro mortuis?* Atqui haec consuetudo baptizandi mortuos apud quosdam in primitiva ecclesia usitata fuit, ut apparet ex conc. Carthag. 3. c. 6. Pontificii mortuos et sepulcra adspergunt aqua lustrali. Chrysostomus homil. 1. in Act. refert a quibusdam suo tempore etiam mortuis infusam baptismi aquam, quod ibi reprehendit ac docet, *hoc nihil esse aliud quam sancta in terram projicere.* Marcionitae referente Tertulliano libr. 5. contra Marc. habebant vicarium quendam baptismum, qui vivis conferebatur loco mortuorum non baptizatorum in testimonium articuli de resurrectione mortuorum. Sed nec Cerinthianorum, nec Marcionitarum νεκροβαπτισμὸς ex verbis apostoli probari potest, quorum ille pugnat cum institutione et fine baptismi, hic vero cum manifestis Scripturae dictis, *justus sua fide vivet; impossibile est Deo placere sine fide; lignum ubi ceciderit, permanebit* etc.

IX. 196.

Explicatio loci 1. Cor. 15, v. 29 Qui baptizantur super mortuos.

Neque vero dicit apostolus, si mortui non resurgunt, quare baptizantur mortui, id quod specie quadam pro νεκροβαπτισμῷ urgeri posset, sed quid faciunt illi, qui baptizantur ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, super mortuos. 1. Quidam igitur verba apostoli accipiunt de baptismo clinicorum. Catechumeni in praesentissimo mortis periculo constituti ac pro mortuis magis quam vivis, cum baptizarentur, habiti, propterea quod lecto ita affixi essent, ut de eorum vita desperaretur; κλινικοὶ παρὰ τὸ κλίνειν appellati fuerunt teste Cypriano lib. 4. epist. 7. et Epiphanio contra Cerinth. p. 54. Hanc sententiam proponit Calvinus eamque ut sim-

plicissimam approbat Marloratus. Sed morem illum temporibus apostolorum usitatum fuisse incertum est, et denuo repetimus, apostolum nequaquam dicere, quid faciunt, qui baptizant mortuos, sed qui baptizantur super mortuos. 2. Quidam dicunt, non factum, sed finem facti, hoc est non ipsam consuetudinem baptizandi mortuos, sed finem et scopum illius baptismi ab apostolo probari, adhibebatur enim in testimonium articuli de resurrectione.** Bellarminus lib. 1. de purgat. c. 6: *Non dari potest huic loco 1. Cor. 15.* Quid facient *aptior expositio, quam si per baptismum intelligamus opera poenitentiae et afflictiones, quae viventes suscipiunt pro animabus defunctorum.* Alfonsus de Castro lib. 3. adv. haeres. verbo baptismus haeres. 3: *Theophylactus locum illum exponens ait: Porro qui erant baptismum accepturi, integra pronuntiabant fide symbolum moxque et illud*: Credo mortuos resurrecturos. *Inquit itaque Paulus, qui futuram credunt mortuorum corporum resurrectionem sub speque hujusmodi sunt baptizati quidnam sint, cum eis Christus sit occursurus, acturi? Quid praeterea resurrectionis gratia prorsus homines baptizantur, hoc est pro resurrectionis exspectatione, si mortui non resurgunt? Haec Theophylactus, juxta quem tantum valet pro mortuis baptizantur, ac si diceret, pro resurrectionis exspectatione baptizantur. Verum quoniam haec expositio nimis coacta est multumque a litera recedens, ideo aliter juxta sententiam Ambrosii respondetur, qui meo judicio multo melius et literae proximius exponit. Sic enim exponit Alioqui quid facient qui pro mortuis baptizantur, si omnino mortui non resurgunt? Quid et baptizantur pro illis? Ambrosius. In tantum ratam et stabilem vult ostendere mortuorum resurrectionem, ut exemplum det eorum, qui tam securi erant de futura resurrectione, ut etiam pro mortuis baptizarentur. Si quem forte mors praevenisset, timentes, ne aut male, aut non resurgeret, aut qui baptizatus non fuerat, vivus nomine mortui tingebatur, unde subjecit:* Quid et baptizantur pro illis? *exemplo hoc non factum illorum probat, sed fixam fidem in resurrectione ostendit. Quid et nos periclitamur omni hora? quotidie morior* etc. *Dicendo:* Quid et nos periclitamur? *discrevit personas ostendens, non Catholicos esse, qui pro mortuis baptizabantur. Denique supra dixit,* ut quid baptizantur pro illis. *Numquid dixit, et baptizamur pro illis. Huc usque Ambrosius. Ex hujus itaque praeclara expositione patet, consuetudinem illam, quam Theophylactus adscribit Marcionitis, ut vivus pro mortuo baptizaretur, tempore Pauli esse jam ab aliquibus introductam, quamvis non approbatam.* Scaliger in notis ad N. T.: *Aliud est ὑπὲρ νεκρῶν βαπτίζεσθαι, si ita diceretur, aliud ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, ut aliud ἀνάστασις τῶν νεκρῶν, aliud ἀνάστασις νεκρῶν, quomodo in articulis fidei pronuntiamus. Nam in canone fidei dicimus, πιστεύω νεκρῶν ἀνάστασιν, quia credimus omnes resurrecturos. Sed qui loquitur de resurrectione patris, matris et sororis, ille dicit, πιστεύω τῶν νεκρῶν ἀνάστασιν καὶ τοὺς νεκροὺς ἀναστήσεσθαι, nimirum intelligit eos, de quibus tunc tantum sentit, patre, matre, sorore. Adjectio articuli* (τῶν) *ἐμφατικὴ est καὶ ὁριστική, ast absentia articuli est ἀόριστος. Et sine articulo omnes νεκροὶ comprehenduntur, cum articulo illi et illi tantum οἱ δεῖνα καὶ οἱ δεῖνα. Ergo οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, hoc est οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν δεῖνα νεκρῶν, super quibusdam mortuis. Deinde non dixit apostolus: τί ποιήσομεν ἡμεῖς οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, sed τί ποιήσουσι. Non ergo Paulus, neque omnes, sed quidam pro quibusdam mortuis baptizabantur. Si non Paulus, neque omnes. Ergo non bene qui hoc faciebant. Solos igitur, qui hoc faciebant, notat et de illis paulo post dixit v. 34: ἀγνωσίαν θεοῦ τινες ἔχουσιν. Et ne alibi quaerendi essent quam in ipsa Corinthiorum ecclesia, πρὸς ἐντροπὴν, inquit, ὑμῖν λέγω. Ejusmodi igitur fuerit et unde consuetudo ista vindicamus. Omnes veteres Christiani etiam infra aetatem Augustini putabant, animas tam piorum quam impiorum in centro terrae tanquam in quodam conceptaculo exspectare diem judicii, quod candid. Tertullianus eleganter dixit, in candida exspectare diem judicii, ut candidati magistratum ambientes exspectabant suffragia tribuum aut centuriarum* etc. *praerogativam tamen dant martyribus, quos uno saltu recta in paradisum deferri volunt* etc. *Quum igitur ita animati essent de carcere animarum piarum, impiarum, magna incessebat eos homines sollicitudo carorum suorum, qui jam defuncti in ea loca penetraverant super suspiriis et anxio desiderio, quo putabant eos conflictari, exspectantes in candida diem judicii, ut Tertullianus loquitur. Ita unusquisque satagebat pro fratre, patre, sorore defunctis et annua die offerebat pro illis; et ut ait Tertullianus, adpostulabat aliquod refrigerium in die resurrectionis* etc. *Putabant igitur annua die orandum aliquod refrigerium suis quamdiu exspectabant diem judicii in illis speluncis terrae abditissimis, ac pro eodem eorundem refrigerio baptizabantur, idque annua die, Calendis scilicet Februarii, ut constat ex Tertulliano lib. 4. contr. Marc. ubi calendis Februariis et baptizari solitos in spem resurrectionis et munuscula pro caris peti solita dicit, apostolum vero illius insaniae auctorem aut adstipulatorem negat. Ex illo igitur more argumentum ducit apostolus. Nam quamvis mos ille improbandus esset, tamen si baptizantur pro mortuis, ut refrigerium habeant in die resurrectionis, quomodo ergo sui obliti a se dissentiunt et resurrectionem negant? Ideo autem calendas Februarii huic baptismo destinarunt, quia putabant, Christum eo die baptismum a Johanne suscepisse.*** Sed hoc itidem videtur coactum, si IX. 197.
enim de consuetudine quadam vitiosa apostolus ageret, eandem in Corinthiis omnino improbaret. 3. Quidam de ipso resurrectionis articulo verba apostoli accipiunt hoc sensu, quod argumentum confirmationis hujus articuli petat apostolus ex generali et omnibus probata ac commendata consuetudine eccle-

siae, qua Christiani super articulum Credo resurrectionem mortuorum, baptizari consueverunt. Quae
IX. 204. enim hodie in baptismo usitata est symboli apostolici recitatio, eadem primitivae ecclesiae quoque in usu fuit, tum cum baptismus administraretur catechumenis; quasi dicat apostolus: si non est futura mortuorum resurrectio, quare baptizamini in fidem resurrectionis mortuorum? Vide Chrysostomum et Theophylactum in hunc locum. Sed et haec interpretatio videtur quodammodo coacta, cum in verbis apostoli articulus resurrectionis sit conclusio probata, non autem argumentum probans. 4. Quidam apostoli verba accipiunt de iis, qui mortem potius oppetere, quam baptismo carere voluerunt, hoc sensu: Si non est resurrectio, quid faciunt illi, qui baptizantur super mortuos, hoc est qui baptizantur morti jamdum a persecutoribus destinati? 5. Quidam referunt apostolica verba ad consuetudinem Judaeis usitatam abluendi corpora defunctorum, quae ad primitivae ecclesiae Christianos promanavit, ut patet ex Actor. 9, v. 37. et Eusebio lib. 7. histor. eccles. c. 21. ut hac ablutione testatum redderent, se credere resurrectionem corporum. 6. Quidam simpliciter ad finem baptismi hunc locum referunt, quod scilicet cum Christo *baptizemur in mortem*, ut resurrectionis ejus participes simus, Rom. 6, v. 4. et 5. quasi dicat apostolus: Si mortui non resurgunt, quare baptizamini, ut vetus homo exstinguatur et novus exsurgat. Sed in omnibus hisce explicationibus jure aliquid desiderari potest. Amplectimur igitur simplicissimam illam expositionem de ritu baptizandi Christianos ad sepulcra mortuorum, qui symbolum fidei fuit et confessionis de resurrectione mortuorum ac de collectione et consociatione baptizatorum vivorum spirituali cum membris unius ejusdemque corporis mystici, quin et publica professio de morte pro Christi gloria et articulo resurrectionis obeunda. **Clemens lib. 6. constitut. c. 30: *Congregamini in coemeteriis, legite libros sacros ac ad mortuorum tumulos psalmodias canite.*** Hunc autem morem in primitiva ecclesia receptum fuisse testatur epistola ecclesiae Smyrnensis apud Eusebium lib. 4. hist. eccles.
IX. 205. c. 15. Augustinus lib. 20. de civitat. Dei c. 9. et Lutherus in explic. hujus loci. Hanc interpretationem sequuntur Bucanus in loco de baptis. p. 643. Piscator in scholiis et alii.

1. Baptismus campanarum. 166. 2. Baptismus campanarum in papatu usitatus est **De quo vid. Martin. de Arles in tract. de superstit. num. 9. et 14. Concil. Colon. part. 9. c. 14. Petrum Messiam Hispalensem lib. 11. div. lectionum c. 9. Centuriatores cent. 10, c. 6. col. 294. Ansegreus in lib. 11. Franciscus lib. 4. c. 47. recitant constitutionem Caroli Magni, Episcopi glocas non baptizent. Bellarminus lib. 4. de Roman. pontif. c. 12: *Haeretici aut rem ipsam vel nomen baptismi campanarum reprehendunt. Si rem, aperte decipiuntur vel mentiuntur, non enim campanae revera baptizantur, sed solum benedicuntur et dedicantur divino cultui eo modo, quo templa, altaria, calices et alia sacra vasa, ut patet ex pontificali, ubi habetur benedictio campanae et nulla fit mentio baptismi.* Sed res ipsa testatur, quod longiorem apparatum, ambitiosiorem pompam, ceremonias plures, majoris momenti praecones, honoratiores ministros ad baptismum campanarum quam ad infantum baptismum requirant, unde Bellarminus dicto loco fatetur, *nomen baptismi non quidem a pontificibus, sed a vulgo campanarum benedictioni accommodari, quia vident, eas adspergi, eis nomina imponi, ablui, ungi, exorcizari.*** Maximilianus I. Roman. imperator statusque imperii in centum gravaminibus coram legato Pontificio in comitiis Norinbergae anno 1522. inchoatis, finitis vero anno 1523. gravamine 51. pie et prudenter de campanarum baptismo conqueruntur his verbis: *Suffraganei excogitaverunt, ut solum ipsi et nullus alius sacerdos laicis campanas baptizent. Credunt deinde simpliciores, ita affirmantibus suffraganeis, tales campanas baptisatas pellere daemones et tempestates. Quapropter innumeri plerumque adhibentur compatres, praecipue vero qui fortuna pollent, exorantur, qui baptizationis tempore funem, qua campana religata est, tangunt ac suffraganeo praecinente (quemadmodum in parvulorum baptisatione fieri solet) omnes pariter respondent ac campanae nomen ingeminant vesteque nova (quemadmodum et Christianis fieri solet) campana induitur, inde ad sumtuosa properatur convivia, quibus praecipue compatres, ut eo largius munera offerant, adhibentur nec non suffraganei et eorum capellani cum multis aliis ministris regaliter pascuntur. Nec hoc satis est, sed et suffraganeo mercedem persolvere necesse est, quam illi munusculum vocare solent; inde evenit, ut aliquando etiam in parvis villis centum floreni in tali absumantur et expendantur baptizatione, quae res non solum superstitiosa, sed etiam Christianae religioni contraria ac simpliciorum seductio et mera est exactio; veruntamen episcopi, ut suffraganeos vel vilissimos obaerare possint mercede, talia et adhuc absurdiora tolerant. Res itaque tam nefanda et illicita merito aboleri debet. Ceterum si conducere vocatur, ut campanae consecrentur (ita enim suffraganei baptisationem appellant, quoties a prudentioribus de hac re interpellantur), conveniens erit, ut talis consecratio per unumquemque fiat sacerdotum, quemadmodum cum aqua benedicta, sale, herbis et similibus fieri solet, idque absque pretio et expensa laicorum, ne populus simplex ita seducatur et damno afficiatur, nec non avaritiae detestandae praesumtio evitetur.* Haec Caesar et imperii ordines. De eodem baptismo campanarum sic scribit Wierus lib. 1. de praestig. daem. c. 9. et ex eo Johannes Wolfius lection. memorab. centen. 16. anno 1550. pag. 593: *Huc pertinent ludibria, quibus Satanas nostros homines etiam eo adegit, ut non sacro baptismo regenerationis lavacro ad Christi* IX. 206
solummodo membra pertinente et exorcismis tantum, ubi e sua sede deturbandus est daemon, ab illis, qui ejus pellendi singulare donum habent, applicandis, campanae et tintinnabula expientur sacrificenturque sponsoribus et testibus in sacrilegam

uberioris auri expiationem undiquecon vocatis, quum res illas inanimatas mortuasque e turribus a diabolo ablatum iri, simplicibus persuasum sit. Quin imo foveae et stagna ostenduntur, quae etiam vidi, si dignus sum, cui credatur, quo ejusmodi non baptisatas consecratasque campanas a daemone ex turribus proximis invectas esse asseveranter dicunt, audirique earum sonum nocturna hora duodecima in nativitatis Christi solennibus, vel etiam singulis quatuor anni temporibus, quas vocant, et eum commori, qui audierit, et si aliquem audire contingeret, is procul dubio a daemone ob impietatem illuderetur. Interim tamen hisce religionis nostrae praestigiis illi detinentur, nec ita pridem eo loco prope Abbatiam Knechtestein ductus sum, ubi firmiter adhuc creditur, hoc sacrilegium coram audivi, monstratur fovea turrisque ostenditur. Haec. Wierus. Ceterum hanc campanarum baptizationem instituisse a Balaeo scribitur Johannes XIII. qui magnam campanam ad Johannem Lateranensem de se denominari voluit; ac tribuitur baptizatis campanis singularis quaedam virtus et efficacia ad expulsionem omnis diabolici insultus, ad fuganda tonitrua et fulmina, ad salutem defunctarum animarum etc. Item campanae illae
IX. 207. tam sanctae sunt, ut, si ecclesia vel populus aliquis sub anathemate sit, signum illis dare magnum sit piaculum, ut a Bonifacio VIII. in cap. Alma mater §. Adjicimus de sentent. in 6. et Gregorio IX. in cap. Ea permittimus in decret. de sentent. excommunicat. statutum; ex gratia tamen singulari olim a pontifice indultum fuit Ave Maria tum pulsare, ut docet Johann. Calderinus in tractatu de interdictis p. 1. num. 97. **anno 1520. Venet. edit. lib. 2. de bened. camp.; anno 1595. Clementis VIII. pontificis Romani jussu pontificale Romanum restitutum et pulcherrimo charactere et elegantissimis picturis editum est cum praefixa ejusdem Clementis constitutione pro hujus libri auctoritate et approbatione. Ac licet in nova hac editione multa sint omissa, quae contra pontificem facere videbantur, haec tamen, quae de campanarum benedictione in priori editione habentur, intacta praetermittuntur.** Ritus in baptizatione illa adhibendos pontificale Romanum describit his verbis: *Imprimis debet campana ipsa ita suspendi et situari, ut commode possit intus et extra tangi, tractari et circuiri; deinde prope ipsam campanam paratur pontifici faldistorium* (sedes episcopalis), *vas aquae benedicendae, adspersorium, vas cum sale, lintea munda ad extergendam campanam, quando opus erit, vas olei sancti infirmorum, sanctum chrisma, thymiama, thus, myrrha et thuribulum cum igne. Diaconus etiam accipit amictum, albam, cingulum, manipulum, stolam et dalmaticam albi coloris. His ordinatis pontifex in sacristia aut alio convenienti loco paratus amictu, alba, cingulo, stola, pluviali albi coloris et mitra simplici, baculum pastoralem manu gestans venit prope campanam, ubi sedens super faldistorium ibidem sibi paratum dicit cum ministris psalmos 6*, scilicet 51. 54. 57. 67. 70 et 86. *tunc surgit pontifex et stans cum mitra benedicit sal et aquam* etc. *post salis et aquae benedictionem conceptis verbis factam et late ibidem descriptam ita orat pontifex: Benedic Domine hanc aquam coelesti benedictione et assistat super eam virtus Spiritus sancti, ut cum hoc vasculum ad invitandos ecclesiae filios praeparatum in ea fuerit tinctum, ubicunque postmodum sonuerit ejus tinnitus, procul recedat virtus insidiantium, umbra phantasmatum, incursio turbinum, percussio fulminum, laesio tonitruum, calamitas tempestatum omnisque spiritus procellarum, et cum clangorem illius audierint filii Christianorum, crescat in eis devotionis argumentum, ut festinantes ad piae matris ecclesiae gremium cantent ibi in ecclesia sanctorum canticum novum in laudes eorum, deferentes in sono praeconium tubae, modulationem psalterii, exsultationem organi, deprecantes Dominum coeli pro sceleribus et pro omnibus necessariis suis, quatenus invitare valeant in templo sancto tuo suis obsequiis et precibus multitudinem exercitus angelorum et intercedentibus omnium sanctorum meritis impetrare, quod poposcerint, mereantur, salvator mundi Deus, qui cum Patre* etc. *Posthaec pontifex mittat sal in aquam, in modum crucis semel, dicens: Haec commistio salis et aquae efficiant salutare sacramentum in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, quo facto super sal et aquam commixta dicat vers. Dominus vobiscum! Respondeatur: Et cum spiritu tuo. Deinde orant, ut hanc creaturam salis et aquae dignanter adspiciat, benignus illustret, pietatis suae rore sanctificet Deus, ut ubicunque adspersa fuerit per invocationem ejus sancti nominis, infestatio immundi spiritus abjiciatur terrorque venenosi serpentis procul pellatur. His peractis pontifex accepta mitra incipit lavare campanam cum dicta aqua et ministri prosequuntur lotionem, lavantes eam totaliter intus et extra, deinde cum linteo mundo extergunt, pontifice cum mitra sedente et cum aliis ministris dicente psalmum 146. 147. 148. et 149. Quibus finitis surgit pontifex cum mitra et cum pollice dextrae manus facit ab extra supra campanam de* IX. 208
oleo sancto infirmorum signum crucis; quo facto deposita mitra dicit orationem, ut Deus campanam suo sancto Spiritu sanctificet, ut, si auditur ejus sonitus, in hominibus crescat devotio et omne malum abigatur. Formula orationis haec est: Deus, qui per sanctum Moysen legiferum famulum tuum tubas argenteas fieri praecepisti, quas dum Levitae tempore sacrificii clangerent, sonitu dulcedinis populus monitus ad te adorandum fieret praeparatus et ad celebranda sacrificia conveniret, quarumque clangore etiam hortatus ad bellum tela prosterneret adversantium, praesta quaesumus, ut hoc vasculum sanctum tuae ecclesiae praeparatum a tuo sancto Spiritu per nostrae humilitatis servitium sanctificetur, ut per illius tactum et sonitum fideles invitentur ad sanctam matrem ecclesiam et ad praemium supernum. Et cum melodia illius

auribus insonuerit populorum, crescat in eis devotio fidei et amor spiritualis, procul pellantur omnes insidiae inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum, temperentur infesta tonitrua, ventorum flamina fiant salubriter ac moderate suspensa, prosternat aëreas tempestates dextra tuae virtutis, ut hoc audientes tintinnabulum tremiscant et fugiant ante crucis in eo depictum vexillum, cui flectitur omne genu coelestium, terrestrium et inferorum, quod ipse D. N. J. C. praestare dignetur etc. *Deinde pontifex accepta mitra extergit cum linteo crucem a se factam. Deinde inchoat schola prosequente antiphonam, deinde repetitur antiphona. Interim pontifex cum mitra stans facit cum pollice manus dextrae de oleo sanctorum infirmorum septem cruces exterius super campanam et de intus cum chrismate quatuor pari distantia, dicens, dum quamlibet crucem facit: Consecretur et sanctificetur Domine signum istud in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Pax tibi. Deinde iterum orat, ut Deus tintinnabulum coelesti benedictione perfundat, purificet, sanctificet et consecret* etc. *Tunc sedet pontifex et accepta mitra imponit in thuribulo thymiama, thus et myrrham, si haberi possunt, alioquin quae ex ipsis habentur; quibus impositis thuribulum ipsum supponitur campanae, ut totum fumum recipiat; deinde pontifex osculatur librum evangeliorum, tum producit super campanam benedictum signum crucis et reassumta mitra discedit.* Hi sunt ritus baptizandi campanas, ex qua descriptione facile intelligitur, quid statuendum sit de exceptione Stanislai Hosii, qui campanas a suis non baptizari, sed consecrari

IX. 209. dicit. Pertinet huc quod Alvearium examinis Pontificii refert, *Hispanos, cum Groeningam Frisiae pervenirent, vexilla seu signa sua baptizata chrismate inungi, adjurari, consecrari et benedici curasse et aliud Barbaram, aliud Catharinam et sic deinceps nominasse.*

3. Baptismus infantum nondum in lucem editorum.

167. 3. Improbandus baptismus infantum nondum in lucem editorum, uti et eorum, qui ex parte et non ex toto in lucem editi; illi enim cum non sint in hanc vitam nati, non possunt per baptismum renasci juxta regulam antiquitatis: *Non potest quisquam renasci, antequam sit natus.* Augustinus epist. 57. ad Dard. Isidorus lib. 1. de summ. bono c. 4: *Qui in maternis uteris sunt, ideo baptizari non possunt, quia qui natus adhuc secundum Adam non est, secundum Christum non potest renasci, neque regeneratio dici potest, quam generatio non praecessit.* Lombardus lib. 4. sent. dist. 6. §. 2. quam approbat Lutherus tom. 12. Witteberg. p. 292. et in colloq. mensal. p. 173. Ut ergo recte statutum c. Quod in maternis dist. 4. de consecr. *quod in utero matris totaliter exsistens non sit baptizandus*, ita minus recte disputat Petrus Aureolus lib. 4. sent. dist. 5. qu. 1. quodsi *pars aliqua principalis extra appareat, baptizari possit.* Quid vero statuunt, si appareat pars minus principalis, puta pes vel manus? Aureolus existimat, non esse baptizandam. Landulphus contra statuit, quod sit baptizanda; interim tamen si infans totaliter postea nascatur, iterum baptizandum esse hoc modo: *Si tu non es baptizatus, ego te baptizo.* Cardin. in Clement. fidei de summ. Trinitat. concedit, baptizandum esse infantem, si aliqua ex parte in lucem editus, sed addit, non nisi extrema necessitate id permittendum. *Multiplex est opinio doctorum* (inquit summa angelica in verbo baptis. membr. 6. qu. 3.) *in hac quaestione, sed tu tene opinionem Landulphi, quae securior est et valde pia, quam tenet Thomas et Richardus.* Haec illi Andabatae; nos sequimur Glossam in c. si ad matris dist. 4. de consecr. negantem, baptismum administrandum esse nisi iis, qui perfecte nati, argumento l. quod certum c. de postum. her. institut. ubi requiritur, ut sit totus natus, qui postumus dicatur. Proinde si mos in ecclesia receptus, ut principale membrum ex naturae penetralibus exsertum baptizetur, is praegressa auditorum informatione sine scandalo aboleatur.

4. Baptismus monstrorum.

168. 4. Baptismus monstrorum, quae ex concubitu bestiali nata humanam et pecuinam speciem prae se ferunt. Vide Lutherum in coll. mensal. p. 330. Alia vero ratio est monstrosorum partuum, qui speciem humanam retinent, licet membro aliquo IX. 210.
destituantur vel abundent. **Andreas Osiander in disp. de bapt. Tub. anno 1615. qu. 11: *Monstrosus natus ex hominum concubitu aut non habet veram humanitatem, id est formam perfecti et rationalis hominis, et baptizari non debet; aut habet figuram rationalis hominis, si videlicet monstrositas in ignobilioribus partibus corporis haeret, et talis repraesentat vel unius hominis speciem, et sic semel baptizandus, vel geminati hominis. Si hoc exacte deprehendi potest distinctis vicibus baptizandus videtur non obstante, quod pedum concretio aut laterum agglutinatio unum individuum repraesentet; sin vero id deprehendi non potest, uno actu pro individuo uno baptizari potest. Sed hic nemini quidquam praescribimus, meliora propositurís libenter adstipulabimur.*** Andreas Angelus in lib. de mirabilibus mundi in historia anni 1597. sic scribit: *In Aprili Bourgeis in Hispaniis inauditum quoddam monstrum protulit mundus, quod ex multorum ad varios scriptis illic et Venetiis certo constat literis. Ibi enim vacca quaedam duos vivos et integros omnino homines, masculum et feminam enixa est in lucem, quibus et archiepiscopus aliquamdiu sacrum baptisma negabat rei novitate, quid faciendum esset, dubius, cum simile exemplum neque viderit, neque audierit ipse, neque de tali scripserit alio tempore quisquam, sed de hoc legati Pontificii facultatem et permissum praestolabatur.* Landulphus lib. 4. sent. dist. 6. qu. 2. ad quaestionem, an et quomodo monstrum baptizandum sit, sic respondet: *Si perpendatur, duas habere animas, ut puta duo capita, quatuor pedes, duas spinas in dorso et hujusmodi, tunc baptizetur quilibet per se et intingatur in loco quilibet per se. Si vero dubi-*

tatur, *an sint duae animae*, *utpute quia habet quatuor manus et unum caput*, *vel duas spinas in dorso, tunc credo*, *quod debeat baptizari principalis absolute et alius postea sub conditione*, *scilicet, si non es baptizatus*, *ego te baptizo* etc. *Nec baptizet intentione vaga*, *sed determinando se ad unum.* Prioris responsionis partem probamus, cum constet, gemellos sibi invicem adnatos esse duos distinctos homines; posteriorem vero partem improbamus, cum membra minus principalia redundantia nondum duos homines constituant. Liberum tamen hac de re piis et eruditis permittimus judicium.

5. Superstitio muliercularum.

169. 5. Repudianda est superstitio muliercularum, quae corallia, lintea, fascias et id genus alia ex aqua baptismi singularem quandam efficaciam ad sanitatem consequi somniant, cum soli homini regenerando et renovando hoc lavacrum sit institutum. Illa vero vis et efficacia regenerandi non ita latet in aqua baptismali, ut vis refrigerandi in aqua rosacea, vis expellendi in aqua cardui benedicti, vis purgandi in aqua communi etc., sed Spiritus sanctus regenerationem et renovationem illam operatur per aquam salutaris hujus effectus organum atque instrumentum. Superstitiosum igitur est et cum secundo decalogi praecepto pugnat, aquam baptismatis ad alium quendam finem adhibere, quam cui ex instituto divino est destinata; vel eidem aliam efficaciam tribuere, quam quae ex promissione divina in usu sacramentali eidem competit. Memini in consistorio Coburgensi quendam confessum, quod aquam baptismalem cuidam a se impraegnatae ad abortum procurandum propinaverit, graves ejus impietatis dedisse poenas. Superstitioso huic baptisticae aquae abusui obviam iri potest per colymbethram (cujus etiam mentio fit apud Socrat. lib. 7. c. 17.), quae est aquae in baptisterio receptaculum, ex quo aqua baptizato superfusa per inferiorem quendam meatum secedit.

6. Profanatio baptismi quaecunque.

Detestamur 6. diabolicam baptismi profanationem, de qua memorat Bodinus lib. 2. daemonoman. c. 8. quod *quidam bufones baptizari curent in usum veneficiorum.* De duce Albano referunt, quod equum et capram baptizatam in comitatu habuerit. Sceleratas hasce sanctissimi baptismi profanationes toto pectore detestamur et exsecramus.

Quinam ex adultis baptizandi sint. IX. 211.

170. Homines ergo vivi sunt proprium et adaequatum baptismi objectum, non mortui, nec alia inanimata. Sed cum inter homines vivos quidam sint adulti, quidam vero adhuc infantes, ideo de utrisque distincte agemus. Adultos sine discrimine *1. populi*, *2. sexus et 3. status* baptizandos esse dicimus, sive sint Judaei, sive gentiles; sive masculi, sive feminae; sive conjugati, sive coelibes; sive servi, sive liberi etc. 4. Ita tamen ut in Christiana religione prius instituti eandem amplectantur et publice profiteantur. Singula hujus theseos membra demonstrabimus.

Quod gentiles etiam baptizandi sint.

Ac primo quidem, quod sine discrimine populi, non solum Judaei, sed etiam gentiles, baptizandi sint, id patet: 1. Ex institutione baptismi Matth. 28, v. 19: *Euntes docete omnes gentes et baptizate eos*, (Johannes et apostoli in angustis Judaeae limitibus hactenus administraverant baptismum, Christus vero jubet hoc loco, ut diruta macerie inter Judaeos et gentes apostoli euntes in orbem universum baptizarent quotquot ex Judaeis vel gentibus verbum evangelii recipiunt.) Monendum tamen hoc loco, etiam ante hanc solennem baptismi promulgationem milites ad baptismnm Johannis venisse, quos ex Romanis gentilibus fuisse admodum verisimile est Luc. 3, v. 14. 2. Ex apostolorum exemplo, qui post Christi adscensionem sine discrimine Judaeos et gentes baptizarunt, ut ex Actorum apostolicorum c. 2. 8. 10. 16. 18. et ex epistolis Paulinis ad Corinthios et Galatas constat, cumprimis notandus est locus 1. Cor. 12, v. 13: *In uno Spiritu omnes in unum corpus baptizati sumus, sive Judaei sive gentiles.* 3. Ex sublato discrimine inter Judaeos et gentes in N. T. Rom. 1, v. 14: *Graecis et barbaris debitor sum.* Rom. 10, v. 12: *Non est distinctio Judaei et Graeci.* 1. Cor. 1, v. 24: *Vocatis Judaeis ac Graecis praedicamus Christum.* Gal. 3, v. 28: *Hic non est Judaeus nec Graecus*, *quia omnes unum estis in Christo.* Ephes. 2, v. 14: *Christus est pax nostra*, *qui fecit utraque unum et medium parietem maceriae solvit* etc. Quo pertinent vaticinia V. T. de vocatione gentium; si enim gentes pertinent ad Christi regnum, utique a sacramentis Christianae ecclesiae non possunt excludi, Esa. 49, v. 22: *Gentes afferent filios suos in ulnis et filias suas super humeros portabunt.* **Errat igitur Ostorodus scribens: *Fratrum liberi in infantia baptismo non tincti*, *ubi ad annos discretionis pervenerint et fidei rationem reddere potuerint*, *baptizari debent*, *quod tamen diutius observandum non est*, *quam usque dum coetus Photinianorum factus numerosior*, instit. c. 39. §. 8. p. 363. Sensus est, quod baptismus non spectet aequaliter ad omnium seculorum homines. Contra 1. sub nomine omnes gentes comprehenduntur non solum qui tunc vivebant, sed etiam qui victuri sunt usque ad consummationem seculi. 2. Ut vigore mandati divini docere oportet omnes gentes, ita etiam baptizare. 3. Eadem Dei voluntas ad homines horum temporum, quae fuit tempore legationis apostolicae, tum quoad salutem, tum quoad media. 4. Eadem est utrinque hominum necessitas, cui Deus aut non prospexit, aut non alio quam baptismo prospexit. D. Hunn. de bapt.**

Objectio de circumcisione ad Israëlitas tantum pertinente.

171. At, inquis, circumcisio tantum Israëlitico populo olim demandata fuit, Genes. 17, v. 7: *Statuam pactum meum tecum et cum semine tuo.* Jam vero baptismus successit in locum circumcisionis, Col. 2, v. 11. Ergo idem ad Israëlitas tantummodo pertinebit. ***Baptismus aquae datus non est*, *ut inter gentes vulgetur et usurpetur ab apostolis*, Schmaltz. contra disp. 10. D. Franz. p. 309. Respondemus: 1. datum esse aquae baptismum fatentur, agnoscant ergo a Christo institutum, ea vero obligat omnes homines. 2. Reddant limitationis suae rationem, quod gentibus non sit datus. 3. Verba

Christi sunt sole clariora: *Docete omnes gentes baptizantes eos.* 4. Apostoli gentibus baptismum contulerunt, qua in parte aut fidem Christo non probarunt, aut mandatum etiam ad gentes se extendit. 5. Ratione finis, propter quem baptismus institutus, eadem gentilium et Judaeorum ratio, eadem baptismi necessitas. 6. Ex opinione Photinianorum *baptismus est ritus professionis eorum, qui ad fidem Christianam accesserunt sive ex Judaismo sive ex gentilismo.* Quae definitio si vera est, utique credendum, voluisse instituentem, ut etiam gentibus
IX. 212. baptismus administraretur.** Respondemus: quamvis principaliter ac primario cum Abrahamo et ipsius posteris foedus illud statuerit Deus, gentiles tamen non fuerunt absolute et simpliciter ab eo exclusi, cum jubeantur etiam vernae in domo Abrahae circumcidi Gen. 17, v. 12. qui non erant ex Abrahae semine oriundi. Inde postea in institutione agni paschalis tale praeceptum datur Exod. 12, v. 48: *Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam et facere phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum ejus et tunc rite celebrabit eritque sicut indigena terrae;* v. 49: *eadem lex erit indigenae et colono, qui peregrinatur apud vos.* Id ipsum probant exempla eorum, qui ex gentilitate ad verum Deum Israëlis conversi circumcisione suscepta foederi gratiae sunt inserti. Quodsi nec in V. T. gentiles a circumcisione fuerunt exclusi, quanto minus a baptismo in N. T. erunt excludendi, soluto jam *medio pariete maceriae* sive intersepto illo, quod Judaeos a gentilibus in V. T. secernebat, Ephes. 2, v. 14. ac impletis vaticiniis de universali omnium gentium ad Christi regnum vocatione; unde apostolus Rom. 9, v. 6. 7. 8. efficaciter probat, *non omnes, qui ex Israël sunt, esse Israëlitas, nec qui semen Abrahae sunt secundum carnem, esse omnes filios, sed qui filii sunt promissionis, aestimandos esse in semine,* Judaeos *propter incredulitatem defractos esse,* Rom. 11, v. 20. gentiles autem, cum natura oleastri essent, illis insertos *et socios radicis ac pinguedinis olivae factos esse,* v. 17.

Quod femellae baptizandae. 172. Secundum membrum theseos erat, adultos sine discrimine sexus baptizandos esse; id demonstratur itidem: 1. Ex Christi instituto, is namque citra ullum sexus discrimen *omnes gentes* baptizare jubet Matth. 28, v. 19. 2. Ex Johannis Baptistae et apostolorum exemplo, qui masculos et femellas baptizarunt. Matth. 3, v. 5: *Exibat ad Johannem Hierosolyma et omnis Judaea et omnis regio circa Jordanem,* id est omnis populos, ut exponitur Luc. 3, v. 7. c. 7, v. 29. Sic Actor. 2, v. 41. *tria millia animarum baptizantur;* c. 8, v. 12. notanter dicitur Samariae *viros ac mulieres* esse baptizatas; c. 16, v. 15. *Lydia purpurarum venditrix et domus ejus baptizatur;* v. 33. *custos carceris et omnis ejus domus;* c. 18, v. 8. *Crispus cum omni domo sua et multi Corinthiorum;* 1. Cor. 1, v. 16. *Stephanae familia.* 3. Ex diserto Pauli pronuntiato Galat. 3, v. 27: *Quotquot baptizati estis, Christum induistis;* v. 28: *hic non est Judaeus, nec Graecus, non est servus, neque liber, non est masculus, nec femina; omnes enim vos unus estis in Christo Jesu.* 4. Ex generali ecclesiae vocabulo. Cum enim Christus *ecclesiam suam* lavacro aquae in verbo purgare dicatur Ephes. 5, v. 26. et vero femellae itidem sint membra ecclesiae et *coheredes gratiae* 1. Petr. 3, v. 7. ecquis a baptismo eas excludere fuerit ausus? Ephes. 4, v. 5: *Unus dominus, una fides, unum baptisma.* Qui unum invocant Dominum et unam profitentur fidem, unum etiam habeant baptisma, 1. Cor. 12, v. 13: *In uno Spiritu omnes in unum corpus baptizati sumus.* Huc pertinet, quod feminae non minus ac viri salutari hoc lavacro indigeant, cum itidem sint in peccatis conceptae ac natae, *caro de carne* Joh. 3, v. 5. quodque essentialia baptismi requisita in illis locum habeant etc. Detestanda ergo monachi illius et sacrificuli Misnensis protervia, de quo Georgius Fabricius Chemnicensis scribit, quod odio et contemtu sexus feminei, quotiescunque femellam aliquam sacris undis esset abluturus, dicere consueverit, statim a baptismo in profluentem conjiciendam, getauft und ersäuft, sed ipsum de ponte Albis, cum forte prospiceret, delapsum justo Dei judicio submersum fuisse, anno 1505. Alexander Alensis disputat, *baptismum Johannis non convenisse mulieribus, ne scilicet in concursu populi nudarentur,* quasi vero Lydia coram apostolis se denudarit, Act. 16, v. 15. Sacrificuli Misnensis dicterium: Getauft und ersäuft.

173. *At,* inquis, *circumcisio in V. T. tantummodo pro masculis fuit instituta,* Genes. 17, v. 10. IX. 213. Objectio de circumcisione ad masculos tantum pertinente.
Jam vero baptismus successit in locum circumcisionis, Col. 2, v. 11. Respondemus: 1. In circumcisionis institutione diserta et expressa fit mentio masculorum, quo ipso femellae excluduntur; sed in baptismi institutione omnes gentes baptizari jubentur. 2. Apostolus Galat. 3, v. 28. diserte testatur, in N. T. respectu baptismi sublatum esse masculorum ac femellarum discrimen. 3. Essentialia circumcisionis requisita non habuerunt locum in femellis; alia vero ratio essentialium baptismi requisitorum, quae in ipsis omnino locum habent. 4. Quamvis femellae in carne sua non susciperent circumcisionem, non tamen erant exclusae a Dei foedere; sed quia ex semine circumcisorum natae fide promissionem foederalem sibi applicabant, pro circumcisis habebantur, qua de re superius in tractatu de circumcisione plura diximus.

174. Tertium membrum theseos erat, adultos sine discrimine status esse baptizandos, sive sint conjugati sive coelibes; sive servi, sive liberi. Probatur id ex iisdem fundamentis, quibus demonstratum fuit, sine discrimine populi et sexus baptismum omnibus conferendum esse; cumprimis vero id patet ex disertis apostoli pronuntiatis 1. Cor. 12, v. 13: *In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judaei, sive gentiles, sive servi, sive liberi.* Gal. 3, v. 27: *Quotquot baptizati estis, Christum induistis;* v. 28: *hic non est Judaeus, nec Graecus;* Quod conjugati et coelibes baptizandi sint.

non est servus, nec liber; non est masculus, nec femina. Col. 3, v. 11: (respectu regenerationis et renovationis in N. T.) *non est masculus et femina; gentilis et Judaeus; circumcisio et praeputium; barbarus et Scytha; servus et liber; sed omnia et in omnibus Christus.* Sic quando integrae familiae in Actis apostolicis baptizatae dicuntur, in illis servos et liberos, conjugatos et coelibes fuisse constat. Opponenda haec sunt Marcioni et ipsius asseclis, qui conjugatos ad baptismum neutiquam admittendos esse censebant, sed virgines duntaxat, viduas, coelibes, aut divortio a viris separatas, quique matrimonio ejusque fructui renuntiassent. Centur. Magdeb. 2. cap. de haeret.

Quod ex adultis illi solum baptizandi sint, qui religionem Christianam amplectuntur.

175. Quartum membrum theseos erat, adultos in Christiana religione instituendos eandemque amplecti et profiteri debere, antequam ad baptismum admittantur. Id demonstramus: 1. Ex serie verborum institutionis. Matth. 28, v. 19: *Euntes docete omnes gentes et baptizate eos*, ubi Christus primo jubet docere, postea demum baptizare. Marc. 16, v. 15: *Ite in orbem universum et praedicate evangelium omni creaturae;* v. 16: *qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* 2. Ex Johannis Baptistae et apostolorum exemplo, illi enim auditores suos primo docuerunt, postea eosdem baptizarunt, Matth. 3, v. 1. Luc. 3, v. 3: *In diebus illis venit Johannes Baptista praedicans in deserto Judaeae, tunc exibat ad ipsum Hierosolyma et omnis Judaea* etc. *et baptizabantur ab eo in Jordane.* Act. 2, v. 38. Petrus prius poenitentiam praedicat, postea demum eos, qui recipiunt sermonem ejus, baptizat. *Quotquot receperunt sermonem ejus, baptizati sunt*, v. 41. Ergo a contrario sensu, qui sermonem ejus non receperunt, sed illi contradixerunt, non sunt baptizati. Conjunge Act. 8, v. 12. 13. 38. c. 9, v. 17. c. 10, v. 44. c. 16, v. 14. 15. 32. c. 18, v. 8. ubi perpetua praxis apostolorum ostendit, institutionem baptismo adultorum praemittendam esse. 3. Ex typo circumcisionis. Cum enim non solum Isaac, sed et reliqui domestici Abrahae circumcisi fuerint, dubium nullum, quin de hoc ritu sanctus patriarcha eosdem prius informarit, alias circumcisionem cum tanta dolorum acerbitate conjunctam nunquam suscepissent. Gen. 18, v. 19: *Scio quod praecepturus sit Abraham filiis suis et domui suae*
IX. 214. *post se, ut custodiant viam Domini et faciant judicium et justitiam.* Si de ritu agni paschalis liberi a parentibus erudiri jubentur. Exod. 12, v. 26: *Cum dixerint vobis filii vestri, quae est ista religio?* v. 27: *dicetis eis, victima transitus Domini est* etc. 4. Ex ipsa necessitate. Cum enim baptismus sit nova N. T. ceremonia, utique necessarium fuit, ut Johannes Baptista et apostoli auditores suos de divina ejusdem institutione, usu et efficacia prius informarent. 5. Ex natura sacramentorum, quae sunt sigilla divinarum promissionum. Ut enim tabulae foederis et literae contractuum prius conscribuntur, postea demum sigilla appenduntur; sic de divinis promissis informandi prius auditores, antequam usu sacramentorum eadem in illis obsignentur. 6. Ex analogia verbi. Quemadmodum verbum Dei non est praedicandum illis, qui furenter et violenter illud repudiant. Matth. 7, v. 6: *Nolite sanctum dare canibus.* Matth. 10, v. 14: *Si quis non receperit vos nec audierit sermonem vestrum, exite ab illa civitate.* Act. 13, v. 46: *Quia repellitis verbum* etc. *ecce convertimur ad gentes;* ita multo minus invitis obtrudenda sacramenta.

Objectiones contrariae. 1. Quod Johannes prius baptizasse quam praedicasse dicitur Marc. 1

176. Hisce opponi posset 1. quod Marc. 1, v. 3. de Johanne exstat: *Fuit in deserto Johannes baptizans et praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum.* Ergo prius baptizavit, postea demum poenitentiam praedicavit. Respondemus: 1. res ipsa ostendit, praedicationem baptismo a Johanne fuisse praemissam. Ecquis enim novam illam et hactenus insolitam baptismi ceremoniam sine praegressa sufficiente informatione fuisset amplexus? 2. Dicimus ergo, evangelistam Marcum in his verbis non respexisse ordinem, quasi Johannes primum baptizaverit ac postea demum praedicarit, sed totum ministerium Johannis describere voluisse. 3. Marcus teste Hieronymo epitomen confecit evangelii a Matthaeo scripti. Jam vero Matthaeus in descriptione ministerii Johannis c. 3. diserte testatur, Johannem prius praedicasse et postea baptizasse. 4. Lucas expresse profitetur, se velle historiam N. T. ἀνατάξασθαι καὶ ἀκριβῶς ἄνωθεν καθεξῆς γράφειν, ordinare et diligenter a principio ex ordine scribere c. 1, v. 1. et 3. Is vero itidem testatur Johannem prius praedicasse, postea demum baptismum administrasse c. 3, v. 3. 7. 12.

2. Quod omnibus sine conditione baptismus competat.

177. 2. Quod 1. Tim. 2, v. 4. *Deus velle dicitur, ut omnes homines salvi fiant.* Ergo absque ulla conditione omnibus medium salutis, videlicet baptismus, erit proponendum. Respondemus: Deus quidem vult, et quidem serio vult, omnes homines salvos fieri; interim tamen non absolute citra ullum respectum et ordinem mediorum hoc vult, sed hoc ordine et modo, ut verbum audiant, fidem ex eo concipiant, ad ipsum convertantur et baptismum suscipiant, inde in textu apostolico additur: *Deus vult, omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire.* Ad hanc veritatis agnitionem per verbum et sacramenta efficaciter operante Spiritu sancto eos vult perducere; si qui vero hoc salutare *Dei consilium* repudiant Luc. 7, v. 30; *Spiritui sancto resistunt* Actor. 7, v. 51. ac *semet ipsos vita aeterna indignos judicant* Actor. 13, v. 46. illos invitos et repugnantes non vult salvare, sed potius hos contemtores verbi et sacramentorum sua gratia et bonis coelestibus privare. Atque ut neminem invitum vult salvare; ita quoque nemini invito verbum et sacramenta vult obtrudi, sed potius prohibet *sanctum dare canibus*, Matth. 7, v. 6. Ut non placent Deo coacta servitia; ita quoque non placet ipsi coactus sacramentorum usus. Si qui ergo verbum repudiant, illis etiam baptismus non est conferendus invitis.

Quaestio circa adultorum baptismum.

IX. 215.

Quare Christus a Johanne baptismum susceperit. Causae principales sunt duae. 1. Ut nostrum baptismum sanctificaret.

178. Antequam a baptismo adultorum ad baptismum infantum transeamus, excutienda est quaestio: *Quare Christus a Johanne baptismum suscipere voluerit?* Baptismus est *lavacrum regenerationis et renovationis*, Tit. 3, v. 5. sed Christus cum sit *sanctum illud* ex Maria natum Luc. 1, v. 36. imo *sanctus sanctorum*, Dan. 9, v. 24. nec regeneratione, nec renovatione indigebat. Baptismo purgantur peccata, sed Christus cum sit *sanctus*, *innocens*, *impollutus*, *segregatus a peccatoribus*, Hebr. 7, v. 26. nulla peccatorum purgatione indigebat; quare igitur baptizari voluit? Respondemus: causae principales sunt duae, secundariae vero complures. Una principalis ac primaria causa exponitur ab ipso Christo in historia baptismi hisce verbis: *Sic decet nos implere omnem justitiam*, in quae pulcherrime ita commentatur D. Chemnicius c. 17. harm. evang. p. 12: Quando Christo mediatori tribuitur impletio justitiae, sensus hic est: Pater misit Filium in mundum, ut fieret nobis *justitia*, 1. Cor. 1, v. 30. Idque hoc modo, ut *factus sub lege* fieret victima pro nobis et *de peccato damnaret peccatum, utque ita justitia legis impleretur in nobis*, Rom. 8, v. 3. utque daret *ministerium reconciliationis, ut ita nos efficeremur justitia Dei in ipso*, 2. Cor. 5, v. 21. Fuit ergo officium mediatoris Christi, omnia illa, quae ad consequendam illam justitiam, qua coram Deo ad vitam aeternam justificamur, pertinent, implere, ut ita ipse in solidum esset justitia nostra. Implevit autem hanc justitiam, primo quando victima pro nobis factus peccata nostra sustulit et perfectissima obedientia legi pro nobis satisfecit; secundo autem, ut justitia illa nostra fiat et nobis applicetur, opus est mediis seu organis, per quae justitia illa, obedientia et sanguine Christi acquisita, nobis distribuatur et efficacia Spiritus sancti nobis applicetur, quod Paulus 2. Cor. 5, v. 18. vocat *ministerium reconciliationis*. Christus igitur illa etiam media sive organa voluit sanctificare, quae et ipsa pertinent ad justitiam fidei, ut sciremus, Deum per illa velle efficacem esse, ut sint *potentia Dei ad justitiam omni credenti*, Rom. 1, v. 16. Sensus igitur verborum Christi hic est: Ad officium ministerii mei pertinet illius justitiae, qua credentes gratis coram Deo ad vitam aeternam sanctificandi sunt, non partem aliquam, sed omnia, quae ad illam pertinent, implere; ministerium vero evangelii sive reconciliationis, quod jam in me coelitus dedicabitur et confirmabitur, et ipsum lavacrum aquae in verbo sunt media seu organa, per quae justitia illa distribuitur et applicatur. Ergo ut non partem aliquam, sed omnem justitiam impleam, Dei voluntas et ordo est, ut baptizer atque ita ministerium verbi et sacramentorum sanctificem. Ita Lutherus interpretatur haec verba Christi, ut illis ostendatur, quod Christus voluerit baptizari non propter illam causam, quae in reliquis usum baptismi necessarium reddit; sed ut sanctificaret illum, ut sit medium seu organon applicationis justitiae fidei. Et postea p. 15: Noster baptismus non habet solam aquam et nudum verbum sine Christo, sed sicut in hac historia pulcherrime depingitur, Christus ipse descendit in baptismum cum suo corpore atque ita illa, quae in corpore carnis suae promeruit et acquisivit quasi deposuit in baptismo, ita ut per illud medium distribuantur et applicentur. Haec Chemnicius. Quo pertinent dicta veterum. Chrysostomus in c. 3. Matth.: *Baptizari dignatus est, non ut peccata deponeret, qui peccatum solus non fecerat, sed ut aquas baptismi solus sanctificaret ad diluenda peccata credentium. Nunquam enim aquae baptismi peccatà credentium purgare potuissent, nisi tactu Dominici corporis fuissent sanctificatae. Ille ergo baptizatus est, ut nos a peccatis lavaremur.* Augustinus tract. 5. in Joh.: *Christus suo baptismo nostro auctoritatem dedit.* lib. 2. qq. evang. q. 6: *Non in baptismo Domini ipsi Domino peccata dimissa sunt, sed ipsa ibi remissio peccatorum omnium, quae misericordia ejus et potestate donata est hominibus, per illum baptismum Domini consecrata atque signata est.* Theodoretus q. 1. in Josuam: *Sicut sacerdotibus gestantibus arcam, Jordanem primum ingressis cum Jesu duce et propheta populus omnis transiit; ita plane ubi Johannes incipit baptizare et Jesus salvator sanctificavit naturam aquarum, populus* IX. 216.
pius per sacrosanctum baptisma regnum coelorum introiit. ** Cyprianus de baptismo Christi: *Veniebat Christus ad baptismum non egens lavacro, in quo peccatum non erat, sed ut sacramento perennis daretur auctoritas et tanti virtutem operis nulla personarum acceptio commendaret, quoniam remissio peccatorum sive per baptismum, sive per alia sacramenta daretur, proprie est Spiritus sancti et ipsi solius hujus efficientiae privilegium manet.* Nicephorus lib. 1. hist. eccles. c. 18: *Christus subiturus baptismum ad Jordanem progressus est, fortasse quidem ut contactu suo undam sacraret et benediceret, revera autem simul et Baptistam ipsum divinum attingentem verticem sanctificaret et aquam fide subituris Spiritum s. communicaret fidemque faceret, mandatum a Deo esse baptismi Johannis ministerium dudum ad justitiam id admittentibus et recipientibus datum.* ** Maximus homil. 7. de baptis. Christi: *Baptizatur Jesus non sibi, sed nobis. Baptizatur non ut purificetur aquis, sed ut aquas ipse sanctificet. Baptizatur novus homo, ut novi baptismatis constituat sacramentum.* Bernhardus homil. de passione Domini col. 1589: *Baptizatus non te in aquis, sed aquas in te sanctificas, ut per eas nos sanctificares.* Vide Ambrosium et Bedam in c. 3. Lucae. Verba Bedae sic habent: *Baptizatus est Dominus non ipse aquis mundari, sed ipsas mundare cupiens aquas, quae ablutae per carnem ejus peccati utique nesciam baptismi jus induerent, et quod tam innumera sub lege baptismata non poterant, contra praevaricationis malum vim regenerativae sanctificationis conciperent. Dum corporis humilitate undas Jordanis subiit Dominus, divinitatis suae potentia coeli nobis januas pandit; dumque caro innoxia frigentibus tingitur aquis,*

opposita quondam noxiis romphaea restinguitur ignea.

2. Ut nostra peccata ablueret. 179. Altera principalis causa, quare Christus baptizatus fuerit, exponitur a Johanne Baptista Joh. 1, v. 29: *Cum enim videret Jesum ad se venientem, dixit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Docet igitur, quod Filius Dei nostro loco et nostrum omnium personam ut mediator sustinens, ut agnus onustus peccatis totius mundi accedat ad baptismum projecturus peccata illa *sibi imposita* Esa. 53, v. 6. in Jordanem, imo *in profundum maris* Mich. 7, v. 19. Nazianzenus orat. 39. in s. lumina p. 623: *Christus baptizatur, πάντα τὸν παλαιὸν Ἀδὰμ ἵν' ἐνθάψῃ τῷ ὕδατι.* Ambrosius lib. 1. de sacramentis c. 5. tom. 4. p. 430: *Quare Christus descendit* (in Jordanem ad baptismum), *nisi ut caro ista mundaretur, caro quam suscepit de nostra conditione? Non enim abolitio peccatorum suorum Christo necessaria erat, qui peccatum non fecit, sed nobis erat necessaria, qui peccato manemus obnoxii.* **Idem in c. 3. Luc.: *Baptisatus est, ut purificans se pro nobis, qui purificatione non egebat, uno momento in uno corpore fraudem vetusti erroris aboleret, gratiam regni coelestis effunderet unusque mersus lavaret omnes.* Sedul. libr. 2. de Christo:

In se cuncta lavat nostrae contagia vitae,
Ipse nihil quod perdat habens, sanctoque liquentes
Corpore mundavit latices lymphasque beavit
Gurgitis et propriis sanavit flumina membris.

Damascenus lib. 4. orthod. fid. c. 10: *Tinctus est Christus, ut capita draconum in aqua contereret, ut peccatum obrueret ac totum veterem hominem Adamum in aqua sepeliret.*** Hilarius can. 2. in Matth.: *Christus sanctificavit hominem et assumtione et lavacro.* Lactantius lib. 4. div. instit. c. 15: *Christus tinctus a Johanne in Jordane flumine, ut lavacro spirituali peccata, non sua, quae utique non habebat, sed carnis, quam gerebat, aboleret.* Theophylactus in c. 3. Matth.: *Baptizatus fuit, ut nos ablueret.* Ecclesia in die Epiphaniae canit, Christum ideo baptizari voluisse, ut *lavaret nostra crimina in Jordane.* Huc pertinet observatio eruditorum, quod Christus die duodecima mensis noni, id est in ipsa expiationis celebritate, baptizatus fuerit. Sicut summus sacerdos quotannis semel in festo expia-
IX. 217—225. tionis ingressus est in sanctum sanctorum, Levit. 16, v. 32. ita quoque Christus hoc ipso expiationis die sacro baptismatis fonte lotus et Spiritus sancti oleo unctus, voce item Patris coelitus delata gloria et majestate divina tanquam vestibus sacerdotalibus indutus ingressus est in sanctum sanctorum, offerens se atque obligans aeterno Patri ad peccatorum expiationem perficiendam. Eodem quoque die accepto baptismate a Spiritu sancto in desertum ductus est omnium hominum peccata simul et semel sibi imponi passus; atque ita adimplevit figuram alterius illius capri, qui iniquitates populi in desertum portavit. Reusnerus in Isag. chronolog. anno Christi 30.

180. Secundariae causae possunt enumerari complures, utpote: 1. Quod Christus ostendere voluerit, se mergi in mortem propter peccata nostra et nos quoque immergendos esse in mortem et sanguinem illius ac cum eo sepeliendos, cumque ipso et per ipsum ex diluvio et procellis aquarum multarum, id est peccatorum et poenarum, praesertim calamitatum hujus vitae acerbissimarum, nobis emergendum esse et ad vitae novitatem ac gloriae hereditatem adspirandum. Matth. 20, v. 22: *Potestis baptismate, quo ego baptizor, baptizari?* Luc. 12, v. 50: *Baptismo me oportet baptizari et quam anxius sum, donec perficiatur?* 2. Quemadmodum Christus suscepta in corpore suo circumcisione ostendit, se esse caput ecclesiae V. T.; ita quoque baptismo suscepto ostendit, se esse caput ecclesiae N. T. et proinde utriusque populi salvatorem et Messiam. Ephes. 2. v. 14: *Ipse est pax nostra, qui fecit ex utrisque unum;* v. 15: *ut duos conderet in semet ipso in unum novum hominem.* 3. Voluit Christus exemplum humilitatis et reverentiae erga divinas ordinationes nobis exhibere, praesertim vero baptismum Johannis hominibus tum viventibus et usum sacramentorum suo exemplo commendare. Augustinus lib. 2. contra liter. Petil. c. 101: *Christus non ideo venit baptizari, ut ejus ablueretur iniquitas, sed ut nobis humilitatis praeberetur auctoritas.* Idem repetit tract. 4. et 13. in Joh. in enchirid. c. 49. **Idem epist. 57: *Baptisatus est, ut nostrae regenerationis sacramentum sua humilitate altius commendaret.* Alcuinus lib. 2. in Joh.: *Oportebat, ut baptizaretur Dominus, ne aliquis magna licet praeditus gratia vel potestate contemneret baptizari.* Arator lib. 2: — Causae secundariae baptismi Christi.

Formam facit omnibus ad se
Currere fonte pio, sacram ne deserat undam
Ulterius mortale genus, quam corpore mundo
Et Dominus dignatus erat, cum diluit amnem
Per famulum mergente Deo etc.**

4. Baptizari voluit Christus, ut publico totius sacrosanctae Trinitatis testimonio ordinatus, renuntiatus et confirmatus in baptismo, non modo inchoaret ministerium N. T., sed *totam sibi a toto consessu sacrosanctae Trinitatis demandatam quasi provinciam oeconomiae secundum carnem rite administraret et absolveret*, ut loquitur Justinus de verit. relig. Christ. 5. Quemadmodum summus sacerdos olim primum abluebatur aquis in labro aeneo ad ostium tabernaculi collocato et postea indutus veste sacerdotali sistebatur in conspectu Domini, Exod. 38. et 40. ita summus sacerdos N. T. baptismo prius suscepto ministerium suum aggredi voluit. Ad inaugurationem summi sacerdotis accedebat etiam clangor tubarum et caput ejus oleo perfundebatur, Exod. 29, v. 5. et seqq. sic in baptismo Christi buccinae instar fuit vox coelitus delata; oleum fuit Spiritus sanctus super Christum descendens. Psalm. 45, v. 8: *Unxit te Deus oleo laetitiae;* et vox Patris coelestis: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est*, optime con-

ferri potest cum inscriptione, quae laminae sacerdotis vertici impositae insculpta erat: *Sanctitas Domini, ut Dominus placetur ipsis*, Exod. 28, v. 36. Quemadmodum *Josua in aqua Jordanis exaltari coepit*, Jos. 3, v. 7. ita Christus coelestis Josua majestate et gloria coelesti in aquis Jordanis magnificari coepit etc. Possunt haec latius deduci.

IX. 218 — 226. *Aliae quaestiones de baptismo adultorum. 1. An amentes et furiosi baptizandi.*

181. De adultorum baptismo etiam haec quaeruntur: *1. An baptizandi sint amentes et furiosi?* Thomas p. 3. q. 68. art. 12. et Bonaventura lib. 4. dist. 3. q. 1. distinctione respondent. Alii enim amentes et furiosi sunt nati, in quibus inde a nativitate nullus unquam apparuit usus rationis; alii sunt facti, qui cum antea *ratione* praediti fuissent, furiosi et amentes *evaserunt*. Priores, quod eorum eadem quae infantum ratio est, baptizandos judicant; posteriores vero tum demum baptizandos statuunt, si tum, quando ratione erant integra, voluntas in ipsis apparuit baptismum suscipiendi; sin minus, non item, nisi forsan illius furoris luculenta sint intervalla, ut cum ad mentem redeunt, baptizari et instítui queant. Idem statuitur c. Majores dist. 4. de consecrat.

2. Num inviti baptizandi.

2. Num vero inviti baptizandi? Quidam ex Scholasticis affirmant. At qui invitus baptismum suscipit, gravissime peccat, jam vero in ipsa peccati actione nemo baptizandus. Aureolus lib. 4. sent. dist. 4. qu. 1. addit, *consensum esse duplicem*, *verum vel interpretativum*, ac posteriorem hunc sufficere. Quid vero si minis ac poenis coactus quis consentiat? respondet Bonaventura lib. 4. sent. dist. 4. art. 2. q. 1. quod baptizandus sit et quod baptismi effectum suscipiat, cum voluntas coacta etiam sit voluntas; sed contrarium recte statuit Landulphus dist. ead. qu. 1. cum Deo non placeant *coacta obsequia*.

3. An Judaei vi compellendi sint ad baptismum.

3. De Judaeis in specie quaeritur, *an vi compellendi sint ad baptismum?* Scotus lib. 4. sent. dist. 4. statuit, quod per dominos suos compelli possint, pro quo facit textus in c. de Judaeis dist. 45. et c. Majores de baptismo ubi commendatur ille rex, qui coëgit infideles baptizari. Sed est alius textus c. sicut Judaei de Judaeis, qui prohibet compulsionem. Eos sic conciliant interpretes, ut priorem exponant de compulsione indirecta hoc sensu, quod Judaei oneribus civilibus cogendi et in servitutem redigendi sint, ut in eis oriatur voluntas se convertendi et baptismum suscipiendi. Judicamus ad verbi auditum, non autem ad baptismi susceptionem, Judaeos cogendos esse, cum excommunicatis et illis, qui sunt extra ecclesiam, patet aditus ad verbi auditum, nequaquam vero ad sacramentorum usum, antequam hi nomen suum dent Christo et ecclesiae fidem amplectantur, illi vero Deo et ecclesiae reconcilientur.

4. An dormienti baptismus conferendus.

4. Dormienti etiam conferri posse baptismum, statuit Emanuel a Sa in aphorismis aphor. 10. sed Thomas part. 3. q. 68. art. 12. statuit contrarium. *Baptismus* (inquit) *non consuevit dari dormientibus* et 1. 2. q. 113. art. 1. negat, per somnum consequi quemquam gratiam justificantem per baptismum exterius adhibitum.** Quoad infantes nil prorsus refert, sive dormiant, sive non; quoad adultos vero in iis et voluntas susceptionis baptismi et professio fidei requiritur, quorum neutrum in dormientes cadere potest.**

Paedobaptismus a quibus oppugnatus sit.

182. Ab adultorum baptismo transimus ad baptismum infantum, quem vocant paedobaptismum. Ubi primo demonstrandum erit τὸ ὅτι, quod scilicet infantes baptizandi sint; secundo τὸ ποῖον, qui et quales infantes ad baptismum admittendi. Quod ad priorem quaestionem attinet, notum est, paedobaptismum superiori seculo oppugnari coeptum ab Anabaptistis, qui propter repudiatum baptismum in infantili aetate susceptum eundemque aetate jam adulta repetitum eo nomine appellantur, praesertim cum in hoc errore omnes conveniant, licet in aliis quam plurimis doctrinae capitibus dissideant. Desierunt illi tandem invidiosa erroris istius infamia coacti iterare baptismum, quod in apologia sua publice testati sunt Waldenses, remansit tamen sic nomen primitivum, ut qui errore isto maxime repudiato in reliquis consentirent, Anabaptistarum appellatione notarentur. Mylius in Augustan. confess. artic. 9. part. 2. Porro apparet ex sermon. 14. Augustini de verb. apost. jam olim paedobaptismum fuisse a quibusdam oppugnatum, cujus erroris etiam meminit Bernhardus sermon. 66. in can. et epistol. 240. Cochlaeus in actis Lutheri et Bellarminus lib. 1. de bapt. c. 8. principem hujus haereseos ex orco revocatae statuunt Balthasarem Pacimontanum, Viennae postea crematum, qui anno 1527. paedobaptismum oppugnare coeperit (quem errorem *ex Lutheri scriptis ipsum collegisse* Cochlaeus et Bellarminus mentiuntur, cum publicis scriptis Lutherus eundem oppugnaverit. Vide epistolam Lutheri ad duos pastores de anabaptismo tom. 4. Jen. German. fol. 407. fac. 2.) sed Philippus Melanthon in comm. epist. ad Coloss. testatur, a Carolstadio primum in his regionibus baptismum infantum improbatum esse, unde *Anabaptistarum pater* ab Erasmo, Albero et aliis statuitur. Sleidanus lib. 3. comm. ann. 1522. scribit, Carolstadium laudasse Anabaptistarum sententiam. Nec abeunt a veritatis tramite, qui in propagatione hujus erroris non postremas Cinglio tribuunt, cum in lib. de baptism. conclus. 18. scribat, *melius esse*, *ut infantes tum primum baptizentur*, *cum adulti fuerint*, *et pueros primum docendos ac ita demum baptizandos;* unde Pacimontanus in libello Mulspurgi in Pannonia edito se syngrapham Cinglii habere testatus est, qua infantum baptismum dissuasit, quod Eccius contra Cinglii confess. recitat; inde etiam quidam Anabaptistarum adjuravit, Cinglium in disp. tertia Tigurina anno 1525. ut sibi veritatem diceret, *sitne paedobaptismus ex Deo*, *nec ne?* Menno Simonis in fundam. fol. 55. nugatur, *ne minimum quidem jota in Scripturis inveniri posse*, *quo paedobaptismata defendantur;* ideo statuit f. 40. *baptismum infantum esse idololatricum;* f. 50. et seqq. *esse ex dracone et bestia*, *nec aliud quam ceremoniam Antichristi*. 2. Lucas Sternbergerus paedobaptismum appellat *satanicam institutionem*. Lutherus epist.

IX. 219 — 227. IX. 220 — 228. IX. 221 — 229. IX. 222 — 230. IX. 223 — 231.

de anabaptis. tom. 4. Jen. Germ. f. 420. ex anabaptisticis convitiis contra baptismum recenset haec verba: Die Taufe ist ein Hundsbad, und die Täufer sind falsche und bübische Badknechte. Transylvani ministri, qui anno 1567. duos libros contra trinitatem ediderunt, in calce eorum librorum 36 argumenta contra baptismum parvulorum formant, quae nunquam solide refellere possunt, qui ex Calvini discipulis hasce cum Anabaptistis communes tenent hypotheses: *1. Infantes nasci sanctos a fidelibus parentibus; 2. non cadere in infantes fidem.* Vide Colloq. Frankenthal. art. 12. actione 31. p. 631. et seqq. Quid enim respondebunt syllogismo huic anabaptistico: Omne sacramentum sine fide utentis est inanis ceremonia. Paedobaptismus est sacramentum sine fide utentis. Ergo paedobaptismus est inanis ceremonia. Utramque praemissarum concedit Calvinianus, **(Calvinus lib. 4. instit. c. 15. sect. 15: *Ex hoc* (baptismi) *sacramento, quemadmodum ex omnibus aliis nihil assequimur, nisi quantum fide accipimus, si fides desit, erit in testimonium ingratitudinis nostrae, quo rei coram Deo peragamur, quia promissioni illic datae increduli fuerimus.* David Paraeus in comment. epist. Rom. p. 400: *Sacramenta non nisi conversione et fide fieri debent, secus sigilla justitiae esse cessant. Quid enim non habentibus fidem et justitiam signarent?)*** nec in forma sive dispositione vitium potest ostendere; quomodo igitur resistet conclusioni? ita D. Mentzerus colligit in collat. priore doctrinae Calvini cum August. confessionis art. 9. circa finem.

Bellarminus Ludovico Vivi et Erasmo tribuit, quod oblique paedobaptismum oppugnent.

183. Praeter hos haereticos duo auctores oblique paedobaptismum oppugnare videntur Bellarmino loco dicto: *Erasmus enim in praefatione paraphrasis in Matth. docuit, homines in infantia baptizatos, ubi adoleverint interrogandos esse, an habeant ratum, quod ipsorum nomine in baptismo promissum est; et si ratum non habeant, esse liberos dimittendos.* Ludovicus Vives annot. in c. 27. lib. 1. de civ. Dei dicit, *olim neminem consuevisse baptizari nisi adulta aetate et qui per se peteret baptismum et intelligeret, quid sit baptizari.* Respondemus: Erasmus in praefatione illa diserte profitetur, se plurimum dissentire ab iis, qui laicos et illiteratos in totum putant submovendos a lectione sacrorum voluminum; improbat sententiam eorum, qui piaculum arbitrantur, si sacri libri vertantur in linguam Gallicam aut Britannicam; vellicat eos, qui sub Christi praetextu regnum mundanum tenent; sacerdotibus magna ex parte imputandum asserit, quod tam multos habeamus Christianos adeo rudes, ut non multo plus teneant sapientiae Christianae quam ii, qui sunt a Christiana religione alienissimi; detestatur eos, qui populum ineptis, nonnunquam et obscoenis jocis in feriis paschalibus ad cachinnos concitant; conqueritur, nos titulo, consuetudinibus, ceremoniis Christianos esse magis quam ex animo etc. Hoc ulcus tangi Bellarminus aegre tulit, ideo anabaptisticae haereseos maculam Erasmo adspergere voluit, a qua tamen alienus est, ut ex ipsis verbis liquet, quae sic habent: *Illud mihi videtur non mediocriter conducturum, si pueri baptizati, cum jam ad pubertatem perverint, jubeantur hujusmodi concionibus adesse, in quibus illis dilucide declaretur, quid in se contineat professio baptismi; deinde diligenter privatim examinentur a probis viris, satisne teneant ac meminerint ea, quae docuit sacerdos?* IX. 224—232.
Si comperientur, satis tenere, interrogentur, ratumne habeant, quod susceptores illorum nomine polliciti sunt in baptismo? Si respondeant, se ratum habere, tum publice renovetur ea professio simul congregatis aequalibus, idque ceremoniis gravibus aptis, castis, seriis ac magnificis, quaeque deceant eam professionem, qua nulla potest esse sanctior etc. *Ita fiet, ut adolescentes intelligant, quid principi suo praestare debeant et quibus studiis eniti ad veram pietatem; et interim majoribus etiam succurret, quot modis a votis suis exorbitarint* etc. *Verum hic geminus exsistet scrupulus, primum quod videatur iterari baptismus, id quod fas non est; deinde quod periculum sit, ne quidam audita professione non approbent, quod gestum est per vicarios. Prior ille facile discutitur, si haec sic gerantur, ut nihil aliud sint quam instauratio ac repraesentatio quaedam pristini baptismi* etc. *Posterioris difficilior est solutio; sed omnia tentanda sunt, ne quis resiliat a prima fide, quodsi non potest obtineri, fortassis expediet, illum non cogi, sed suo relinqui animo, donec resipiscat, nec ad aliam interim vocari poenam, nisi ut ab eucharistia sumenda reliquisque sacramentis arceatur, ceterum nec a sacris, nec a concionibus excludatur* etc. Haec omnia Erasmus, quae nullam praebent anabaptistici erroris suspicionem. Quod Ludovicum Vivem attinet, is habet ea, quae Bellarminus ipsi tribuit, videlicet *olim neminem admotum* IX. 233.
fuisse sacro baptisterio, nisi adulta jam aetate et cum idem ipse et sciret, quid peteret, quid sibi mystica illa aqua vellet, et se illa ablui peteret; sed addit, *audire se, in quibusdam Italiae urbibus morem veterem magna ex parte adhuc conservari,* quae verba Bellarminus omisit, quo consilio, non est obscurum; an vera Ludov. Vives retulerit Bellarmino utpote Italo probe constitit.

Bellarminus paedobaptismum ex Scripturis propugnans sibi ipsi contradicit.

184. Notandum hoc loco, quod Bellarminus lib 1. de bapt. c. 8. tria argumenta a Scripturis pro confirmatione paedobaptismi proferat, quorum primum ex figura circumcisionis, secundum ex duobus locis evangelii simul junctis, Johann. 3: *Nisi quis renatus fuerit* etc. Marc. 10: *Sinite parvulos ad me venire;* tertium ex praxi apostolorum integras familias baptizantium colligi asserit. Eccius in enchirid. c. 30. quatuor ex Scripturis affert argumenta pro paedobaptismo. Eundem ex Scripturis demonstrare nititur Franc. Suarez tom. 4. in Thomam fol. 255. Addatur Costerus in augm. eucharist. p. 74. Gregorius de Valent. lib. de bapt. c. 1. §. 3. urget argumentum ex c. 5. Ephes. Qui potest esse membrum ecclesiae, potest esse particeps baptismi. Jam vero parvulos

pertinere ad corpus Christi probat ex c. 2. Joël. Catech. Trid. part. 2. tract. de bapt. deducit paedobaptismum ex figura circumcisionis. Quin imo ipse pontifex, quem ab omni erroris periculo immunem asserunt, Innocentius III. c. Majores lib. 3. decretal. tit. 42. ex sacris literis baptismum parvulorum confirmare nititur; cur ergo (malum) et Bellarminus et alii Scripturae imperfectionem ex hoc capite probare satagunt, quod paedobaptismus ex ea demonstrari nequeat? Bellarminus lib. 4. de verbo Dei c. 4: *Baptisma infantum contra Anabaptistas ex Scripturis Lutherani probare non possunt, Catholici non solent.* **Acta colloquii Ratisbon. p. 133. fac. b. Monachii excusa: *Paedobaptismus non potest ex Scripturis demonstrari.* **

IX. 234. 185. **Fundamenta nostra paedobaptismi breviter haec sunt: 1. A communi peccati contagio et hinc orta baptismi necessitate Joh. 3, v. 5. confer 1. Cor. 15, v. 50; 2. A Dei universali et benevola voluntate 1. Tim. 2, v. 4. 2. Petr. 3, v. 9. Matth. 18, v. 14; 3. A vocatione parvulorum Matth. 19, v. 14. Marc. 10, v. 15. quos Lucas vocat τὰ βρέφη c. 18, v. 15. conf. Marc. 10, v. 16; 4. A consociatione infantum cum ecclesia Ephes. 5, v. 26; 5. A divinis promissionibus Genes. 17, v. 7. Rom. 9, v. 8. Actor. 2, v. 38. 39; 6. A generali mandato Christi Matth. 28, v. 19; 7. Ab amplitudine sacramentorum, quae sunt bona totius ecclesiae; 8. A fine et effectu baptismi, quorum infantes participes fieri debent; 9. Ab omnis impedimenti essentia: 1. ex parte Dei Matth. 18, v. 14; 2. ex parte ministri; 3. ex parte sacramenti; 4. ex parte suscipientis. Luc. 1, v. 41; 10. A circumcisione baptismi typo Col. 2, v. 11. Hebr. 9, v. 11. confer 1. Cor. 10, v. 2. Exod. 12, v. 37. 1. Petr. 3, v. 21; 11. A vaticinio Esa. 49,
IX. 235. v. 22; 12. Ab exemplo apostolorum Actor. 16, v. 15. 33. Actor. 18, v. 8. 1. Cor. 1, v. 16; 13. A testimoniis veterum et praxi ecclesiae.** Dicimus igitur, baptismum parvulorum sequentibus confirmari argumentis: 1. Ex universali mandato Christi in baptismi institutione. Matth. 28, v. 19: *Euntes docete omnes gentes et baptizate eos.* Particula universalis *omnes* manifeste probat, citra discrimen populi, sexus ac aetatis baptismum conferendum esse, ideoque cum parentes nomen suum dant Christo, etiam liberos eorum baptizandos et Christo inserendos esse, quod confirmat praxis apostolorum *integras familias baptizantium, Actor. 16, v. 15. 31. 33. c. 18, v. 8. 1. Cor. 1, v. 16.*

Argumenta pro paedobaptismo. 1. Ex universali Christi mandato baptizate omnes gentes.

Exceptio Anabaptistarum.

Excipiunt Anabaptistae, *mandatum esse, ut prius doceamur, postea baptizemus, prius ergo infantes docendos esse, quam baptizandos.* Respondemus: ablegat Christus discipulos suos ad gentes, quibus nihil quidquam de baptismo constabat; utique ergo institutio et informatio praemitti debebat; sed quando parentes de baptismo recte instituti eundem susceperunt, etiam liberos eorum baptizandos esse, exemplum apostolorum manifeste probat; **(Augustinus epistol. 89. ad Hilar.: *Tanto magis pro infantibus nos loqui debemus, quanto minus pro se loqui possunt*)** ac proinde distinguendum est inter ecclesiam constitutam et constituendam, uti et inter adultos ac infantes. In ecclesia constituenda adulti prius docendi, quam baptizandi; sed in ecclesia jamdudum constituta infantes Christianorum prius baptizandi, quam docendi. Declarari hoc potest ex sacramento circumcisionis, quae fuit figura baptismi. Cum Gen. 17, v. 10. omnes familiae suae masculos Abrahamus vi mandati divini circumcideret, adultos dubio procul de hac ceremonia prius instituit, sed cum Isaac ipsi nasceretur, non exspectat annos discretionis in ipso, sed octavo statim die eundem circumcidit, Genes. 21, v. 4. Adde quod in Graeco textu habeatur vocabulum μαθητεύσατε, discipulos facite, id quod fit non solum praedicatione verbi in adultis, sed etiam administratione baptismi, qui est sacramentum initiationis et primus in ecclesiam introitus in infantibus; unde haec duo media in verbis Christi postea exprimuntur: Discipulos facite, vel ecclesiam mihi colligite, primo *baptizantes*, secundo *docentes servare, quae ego praecepi vobis.* Sic decla- IX. 236.
ratur verbum μαθητεύσατε Joh. 4, v. 1: *Pharisaei audiverunt, Christum plures discipulos facere et baptizare quam Johannem.* Hac de re latius agemus in harmonia evangelica.

2. Ex peccati originalis contagio.

186. 2. Ex peccati originalis contagio, in quo et cum quo infantes nascuntur. Quicunque in peccatis concepti et nati sunt, illis aut aeternum pereundum aut regeneratione ad salutem opus est. Joh. 3, v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire regnum coelorum;* v. 6: *quod natum est ex carne, caro est.* Jam vero infantes in peccatis nati et concepti sunt, ut patet ex Psalm. 51, v. 7. Job. 14, v. 4. Rom. 5, v. 12. Ephes. 2, v. 3. Ergo illis aut aeternum pereundum, aut regeneratione ad salutem erit opus. Jam vero Deus non vult perire parvulos, ut postea late demonstrabimus, atque diserte illud exstat Matth. 18, v. 14: *Non est voluntas Patris vestri, ut pereat unus de pusillis istis.* Ergo regeneratione indigebunt ad salutem. Jam vero nullum datur aliud ordinarium medium regenerationis, quam verbum et baptismi sacramentum; per verbum non potest agi cum infantibus, sed tantummodo cum adultis, qui pervenerunt ad annos discretionis; restat igitur, ut per baptismum regenerentur, a peccati originalis contagio mundentur et salutis aeternae participes reddantur. Observanda vero hoc loco emphasis verborum Christi Joh. 3, v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non intrabit in regnum coelorum.* Primo in genere pronuntiat *nisi quis renatus fuerit* etc. Ergo infantes etiam complectitur eosque regeneratione indigere testatur secundo medium regenerationis exprimit, videlicet *aquam* baptismi, per quam Spiritus s. ad regenerationem est efficax; tertio addit manifestam rationem, quia *quod natum est ex carne, caro est.* Jam vero infantes sunt caro de carne, ergo si in regnum coelorum introire debeant, ex aqua et Spiritu eos renasci oportebit. Nemo ingreditur regnum coelorum, nisi renascatur ex aqua et Spiritu. Jam vero ad

infantes pertinet regnum coelorum, Matth. 19, v. 14. Ergo oportet eos renasci ex aqua et Spiritu.

Exceptiones Anabaptistarum.

Excipiunt Anabaptistae: *1. Baptismum esse lavacrum regenerationis et renovationis; jam vero infantes non indigere regeneratione et renovatione, cum non habeant originale peccatum.* Respondemus: hypothesis est falsissima, ut in tractatu de peccato originali latissime ostendimus. *2. Christum Joh. 3. de adultis tantum loqui; agit enim cum Nicodemo jam adulto.* Respondemus: Christus in genere de omnibus hominibus post lapsum loquitur, eosque ad unum omnes regeneratione indigere testatur, id quod non solum ex tenore verborum *nisi quis renatus fuerit* etc., sed etiam ex subjuncta ratione, *quod natum est de carne, caro est*, apprime conspicuum. Inde et ideo omnes homines regeneratione indigent, quia nascuntur caro de carne; *jam vero caro et sanguis non hereditabunt regnum Dei*, 1. Cor. 15, v. 50. Non in adulta demum aetate caro de carne nascimur, sed ex maternis visceribus egressi, quin imo in utero materno concepti, in peccatis concipimur ac nascimur, Psalm. 51, v. 7. Qua igitur specie infantes ab hoc Christi pronuntiato excludi possunt? *3. Conjungi aquam cum Spiritu, sicut Marc. 16, v. 16. fides conjungitur cum baptismo. Jam vero infantes Spiritu obtusi sunt et credere non possunt.* Respondemus: infantibus fidem omnino denegandam esse hypothesis est falsa, ut suo loco demonstrabitur. Spiritus cum aqua in verbis Christi ideo conjungitur, quia vis regenerandi non est ab aqua, sed a Spiritu s. per aquam baptismi efficaciter operante, esse autem infantes operationis hujus capaces, docet exemplum Johannis Baptistae qui in utero materno repletus fuit Spiritu s. Luc. 1, v. 41.

3. Ex liberali misericordissimi Dei promisso.

187. 3. Ex liberali misericordissimi Dei promisso, qui non solum infantes sibi offerri jubet, sed eosdem sese recepturum promisit. Genes. 17, v. 7: *Ero Deus tuus et seminis tui post te* (nimirum si illud
IX. 237. semen tuum per initiationis sacramentum quod in V. T. fuit circumcisio, in N. autem baptismus, mihi offeratur; unde statim additur v. 10: *hoc autem foedus meum, circumcidetur in vobis omne masculinum).* Matth. 18, v. 14: *Non est voluntas Patris vestri coelestis, ut pereat unus de pusillis istis* (*εἷς τῶν μικρῶν τούτων*). Matth. 19, v. 13: *Tunc oblati sunt ei parvuli, τὰ παιδία, ut manus eis imponeret et oraret, discipuli autem increpabant eos;* v. 14: *Jesus vero ait eis: Sinite parvulos et nolite eos prohibere ad me venire, talium enim est regnum coelorum;* v. 15: *et cum imposuisset eis manus, abiit inde.* Marc. 10, v. 14. Luc. 18, v. 16. haec historia repetitur et additur: *Amen dico vobis, quisquis non receperit regnum Dei ut parvulus, non intrabit in illud.* Luc. 18, v. 15. vocantur *τὰ βρέφη* tenelli *infantuli*, ac Marc. 10, v. 13. vocabulum *προσφέρειν* de illis usurpatur, quin et v. 16. Christus dicitur eos *ἐναγκαλισάμενος* in ulnas sublatos fuisse complexum. Inde sic concludimus: Quos Christus sibi vult adduci, illi non sunt a baptismo arcendi. Jam vero infantes tenellos Christus sibi jubet adduci. Ergo non sunt a baptismo arcendi. Sicut a circumcisione non fuerunt olim in V. T. exclusi, ne a gratia Dei et salute aeterna excluderentur, Gen. 17, v. 14. ita quoque a baptismo in N. T. non sunt excludendi, ne itidem a Dei gratia et salute aeterna excludantur, Joh. 3, v. 5. Sic Actor. 2, v. 38. dicit Petrus: *Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum in nomen Jesu*; v. 39: *vobis enim et filiis vestris facta est promissio et omnibus, qui longe sunt, quoscunque advocaverit Dominus Deus vester.* Ad quos pertinet promissio foederis, illi etiam per baptismum in foedus Dei recipiendi sunt. Jam vero promissio foederis pertinet non solum ad adultos credentes, sed etiam ad ipsorum liberos. Ergo liberi fidelium sunt baptizandi. Observandum etiam, in genere mentionem fieri liberorum sine ulla aetatis discretione, perinde ut in circumcisionis institutione mentio fit seminis, qua appellatione infantes adhuc tenellos comprehendi manifestum est; ergo ut illi olim per circumcisionem in foedus Dei fuerunt recepti, ita et hodie per baptismum in illud sunt recipiendi.

Exceptiones Anabaptistarum.

Excipiunt Anabaptistae: *1. Christum in personis parvulorum benedixisse parvulis innocentia et humilitate, non autem aetate, neque enim dicit, horum est regnum coelorum, sed talium.* Respondemus: quamvis Christus in illis parvulis humilitatem et innocentiam nobis commendare voluerit, tamen simul indicavit, infantilem aetatem non esse alienam a regno Dei, jubet enim nos converti et similes effici parvulis Matth. 18, v. 14. quod quomodo haberet locum, nisi etiam parvulis pateret aditus ad regnum coelorum? Ita quoque diserte dicit Marc. 10, v. 14: *Sinite parvulos ad me venire*, ubi historice loquitur de illis, quos multi offerebant, quibus etiam benedicit; ergo addita ratio, *talium enim est regnum coelorum*, etiam veris parvulis convenire debet. Adde quod Anabaptistae ipsi non excludant parvulos simpliciter ex regno coelorum, licet sine fide et baptismo eos salvari asserant. *2. Parvulos Christo allatos fuisse grandiusculos usum rationis habentes, cum a Christo dicantur advocati et in medio statuti* Matth. 18, v. 2, *cumque jubeantur ipsis permittere, ut veniant ad Christum.* Marc. 10, v. 14: *Jam vero non veniunt nisi grandiores.* Respondemus: Lucas eos vocat *τὰ βρέφη* c. 18, v. 15. quod vocabulum perpetuo infantem adhuc tenellum et plerumque adhuc lactentem significat. Sic Luc. 1, v. 41. et 44. infans in utero adhuc conclusus vocatur *βρέφος*, Luc. 2, v. 12. et 16. infans in cunis adhuc vagiens dicitur *βρέφος*. Actor. 7, v. 19. infantes Israëlitici vixdum in lucem editi vocantur *βρέφη*. 1. Petr. 2, v. 2. *ὡς ἀρτιγέννητα βρέφη*. Adde quod evangelistae testentur, IX. 238.
hosce infantes ad Christum *in ulnis allatos esse*, *προσέφερον δὲ αὐτῷ καὶ τὰ βρέφη*, Syr. מְקַרְבִין *fecerunt ei appropinquare*, eosdemque in ulnis a Christo susceptos *ἐναγκαλισάμενος αὐτούς*, Syr. paraphr. sic habet וַשְׁקַל אֶנּוּן עַל דְּרָעַוְהִי *et sustulit eos in ulnas suas.* Ergo vox venire accipitur largo

modo, pro eo quod est accedere, adduci et appropinquare. *3. Parvulos illos octavo die circumcisos et foederi divino insertos fuisse, ab illis igitur ad parvulos non baptizatos argumentum nequaquam procedere.* Respondemus: id ipsum nostram potius confirmat sententiam. Si enim infantes per circumcisionem olim foederi divino fuerunt inserti, utique et hodie nostri infantes per baptismum Christo debent inseri vi divinae hujus promissionis et mandati, quod infantes sibi oblatos promte recipere velit. Lutherus epistol. de Anabapt. tom. 4. Jenens. Germ. fol. 414. urget hoc, quod inter hos pueros procul dubio etiam fuerunt femellae non circumcisae. *4. Aliud superesse medium, per quod infantes Christo offerri possint, scilicet preces.* Respondemus: inclusio unius non est exclusio alterius. Non negamus, infantes in utero adhuc conclusos precibus Christo offerendos et commendandos esse, quas preces etiam clementer exaudit et infantes illos, qui vel in utero materno, vel jamdum in lucem editi sine baptismo moriuntur, in gratiam recipit, interim tamen ordinarium illud medium, per quod infantes Christo adducendi, est et manet baptismus.

4. Ex aditu ad baptismi beneficia infantibus obvio.

188. 4. Ex aditu ad baptismi beneficia etiam infantibus patente et obvio. Quicunque aditum habent ad baptismi beneficia, illi a baptismo non sunt arcendi. Infantes habent aditum ad baptismi beneficia. Ergo a baptismo non sunt arcendi. Assumtum ex enumeratione beneficiorum baptismi conspicuum. Baptismus est *lavacrum regenerationis et renovationis*, Tit. 3, v. 5. jam vero qui in hunc mundum nascuntur, *ex aqua et Spiritu* regenerari possunt, Joh. 3, v. 5. Per baptismum fides excitatur; jam vero infantes fidei sunt capaces, ut postea demonstrabimus. Per baptismum contingit remissio peccatorum, receptio in foedus gratiae, υἱοθεσία et salus aeterna; jam vero ad communionem illorum beneficiorum Christus infantes vocat, dum eos sibi adduci jubet ac talium esse regnum coelorum pronuntiat. Parvuli participes sunt peccati ab Adamo in mundum introducti, cur ergo non possent fieri participes beneficii Christi? an plus posset culpa, quam gratia? contrarium docet apostolus Rom. 5, v. 20. Hoc argumentum quidam sic formant: Si non deberent infantes baptizari, aut impedimentum esset ex parte Dei, aut ex parte ministri, aut ex parte sacramenti, aut ex parte suscipientis; sed non est impedimentum ex parte Dei, nulla enim exstat prohibitio divina, quod infantes non debeant baptizari, quin potius testatur *Christus, non esse voluntatem Patris coelestis, ut pereat unus de parvulis istis*, Matth. 18, v. 14. Nec est impedimentum ex parte ministri, is enim aeque potest aquam in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti super infantem affundere quam super adultum. Nec est impedimentum ex parte sacramenti, cum omnia baptismi essentialia in infantibus habeant locum. Nec est impedimentum ex parte suscipientis; cum enim infantes actuali impoenitentia et incredulitate oblatam in baptismo gratiam non repudient, ad baptismum utique sunt admittendi. IX. 239.

Exceptio Anabaptistarum.

Excipiunt Anabaptistae: *Baptismum non prodesse, nec quemquam beneficiorum Christi participem fieri absque poenitentia. Jam vero infantes poenitere nesciunt.* Respondemus: quo modo Spiritus sanctus fidem operatur in infantibus, eo etiam modo poenitentiam in illis excitat; jam vero Spiritus sanctus modo nobis incomprehensibili fidem in infantibus excitat, ut postea demonstrabitur. Ergo et poenitentiam. Bellarminus respondet, *poenitentiam tantummodo propter actualia peccata, non autem propter originale requiri, cum non recte poenitentiam agat quis ejus peccati, quod ipse non commisit et quod in ejus potestate non fuit.* Sed haec responsio nititur falsa hypothesi, quod scilicet nullum sit coram Deo vere et proprie dictum peccatum, quod non sit voluntarium, hoc est deliberata voluntate commissum. Propheta regius ad originalis peccati considerationem in poenitentia sua descendit, Ps. 51, v. 7. atque occultorum peccatorum veniam sibi concedi petit, Psalm. 19, v. 13.

5. Ex generali ecclesiae termino.

189. 5. Ex generali ecclesiae termino. Cum enim Christus ecclesiam suam *lavacro aquae in verbo mundare dicatur* Ephes. 5, v. 26. et vero infantes itidem sint ecclesiae membra; utique a baptismo non erunt excludendi. Quod infantes ecclesiae membra dicimus, id de libero ad ecclesiam aditu intelligimus, quem dicimus ipsis patere vi divinae promissionis. Genes. 17, v. 7: *Ero Deus tuus et Deus seminis tui.* Ex loco Ephes. 5. sic concludimus: Quoscunque Christus dilexit et pro quibus se ipsum in mortem tradidit, eos lavacro aquae in verbo, hoc est baptismo, vult mundare, ut beneficiorum mortis suae reddantur participes. Jam vero Christus non solum adultos, sed etiam infantes dilexit ac pro iis se ipsum in mortem tradidit. Ergo et hos baptismo vult mundare. Item parvulos Deus vult fieri salvos, ut constat ex Matth. 18, v. 14. Jam vero extra ecclesiam non est salus, ut habet pervulgatum axioma ex symbolo apostolico deductum: *Credo sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum et vitam aeternam.* Ergo infantes recipiendi sunt in ecclesiam. Jam vero non nisi per baptismum in ecclesiam recipi possunt, modo scilicet ordinario, unde baptismus vocatur primus ad ecclesiam introitus ac prima porta gratiae. Actor. 2, v. 41: *Qui receperunt sermonem ejus, baptizati sunt, et appositae sunt in die illa animae circiter tria millia;* ex quo apparet, quod baptizari sit populo Dei sive ecclesiae apponi. Ergo infantes etiam sunt baptizandi.

Exceptio Anabaptistarum.

Excipiunt Anabaptistae: *Non omnes infantes esse membra ecclesiae, cum multi ex illis sint reprobi, abstinendum igitur a baptismo infantum, ne sacramentum per nostram ignorantiam profanetur.* Respondemus: hoc argumentum procedit in schola Bezae et complicum ipsius, qui statuunt, infantes quosdam absoluto Dei decreto rejectos non regenerari, etiamsi millies baptizentur; sed cum hoc errore nobis nihil est commercii, qui

infantes etiam reprobos, hoc est eos, qui progressu aetatis a gratia excidunt et aeternum pereunt atque hoc modo se reprobos esse ipso actu ostendunt, vere per baptismum regenerari dicimus.

6. Ex circumcisionis typo.

190. 6. Ex circumcisionis typo. Genes. 17, v. 12. jubet Deus, ut puelli Israëlitici octavo statim a nativitate die circumcidantur; jam vero baptismus in N. T. successit in locum circumcisionis, Col. 2, v. 11. ergo ut infantes V. T. per circumcisionem in foedus Dei sunt recepti, ita quoque infantes N. T. per baptismum foederi divino erunt inserendi. Huc pertinet transitus Israëlitarum per mare rubrum, IX. 240. quem typum baptismi fuisse docet apostolus 1. Cor. 10, v. 2. jam vero in illo comitatu fuerunt complures infantes, Exod. 12, v. 37. Ergo ut typo respondeat antitypon, infantes etiam erunt baptizandi. Cumprimis vero huc referendum vaticinium Esa. 49, v. 22: *Gentes afferent filios suos in ulnis et filias suas super humeros portabunt.* Bellarminus dicit, *hoc argumentum ab Anabaptistis facile eludi posse, cum a nobis proponitur, cum baptismum esse velimus concionem, quod de circumcisione dici non possit.* Respondemus: per concionem sive *verbum concionale*, (ut Bellarminus loquitur lib. 1. de sacram. c. 19.) non potest agi cum infantibus, per baptismum cum illis agi posse dicimus; quomodo igitur ex nostra sententia baptismus nihil aliud est quam concio? imo vero est salutare sacramentum ad regenerationem et salutem non solum adultis, sed infantibus etiam efficax. Nos eandem efficaciam circumcisioni et baptismo ad regenerationem tribuimus, Pontificii autem omnem efficaciam spiritualem circumcisioni denegant. Ergo hoc argumentum a circumcisione petitum facilius eludi potest ab Anabaptistis, cum a Pontificiis, quam cum a nobis ipsis proponitur. Sed non opus est dubiis conjecturis, qua exceptionis via elabi conentur Anabaptistae, cum ex publicis ipsorum scriptis constet, his subterfugiis ipsos uti:

Exceptiones Anabaptistarum.

1. De circumcisione infantum exstare expressum mandatum, non autem de baptismo eorundem. 2. Masculos solummodo circumcisos fuisse, consequens igitur fore, etiam hos solum baptizandos. 3. Circumcisionem octavo aetatis die susceptam, ergo et baptismum ad illum temporis articulum restringendum. Haec sunt, quae argumento nostro opponunt, in quibus dissolvendis utiliorem operam navasset Bellarminus, quam dum novas exceptiones fingit. Respondemus autem: 1. quamvis totidem verbis ac syllabis in Scripturis non contineatur haec propositio, infantes esse baptizandos, eam tamen evidenter et aperte ex Scripturis colligi posse. 2. Circumcisionis essentialia non habuisse locum in femellis, baptismi autem substantialia in omnibus hominibus locum habere. 3. Administrationem circumcisionis ad octavum diem peculiari divino mandato adstrictam fuisse, nimirum propter periculum vitae tenellis infantibus ex dolore circumcisionis metuendum. Sed tale periculum quoddam in baptismi usu non occurrere, ideo merito quam potest fieri primum ad baptismum afferuntur, interim collatio inter circumcisionem et baptismum perstat immota, quod quemadmodum infantes V. T. per circumcisionem in foedus Dei fuerunt recepti; ita quoque infantes N. T. per baptismum in foedus Dei sint recipiendi, ut regenerationis ad vitam aeternam fiant participes. Una eademque causa efficiens principalis circumcisionis et baptismi, una eademque utriusque sacramenti necessitas, eadem vis et efficacia, ergo ut a circumcisione non fuerunt infantes exclusi, ita nec a baptismo excludendi sunt, alias gratia Dei in N. T. restrictior et angustior esset, quam fuit in veteri. ** 7. Ex typis V. T. In arca Noae non tantum fuerunt servati adulti, sed etiam infantes. Per mare rubrum transierunt non tantum adulti, sed etiam infantes.**

Testimonia veterum pro paedobaptismo.

191. Nec destituitur paedobaptismus testimoniis veterum. Dionysius lib. eccles. hierarch. cap. ult.: *Ab apostolis traditum asserit, ut infantes baptizentur.* Justinus in qq. ad orthod. qu. 56. paedo- IX. 241. baptismi meminit. Irenaeus lib. 2. c. 39. dicit, *salvari omnes, qui renascuntur in Christo infantes, pueros, juvenes et senes.* Apud Originem exstat locus egregius lib. 5. in c. 6. Rom. tom. 2. p. 543: *Ecclesia traditionem ab apostolis suscepit, etiam parvulis dare baptismum. Sciebant enim illi, quibus mysteriorum secreta commissa sunt divinorum, quia essent in omnibus genuinae sordes peccati, quae per aquam et Spiritum ablui deberent, propter quas etiam corpus ipsum corpus peccati nominatur.* Cyprianus in epist. ad Fidum lib. 3. epist. 8: *Universi judicavimus* (in concilio 66 episcoporum) *nulli hominum nato misericordiam et Dei gratiam denegandam* etc. *Nam Deus ut personam non accipit, sic nec aetatem, cum se omnibus ad coelestis gratiae constitutionem aequalitate librata praebeat patrem.* Et sub finem epistolae: *Haec fuit in concilio nostra sententia, a baptismo atque a gratia Dei, qui omnibus misericors et benignus et pius est, neminem per nos prohiberi debere, quod cum circa universos observandum sit ac retinendum, tum magis circa infantes ipsos et recens natos observandum putamus, qui hoc ipso de ope nostra et misericordia divina plus merentur, quod in primo statim nativitatis ortu plorantes ac flentes nihil aliud faciunt, quam deprecantur.* Haec verba Cypriani allegat Augustinus lib. 3. de pecc. merit. et remiss. c. 5. Ambrosius lib. 2. de Abrah. c. 11: *Christus jubet omnes gentes baptizare, ergo hic non senex proselytus, non infans vernaculus excipitur, quia omnis aetas peccato obnoxia et ideo omnis aetas sacramento idonea.* Augustinus etiam lib. 4. de bapt. contra Donatist. c. 623. et 24. lib. 10. de Gen. ad lit. c. 23. lib. 1. de orig. animae ad Hiernonym. c. 5. et 18. lib. 2. contra Pelag. et Coelest. de peccat. orig. c. 40. lib. 2. de nupt. et concup. c. 3. atque alibi passim paedobaptismi meminit. lib. 1. de peccator. mer. et remission. c. 26. dicit, *Pelagianos non fuisse ausos negare baptismum parvulorum, quod viderent, nimis aperte cum tota ecclesia pugnandum fuisse, si eum negarent.* Vide etiam

Hieronymum lib. 3. contra Pelag. Cyrillum lib 8. in Levit. c. 8. Gregorium Nazianzenum orat. 40. de bapt. num. 16. p. 648. coll. num. 27. p. 658. Basilium in exhort. ad bapt. Ambrosium lib. 2. de vocat. gent. c. 8. etc. quin et synodorum decretis confirmatus est paedobaptismus, ut in concilio Carthaginensi anno 407. Milevitano anno 420. Gerundensi et Bracarensi. Haec omnia complectitur Jacobus Pamelius in notis ad Cyprian.
IX. 243. epist. 8. lib. 3: *Baptismum parvulorum* (inquit) *agnoscunt.* Cyrillus Hierosolymitanus *catech. myst. 1.* Gregorius Nazianzenus *orat. 3. in s. lavac.* Chrysostomus *ad neoph. hom. 3. in Gen. in Psalm. 12.* Ambrosius *in Lucam. Eundem* D. Augustinus *ab universa ecclesia observatum fuisse testatur frequenter, praesertim autem epist. 28. lib. 3. de peccat. merit. et remiss. c. 7. 8. 9. ubi totam fere hanc citat epistolam, quomodo etiam lib. 4. contra duas epistolas Pelag. c. 8. lib. 2. contra Julian. c. 3. confirmat eundem baptismum hac sententia Cypriani et collegarum.* D. Hieronymus *sub finem libr. 3. dial. contra Pelag. imo concil. Milevit. can. 2. anathemate eum damnat, qui negat baptizandos parvulos recentes ab uteris matrum. Ante vero D. Cyprianum ejusdem mentionem disertis verbis reperire est apud Origenem in Levit. homil. 8. in Luc. et in epistola Rom. 6. Tertullianum lib.*
IX. 244. *de anima, Irenaeum lib. 2. c. 39. Justinum Martyr. qu. 56. Clementem Rom. lib. 6. et Dionysium Areopag. cap. ult. eccles. hierarch. qui Dionysius in traditionem apostolorum eum refert, ad quam eundem referunt Origenes in 6. Rom. Augustinus lib. 10. de Genes. ad lit. c. 23. c. lib. 4. de bapt. contra Donat. c. 24.* Haec Pamelius.

Argumenta Anabaptistarum.

192. Argumenta Anabaptistarum pleraque omnia nituntur falsis hypothesibus, utpote quod infantes careant originali peccato; quod infantes non sint capaces fidei, quod infantes non possint induere novum hominem, quod baptismi et eucharistiae sit eadem ratio, ideo vel ad utrumque sacramentum infantes admittendos, vel ab utroque arcendos; quorum omnium solida refutatio ad alium locum pertinet.

1. Nullum habetur mandatum vel exemplum paedobaptismi.

Videamus potiora ipsorum fundamenta. *1. In sacris literis nullibi invenitur paedobaptismus et nullum de eo mandatum vel exemplum habemus. Ergo merito est rejiciendus.* Respondemus: 1. diximus superius, quamvis totidem verbis et syllabis haec propositio: infantes sunt baptisandi, non exstet in Scripturis, eam tamen firmissima et evidentissima consequentiae regula ex illis posse deduci, praesertim si accurate et oculo quod dicitur irretorto hae tres hypotheses observentur, primo quod infantes sunt in peccatis concepti et nati, adeoque natura filii irae; secundo quod Deus non velit illos perire, sed potius sibi offerri ac salvari; tertio quod non detur ordinarie aliud regenerationis medium quam baptismus. Haec tria si ex sacris literis firmiter demonstrentur, id quod in proclivi admodum est, immediate ex eo infantum baptismus sequitur. 2. Feminas baptizandas iisdemque eucharistiam dandam non potest ostendi totidem verbis et κατὰ τὸ ῥητὸν in Scripturis contineri. Interim tamen ex illo generali praecepto, *baptisate omnes gentes*, *et bibite ex hoc omnes*, deduci potest. Eadem est paedobaptismi ratio, qui deduci potest ex iisdem verbis, *baptisate omnes gentes.* 3. Quod Christus non dederit apostolis peculiare aliquod et expressum mandatum baptizandi infantes, factum ex eo, quod apostolis notum, infantes per circumcisionem in foedus Dei in V. T. fuisse receptos, idem ergo esse judicium de baptismo in N. T. cum gratia Dei non sit strictior, arctior et angustior in N. quam in V. T. 4. Bellarminus respondet, argumentum hoc anabaptisticum adversus nos magnas habere vires, cum principio illo passim utamur, quod non sit aliquis articulus fidei, qui non contineatur in Scripturis. Respondemus: non solum ea amplectimur, quae disertis et expressis verbis in Scripturis exstant, sed etiam quae justa concludendi ratione ex illis deducuntur, jam vero ipse Bellarminus in hoc capite 9. fatetur, satis aperte et evidenter paedobaptismum ex Scripturis deduci posse. Resp. ad 1. et 8. argumentum, id vero nobis contra Anabaptistas sufficit.

2. Christus trigesimo demum aetatis anno baptizatus est.

193. 2. *Christus trigesimo demum aetatis anno baptisatus est, Matth. 3, v. 16. Luc. 3, v. 22. jam vero omnis Christi actio est nostra institutio, Matth. 11, v. 29. c. 16, v. 24. Ergo et noster baptismus ad annos discretionis differendus.* Respondemus: 1. si Christus usu baptismi sui certum tempus baptizandi praescribere voluisset, consequens fuerit, non nisi trigesimo aetatis anno baptismum suscipiendum esse, id vero ne ipsi quidem Anabaptistae observant, sed in primis statim discretionis annis homines baptizant. Quidam tamen Anabaptistarum magistri contendunt, non nisi 30. aetatis anno propter hoc exemplum Christi baptismum suscipi debere, de quo prius inter se transigant. Vide Calvinum lib. 4. instit. c. 6. §. 29. 2. Ideo Christus in infantili aetate baptizari noluit, quia baptismus tunc nondum erat institutus, siquidem Johannes Baptista anno Christi 29. primum baptismum administravit. 3. Quin imo in ipsa infantia Christus est circumcisus; jam vero baptismus successit in locum circumcisionis, Coloss. 2, v. 11. Ergo ut Christus in infantili aetate circumcisus, ita quoque baptismus infantibus IX. 245.
administrandus. 4. Magna est dissimilitudo baptismi a Christo et aliis suscepti, quam exponit Nazianzenus orat. in s. baptismo, quae est 40: *Christus non opus habuit baptismo pro sua persona, cum fuerit innocens, impollutus et a peccatoribus segregatus, suo autem baptismo nostrum consecrare et sanctificare voluit; sed nos in ipsa infantia baptismo indigemus, cum in peccatis nati et concepti simus.* Christus baptismum sine ullo periculo differre potuit mortis et vitae suae potestatem habens plenissimam, Joh. 10, v. 18. nos autem sine periculo salutis praesentissimo differre eundem non possumus, cum ignoremus, quid die crastino futurum sit, Jac. 4, v. 14. Christus tum demum baptizari voluit, cum inchoaret ministerium propter causas paulo post exponendas; sed hoc tempore ministerium N. T. jam-

dudum inchoatum et gentes ad ejus communionem vocatae. 5. Baptizari voluit Christus anno aetatis trigesimo, tum propter typum Josephi anno aetatis trigesimo constituti principis Aegyptii Genes. 41, v. 46. et sacerdotum Leviticorum, qui etsi anno aetatis 25. recipiebantur in collegium sacerdotum, tamen ante annum aetatis 30. non admittebantur ad usum et exercitium ministerii, Num. 4, v. 3. Deut. 4. etc. tum propter crescentem in se gratiam Patris et sapientiam cum aetatis augmento, tum denique ut suo exemplo moneret, illis, qui ad *ἀκμὴν* aetatis pervenerunt, ministerium committendum esse. Nazianzenus in orat. in s. lumina, quae est 39. circa finem: *Christus baptizatus est, cum initium edendorum signorum fecisset, quae res nobis documento esse debet κηρύσσειν ἐν τελειότητι καὶ τῆς πνευματικῆς, καὶ τῆς σωματικῆς ἡλικίας, concionandi provinciam non ante suscipi debere, quam ad spiritualis et corporeae aetatis perfectionem ventum fuerit*, ita vertit Billius. 6. Omnia quidem facta Christi ad doctrinam nobis proposita sunt, non tamen ad imitationem sine ullo discrimine, cum quaedam facta sint heroica et singularia ac in quibusdam destituamur causis, propter quas hoc vel illud agendum Christus suscipere voluit. 7. Apostoli baptizarunt integras familias. Eccui autem verisimile est, omnes in illis annum aetatis 30. attigisse?

3. Infantes non intelligunt capita foederis baptistici.

194. 3. *Foedus iniri debet inter eos, qui habent scientiam, conscientiam et intelligentiam. Jam vero infantes non intelligunt capita foederis, quod in baptismo Deus nobiscum init.* Respondemus: 1. Circumcisio utique erat Dei foedus, Genes. 17, v. 10. atqui infantes die 8. circumcidebantur, quos tamen hoc argumentum a Dei foedere excluderet. 2. Foedera inter homines inita conditionem illam requirunt, ut parti utrique de capitibus eorum expresse constet, sed Deus etiam cum irrationalibus creaturis foedus suum erigit, Genes. 9, v. 10. quanto magis cum infantibus adhuc tenellis foedus inire poterit, licet usu rationis destituantur. 3. D. Mylius in August. confess. artic. 9. p. 158. sic respondet: *Stipulatio, quae fit in baptismo, non tam pendet ex humana quam ex divina auctoritate, neque ab homine magis quam a Deo ipso proficiscitur. Deus enim est potissimum, qui illic stipulatur, se baptizato esse propitium. Hic quamvis ab infante aperta vicissim non praestetur stipulatio, quia tamen pacta jure ipso sunt reciproca et Deo in populum suum constat jus liquidissimum, satis est, esse tacitam pro tempore stipulationem, quae temporis progressu vigorem, etiam externum manifestae stipulationis acquirit.* 4. Quin imo cum inter homines quandoque talia ineantur foedera, in quibus infantum loco parentes spondent et in capita foederis compromittunt, quanto magis cum infantibus Deus poterit inire foedus, quorum os et advocatus Christus diserte inquit: *Sinite parvulos ad me venire, quia talium est regnum coelorum*, Matth. 19, v. 14. Marc. 10, v. 14. Luc. 18, v. 16. id ipsum ex ore Christi de fide infantum repetunt patrimi, sponsores ex eo appellati.

4. Infantes non credunt. IX. 246.

195. 4. *Sacramenta non prosunt absque fide. Jam vero infantes non credunt.* Ergo. Respondemus: 1. Infantes non afferunt secum fidem ex utero materno ad baptismum, interim tamen per ipsum baptismi sacramentum Deus fidem operatur in cordibus ipsorum, ut superius ostendimus. 2. Siquidem baptismus est *lavacrum regenerationis*, Tit. 3, v. 5. jam vero regeneratio sine fide non habet locum. Per baptismum *mundat Christus ecclesiam*, Ephes. 5, v. 26. jam vero *fide purificantur corda*, Actor. 15, v. 9. Per baptismum datur remissio peccatorum, justitia et vita aeterna, haec vero non habent locum sine fide. 3. Invertimus igitur argumentum; infantes non habent fidem, scilicet naturae corruptae respectu, quia propter carnalem ex parentibus generationem sunt caro. Ergo sunt baptizandi, ut fidem et salutem consequantur. 4. Repetimus collationem verbi visibilis et audibilis. *Verbum non prodest nisi misceatur fide eorum, qui id audiunt*, Hebr. 4, v. 2. nihilo tamen minus verbi praedicatio est efficax medium, per quod Deus vult operari fidem in cordibus hominum, Joh. 17, v. 20. Rom. 10, v. 17. eorum puta, qui non resistunt Spiritui sancto, Actor. 7, v. 51. Sic etiam sacramentum baptisticum non prodest sine fide, interim tamen est efficax medium, per quod Deus fidem, regenerationem et salutem in cordibus infantum ex gratia operatur. Lutherus in epistol. de anabaptismo tom. 4. Jenens. Germ. fol. 413: *Idem Christus in baptismo et apud baptismum praesens est, imo ipse baptizat, ad Johannem in utero matris conclusum veniebat. Idem est, qui in baptismo per os ministri loquitur, sicut per os matris ibi loquebatur.* 5. Cum quidam infantes Christo offerrent, apostoli eodem modo colligebant; infantes illi non habent fidem, nec docendo cum illis quidquam agi aut profici potest, ergo arcendi sunt a Christo, donec adolescant ac doceri possint; sed Christus discipulos propterea increpat et juramento confirmat, velle se pueros recipere in regnum coelorum etc. Reliqua argumenta anabaptistica facilem habent explicationem ex superioribus.

Farrago argumentorum anabaptisticorum.

196. Sic Servetus in lib. 4. de regeneratione haec profert argumenta: *1. Christi symbola sive sacramenta sunt perfecta; ergo non nisi perfectos ad sui perfruitionem admittunt. Jam vero infantes sunt imperfecti.* Respondemus: sacramenta dicuntur perfecta non ratione objecti sive hominis utentis, sed partim ratione causae efficientis, partim ratione causae finalis et effectus. Invertimus igitur argumentum; quia infantes sunt imperfecti. Ergo baptizandi. *2. Christi symbola instituta sunt ad commemorationem; infantes id praestare non possunt.* Respondemus: de eucharistia peculiariter id asserit apostolus 1. Cor. 11, v. 26. ad quam infantes non admittimus. Baptismus est lavacrum rgenerationis, Tit. 3, v. 5. qua cum indigeant infantes, a baptismo non sunt excludendi. *3. Spiritualibus quadrant*

spiritualia, 1. Cor. 2, v. 13. *Baptismus est spiritualis; infantes carnales.* Respondemus: dictum apostoli agit de intelligentia mysteriorum divinorum, quae non cadit in homines carnales et profanos, infantes quia sunt caro de carne ac proinde carnales, ideo indigent regeneratione ex aqua et Spiritu, ut introeant in regnum coelorum, Joh. 3, v. 5. 4. *Per regenerationem deos fieri nos constat, illi vero habendi pro diis, ad quos verbum Dei factum est.* Respondemus: si in majore propositione intelligitur *υἱοϑεσία*, dicimus, eam in infantes cadere ac proinde, ut ejus participes fiant, baptizandos esse. 5. *Infantes non possunt censeri inter novos homines, quia non gignuntur per verbum Dei, quod audire nequeunt.* Respondemus: non solum verbum, sed et
IX. 247. baptismus est regenerationis medium. 6. *In V. T. non fuit fas oves et capras, statim atque ex utero egressae erant, in sacrificium offerre, ubi per allegoriam notati infantes.* Respondemus: theologia allegorica non est argumentativa. Quid, quod primogenita omnia, simul ac vulvam aperuerunt, Deo fuerunt consecranda? Exod. 13, v. 12. Et quare peregrinas quaerunt allegorias omisso circumcisionis typo? 7. *Trismegistus et Sibyllae testantur, quod sacrae ablutiones non conveniant nisi adultis.* Respondemus: sacrae literae sunt unicum et proprium theologiae principium, ex quo argumenta apodictica in quaestionibus theologicis peti possunt.

Christianorum infantibus patere aditum ad baptismum. Quinam hoc nomine intelligantur. 1. Qui ex Christianis parentibus sunt nati.

197. Cum demonstratum fuerit hactenus, infantes baptizandos esse, quaeritur ulterius, quinam infantes baptizandi sint? Respondemus Christianorum infantibus patere aditum ad baptismum. Intelligimus autem hoc nomine 1. illos, qui ex Christianis parentibus sunt nati, hoc est quorum parentes fidem Christianam profitentur, amplectuntur verbum ac sacramentis utuntur, licet vera et salvifica fide aliquando destituantur, nec sint in numero electorum, Genes. 17, v. 7. pollicetur Deus, se fore *Deum Abrahae ac seminis ejus.* Vi hujus promissionis circumcidit Abraham non solum Ismaëlem tredecim annos natum, v. 25. sed etiam Isaacum octavo aetatis die, Genes. 21, v. 4. Quare cum nos Christiani in N. T. non amplius *alieni* simus *a testamentis promissionis* Ephes. 2, v. 12. *sed propinqui facti* v. 13. etiam ad nos pertinet haec promissio, ac proinde vi illius promissionis liberi nostri non solum adulti, sed etiam infantes ad baptismum, qui in locum circumcisionis successit Col. 2, v. 11. admittendi sunt. Actor. 2, v. 38: *Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi;* v. 39: *vobis enim et filiis vestris facta est promissio.* Ex eo, quod Judaeis et ipsorum liberis promissio facta, concludit Petrus, quod utrique baptismum suscipere debeant. Ergo cum Christiani in N. T. ejusdem promissionis participes sint facti, consequens est, etiam liberos ipsorum baptizari et posse et debere. Actor. 3, v. 25: *Vos estis filii prophetarum et foederis, quod iniit Deus cum patribus vestris.* ** De Judaeorum infantibus Christus dicit Marc. 10, v. 14: *Sinite parvulos ad me venire;* Cananaeae vero mulieri pro filia intercedenti respondet Matth. 15, v. 24: *Non sum missus nisi ad oves perditas domus Israël, et non est bonum sumere panem filiorum et objicere canibus.* ** 1. Cor. 5, v. 12: *Quid ad me attinet etiam de his, qui foris sunt, judicare? nonne de his, qui intus sunt, judi-* IX. 248.
catis? eos vero, qui foris sunt, Deus judicat. Per illos, qui intus sunt, intelliguntur nati in gremio ecclesiae; per illos, qui foris sunt intelliguntur nati extra ecclesiam. Qui sunt in gremio ecclesiae, una cum liberis utuntur verbo et sacramentis, quae sunt propria ecclesiae bona; de illis vero, qui extra ecclesiam nati sunt, dicit apostolus: *Quid ad me attinet etiam de his judicare?* 1. Cor. 7, v. 14: *Sanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem et mulier infidelis per virum fidelem, alias liberi vestri immundi essent, nunc vero sancti sunt.* Haec sanctitas liberorum ex Christianis parentibus natorum non est mere politica mundicies, cum etiam extra ecclesiam discrimen sit inter legitimos ac naturales sive spurios liberos; nec est interna sanctitas ac mundicies cordis, ac si liberi Christianorum ex utero matris nascantur sancti, cum non minus quam reliqui *concipiantur ac nascantur in peccatis*, Psalm. 51, v. 7. *ac sint natura filii irae sicut et ceteri*, Ephes. 2, v. 3. sed est sanctitas ecclesiastica, quod scilicet tales liberi ex Christianis parentibus nati, si vel maxime alteruter tantummodo parens fidelis sive Christianus sit, censeantur in ecclesia nati atque aditum ad baptismum initiationis sacramentum habeant; reliqui vero, qui ex infidelibus parentibus nati, immundi sunt censendi, hoc est non pertinet ad illos promissio divina: *Ero Deus tuus et Deus seminis tui*, ideoque non patet illis aeque ac Christianorum liberis aditus ad baptismum, sed oportet eos prius institui, ubi adoleverint ac fidem Christianam profiteri. Videtur autem loquendi formula ab apostolo usurpata ex lege Levitica deducta, in qua propter immundiciem Leviticam quidam extra castra ali- IX. 249.
quamdiu manere cogebantur; ita quoque liberi infidelium immundi dicuntur, quia non statim in infantia patet illis aditus per baptismum in ecclesiam, cujus typus castra Israëlitica fuerunt, sed in annis discretionis prius sunt informandi in fide Christiana. Dn. Doct. Mencerus tom. 3. disp. Marpurgens. disput. 14. thes. 116. scribit: *Apostolicum sermonem affinem esse discrimini Mosaico inter animalia munda, quae sacrificare et edere fas erat; et immunda a quibus oportebat abstinere*, Levit. 11. *Ut enim his erat sanctitas sive mundicies Levitica, quae neque spiritualis erat, neque mere civilis; ita apostolus sanctitatem intelligit ecclesiasticam, hoc est privilegium in ecclesia ad impetrandum baptismum.* Ephes. 2, v. 11: *Memores estote, quod aliquando vos, qui gentes eratis in carne, qui dicebamini praeputium;* v. 12: *quod eratis in illo tempore sine Christo, alienati a republica Israëlis et hospites testamentorum promissionis, spem non*

habentes et sine Deo in hoc mundo; v. 13: *nunc autem in Christo Jesu vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi*; v. 14: *ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum et medium parietem maceriae solvit.* Cum in N. T. discrimen inter Judaeos et gentes abolitum sit, inde etiam Christianorum liberi gaudent illa promissione: *Ero Deus tuus et Deus seminis tui.* 2. Nomine liberorum ex Christianis parentibus natorum intelliguntur illi, qui ex alterutro parente Christiano nascuntur, quibus itidem patet ad baptismum aditus. 1. Cor. 7, v. 12: *Si quis frater uxorem habet infidelem et haec consentit habitare cum illo, non dimittat eam;* v. 13: *et si qua mulier fidelis habet virum infidelem et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum;* v. 14: *sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem, alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Sicut mundis *omnia munda* Tit. 1, v. 15. ita quoque viro fideli mulier infidelis est munda, ut possit sine peccato ei cohabitare, ac liberi ex tali conjugio nati itidem sunt mundi ac sancti, hoc est pro liberis Christianis, non autem ethnicis sunt censendi ideoque ex ecclesia non sunt excludendi, sed propter alterutrum parentem fidelem ut in ecclesiae gremio nati sunt aestimandi atque ad baptismum admittendi. 3. Illi liberi, quorum parentes ex Ethnicismo vel Judaismo ad Christianismum sunt conversi, licet in Ethnicismo vel Judaismo geniti sint ac nati, itidem pro liberis Christianis habendi et ad baptismum admittendi sunt, id quod comprobat exemplum apostolorum, qui *integras familias* baptizarunt, Actor. 16, v. 15. 33. c. 18, v. 8. 1. Cor. 1, v. 16. 4. Qui a Christianis parentibus adoptantur. Ut enim per *υἱοθεσίαν* spiritualem, per adoptionem in Christo, vere reddimur Dei filii, ita quoque a Christianis parentibus adoptati pro liberis ipsorum sunt habendi. 5. Qui per legitima media, puta bello justo, emtione, donatione etc. transeunt in Christianorum potestatem et quorum loco Christiani spondent, quod in fide Christiana progressu aetatis sint informandi. Constat, ex institutione divina non vernaculum duntaxat, sed et emtitium fuisse circumcisum, Genes. 17, v. 12. idem ergo in baptismo observandum erit. Actor. 2, v. 38: *Batizetur unusquisque vestrum in nomine Christi;* v. 39: *vobis enim et filiis vestris facta est promissio et omnibus, qui longe sunt, quoscunque advocaverit Dominus Deus noster;* ubi Petrus divinam promissionem etiam ad eos pertinere testatur, qui ratione nativitatis suae longe sunt, mirabili tamen Dei providentia per media legitima advocantur. Per *μακρὰν ὄντες* intelliguntur gentes, ut probat evidentia textus et Paulus Ephes. 2, v. 17. Quotquot igitur ex gentibus quantumvis infidelibus Deus ad coetum Christianorum adduxerit, non debent excludi a mediis, quibus promissionis illius reddantur participes; media pro diversitate objectorum sunt diversa; quoad adultos locum habet informatio, quoad infantes baptismus. Id ipsum etiam comprobat praxis veteris ecclesiae, de qua vide Ambrosium vel potius Prosperum lib. 2. de vocat. gent. c. 8. Augustinum de grat. et lib. arbit. c. 22: *Aliquando filiis infidelium praestatur haec gratia, ut baptizentur, cum occulta Dei providentia in manus piorum quomodocunque perveniunt.*

(Marginalia: 2. Qui ex alterutro parente Christiano sunt nati. — 3. Quorum parentes ad Christianismum sunt conversi. — 4. Qui a Christianis parentibus adoptantur. — 5. Qui per legitima media IX. 250. transeunt in Christianorum potestatem.)

198. Discedimus ergo ab illis, qui infantibus populorum infidelium utpote ethnicorum, Judaeorum, Turcarum etc. simpliciter denegant baptismum, ut patet ex epistola Calvini p. 253. et Bezae p. 96. itemque ex colloq. Mompelg. p. 491: *Turcarum liberos non baptizamus, nisi fidem suam profitentes.* Beza p. 2. quaest. 120: *Neque enim quosvis infantes admisero. Nam neque Mahomedanorum, neque Judaeorum liberos recepero, quia foederis tabulis non comprehenduntur.* Bucanus loco 47. p. 635: *Parvuli infidelium, si ab illis quidem neglecti, a Christianis autem suscepti sint, non sunt e vestigio baptizandi.* Atqui 1. particula universalis *omnes* in mandatis et promissionibus divinis de baptismo usurpata testatur, salutem in baptismo ex aequo et sine discrimine offerri et exhiberi omnibus omnium ordinum et nationum hominibus. 2. Deus est *ἀπροσωπολήπτης*, qui salutare hoc lavacrum et peccati remedium instituit in usum omnium gentium, non modo adultorum, sed etiam infantum sine discrimine nationis vel sexus. 3. Apostoli baptizarunt universos et singulos professione fidei Christianae primae ecclesiae sese conjungentes, et quidem integras eorum familias. 4. Abrahamus servorum suorum liberos absque ulla dubitatione ac cunctatione circumcidit, Genes. 17, v. 23. quamvis ex semine ipsius non essent nati. 5. Quo etiam pertinet locus Cypriani jam ante citatus: *Haec fuit in concilio nostro communis sententia, de baptismo et gratia Dei, qui omnibus misericors, benignus et pius est, neminem per nos excludi debere, sed omnem omnino hominem admittendum esse, cum Dominus Petro dixerit, neminem hominum communem et immundum esse dicendum.* lib. 3. epist. 8. ad Fidum. Idem repetit Lutherus in c. 17. Genes.: *Caput theologiae est, Deum Judaeorum et gentium esse.* 6. Opinio illa adversariorum nititur falsa hypothesi, nimirum quod liberi Christianorum parentum ex utero matris nascantur sancti atque ipso actu in foedere gratiae comprehendantur, cujus obsignatio tantum per baptismum illos contingat, qua de re paulo post uberius disseremus.

(Marginalia: Antithesis eorum, qui infantibus populorum infidelium simpliciter denegant baptismum.)

199. Neque tamen illi infantes, qui sub potestate infidelium adhuc parentum sunt, per vim parentibus eripiendi ipsisque invitis baptizandi sunt. Glossa in c. Judaeorum, 28. quaest. 1. ubi dicitur, *quod parvuli Judaeorum non possint eripi parentibus et baptizari illis reluctantibus.* Thom. lib. 2. 2. qu. 10. artic. 10. Henriquez in summ. moral. lib. 2. c. 25. Bannes in Thomae loc. dict. **Udalricus Zasius in tractatu de Judaeis quaest. 1: *An Judaei infantes sint invitis parentibus ad baptisma auferendi*, late de hac quaestione disserit.** Sane quidam ex canonistis contrarium statuunt (utpote archidiaconus

(Marginalia: An infantes parentum IX. 251. infidelium per vim illis eripiendi sint.)

Joh. Andreae et alii, quos refert Simanca de cathol. instit. titul. 29. num. 53. Caevallos practic. quaest. 735. num. 10. et seqq.), sed illis obstat 1. regula apostolica 1. Cor. 5, v. 12: *Quid ad me attinet de iis, qui foris sunt, judicare?* etc. 2. Conditio baptismi, quae est κειμήλιον solius ecclesiae proprium, cujus jus et usus extra illam se non extendit. 3. Defectus mandati ac promissionis divinae, nullum enim mandatum, nullum exemplum hac de re in sacris literis habetur. 4. Periculum praesentissimum, ne baptizati in parentum infidelium potestate post baptismum relicti per eosdem ad nefariam apostasiam impellantur, unde concilium Toletanum quartum cap. 59. statuit: *Judaeorum liberos baptizatos aut in monasteria aut cuidam Christiano tradendos, a quo tam in moribus, quam in vita recte instituantur.* 5. Jus naturae. Infantes enim jure naturae sunt proprii suorum parentum, nisi scilicet ex mancipiis et vernis nascantur. Jam vero evangelium non abolet politias. 6. Aequitas politica. Aequum enim est, ut illis, quibus vel extra vel intra rempublicam Christianorum sua qualiscunque αὐτονομία in rebus ecclesiasticis et politicis conceditur, nulla vis baptismi nomine inferatur.

An baptizandi liberi haereticorum, qui palam protestantur, se liberos in haeresi educaturos.

200. Ex iisdem fundamentis apparet, non esse baptizandos liberos illorum haereticorum, qui palam protestantur, se liberos in potestate patria sibi relictos in haeresi illa educaturos esse. Nam 1. pari passu ambulant cum infantibus infidelium, cum parentes ipsorum itidem sint extra ecclesiam, a qua nefarium fecere divortium. 2. Baptizati renuntiant diabolo et omnibus ejus operibus, inter quae haeresis non postremum obtinet locum. Adde quod sacramenta sint symbola confessionis et doctrinae. 3. Nullum exstat mandatum de baptizando tali infante, quin imo contrarium mandatum institutioni baptismi est annexum, Matth. 28, v. 20: *Docete eos servare, quaecunque praecepi vobis;* et cum baptismo vera poenitentia et fides in concionibus apostolicis conjunguntur Matth. 3, v. 2. Actor. 2, v. 38. Ephes. 4, v. 5. 4. Ut nihil interim dicatur de abusu piarum precum, adeoque ipsius baptismi, de scandalo infirmorum, de perpetua baptizantis ministri dubitatione, rectene an secus faciat etc.

Objectiones. 1. Omnes infantes paris sunt conditionis.

201. *At*, 1. inquis, *omnes infantes natura pares sunt, videlicet concepti et nati in peccatis*, Psalm. 51, v. 7. *ac natura filii irae*, Ephes. 2, v. 3. *Ergo non est tale quoddam inter eos statuendum discrimen, ut quibusdam ad baptismum pateat aditus, quibusdam vero obstruatur.* Respondemus: ratione peccati originalis omnes quidem infantes pares sunt, interim tamen manet hoc inter eos discrimen, quod quidam in ecclesiae gremio et pomoeriis, quidam vero extra ecclesiam nati sint; ad illos pertinet promissio: *Ero Deus tuus et Deus seminis tui*, Genes. 17, v. 7. hi vero sunt *immundi* 1. Cor. 7, v. 14. illis patet statim in infantili aetate aditus ad baptismum, ad hos vero quamdiu nec ipsi nec parentes ipsorum religionem Christianam amplectuntur, nec Dei promissio, nec foedus gratiae, nec baptismus pertinet, sed sunt *alieni a testamentis promissionis* Ephes. 2, v. 12. quae omnia ex fundamentis superius adductis manifeste patent.

IX. 252. 2. Infantes non debent luere culpam parentum.

202. 2. Instas: *Hac ratione infantes luunt culpam parentum, cum tamen ipsi sint insontes ideoque vigore effati divini* Ezech. 18, v. 20. *non debeant portare iniquitatem parentum suorum.* Respondemus: dicti prophetici uberiorem explicationem proposuimus in tractatu de natura Dei §. 158. hac vice repetimus, tunc demum liberos non portare iniquitatem parentum, si nimirum ipsimet sint innocentes, vel si a parentum impietate ad Deum convertantur; jam vero in proposita quaestione infantes Turcarum, aliorumve infidelium non sunt innocentes, cum non solum in peccatis nati sint, sed etiam destituantur vera poenitentia ac fide; quodsi in aetate adulta vere ad Deum convertantur, non minus quam reliquis ad baptismum et salutem ipsis patet aditus. Ceterum in tractatu de praedestinatione copiose probatum fuit, media salutis, inter quae et baptismus, quibusdam esse propinquiora, ita ut minori cum labore ad illa perveniant, quam reliqui. Sicut gentiles in mediis Ethnicismi tenebris nati majori cum difficultate ad veram Dei cognitionem perveniunt, quam illi, qui in ecclesia verbum audiunt; ita quoque infantes eorum in aetate adulta prius instituendi, postea demum ad baptismum admittendi, non tam propinquum et immediatum habent ad baptismum aditum quam Christianorum liberi, quae omnia *mirabilem gratiae divinae variationem*, ut Prosper loquitur, arguunt.

3. Deus vult omnes salvos fieri.

203. 3. Regeris: *Deus vult omnes salvos fieri* 1. Timoth. 2, v. 4. *Ergo nullos a baptismo excludit.* Respondemus: Deus neminem ad se venientem ac vel per se vel per alios baptismum petentem a salute et mediis salutis excludit; quod autem liberi infidelium per parentes (in quorum potestate sunt) a baptismo excludantur, id non Deo, sed parentum culpae tribuendum. Deus beneficentiam suam erga infantes etiam infidelium parentum manifeste comprobat advocando quosdam ex illis mirabili sua providentia ad baptismum et ecclesiae gremium, Actor. 2, v. 39. Voluntas Dei de salute hominum non est absoluta, sed ad ordinem et usum mediorum restricta, vult quidem omnes salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire, interim etiam hoc vult, ut Verbum et sacramenta, quae sunt media salutis divinitus ordinata non rejiciantur; uti neminem in vitam salvat, ita quoque neminem ad salutis media violente cogit.

4. Quidam Christiani sunt pejores ethnicis.

204. 4. Urges: 1. Tim. 5, v. 8. *testatur apostolus, quosdam Christianos esse pejores ethnicis, eos scilicet qui suorum curam non habent, vel aliis sceleribus gravioribus sese immergunt. Ergo non erat tale discrimen inter infantes Christianorum et infidelium statuendum.* Respondemus: distinguendum inter professionem fidei et vitam professione illa dignam. Quamvis quidam Christianorum parentum ethnicis sint deteriores propter vitae impietatem; interim tamen in aetate infantili susceperunt baptis-

mum, per quem in foedus Dei sunt recepti, ac profitentur adhuc fidem Christianam, ideoque pro externis ecclesiae membris adhuc habendi sunt. Quamvis vero propter impoenitentiam et incredulitatem actu non fruantur beneficiis in foedere baptismi ipsismet promissis ac collatis; tamen ex parte Dei foedus manet ratum ac firmum, ut per veram poenitentiam ad illud perpetuo ipsis pateat reditus, ut nullo alio baptismo vel alio foedere indigeant, inde etiam liberi illorum gaudent adhuc ista praerogativa, quod ad baptismum ipsis pateat aditus, cum contra infidelium liberi eam non habeant, utpote *alieni omnino a testamentis promissionis* Ephes. 2, v. 12. Augustinus in epist. 75. ad Auxilium concludit: *Si quis nascatur ex parentibus excommunicatis, illum tamen hujusmodi excommunicationis participem esse non posse, cum neque sit criminis, proinde non esse a baptismo excludendum.*

Quaestiones circa IX. 253. paedobaptismum. 1. An infantes spurii baptizandi.

205. Antequam ab objecto baptismi discedamus, excutiendae sunt aliquot quaestiones. Quaeritur: *1. An infantes spurii ex incestuoso, adulterino ac quovis illicito concubitu nati ad baptismum sint admittendi?* Affirmatur: 1. quia per Christianos parentes, quorum liberis ad baptismum diximus patere aditum, non intelliguntur illi, qui veram et salvificam fidem sanctae vitae fructibus testantur atque ὄντως Christiani, electi et Dei filii sunt, qua ratione nunquam certo constare posset, quinam infantes a baptismum admittendi sint; sed in genere omnes, qui fidem Christianam profitentur, verbo et sacramentis utuntur atque in externa ecclesiae societate locum habent. 2. Quia praerogativa illa liberorum ex Christianis parentibus natorum haudquaquam nititur probitate ac dignitate parentum, sed divina illa promissione Genes. 17, v. 7: *Ero Deus tuus et Deus seminis tui;* proinde non exspirat vel evanescit propter impietatem parentum. 3. Quia parentes talium liberorum quamvis in externa graviora delicta prolapsi gratiam Dei ac Spiritum sanctum amiserint ac proinde beneficiorum foederis in baptismo initi non amplius sint participes actu, tamen ex parte Dei foedus illud manet ratum ac firmum ac proinde liberi ex illis nati pro liberis foederis sunt censendi. 4. Quia in V. T. etiam illi infantes circumcisi sunt, qui ex scortatione vel adulterio geniti ac quorum parentes gravioribus delictis contra conscientiam immersi fuerunt. Judic. 11, v. 1: *Jephtach erat filius mulieris meretricis,* idem tamen circumcisus fuit, quia *Spiritus Domini super eum factus,* v. 29. *quia seniores Gileaditarum in ducem eum eligunt,* v. 8. quia *sanctis viris annumeratur* Hebr. 11, v. 32. De filiolo, quem David ex Bethsabea illicito concubitu susceperat, ipse pronuntiat 2. Sam. 12, v. 23: *Ego vadam ad eum,* ex quo intelligitur, quod per circumcisionem fuerit in foedus Dei receptus. (Quidam tamen statuunt, hunc infantem ante octavum nativitatis diem ac proinde ante susceptam circumcisionem in vivis esse desiisse, qua de re paulo post videbimus.) Jeroboami filius Abia circumcisus est, cum *in eo aliquid boni a Deo repertum fuisse* dicatur 1. Reg. 14, v. 13. cum tamen Jeroboamus et conjux ipsius essent idololatricis cultibus ac impietati dediti 1. Reg. 12, v. 28. et seqq. 5. Quia Deus spurios etiam manu sua opifice fingere et animam ac vitam eis impertire non dedignatur, quin saepe efficit, ut νόθοι γε πολλοὶ γνησίων ἀμείνονες sint, ergo per aquam baptismi eosdem regenerabit. 6. Quemadmodum spurios obligat lex divina de honorandis parentibus; ita ad eosdem pertinet promissio foederalis populo Dei facta: ERO DEUS SEMINIS TUI. Vide Augustinum epist. 75. ad Auxilium consacerdotem. **Augustinus lib. 2. contra duas epistolas Pelag. c. 6. et 7. proponit hanc quaestionem: *An infantes propter merita vel demerita parentum praedestinentur vel reprobentur?* et respondet negative, *quia saepe fit* (inquit), *ut infans natus ex parentibus optimis et sanctissimis sine baptismo moriatur et pereat; natus vero ex parente fornicatore et matre meretrice per baptismum regeneretur et salvetur.* Anno 1589. die 11. Martii habita est synodus Calvinistarum Vilnae, in qua publice decretum est, *ne quis parvulos illegitime natos baptizare audeat.* Hadrian. Jungius lib. 3. de doctrina et moribus evangel. c. 17. p. 393. Anno 1587. in Palatinatu articuli quidam Calvinisticae reformationis disseminati sunt, quorum secundus habebat haec verba: *Infantes, qui ex illegitimo thoro nascuntur, aeternae perditioni ac damnationi obnoxii sunt, nec per baptismum juvari possunt.* Becanus in aphorism. Calvinistarum aphorism. 22. p. 61: *Scio, hos articulos a quibusdam Calvinistis rejici tanquam suppositios. Sed videtur haec sententia aperte sequi ex principiis Calvini. Ipse enim docet, promissionem Abrahae et aliis fidelibus parentibus factam jure hereditario descendere ad filios per carnalem generationem eo modo, quo civilia pacta, feuda et bona hereditaria parentum ad filios derivantur. Atqui tam divino quam humano jure pacta et bona paterna derivantur ad filios legitimos, non autem ad illegitimos. Ergo illegitimi non continentur in promissione Abrahae facta. Ergo sigillo baptismi obsignari non debent.***

Objectiones contra IX. 254. baptismum spuriorum. 1. Quod spurii prohibentur ingredi ecclesiam Domini Deut. 23.

206. Ceterum spuriorum baptismo obstare videtur: *1. quod peculiari mandato Dei* מַמְזֵר, *hoc est de scorto natus, prohibetur ingredi ecclesiam Domini etiam decima generatione,* Deut. 23, v. 2. *Ergo a circumcisione fuit prohibitus ac proinde etiam a baptismo arcendus.* Respondemus: ingredi ecclesiam hoc loco non significat fieri membrum ecclesiae, interesse publicis sacris, sed publico officio in ecclesia ac politia fungi, v. 1. Eunuchi attritis vel amputatis testiculis et abscisso veretro itidem prohibentur ecclesiam ingredi, quod si hac loquendi formula ab auditu verbi et usu sacramentorum excluderentur, ab ipsa quoque salute exclusi forent, cujus contrarium testatur Esa. 56, v. 4. Similiter Ammonitae ac Moabitae prohibentur ingredi in ecclesiam in aeternum, v. 3. quod non potest eo sensu accipi, ac si aditus ad ecclesiam illis plane fuerit

interclusus, cum Ruth Moabitis in genealogia Christi locum habeat Matth. 1, v. 5. cumque filiis advenae locus in populo Dei promittatur, Esa 56, v. 6. Quae omnia evidenter probant, spurios hac Dei lege non a publicis sacris et usu sacramentorum, sed a publicis officiis ecclesiasticis excludi; quod enim Jephtah dux Gileaditarum constituitur, illud tanquam extraordinarium regulae generali non praejudicat. Prohibuit autem Deus spurios a publicis officiis

Cur spurii a publicis officiis olim exclusi.

1. propter natalium dedecus; ut enim foedum est e stupro natum esse, ita talis ortus splendore ac honore publicorum officiorum merito indignus censetur; 2. ne vilescat matrimonii dignitas ac scortationes invalescant; 3. ne officia publica propter ortus personarum vilitatem ac probrum in contemtum veniant suamque auctoritatem amittant; 4. ne per hujusmodi homines ad dignitatem evectos reipublicae detrimentum aliquod contingat. Tales enim (quamvis id universaliter non sit accipiendum) ex turpi orta depravatos animos habere solent. Andreas Osiander in notis marginalibus Deuter. 23.

2. Quod impiorum liberi maledicti pronuntiantur.

207. *2. Quod Deus inobedientibus comminatur* Deuter. 28, v. 18. *maledictum fore fructum ventris ipsorum. Ergo liberi eorum non erunt ad baptismum admittendi.* Respondemus: 1. Jam ante demonstravimus, liberos impiorum parentum fuisse circumcisos; ergo nec a baptismo in N. T. prohiberi poterunt. 2. Exstat divina promissio Ezechiel. 18, v. 20: *Quod filius non sit portaturus iniquitatem parentum;* quae vero major poena talium liberorum excogitari posset, quam quod in ecclesia nati a sacramento baptismi essent exclusi? 3. Si isthaec comminatio de aeterna maledictione accipenda, consequens foret, omnes impiorum liberos aeternae maledictioni esse obnoxios, cum sit generalis illa comminatio omnes omnino complectens, quid vero fiet de piis impiorum parentum liberis? puta de Abia Jeroboami, Hiscia Achabi, Josia Ammonis filio etc. 4. Ergo ut comminatio illa, quae exstat Exod. 20, v. 5: *Visitabo iniquitatem parentum in liberis in tertiam et quartam generationem*, duplici conditione accipienda est, primo quidem, si liberi insistant viis parentum, secundo cum distinctione inter poenas temporales et aeternas; ita quoque iisdem conditionibus comminatio in Deuteronomio accipienda erit, quod scilicet tales liberi futuri sint steriles, quod in populo Israëlitico maledictionis et opprobrii loco habebuntur, vel quod alias vitam aerumnosam et infelicem sint acturi.

3. Quod nationis iniquae dirae dicantur consummationes.

208. *3. Quod de liberis adulterorum dicitur* Sapient. 3, v. 18: *Si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die cognitionis consolationem;* v. 19: *nationis enim iniquae dirae sunt consummationes. Ergo frustraneum fuerit eos baptizare.* Respondemus: 1. Liber Sapientiae non est in canone. 2. Auctor hujus libri non damnat in genere omnes impiorum ac scortatorum liberos, id enim repugnaret exemplis Jephtae aliorumve pio-

IX. 255. rum, sed impiam impiorum posteritatem damnat, ubi scilicet posteri imitantur majorum suorum impietatem ac scelera. 3. Ac proinde loquitur de illis, quae contingunt ut plurimum. Cum enim tales liberi plerumque a parentibus negligantur, nec in timore Dei ab ipsis educentur Ephes. 6, v. 4. inde accidit, ut in impietatis casses prolapsi aeternae damnationi involvantur. 4. Textus Graecus ita sonat, ut non incommode ad temporales potissimum illorum liberorum poenas referatur. v. 16: *τέκνα μοιχῶν ἀτέλεστα ἔσται καὶ ἐκ παρανόμου κοίτης σπέρμα ἀφανισθήσεται·* v. 17: *ἐάν τε γὰρ μακρόβιοι γένωνται, εἰς οὐδὲν λογισθήσονται καὶ ἄτιμον ἐπ᾽ ἐσχάτων τὸ γῆρας αὐτῶν·* v. 18: *ἐάν τε ὀξέως τελευτήσωσιν, οὐχ ἕξουσιν ἐλπίδα, οὐδὲ ἐν ἡμέρᾳ διαγνώσεως παραμύθιον·* v. 19: *γενεᾶς γὰρ ἀδίκου χαλεπὰ τὰ τέλη.*

2. An infantes expositii sint baptizandi.

209. Quaeritur 2: *An infantes expositii sint baptizandi.* Affirmatur: 1. Quia ad regenerationem et salutem hoc sacramentum infantibus est summe necessarium Joh. 3, v. 5. Ergo quantum in nobis est, nullum infantem eo defraudemus. Ac repetenda sunt hoc loco fundamenta, quae pro spuriis allata, eadem enim etiam pro expositiis militant. Quid vero si addita sit schedula infantem illum baptizatum esse testificans? In causa tam ardua schedulae testimonio non est fidendum, nec infantes illi perpetuis tentationibus ac dubitationibus in aetate adulta certissime metuendis exponendi, unde conc. Carth. V. ab episcopis 73 circa annum Christi 403. congregatum statuit, quod infantes, de quorum baptismo nihil constat, sine omni scrupulo et haesitatione baptizandi sint. Verba can. 6. haec sunt: *Placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per aetatem idonei de traditis sibi sacramentis respondere, absque ullo scrupulo esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat sacramentorum purgatione privari.* Gregorius lib. 3. epist. 4. ad Bonifac. et habetur c. parvulos dist. 4. de consecrat.: *Parvulos, qui parentibus subtracti sunt et, an baptizati sint, ignorant, hos ut baptizare debeas secundum patrum traditionem, si non fuerit, qui testificetur, ratio poscit.* Leo epist. 35: *Non potest in iterationis crimen venire, quod omnino factum esse nescitur; atque ideo quoties talis persona inciderit, sollicita primum examinatione discutitur et longo tempore (nisi forte supremus finis immineat) indagatur, utrum nemo penitus sit, qui testimonio suo juvare possit ignorantiam nascentis et cum constiterit, hunc, qui baptismatis indiget sacramento, sola inaniter suspicione prohiberi, accedat intrepidus ad consequendam gratiam, cujus in se nullum scit esse vestigium, nec vereamur huic salutis januam aperire, quam nunquam ante docetur ingressus.* Lombardus lib. 4. sent. dist. 6. sect. 4: *Sciendum, quod illi, de quibus nulla exstant indicia inter propinquos, vel domesticos, vel vicinos a quibus baptizati fuisse doceantur, agendum est ut renascantur, ne pereant, in quibus quod non creditur gestum, ratio non sinit, ut videatur iteratum. Conferendum eis videtur, quod collocatum esse*

nescitur, quia non temeritas intervenit praesumtionis, ubi est diligentia pietatis. Quae sententia est Leonis papae in epist. 90. (aliis 92.) ad Rusticum c. 16. et allegatur dist. 4. de consecr. can. 113. Scholastici statuunt, tales infantes, de quorum baptismo dubitatur, cum conditione baptizandos esse. In decretal. Gregorii lib. 3. tit. 42. c. 2. papa Alexander III. ita respondet: *De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis praemissis: Si baptizatus es, non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo* etc. Sed hunc baptizandi morem graviter insectatur D. Lutherus tom. 8. Jen. f. 50. et Witteb. 12. p. 193. in colloq. mens. p. 179. ac prohibet ejus usum constit. elect. Sax artic. generali. 2. Quia per illum baptismus talium infantum adhuc incertior redditur. Tenenda igitur hoc loco regula: *Non potest dici iteratum, quod nescitur esse factum.* Nec licet formam baptismi categoricam mutare in hypotheticam, unde dubitationes exsurgunt perpetuae, tum in eo, qui administrat, tum qui percipit conditionaliter hoc sacramentum, semel an bis, recte an male collatus sit baptismus.

IX. 256. 3. Quomodo agendum cum infantibus, qui manent superstites post baptismum a femina in casu necessitatis susceptum,

210. Quaeritur 3: *Quomodo cum infantibus agendum, quos feminae in casu necessitatis baptizarunt, si superstites maneant?* Respondemus: ordinatio ecclesiastica electoris Augusti pie statuit, tales infantes ad templum deferendos, manus iisdem ab ecclesiae ministro cum precibus imponendas et de baptismo illorum accurate quaerendum, qua materia, quaque verborum forma mulierculae fuerint in baptizando usae, ut publicum de tali baptismo exstet testimonium, quod ignitis Satanae telis, infans hoc modo baptizatus opponere possit. Quodsi mulierculae baptismi administrae fateantur, se nescire qua materia quaque verborum forma in illa festinatione usae fuerint, citra ulteriorem deliberationem tales infantes in ecclesiae conspectu a ministro verbi baptizentur. Beda lib. 5. histor. Anglicar. c. 6. narrat exemplum de quodam Johanne Hagulstadensi episcopo, qui ministrum suum Herberd nomine de integro baptizarit, cum audisset, eum antea a presbytero quodam baptizatum, cui munus baptizandi fuerat interdictum, propterea quod prae stupiditate et tarditate ingenii, catechisandi et baptizandi ritum non recte potuisset administrare.

4. An infantibus excommunicatorum baptismus sit conferendus.

211. **Quaeritur 4: *An etiam infantibus excommunicatorum baptismus conferendus?* Affirmatur 1. a praerogativae illius liberorum non a parentum probitate aut dignitate, sed a divina promissione dependentia, Gen. 17, v. 7; 2. a nativitate in ecclesia, quam non tollit excommunicatio, ut nec foedus in baptismo semel initum ex parte Dei; 3. ex regula justitiae, Ezech. 18. Excommunicati ergo a possessione bonorum ecclesiasticorum sunt exclusi non ratione liberorum, sed tantum ratione sui.**

5. An liberi Christianorum parentum ante baptismum sint in Dei foedere ac sancti.

Quaeritur 5: *An liberi Christianorum parentum ante baptismum sint in foedere Dei ac sancti.* Calviniani affirmant. **Sic enim Calvinus in antidoto ad articulos Parisienses ad 1. de baptismo p. 220. b. in tract. theol. edit. ann. 1612: *Baptismo opus habent infantes non tanquam adjumento ad salutem necessario, sed tanquam sigillo ad obsignandam in illis adoptionis gratiam, sanctos enim fidelium liberos nasci tradit Paulus 1. Corinth, 7, v. 14. non enim filii Dei per baptismum fiunt, sed quia promissionis beneficio heredes sunt, ideo ad baptismum eos admittit ecclesia. Sic ergo habendum est: quemadmodum in patre fidelium Abrahamo praecessit justitia fidei circumcisionem; ita in fidelium liberis hodie baptismo priorem esse adoptionis gratiam, sicut promissionis verba sonant: Ego ero Deus seminis tui; hujus autem gratiae baptismum esse confirmationem.*** Et lib. 4. inst. c. 15. sect. ult.: *Hinc sequitur*, inquit, *non ideo baptizari fidelium liberos, ut filii Dei tunc primum fiant, qui ante alieni fuerint ab ecclesia* sect. 20: *Infantes nostros antequam nascantur, se adoptare in suos pronuntiat Deus, cum se nobis in Deum fore promittit seminique nostro post nos.* c. 16. sect. 24: *Isaacum* (et alios fidelium parentum liberos) ait *hereditario jure secundum promissionis formulam jam a matris utero in foedere contineri.* Et paulo post: *Qui a Christianis originem ducunt infantes, ut in foederis hereditatem, statim ac nati sunt, a Deo excipiuntur, ita in baptismum sunt recipiendi.* **Idem in c. 9. Matth.: *Quaeri hoc loco solet, quatenus hominibus prosit aliena fides? Ac primo quidem certum est, profuisse Abrahae fidem posteris cum gratuitum salutis foedus sibi et semini suo oblatum amplexus est. Idem et de singulis fidelibus sentire convenit, quod Dei gratiam fide sua ad liberos et nepotes propagent, etiam antequam nascantur, atque id in pueris infantibus locum habet, qui nondum per aetatem fidei sunt capaces.*** Beza part. 2. resp. ad colloqu. Mompelg. p. 102: *Sancti ex gratia gignunt ex eadem gratia sanctos vi foederis per fidem apprehensi.* Ibidem: *Haec est illa parentum fides sic aliena, ut electis eorum infantibus nascentibus facta sit sua ad foederis in baptismo obsignationem alioquin non admittendis.* Item: *Nec enim* IX. 257.
piorum infantibus primus ad salutem aditus est baptismus, sed ipsa ex piis parentibus propagatio. p. 103: *Ex quo fit, ut Christi membra nascantur.* Et postea: *Illa certe specie renovationis non indigent, unde in adultis certamen illud inter carnem et Spiritum exoritur.* p. 118: *Sanctos eos nasci* pronuntiat. p. 129: *Aeternae vita ejus*, inquit, *ex formula foederis acquisitum illis ex piis parentibus nascendo fuisse*, affirmo. pag. 130: *Ex carnali generatione non sequitur, sanctos ac proinde in foedere comprehensos non nasci sanctorum liberos, tantum abest, ut ex piis nasci nihil faciat ad regni coelorum consecutionem.* Ibidem: *Patres credentes liberis suis jus Christianae civitatis sua fide acquirunt.* **Idem volum. 1. oper. p. 332: *Infantes ex fidelibus parentibus natos pro sanctis*, id est *in foedere divino comprehensis, habemus et cum Paulo dicimus, si radix est sancta, sanctos etiam esse ramos.* Pelargus in antithes. apolog. contra Balduin. th. 92:

Infantes priusquam nascantur, in foedere esse qui negat, negat, Deum seminis nostri esse Deum, negat, ad liberos nostros pertinere promissionem. Et ubi pepigit Deus foedus? numquid in baptismo primum, an non cum patre credentium Abrahamo, cujus nos etiam liberi secundum Spiritum? thes. 93. adducit haec dicta: Psalm. 22, v. 11: *Super te projectus ab utero matris meae, de ventre matris meae Deus meus es tu. Genes. 17, v. 7: Ero Deus seminis tui. Exod. 20, v. 6: faciens misericordiam in millia.* Paraeus in c 11. Rom. col. 1143: *Transeunt jura hereditaria familiae vel gentis tum civilia, sic ex principe nascitur princeps et ex Mahumetano Mahumetanus, cur non etiam ex Christiano Christianus?* Petrus Martyr in c. 17. Genes. *infantes ex fidelibus natos ante baptismum ad Deum pertinere, etsi patrem aut matrem non habuerint Deo conjunctos, forte habuisse aliquos ex suis majoribus ideoque eos esse membra ecclesiae propterea sanctos ex mera Dei misericordia, licet fidem veram in Christum non habeant.* Notandum vero dissensionem esse inter Calvinianos. Si enim quaeras, sintne omnes piorum liberi sancti, an tantum aliqui, respondet Cinglius universaliter in sua confessione p. 236: *Quotquot sunt Christianorum infantes* (inquit), *de ecclesia populi Dei sunt ejusque ecclesiae partes et membra.* Sed Calvinus et Beza particulariter affirmant, ut innuant, solos absoluto decreto electos esse sanctos.**

Argumenta pro parte quaestionis negatae. 212. Nostra haec est sententia, liberos Christianorum hac quidem praerogativa gaudere, quod in infantili aetate, antequam in vera religione instituantur, baptizari possint et debeant, interim tamen ante baptismum propter hanc ex Christianis parentibus nativitatem non esse in Dei foedere, nec sanctos, sed natura filios irae non minus ac reliquos infidelium liberos ac propterea indigere baptismo, quo ad vitam aeternam regenerentur. Id confirmamus: 1. Ex omnibus Scripturae dictis, quae de propagatione peccati originalis agunt, ea enim cum sint universalia, ipsos etiam fidelium liberos complectuntur; jam vero si liberi Christianorum parentum sunt in peccatis concepti ac nati, quomodo per et propter carnalem ex parentibus suis nativitatem sunt in Dei foedere ac sancti? Job. 14, v. 4: *Quis dabit mundum ex immundo conceptum semine?* c. 15, v. 14: *Quid est homo, ut immaculatus sit et ut justus appareat natus de muliere?* v. 16: *qui bibit quasi aquam iniquitatem* (sanguis quem infans in utero per cotyledones imbibit, est peccato corruptus ac vitiatus Joh. 3, v. 6: *Quod natum est ex carne, caro est.*) Jam vero etiam fidelium liberi nascuntur ex carne, cum pii parentes non secundum Spiritum et interiorem hominem, sed secundum carnem et exteriorem hominem liberos generent. Rom. 5, v. 12: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum,* id est in universum genus humanum. **Calvinus ipse lib. 4. inst. c. 15. sect. 10. p. 467: *Infantes ipsi suam secum damnationem a matris utero afferunt.* Et paulo post: *Imo tota eorum natura quoddam est peccati semen, ideo non odiosa et abominabilis Deo esse non potest.* At quomodo hoc cum nativa liberorum ex Christianis natorum sanctitate conciliari potest?** 2. Ex illis Scripturae testimoniis, quae in specie de fidelium parentum IX. 258.
liberis agunt eosdemque peccati originalis reos peragunt, Genes. 5, v. 3: *Adam genuit filium secundum imaginem et similitudinem suam* (talem genuit filium, qui antequam renasceretur, in spiritualibus caecus, Dei inimicus et peccati servus erat, non autem secundum imaginem et similitudinem Dei genuit, ad quam creatus et renovatus erat.) Post diluvium non alii nisi Noahi liberi in terra superstites erant, nihilo tamen minus Deus Gen. 8, v. 21. de illis pronuntiat: *Figmentum cordis humani tantum malum ab infantia.* Psalm. 51, v. 7: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* (David ex piis parentibus natus erat 1. Sam. 16, v. 1. neque tamen in peccatis se natum esse negat.) Ephes. 2, v. 3: *Eramus natura filii irae sicut et ceteri.* (Apostolus erat origine Israëlita et semen Abrahae, 2. Cor. 11, v. 22. natura tamen se non minus, quam reliquos filium irae esse pronuntiat.) 3. Ex illis Scripturae pronuntiatis, quae testantur non generationem, sed regenerationem facere Dei filios. Matth. 3, v. 9. dicit Johannes Baptista ad Pharisaeos: *Ne velitis dicere intra vos, patrem habemus Abrahamum.* Joh. 1, v. 12: *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* etc. *his qui credunt in nomine ejus;* v. 13: *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.* Joh. 3, v. 3: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu* etc. Joh. 8, v. 34. cum Judaei de patre Abrahamo gloriarentur, Christus ipsis respondet: *Qui facit peccatum, servus est peccati*, natura ipsos peccati servos et sub peccatum venundatos esse docens. Rom. 9, v. 8: *Non qui secundum carnem filii etiam Dei filii, sed filii promissionis pro semine aestimandi sunt.* ** Illa sanctitas obtingit infantibus aut *ordinarie,* aut *extraordinarie.* Non hoc, quia Deus extra casum necessitatis omnia mediate per certa media confert, aut probent adversarii contrarium ex Scripturis; nec illud, quia aut istam sanctitatem habebunt a se, aut a parentibus. Non a se, quia *quid habes homo, quod non accepisti* 1. Corinth. 4, v. 7. Ergo a parentibus. Si hoc, ergo per eorum fidem et sanctitatem, aut per carnalem generationem. Non prius, quia *justus sua fide vivet* Rom. 1, v. 17. Hab. 2, v. 4. et quemadmodum nemo aliena anima vivit, aliena ratione intelligit, ita nemo aliena fide credit, aliena sanctitate sanctus est. Non posterius, quia unum idemque non potest simul esse medium corruptionis et restaurationis, utpote rerum disparatarum. Jam vero propagatio peccati originalis fit per carnalem generationem. Ergo. Sicut musicus non gignit musicum, ita sanctus non procreat sanctum; habitus personales non transfunduntur in sobolem.** Quo pertinent dicta piorum veterum. Tertullianus in apologet. c. 17: *Fiunt, non nascuntur Christiani*, quod repetit Hieronymus in

epist. ad Laet. Augustinus libr. 1. de nuptiis et concup. c. 17: *De justis et legitimis nuptiis filiorum Dei non filii Dei, sed filii hujus seculi generantur.* serm. 14. de verb. apostol.: *Ideo de baptizato non justus nascitur, quia non generat, unde regeneratus, sed unde generatus.* Ibidem: *Peccator nascitur de semine justi, quomodo oleaster nascitur de semine olivae. Vis, ut de baptizato baptizatus nascatur, cum videas, de circumciso non nasci circumcisum.* Idem in lib. de vera innoc.: *Omnis generatus damnatus, nemo liberatur, nisi regeneratur. Sicut enim non ex semine vel grano arboris frugifera in horto arbor nascitur, quae bonum fructum afferat, sed insitione surculi est opus; ita quoque renasci insitione in Christum, eodem modo oportet.* Leo Magnus epist. 98: *Regenerationis sacramento per Spiritum sanctum filii promissionis renascuntur, non in utero carnis, sed in virtute baptismatis.* 4. Ex omnibus Scripturae testimoniis, quae de effectu baptismi agunt, quod scilicet sit lavacrum regenerationis et renovationis etc. Cum enim etiam Christianorum liberos per baptismum regenerari oporteat, utique ante baptismum non sunt regeniti, nec sancti, nec Dei filii. Lutherus in c. 21. Genes.: *Quantumvis sancti sint pater et mater, tamen hoc filiis, qui ex eis nascuntur, non prodest, non salvantur ideo,*
IX. 259. *sed si salvari debeant, opus est ut promissionis filii fiant, et ipsi quoque promissioni credant; ideo enim singulos oportet baptizari.* **Eadem veritas, quatuor rationibus supra stabilita confirmari potest. 5. Ex communi morte Genes. 2, v. 17. Rom. 6, v. 23. 6. A redemtione Christi 2. Cor. 5, v. 14. Rom. 5, v. 6. 7. A *παλιγγενεσίας* necessitate Joh. 3, v. 5. 8. A communi experientia, quae testatur, ex piis parentibus saepissime nasci filios impios, ex Adamo Cain, ex Isaaco Esau, ex Davide Absalon.**

Quod opinio affirmantium errori Pelagiano sit affinis.

213. Adde quod opinio illa de sanctitate liberorum ante baptismum Pelagiano errori ex parte sit affinis. Quamvis enim sanctitatis efficientiam merito Christi relinquant, nec naturae innocentiam more Pelagianorum tribuant, in eo tamen ipsis *ὁμόψηφοι* sunt, quod gratiae divinae supra peccatum exuberantis rivulos non ex limine domus Dominicae ad nos dimanare, sed sine mediis divinitus ordinatis ad nos pervenire contendunt, sine quibus, excepto casu privationis, nihil sperare possumus aut debemus, ut testatur visio Ezech. 47, v. 1. et seqq. Usum igitur operis seu applicationem meriti Christi ab ipso opere seu merito Christi non discernentes et gratiam Dei ac meritum Christi sine mediis applicationis magnopere praedicantes perinde faciunt, ac si quis fontem extra oppidum scaturientem magnopere quidem praedicet, sed cives ad canales seufistulas, per quas aqua illa fontana ad oppidum deducitur, non deducat. Vide Heshusium in scripto contra errorem de sanctitate liberorum ex Christianis natorum, recusum Erfordiae anno 1584. Schilterum in catech. cap. de baptismo.

Exceptio adversariorum.

214. Excipiunt, *distinguendum esse inter sanctitatem foederalem et internam. Sanctitatem internam a se non tribui liberis, sed sanctitatem foederalem vi illius promissionis* Gen. 17, v. 7: *Ero Deus tuus et Deus seminis tui.* **Pierius in refut. collat. doctrinae Calvin. cum Augustana confess. art. 2. th. 28: *Sancti dicuntur fidelium liberi non natura, sed gratia; non ex parentum procreatione, sed gratuita Dei ejusmodi infantum in ecclesia recensione; non regeneratione et peccati originalis ablutione, sed a reliqua turba, quae non estecclesia, segregatione; non interna quadam inhaerente mundicie et sanctitate, sed ad sanctitatem et cultum Dei consecratione; non jure propriae sanctitatis, sed jure foederis et promissionis: Ero Deus tuus et seminis tui Gen. 17, v. 7.* Respondemus: sanctitas illa, quam Calviniani liberis fidelium tribuunt, ita describenda ex ipsorum verbis, ut sit innixa fidei parentum, ut filii per eam sint in foedere Dei, in gratia Dei, filii Dei, habeant jus vitae aeternae, nascantur membra Christi. Si *nascuntur sancti*, ut loquitur Calvinus, utique natura sunt sancti. Peccatum originale facit filium irae, sanctitas autem ista filium gratiae. Pelargus adhuc orthod. in notis ad Candidum pag. 22: *Quaeso hic me ἀπαίδευτον placidus instruas. Sanctitas praeceditne ut causa regenerationem, an tanquam effectus subsequitur? subsequi affirmat apostolus 1. Cor. 6, v. 11. abluti estis, sanctificati enim estis. Tit. 3, v. 5: Ex sua misericordia servavit nos per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus s. ubi prior regeneratio renovatione vel sanctificatione. Quodsi παλιγγενεσίαν sanctitas vera demum sequitur, quomodo ante illam esse dicitur? foederalem, inquies, praecedere statuimus; at quaenam illa foederalis, quae est prior ipso foedere? ubi enim foedus illud novum nisi in baptismo, in quo jus filiorum Dei primum adipiscimur, nisi enim quis renatus fuerit* etc. Rudolphus Gualt. homil. 4. in Joh.: *Quid illa* (carnalis generatio) *faciat ad salutem, cum polluta sit et naturae corruptionem ex primo parente ceu hereditario jure in nos transfundat? de illa certe David loquebatur* Psalm. 51: En ego in iniquitatibus formatus sum et in peccatis concepit me mater mea. *Peccatores ergo nascimur et filii irae, non filii adoptionis, qui ad hereditatem coelestem admitti mereantur, unde Tertullianus olim recte dicebat:* Christiani fiunt, non nascuntur.** Respondemus: qua specie negare possunt, internam sanctitatem liberis Christianorum ante baptismum a se tribui, cum hanc hypothesin enixe tueantur, per baptismum non conferri infantibus donum *υἱοθεσίας*, adoptionis, regenerationis et salutis, sed tantum in illis per ba- IX. 260.
ptismum haec dona obsignari? cum diserte scribant, liberos Christianorum ante baptismum esse Dei filios, esse Christi membra, habere jus vitae aeternae etc. Quae omnia sine interna sanctitate non habent locum. Hebr. 12, v. 14: *Sine sanctimonia nemo videbit Deum.* Quod porro ad sanctitatem foederalem attinet, ea duplici modo intelligi potest, primo quod infantibus Christianorum pateat aditus ad Dei foedus per baptismum; secundo, quod ante baptismum actu sint in Dei foedere. Priori sensu conce-

dimus foederalem sanctitatem Christianorum liberis, posteriori autem sensu negamus; Gen. 17, v. 7. promittit Deus, quod velit esse Deus Abrahae et seminis ejus itemque in N. T. omnium eorum, qui sunt ex fide Abrahae, quorum liberos in foedus gratiae velit recipere, non autem immediate vel propter carnalem ex Christianis parentibus nativitatem, sed in V. T. per sacramentum circumcisionis, in N. T. per sacramentum baptismi, unde v. 10. additur: *Hoc est foedus meum, quod servabitis inter me et vos et semen vestrum, circumcidetur in vobis omne masculinum;* v. 14: *masculus, cujus caro praeputii non fuerit circumcisa, exscindetur anima ejus de populo suo, propterea quod pactum meum irritum fuerit.* Et Petrus Act. 2, v. 38. 39. ex illa ipsa promissione colligit, quod per baptismum in foedus recipi debeant, *baptizetur unusquisque vestrum* etc. *Vobis enim et filiis vestris facta est promissio.* Vi ergo hujus promissionis liberi Christianorum habent aditum ad foedus Dei; non autem actu sunt in foedere, cum extra necessitatis casum non nisi per media Deus nobiscum agat.

Argumenta adversariorum. 1. Liberi Christianorum dicuntur sancti, 1. Cor. 7.

215. Opponunt 1. 1. Cor. 7, v. 14: *Liberos Christianorum expresse ab apostolo vocari sanctos, infidelium vero liberos immundos.* Respondemus: ostendimus paulo superius §. 197. non de mere politica mundicie, nec de interna cordis sanctitate et mundicie, sed de ecclesiastica quadam sanctitate loqui apostolum, quod scilicet tales liberi ex Christianis parentibus nati, si vel maxime alteruter tantum parens fidelis sit, censeantur in ecclesia nati atque aditum ad baptismum initiationis sacramentum habeant. Apostolus ibidem pronuntiat v. 14: *Virum infidelem sanctificari per mulierem fidelem et mulierem infidelem sanctificari per virum fidelem*, id vero ad internam sanctitatem, quam conjuges sibi invicem communicent, haudquaquam torqueri potest. Ac repetenda sunt hoc loco Scripturae dicta de propagatione peccati originalis, quae testantur, liberos Christianorum non minus esse natura filios irae ac reliquos, concipi et nasci in peccatis, destitui gloria imaginis divinae etc. Porro tres sunt patrum expositiones in hunc locum. Una est, *sanctos hic vocari liberos sanctitate quadam civili, quod scilicet legitimi sint, non spurii*, Ambrosius et Anselmus in comment.: Ut enim *mundis omnia munda*, Tit. 1, v. 15. ita docet apostolus, ex cohabitatione uxoris infidelis virum fidelem non pollui coram Deo. Altera est, *filios horum conjugum dici sanctos, quia consecrantur Deo ab altero conjuge fideli et per baptismum Christiani fiunt, et in timore Dei educantur*, Tertullianus lib. 2. ad uxo. Hieronymus lib. 1. contra Jov. Augustinus lib. 2. de peccat. meritis et remiss. c. 26. lib. 3. c. 12. etc. **Idem epist. 106. sanctitatem illam, de qua apostolus loquitur, non de *sanctitate fidei*, sed de *concione sacramentorum et similitudine professionis* interpretatur.** Tertiam expositionem referunt Augustinus et Anselmus loco dicto, estque eorum, qui dicebant, *sanctificari conjugem infidelem per fidelem, quia discat servare leges conjugii et non abuti matrimonio, cum infideles non abstineant se a copula conjugali tempore menstrui, neque servent modum naturalem.* Secunda expositio proxime accedit ad textum. Addimus ἐκ περιουσίας, si vel maxime interna sanctitas cum regeneratione conjuncta in hoc membro de liberis fidelium intelligeretur, nondum tamen consequens fore, quod liberi sanctitatem illam ex parentibus per carnalem nativitatem secum trahant, sed quod in baptismo ejus participes reddantur, cum dubium nullum sit, Corinthiorum liberos, de quibus hic agit apostolus, fuisse baptizatos. IX. 261.

2. Si radix sancta, etiam rami erunt sancti, Rom. 11.

216. 2. Rom. 11, v. 16: *Si primitiae sanctae sunt, etiam massa erit sancta; et si radix sancta, etiam rami erunt sancti. Ergo liberi Christianorum propter nativitatem ex talibus parentibus sunt sancti.* Respondemus: **Balduinus de casib. conscient. lib. 2. c. 4. c. 10: *Loquitur apostolus de sanctitate legali, quia videlicet liberi fidelium parentum jus et privilegium habent consequendi bona ecclesiae, ad quae reliqui foris nati alieni sunt, donec et illos per legitima media advocaverit Deus.*** Nequaquam hoc vult apostolus, quod patriarchae sua natura fuerint sancti, aut quod ipsorum posteritas propter carnalem ex illis nativitatem sancta fuerit, sed quod Deus primitias illas et radicem patriarcharum ita dilexerit, ut vellet ex ipsorum posteritate adhuc multos convertere, illuminare et regenerare. Scopus namque apostoli est ostendere, quod *Deus non repulerit in universum populum suum*, v. 2. Id probat ex foedere, quod non solum cum patribus, sed etiam cum posteris ipsorum fuit initum. Hoc argumentum apostolus duobus similibus exornat: *si primitiae sanctae sunt, etiam massa; si radix sancta, etiam rami.* Prius simile respicit legem Leviticam de oblatione primitiarum, per quam sanctificabantur fruges reliquae, Exod. 23, v. 19. Levit. 23, v. 10. Num. 15, v. 19. Per primitias et radicem intelligit sanctos patriarchas, per massam et ramos ipsorum posteros et ex illorum sanctitate etiam horum sanctitatem concludit hoc sensu: si patres Israëlitici populi sunt sancti, id est in peculiarem Dei populum electi, cui facta est promissio de Messia et ejus beneficiis, utique etiam posteri ipsorum erunt sancti, id est pertinebit ad ipsos promissio de Messia et ejus beneficiis, modo vera fide eam amplectantur; hanc enim conditionem subintelligendam esse ostendit tota series illius capitis, praesertim v. 20. ubi apostolus expresse dicit, *Judaeos per incredulitatem defractos esse.* Ex quibus omnibus apparet, non intelligi hoc loco internam cordis et spiritus sanctitatem, alias sequeretur, omnes Judaeorum liberos esse natura sanctos et in foedere Dei comprehensos, sed ecclesiasticam illam sanctitatem, qua pateat ipsis aditus ad baptismum ac beneficia Messiae. Mirum vero, hunc locum a Beza atque aliis adduci ad id confirmandum, quod diserte ibi negatur. Apostolus enim diserte ibidem v. 17. pronuntiat, *nonnullos ramos esse defractos*, id est quosdam ex sanctis majori-

bus natos esse propter incredulitatem rejectos. Primitiae sive radix populi Judaici, id est patriarchae, erant sancti et tamen massa sive rami, id est posteri, non imitabantur eam sanctitatem, sed ex illis plerique, qui tempore Christi et apostolorum vixerunt, abjecti seu defracti sunt.

3. Christus jubet parvulos sibi adduci, Marc. 10.

217. *3. Christus jubet parvulos ad se venire ac regnum coelorum ipsis pollicetur, Marc. 10, v. 14. Ergo parvuli natura sunt sancti et heredes vitae aeternae.* Respondemus: 1. Adducendi omnino sunt parvuli Christo, ut coelestis benedictionis fiant participes, sed hoc ipsum fit per baptismum, qui est sacramentum initiationis atque ordinarium illud medium, per quod parvuli regenerantur, renovantur ac Christum induunt. 2. Adde quod parvuli illi per circumcisionem jam ante erant in Dei foedus recepti. **4. Paraeus in comm. epist. Galat. c. 2, v. 15. p. 130. objicit, *Paulum dicere, nos natura Judaei. Ergo et natura (seu ipsa ex Christianis parentibus nativitate) nos esse Christianos.* Respondemus: est elenchus amphibologiae. Nam φύσει esse Judaeum Paulo apostolo non significat *natura esse filium gratiae*, sed *in Judaismo esse natum* et proinde non esse gentilem nec esse proselytum ex gentibus. Quia 1. ait ἀντιθετικῶς *nos natura Judaei et non ex gentibus peccatores.* 2. Rom. 2, v. 27. ethnicus dicitur ἐκ φύσεως praeputium. Ergo Judaeus dicitur φύσει Judaeus, id est non natus ex praeputio. 3. Ratio proselytorum hanc exegesin etiam postulat Matth. 23, v. 15. Actor. 2, v. 11. et c. 13, v. 43. Hoc igitur tantum valet: Judaei natura fuere Judaei, id est non proselyti vel alii gentiles. Ergo et Christiani natura sunt Christiani, id est non ethnici nati extra ecclesiam, sed progeniti in Christianismo. Fiunt vero (quando loquimur de ordine a Deo in N. T. praestituto) Christiani, id est filii Dei adoptati per baptismum. Gal. 3, v. 27. Joh. 3, v. 5. 6.**

IX. 262. Qu. 5: An infantes baptizati credant.

218. Quaeritur 5: *An infantes baptizati credant?* Respondemus: sane infantes ex utero matris non afferunt secum fidem ad baptismum, interim tamen Spiritus sanctus per ipsum baptismi sacramentum fidem in cordibus illorum operatur, per quam υἱοθεσίας, remissionis peccatorum et vitae aeternae participes redduntur, ut ostendimus superius §. 105. Hanc infantum per circumcisionem in V. ac per baptismum in N. T. foederi divino insertorum fidem **probamus breviter 1. a Christi testimonio. Matth. 18, v. 6. confer Luc. 18, v. 15; 2. ab exemplo Johannis Baptistae Luc. 1, v. 44; 3. ab exemplo circumcisorum infantum Genes. 17, v. 18. Rom. 4, v. 11; 4. a confessione Davidis Psalm. 71, v. 5; 5. a fidei proprietatibus, quae tribuuntur parvulis 1. Joh. 2, v. 12. 14. Psalm. 8, v. 3. Matth. 21, v. 16; 6. ab effectibus fidei, qui tribuuntur infantibus, quorum positio ipsam fidem tanquam causam proximam praesupponit, Hebr. 11, v. 6. Matth. 19, v. 4. Rom. 3, v. 22. Gal. 2, v. 16. Joh. 3, v. 5. Tit. 3, v. 5. Joh. 1, v. 12. Eph. 5, v. 26. Act. 15, v. 9. Gal. 3, v. 26. Eph. 3, v. 17. 1. Joh. 5, v. 4. 1. Petr. 1, v. 9. Luc. 18, v. 15. Rom. 14, v. 18. Joh. 14, v. 6. c. 15, v. 4. Act. 4. v. 12. Marc. 16, v. 16; 7. ab admirabili infantum in maximis doloribus patientia; 8. ab omni impedimentorum absentia.** Latius autem demonstramus ex sequentibus fundamentis: 1. Scriptura disertis et expressis verbis fidem illis tribuit.

Affirmative probatur. 1. Quia Scriptura expresse illis tribuit fidem.

Matth. 18, v. 6: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria de collo ejus* etc. v. 3: *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum* (si infantes circumcisi et baptizati non haberent fidem, Christus fideles adultos non juberet illis fieri conformes). Marc. 9, v. 42: *Quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis, credentibus in me, bonum est ei magis* etc. v. 15: *Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud* (regnum Dei non accipimus nisi fide in Christum, quodsi ergo recipere debemus regnum Dei sicut parvuli, utique etiam parvuli revera credunt). **Nota hic insuper: 1. Christus jubet Matth. 18, v. 3. *ut fiamus similes istius pueruli*, quem in medio statuerat et in ulnas suas susceperat Marc. 9, v. 36. *si velimus ingredi regnum coelorum.* Finge, istum puerulum fuisse fidei salvificae expertem, nonne sequetur, quod ex Christi mandato debeamus hominis increduli fieri similes, ut ingrediamur regnum Dei? Debemus puerulum istum imitari non tantum quoad absentiam malitiae 1. Cor. 14, v. 20. sed etiam quoad possessionem fidei salvificae, ex qua sincera illa humilitas, de qua Christus loquitur, profluit. *2. Incredulorum*, qua talium *non est regnum coelorum*, Apoc. 21, v. 8. c. 22, v. 15. Gal. 5, v. 21. At talium παιδίων, id est ejusmodi parvulorum, qui per sacramentum sive circumcisionis sive baptismi in foedus Dei fuerunt adoptati, est regnum coelorum, Matth. 19, v. 14. Marc. 10, v. 14. Luc. 18, v. 16. 3. Quos puerulos sancti angeli vere amant et singulariter fovent, ii sunt fidei salvificae participes. Nam sicut Deus hominem fidei salvificae expertem speciali suo amore et gratiosa praesentia non complectitur, donec resipiscat; ita sancti angeli homines incredulos non ita fovent Luc. 15, v. 10. At infantes baptizatos sancti angeli vere amant Matth. 18, v. 10. 4. Infantes baptizati cum statim post perceptum baptismum ex hac vita migrant, vel omnes damnantur vel omnes salvantur, vel quidam damnantur et quidam salvantur. Si primum, sequetur, nullos infantes fuisse electos; si secundum, fides illis tribuenda; si tertium, ostendendum fuerit illos, qui damnantur, non fuisse in baptismo renatos.**

IX. 263. Exceptio Bellarmini et Bezae, pueros illos fuisse grandiusculos.

219. Excipit Bellarminus lib. 1. de bapt. c. 11. uti et Beza part. 2. resp. ad act. colloq. Mompelg. p. 97. 98. *pusillos illos non fuisse infantes, sed pueros grandiores. Nam vocavit eos Dominus ad se et scandalizari posse dixit, at venire suis pedibus et scandali capacem esse infantibus non convenit.* Respondemus: *1. Deus ex ore infantum et lactantium laudem sibi perficere dicitur* Psalm. 8,

v. 3. Matth. 21, v. 16. Quin et Christus de infantibus, quos in ulnas suas susceperat, diserte pronuntiat: *Talium est regnum coelorum* Matth. 19, v. 14. Luc. 18, v. 16. Quomodo ergo infantes fide destituentur? 2. Demus puerum, quem Christus statuit in medio discipulorum, fuisse quodammodo adultiorem, interim tamen inter ipsum et infantem, quoad cognitionem articulorum fidei, nullum est discrimen, siquidem hic pusillus non magis quam infantes reliqui potuit fidei suae rationem reddere. 3. Quod Christus Matth. 18, v. 3. dicit: *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis regnum coelorum*, id Marc. 10, v. 15. ad infantes in ulnis sibi allatos etiam applicat: *Qui non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud.* Sic Luc. 18, v. 15: *Afferebant ad Christum infantes τὰ βρέφη, ut eos tangeret;* v. 16. talium esse regnum Dei pronuntiat et addit v. 17: *Quicunque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud.* 4. Recognoscat igitur Bellarminus sua verba Anabaptistis c. 8. praecedente opposita: *Solutio illa* (quod evangelia Matth. 19. Marc. 10. et Luc. 18. *non loquantur de infantibus, sed de pueris, qui jam usu rationis utuntur, cum non veniant nisi grandiores) non est solida. Nam verba evangelistarum parvulos et infantes significant, Matthaeus et Marcus habent παιδία, id est parvulos, Lucas habet βρέφη, id est infantes.* Et ibidem: *Lucas dicit, eos portatos fuisse, non suis pedibus venisse, προσέφερον δὲ αὐτῷ καὶ τὰ βρέφη, id est afferebant autem ad ipsum et infantes. Igitur illa vox venire accipitur largo modo, pro eo quod est accedere et propinquare.* Haec Bellarminus sibi ipsi contrarius. ** Τὸ βρέφος Luc. 18, v. 15. notat non hominem adultae aetatis grandiusculum et doctrinae capacem, ut vult Piscator ibidem schol. 15. sed infantem lac matris suae sugentem, ut etiam fatetur Calvinus lib. 4. inst. c. 16. s. 7. Beza in annot. Luc. 18, v. 15. et Bucanus loc. 47. q. 35. Lactatio autem illa olim vel integrum triennium duravit, 2. Macc. 7, v. 28. inaniter ergo Piscator in c. 19. Matth. observ. 11. contra nos urget 2. Tim. 3, v. 15. ex quo studet elicere, quod τὸ βρέφος usurpetur ad significandum puerum doctrinae capacem. Nam sciendum est, quod τὸ βρέφος notet vel infantem adhuc in utero matris suae latitantem, Luc. 1, v. 41. vel recens natum et ab uberibus matris suae pendentem, Luc. 2, v. 12. 16. et c. 18, v. 15. Act. 7, v. 19. 1. Petr. 2, v. 2. non notat igitur puerum natu grandiorem, sed infantem seu breviori, seu longiori temporis interstitio lacte materno cibatum, quo tempore pii parentes suos infantes assuefaciunt pietatis exercitiis. Quod attinet locum 2. Tim. 3, v. 15. respondemus: 1. Paulus ibi ἐν προσθήκῃ ait ἀπὸ βρέφους, ab infantia, ut reddiderunt Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus et commentator Damasceni lib. 1. orth. fid. c. 1. sicut igitur ἀπὸ βρέφους notat *ab infantia*, sic βρέφος notat *infantem*, non vero hominem adultum usu liberi arbitrii praeditum. 2. Timotheus *sacras literas novit ἀπὸ βρέφους* seu ἐκ βρέφους, quia licet habuerit patrem Graecum, tamen matrem habuit Judaeam fidelem Actor. 16, v. 1. Eunicam dictam, 2. Tim. 1, v. 5. aviamque Loidem, a quibus non heri aut nuper, sed jam inde ab infantia divinas fuit doctus literas, non ergo demum tempore adolescentiae suae, sed cum adhuc parvulus seu puerulus fuit, in exercitiis pietatis coepit informari. Gellius Snecanus in locis edit. ann. 1607. p. 312: *Infantes hic intelligi manifestum est ex proprietate Graecae linguae.* Ibidem etiam urget, quod in ulnis Christo allati fuerint. Piscator in c. 19. Matth. observ. 11. statuit, Matth. 19, v. 14. 15. Marc. 10, v. 13. 14. 15. 16. Luc. 18, v. 15. *agi de pueris, qui informari possunt;* sed contradicit ipsi Calvinus lib. 4. instit. c. 6. §. 7. Bucanus loc. 47. q. 35. p. 674. Appelius in censura p. 260.** 5. Ecquis vero infantes excluderet a dulcissimis illis ver- IX. 264
bis Christi, quae historiae de parvulo in medio discipulorum statuto immediate subjunguntur Matth. 18, v. 10: *Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis. Dico enim vobis, quia angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est. Venit enim filius hominis salvare quod perierat?* Colligimus igitur, quod Christus in genere de circumcisis et baptizatis parvulis loquatur, sive adhuc infantes sint, sive quodammodo adultiores, quando ipsos credere pronuntiat, id quod ex ipso verborum sono manifestum: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis,* dicit v. 6. Proinde ab exemplo hujus pueri occasione accepta in genere de parvulis agit. 6. Christus requirit, ut conversi efficiamur sicut parvuli, si velimus intrare regnum Dei. Quodsi infantes non crederent, fideles adulti parvulis incredulis conformes fieri deberent. 7. Si nomine pusillorum non comprehenderentur infantes, consequens foret, infantes baptizatos vel conformes fieri debere parvulis adultis, vel in aeternum ipsis esse pereundum, si decedant in infantili aetate. 8. Et cur adultiores potius quam infantes in exemplum simplicitatis et humilitatis Christus nobis proponeret, cum Scriptura et experientia testetur, malitiam cum aetate crescere? 1. Cor. 14, v. 20: *Malitia estote parvuli.* 9. Quod ad sophisma de scandalo attinet **distinguendum 1. inter *scandalum morale et reale.* Ut maxime enim infantes tales scandalizari non possint scandalo morali, malo exemplo, possunt tamen scandalizari scandalo reali, malo facto, quatenus illis aditus ad Christum intercluditur, quatenus contemnuntur, injuriis afficiuntur. Hinc Chrysostomo, Euthymio, Thomae, Maldonato, *scandalizare hic idem est quod contemnere et malefacere;* 2. inter scandalum consideratum δευτέρως ratione hominum et πρώτως ratione Dei; 3. inter scandalum *actu* et *potentia.* In Dei enim judicio etiam ista actio dicitur scandalum, quae alios offendere potest, licet in nervum non erumpat, nec re ipsa offendat, quia Deus intentionem agentis magis quam actionis eventum respicit.** Respondemus: igitur Christum loqui de scandalo non tam ratione actus, quam potentiae. Coram Dei judicio etiam illa actio scandalum judi

catur, quae alios offendere potest, licet ipso actu ipsos non offendat, cum Deus magis voluntatem, intentionem et propositum operantis, quam eventum actionis respiciat; cape sis hujus regulae exemplum manifestissimum. Matth. 16, v. 23. Christus dicit ad Petrum: *Vade post me Satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea, quae Dei sunt, sed ea, quae sunt hominum.* At num Christus ipso actu a Petro scandalizabatur? absit, sed Christus ideo dicebat, Petrum sibi esse scandalo, quia talia proferebat, quae scandalum in cordibus aliorum movere poterant.

2. Infantibus tribuuntur effecta et proprietates fidei.

220. 2. Positis proprietatibus et immediato alicujus rei effectu res ipsa ponitur. Infantibus circumcisis in V. et baptizatis in N. T. Scriptura tribuit proprietates et effecta fidei. Ergo. Psalm. 8, v. 3. Matth. 21, v. 16: *Ex ore infantium et lactantium perfecisti tibi laudem* (non placent Deo laudes, hymni et gratiarum actiones, nisi proficiscantur ex vera fide, *sine qua impossibile est Deo placere,* Hebr. 11, v. 6. **(Dictum Hebr. 11, v. 6. sine fide impossibile est Deo placere, Beza vol. 2. lib. qq. et resp. q. 124. p. 345. Piscator in comm. Hebr. 11. observ. 10 de *solis adultis agere* statuunt, sed contradicit illis D. Crocius in defens. part. 2. conversat. Prutenicae c. 13. p. 342.)** *Ex qua quicquid non fit, peccatum est*, Rom. 14. v. 23. **Pareus in comment. epist. ad Rom. p. 1059. concedit, *infantes Deum invocare.* At quomodo invocabunt sine fide Rom. 10? Hieronymus in Ps. 8, v. 3: *Perfecisti tibi laudem seu robur ex ore infantium propter inimicos tuos, id est ad confusionem Judaeorum. Τὸ perfecisti* juxta Theophylactum in c. 21. Matth. significat *perfectam et absolutam ostendisti laudem, etiamsi illi infantes propter aetatem imperfecti et viles videantur.* Qui profert laudem Dei ad confusionem inimicorum ejus, is praestat vere bonum opus. Infantes per sacramenta Deo inserti proferunt laudem Dei. Ergo. Si dicas, *infantes proferre laudem Dei, quia praebent materiam proferendi laudem Dei, sicut Psalm. 19, v. 2. de coelis id praedicatur.* Respondemus: hanc explicationem diluit Christus Matth. 21, v. 16. ubi ad pueros acclamantes ei applicat dictum Psalm. 8, v. 3. quippe de quibus etiam David vaticinatus fuerit. Quare injurius est Piscator in Christum, quando in Psalm. 8. schol. 3. p. 44. scribit, *verborum Davidis diversum esse sensum;* sic enim allegatio Psalm. 8, v. 3. a Christo facta foret erronea. *Si quis non diligit Dominum Jesum Christum, sit anathema Maranatha* 1. Cor. 16, v. 22. At infantes baptizati non sunt anathema, quia *talium est regnum coelorum* Matth. 19, v. 14. Ergo.** Psalm. 22, v. 10: *Tu es spes mea ab uberibus matris*
IX. 265. *meae, in te projectus sum ex utero.* Psalm. 71, v. 6: *Tibi innixus sum ex utero, de ventre matris meae tu es eductor meus.* Psalm. 115, v. 13: *Benedicat omnibus, qui timent Dominum, pusillis cum majoribus;* v. 14: *adjiciat Dominus super vos et filios vestros.* 1. Joh. 2, v. 14: *Scribo vobis parvuli, παιδία, quoniam nostis patrem* (ubi Johannes tres classes eorum, ad quos scribit, constituit, prima complectitur patres, altera adolescentes, tertia parvulos. Ergo per parvulos non possunt intelligi adultiores, sed ut vulgata etiam versio reddidit, *infantes*, de quibus testatur apostolus, *quod cognoscant Patrem.* In quibusdam Graecis exemplaribus legitur *πατέρες*, sed cum illorum in versu praecedente mentio facta sit, ideo praeferenda est illa lectio, quae habet *παιδία*). 1. Joh. 5, v. 4: *Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum, et fides nostra est victoria quae vincit mundum,* (jam vero baptizati infantes nati sunt ex Deo, Joh. 1, v. 13. utique ergo credunt et per fidem vincunt mundum). Apoc. 11, v. 18: *Timentibus nomen tuum pusillis et magnis.* Apoc. 19, v. 5: *Laudem dicite Deo nostro omnes servi ejus et qui timetis eum pusilli et magni.* Excipiunt, *in infantibus non apparere bona opera, quae sunt fructus fidei Jacob. 2, v. 18.* Respondemus: 1. Quamvis *τεκμήρια* et effectus fidei in infantibus non ita in oculos et sensus externos incurrant, ut fidei in adultis, non tamen ob id omnes fidei fructus in infantibus sunt negandi, cum Scriptura ipsis tribuat Dei laudem Psalm. 8, v. 3. Dei cognitionem 1. Joh. 2, v. 14. victoriam mundi 1. Joh. 5, v. 4. quos esse fidei fructus et bona opera nemo inficias iverit. **Concedunt ipsi adversarii, *Spiritum sanctum excitare infantibus novos motus*, at illi sunt effectus fidei, nec possunt esse sine fide.** 2. Ne quidem in adultis semper apparent exterius fidei fructus et bona opera, puta in somno, in morbis etc. Deo soli notum est, quomodo agonizantes ad ipsum ex toto corde ingemiscant, quamvis linguae officio destituti preces suas recitare nequeant. 3. In infantibus nondum manifeste apparent fructus originalis peccati, ecquis vero propterea negaverit, ipsos concipi et nasci in peccatis? Psalm. 51, v. 7. 4. Arbor bona in media hieme non destituitur proprietate bonos fructus proferendi, quamvis exterius id non appareat, et nos fidem infantibus ex eo negabimus, quod externos ejusdem fructus non proferant? Ut in seminibus et surculis arborum res se habet, quanquam non ferunt fructus, tamen inest eis vis et natura, ut fructus suo tempore producant; sic infantum fides *ἐνέργειαν* exteriorem suo tempore exserit et fert fructus Deo placentes. 5. Quin imo Johannes Baptista uteri materni carcere adhuc conclusus exterius testimonium fidei Christum praesentem agnoscentis saltu edidit. 6. Dictum Jacobi adultos spectat, cumprimis hypocritas illos, qui fidem se habere glorientur, nec tamen operibus eam demonstrant.

Exceptio adversariorum: in infantibus non apparere bona opera.

3. Infantes justi sunt ac placent Deo. IX. 266.

221. 3. Infantes baptizati justi sunt ac Deo placent. Jam vero sola fide in Christum sumus justi ac Deo placemus. Ergo etc. Utraque propositio est bimembris. Quod infantes baptizati sint justi, patet ex eo, quia nisi justi essent, nec Deo placere, nec salvari possent. Quod infantes Deo placeant, patet ex historia de parvulis Christo allatis, quibus manus imposuit iisdemque benedixit, quin et redarguit eos, qui

infantes sibi afferri prohibeant, Matth. 19, v. 13. 14. 15. Marc. 10, v. 13. 14. 15. Luc. 18, v. 15. 16. De filiolo Jeroboami dicitur 1. Reg. 14, v. 13. *quod inventum fuerit in eo aliquid boni coram Domino Deo Israël*, utique ergo placuit Deo. Quod sola fide in Christum justi simus, constat ex Rom. 3, v. 24. Gal. 3, v. 24. Eph. 3, v. 17. quod *sine fide impossibile sit Deo placere*, expressis verbis docetur Hebr. 11, v. 6.

Exceptio infantes imputatione justitiae Christi sine fide propria esse justos.

Excipiunt, *infantes imputatione justitiae Christi sine fide propria fieri justos.* Piscator in respons. ad dictum Hoffm. pag. 34. asserit, *infantibus justitiam non eadem ratione qua adultis a Deo imputari.* Respondemus: 1. Somnium hoc nullo Scripturae testimonio probari potest, cum totius Scripturae vox sit perpetua, quod beneficiorum Christi non nisi fide participes fieri possimus, sine qua prorsus ἀδύνατον sit Deo placere, nedum justificari et salvari. 2. Ostendit hoc res ipsa. Cum donum aliquod multis offertur, cujus tamen non actu omnes fiunt participes, causa quaerenda est in illis, quibus offertur, quorum aliqui oblatum donum recipiunt, quidam vero repudiant. Sic Deus gratiam suam, remissionem peccatorum et vitam aeternam in verbo et sacramentis omnibus hominibus ex animo offert; quod beneficiorum illorum non omnes fiunt participes, inde est, quod oblata bona non recipiunt; restat igitur, ut baptizatis infantibus fides tribuatur, vel beneficia omnia in baptismo ipsis oblata iisdem denegentur. 3. Si infantes justi sunt, aut sua aut aliena fide justi sunt. Non aliena, quia *justus sua fide vivit*, Habac. 2, v. 4. Rom. 1, v. 17. Ergo sua. 4. Hinc ipse Beza in qq. et respons. part. 2. quaest. 126: *Nequaquam facile dixerim, quempiam fide aliena servari, ne quis perinde hoc accipiat, ac si dicerem, parentum fidem infantibus imputari quasi aliena fide credentibus, quod quidem non minus falsum et absurdum, quam si dixerim, quempiam posse aliena anima vivere aut alterius sapientia sapere.* Quod Beza addit, *interveniente parentum fide fieri, ut nati vel nascituri infantes sancti sint, hoc est in foedere censeantur ac proinde serventur*, in eo principium manifeste petit.

4. Infantibus aut fides tribuenda, aut salus neganda.

222. 4. Infantibus aut fides tribuenda, aut salus deneganda. Salutem illis denegare crudele est et impium. Ergo nec fides eis deneganda. Connexum majoris ex Scriptura manifestum. Joh. 3, v. 18: *Qui credit in Filium, non judicatur; qui vero non credit, jam judicatus est;* v. 36: *qui habet Filium, habet vitam aeternam; qui non habet Filium, non videbit vitam, sed ira Dei manet super ipsum.* Joh. 14, v. 6. dicit Christus: *Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Marc. 16, v. 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur* (ergo baptismus sine fide non prodest, nec salutem confert). Act. 4, v. 12: *Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat eos salvos fieri, nisi in nomine Christi Jesu.* 1. Joh. 5, v. 12: *Qui non habet Filium, non habet vitam* etc. Quin imo tota Scriptura testatur, non nisi in Christo, per Christum ac propter Christum salvos fieri; vicissim, nos non nisi fide esse in Christo et beneficiorum ejus participes fieri. Alterutrum igitur statuendum fuerit, infantes scilicet regni coelestis extorres esse, vel fide in Christum salvos fieri. Ceterum quod infantes salventur, expresse Christus testatur Matth. 19, v. 14. **(Piscator in c. 19. Matth. observ. 11. notat, *infantium posse esse regnum coelorum, etiamsi non credant, dummodo sint electi et fidem in Scriptura nuspiam requiri nisi ab adultis.* Respondemus: hinc ebullit Photinianismus, siquidem alicui adscribere salutem sine justitia Christi mediatoris per fidem justificantem vere explicata est haeresis Photinianorum. Et sicut nemo nisi propria ἀπιστία damnatur, ita nemo nisi propria fide justificatur Hab. 2, v. 4. Rom. 1, v. 17.)** Marc. 10, v. 14. Luc. 18, v. 16: *Talium est regnum coelorum. Nisi conversi fueritis* etc. IX. 267.
Apoc. 20, v. 12: *Vidi mortuos pusillos et magnos stantes coram Deo, et libri aperiebantur et alius liber aperiebatur, qui est liber vitae.* Ergo etiam pusilli quidam scripti sunt in librum vitae. *Vadam ad illum*, dicit David de filio suo ex Bethsabea suscepto atque ante annos discretionis mortuo 2. Sam. 12, v. 23. Concludimus ergo: si infantes salvantur, utique Christus, sine quo nulla salus, in eis vivit; at Christus per fidem vivit in cordibus nostris Ephes. 3, v. 17. Si infantes salvantur, utique habent vestem nuptialem Matth. 22, v. 12. at vestis illa nuptialis nihil aliud est quam Christus fide indutus, Galat. 3, v. 27. Si infantes salvantur, utique sunt in Christo; sed non sunt in Christo nisi per fidem Rom. 11, v. 20.

Exceptio de adultis solum intelligendum esse, quod fide in Christum salvi fiant.

Excipiunt, *de adultis solum intelligenda Scripturae dicta, quae testantur, nos fide in Christum fieri salvos.* Respondemus: unus Christus, una fides, una salus, unus justificationis et salvationis modus teste tota Scriptura. Generalia sunt Spiritus sancti pronuntiata. *Sine fide impossibile est Deo placere. Qui non credit, condemnabitur. Qui incredulus est Filio, ira Dei manebit super eum.* Ubi ergo Scriptura non distinguit, nec nos distinguere debemus. Praeter fidem nullum dari potest medium, quo Christus, extra quem nemo salvari potest, apprehendatur.

5. Baptismi effecta non habent locum sine fide.

223. 5. Baptismus est efficax medium, per quod Spiritus sanctus baptizatos regenerat, peccata illis remittit, eos in foedus Dei transfert, justitia Christi vestit, υἱοθεσίας participes facit etc. **(Danaeus lib. 5. isagoges Christianae c. 35. fol. 540. recte disputat: *Quod idem baptismi effectus sit etiam in infantibus, qui est in adultis, quamquam vim ejus infantes tam cito non proferant neque illius fructus edant quam adulti, sed demum cum aetas adveniret et usus rationis.*)** Haec vero omnia non habent locum sine fide, ut ostendimus superius §. 105. Quo cumprimis pertinet aureolum illud apostoli Galat. 3, v. 26: *Omnes filii Dei estis per fidem in Christum Jesum;* v. 27: *quia quotquot baptizati estis, Christum induistis*, ex quo sic concludimus: Quotquot in baptismo Christum induunt, sunt filii Dei per fidem. Infantes Christum in ba-

Exceptio, infantes baptizari in fidem parentum vel ecclesiae.

ptismo induunt. Ergo sunt filii Dei per fidem. Excipiunt, *infantes baptizari in fidem parentum vel ecclesiae vi promissionis*, Gen. 17, v. 7: *Ero Deus seminis tui; cum Christus fidem eorum, qui paralyticum afferebant, intuitus peccata eidem remiserit*, Matth. 9, v. 2. Respondemus: *1. Justus sua fide vivet* Hab. 2, v. 4. Rom. 1, v. 17. Gal. 3, v. 11. Hebr. 10, v. 38. Ergo ad participationem spiritualium ac coelestium beneficiorum requiritur fides propria. 2. Ut parentum incredulitas liberorum salutem non labefactat, ita nec fides parentum liberis salutem confert, *sed justitia justi super eum et injustitia injusti super eum*, Ezech. 18, v. 20. 3. Ut ipsosmet infantes per baptismum renasci oportet, si regnum Dei intrare velint, Joh. 3, v. 5. ita quoque ipsosmet oportet credere, si velint esse regenerationis participes, quia sine fide regeneratio et salus non habent locum. 4. Ut nemo potest cibum terrenum in usum alterius capere, sed quemlibet per se oportet illum assumere; ita quoque Christi caro fide cujusque propria manducanda et sanguis ejus fide cujusque propria bibendus, Joh. 6, v. 54. 5. Promissionem illam Gen. 17, v. 7. fidem includere expresse docet apostolus Galat. 3, v. 7: *Cognoscitis ergo, quia qui ex fide sunt, illi sunt filii Abrahae;* v. 8: *providens autem Scriptura, quia ex fide justificat Deus gentes, pronuntiavit Abrahae, quia in te benedicentur omnes gentes;* v. 9: *ergo qui ex fide sunt, benedicuntur cum fideli Abraham.* Id ipsum
IX. 268. docet Rom. 9, v. 6: *Non omnes, qui ex Israël, ii sunt Israëlitae;* v. 7: *neque quia semen sunt Abrahae, omnes filii;* v. 8: *non qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis, aestimantur in semine.* Ex quibus perspicuum est, promissionem Abrahae factam non posse nec debere eo extendi, quod semen Abrahae sine fide benedictionis et salutis particeps fiat. 6. Paralyticus non bajulorum, sed sua fide remissionem peccatorum obtinuit. Nisi in Christum credidisset, non fuisset passus se ad Christum adduci, nec suavissima filii appellatione a Christo fuisset honoratus, nec ad fiduciam ab eodem erectus. 7. Fides aliena potest alteri corporalia beneficia per preces impetrare, quin imo etiam illud efficere, ut donetur alteri fides propria, sed ad remissionem peccatorum, justificationem et salutem oportet quemlibet *suo corde credere*, Rom. 10, v. 11. ita quoque infantuli per parentes, patrinos atque alia ecclesiae membra Christo piis precibus offeruntur, sed postea per baptismum ac in baptismo fide propria donantur, per quam coelestium beneficiorum participes redduntur.

Exceptio Bezae, baptismum esse sigillum non regenerationis, sed adoptionis.

Beza excipit in praefat. part. 1. resp. ad act. colloq. Mompelg. p. 24. *baptismum non esse obsignationem regenerationis in pueris, sed tantum adoptionis.* Respondemus: apostolus baptismum vocat *lavacrum regenerationis*, Tit. 3, v. 5. utique ergo confert et obsignat regenerationem. *Nihil obsignatur nisi quod jam habetur*, scribit Beza part. 2. resp. ad act. coll. p. 62. Ergo infantes baptizati aut jam habebunt regenerationem, aut baptismus illis non erit lavacrum regenerationis. Adde quod plane ἀσύστατον sit ac contradictionem implicet, baptismum in infantibus esse obsignationem adoptionis et non esse obsignationem regenerationis. Quomodo enim adoptio illa in infantibus sine fide et regeneratione habebit locum? Joh. 1, v. 12. et sqq. haec tria, puta fidem, adoptionem et regenerationem sic connectit, ut nulla ratione distrahi posse ostendat: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri* (haec est adoptio), *videlicet his, qui credunt in nomen ejus* (haec est fides), *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* (haec est regeneratio cum fide et adoptione ἀδαμαντίνως conjuncta). Ostendit id res ipsa. Omnes nascuntur natura filii irae. Ergo oportet eos renasci, ut fiant Dei filii. Proinde nemo est Dei filius, nisi ex Deo natus, quomodo ergo baptismus erit obsignatio adoptionis, non autem simul regenerationis?

6. Infantes circumcisi in V. T. Deo placuerunt et per fidem salvati sunt.

224. 6. Infantes circumcisi in V. T. placuerunt Deo et per fidem salvati sunt. Ergo de infantibus baptizatis in N. T. idem dicendum fuerit. Antecedens demonstramus hoc modo. Genes. 17, v. 7. promittit Deus, se per circumcisionem tale foedus cum Abrahamo initurum, quod sit Deus ipsius et Deus seminis ejus. Ergo fuit circumcisorum infantum Deus, hoc est fuit pater ipsorum benignissimus, remisit ipsis peccata, complexus est eos sua gratia ac omnis benedictionis spiritualis participes fecit; hunc enim esse promissionis illius sensum, patet ex Levit. 26, v. 11. 12. Jerem. 31, v. 33. 34. Matth. 22, v. 31. 32. Sic Abraham dicitur accepisse *signum circumcisionis signaculum justitiae fidei.* Jam vero non aliam circumcisionem accepit Abraham, aliam Isaac, sed unum idemque circumcisionis sacramentum adultis et infantibus fuit collatum. Quodsi circumcisio etiam in infantibus fuit sigillum justitiae fidei, utique parvuli circumcisi habuerunt fidem; quo pertinet dictum Bezae part. 2. resp. ad colloq. p. 62: *Obsignatio est earum rerum, quae jam habentur.*

Antithesis 1. Anabaptistarum qui simpliciter denegant infantibus fidem.

225. Hanc sententiam nostram de fide infantum oppugnant Anabaptistae, Pontificii et Calviniani, sed diversimode. 1. Anabaptistae simpliciter denegant IX. 269.
infantibus fidem, cum non sint doctrinae capaces. Transylvanus in 36 argumentis contra paedobaptismum argum. 16: *Si dixeris, infantes fidem habere, novam novae fidei revelationem in illis demonstrabis, quod ex verbo Dei nunquam probare poteris.* **Menno in fundam. p. 73. simpliciter derogat infantibus fidem.** Vide etiam colloq. Franckenth. part. 12. act. 31. p. 631. et seqq.

2. Pontificiorum qui fidem habitualem illis tribuunt.

2. Pontificii statuunt, *infantes non habere fidem actualem, sed habitualem, et credere eos fide aliena et ipsa baptismi susceptione*, quae sunt verba Bellarmini lib. 1. de sacram. bapt. c. 10. **Costerus etiam in augm. ench. p. 84: *Infantes credunt fide habituali seu infusa.* Bellarminus rursus lib. 1. de baptismo c. 11: *Infantes non habent actualem fidem, sed fide aliena credunt.* Ludov. Granatensis in evangel. de paralyt. Matth. 9: *Hoc in loco immensa Dei bonitas satis apparet, qui frequenter propter aliena*

merita miseris opitulatur etc. *An non quotidie ecclesiae fides in sacramento baptismi regeneratis infantibus sufficit ad salutem? Si enim tanta Dei justitia est, ut aliena labes nascentem puerum inficiat, cur non tanta sit ejusdem misericordia, ut aliena quoque fides et voluntas salutem ei conferat?*** Monendum tamen, Scholasticos in hac quae-
IX. 270. stione non consentire. Quidam enim disputant, in baptismo in pueris nondum ratione utentibus nullas infundi virtutes, nec secundum actum, nec secundum habitum, nec secundum radicem, sed in adulta demum aetate, quam infra annum 30. constituunt, easconferri, vel si in infantia moriantur et baptizati sint, in separatione animae a corpore virtutes illis conferri. Alii disputant, in baptismo conferri nec habitus, nec actus virtutum, sed radicem earum, quae sit gratia. Alii radicem illam faciunt characterem baptismi et ejus radicis ramos progressu aetatis fieri habitus virtutum, ex quibus sequantur sub tempore actus. Alii opinantur, in parvulis ba-
IX. 271. ptizatis infundi habitus virtutum, non autem actus quoad usum. 3. Calvinus lib. 4. instit. c. 16. sect. 20. disputat, *parvulos baptizari in futuram poenitentiam et fidem, quae etsi in illis nondum formata sunt*, inquit, *arcana tamen Spiritus operatione utriusque semen in illis latet.* sect. 19. *in suspenso relinquere se malle* dicit, *quid de fide infantium in hac vita sit sentiendum.* In scripto contra Servetum referente Chassanione lib. 2. loc. c. 45. §. 1: *Dicimus quidem baptismum nihil nobis prodesse, nisi quae inest promissio fide apprehendatur; sed continuo addimus, patres eam pro liberis universaque sobole amplecti, non solum quemque pro se, quia etiam fideles omnes in commune hanc gratiam ecclesiae oblatam amplectuntur; rejiciendum hoc non est, infantem baptizari in alterius fidem; ad quos enim nisi ad fideles diriguntur verba, super quae fundata est fides? Nimirum ut sciant, se cum progenie a Deo adoptatos esse.* Beza in colloq. Momp. p. 435. *infantes aliena fide baptizari* asserit. part. 2. respons. ad act. colloq. Mompelg. p. 97. et seqq. negat: *infantes justificari fide sua, quippe quam nec habeant, nec habere possint.* p. 99: *fidem parentum infantibus tribui eamque sic fidem alienam esse* dicit, *quia in ipsis infantibus non inest, ut tamen pro sua in illis ex Dei pacto censeatur.* **Idem in colloq. Mompelg. p. 491: *In infantibus in ecclesia baptizandis fidem ecclesiae praesupponimus, non autem propriam fidem.* p. 495: *Infantes in fide parentum atque ecclesiae baptizantur.* In resp. 2. ad colloq. Mompelg. p. 57: *Infantibus sine propria fide obtingit sanctificatio.* Idem part. 2. quaest. 124. p. 65: *Cum fides ordinario modo sit ex auditu, extra ordinem vero ex solo intrinseco Spiritus sancti motu, quorum vel alterum infantibus competere, ex nullo Scripturae loco, neque ulla legitima conjectura collegeris. Fides enim sive ex auditu sive extra ordinem oriatur, necessario praesupponit notitiam.*** Marloratus in c. 9. Matth. ex Musculo: *De singulis fidelibus sentire convenit, quod Dei gratiam fide sua ad liberos et nepotes propagent, etiam antequam nascantur, atque id in pueris infantibus locum habet, qui nondum per aetatem fidei sunt capaces.* Ursinus in catech. q. 57. q. 370: *Infantes habent fidem et conversionem potentia et inclinatione, tametsi nondum actu.* **(In justificatione non sufficit, ut quis *potentiam fidei* habeat, sed requiritur ejusmodi fides, quae re ipsa et actu insit. Nec ullibi Scriptura docet, quod vel semine vel radice fidei justificemur aut Christum apprehendamus. Novi illi motus, quos excitari debent in infantibus, aut sunt ipsa fides, aut non. Si non sunt ipsa fides, non apprehendunt Christum et per consequens non justificant. Praeterea si Spiritus sanctus potest excitare novos motus, quid prohibet, quominus etiam fidem excitare possit, cum illi novi motus absque fide esse nequeant? Denique concedunt, Spiritum santum in infantibus baptizatis habitare. Atqui Spiritus sanctus gratiose inhabitans est causa efficiens fidei, unde Wolffg. Crell. part. 1. log. de postpraed. sic scribit: *Spiritus sanctus et fides viva convertuntur; in quo Spiritus sanctus est, is vera fide est praeditus et qui vera fide praeditus est, is Spiritum sanctum habet;* et Aretius part. 1. problem. p. 43: *In infantes*, scribit, *etiam cadit poenitentia.*** Georg. Sohnius in exeg. August. confess. p. 793. aliquo modo infantibus tribuit fidem, qua in parte a Beza discedit: *Certum est*, inquit, *in infantibus proprie nec notitiam ullam esse, nec fiduciam* etc. *Sed tamen in iis instar fidei illius adultorum novos motus et novas inclinationes pro ipsorum motu atque captu a Spiritu sancto extra ordinem excitari, id est eos a Spiritu sancto donari, regenerari et sanctificari, videlicet quoad speciem, non quoad individua etc. hunc motum Spiritus sancti regenerantis et sanctificantis in infantibus alii vocant fidem, alii semen fidei, alii inclinationem ad fidem, videlicet actualem, alii primitias Spiritus s. alii denique simpliciter regenerationem et sanctificationem appellant.* Guilelmus Zepperus lib. 3. de sacram. c. 8. p. 292. recitatis variis opinionibus suam sententiam his verbis proponit: *Potentia vel δυνάμει fides est in infantibus. Neque enim dubitandum est, Deum Opt. Max. occulta* IX. 272.
quadam et incomprehensibili nobis Spiritus sancti virtute et operatione semen quoddam, inclinationem et virtutem fidei verae et regenerationis in infantibus fidelium, qui ad foederis promissionem pertinent, non tantum in baptismo, sed etiam ante illum (nota) *pro aetatis ipsorum mensura et captu liberrima voluntate operari* etc.** Sibrandus Lubertus comment. ad 99 errores Vorstii p. 780. et 784. *Deum decrevisse aliquos infantes servare, qui, quamdiu in hoc mundo peregrinantur, neque crediderunt, neque credunt, neque credituri sunt.* Vorstius in Anti-Bellarmin. p. 374: *Plerique nostrum initia et semina quaedam fidei pueris fidelium concedunt.***

226. Bellarminus postquam lib. 1. de baptismo c. 10. invita veritate Luthero hunc errorem affricuerat, infantibus nullam fidem esse in baptismo ne-

[Margin notes: Dissensiones Scholasticorum in hac quaestione. — 3. Calvinianorum, qui semen fidei illis tribuunt. — Propositiones Bellarmini de hac quaestione.]

cessariam, cujus contrarium in scriptis Lutheri et quidem in illis ipsis, quae Bellarminus allegat, diserte exstat, c. 11. format quinque propositiones: *1. Infantes non habent actualem fidem. 2. Infantes non habent, dum baptizantur, ullos novos motus et inclinationes similes actibus fidei et dilectionis. 3. Infantes non justificantur sine ulla fide. 4. Infantibus in baptismo infunditur habitus fidei, spei et caritatis. 5. Parvuli actu credunt, partim re ipsa, dum baptizantur, partim aliena fide.* De quibus ut rectius fieri possit judicium, repetimus verba D. Brentii in apolog. confess. Witteb. p. 439: *Dubium non est, quin infantes ecclesiae Christi membra non habeant talem, hoc est tam explicatam et ut ita dicam, sensibilem fidem, qualem habent adulti, in quibus Spiritus sanctus est efficax per externum*
IX. 273. *evangelii auditum;* et D. Chemnicii ex form. concord. anno Domini 1567. constituta: *Quando dicimus, infantes credere aut fidem habere, non est imaginandum, infantes intelligere aut sentire motus fidei, sed rejicitur error illorum, qui imaginantur, infantes baptizatos placere Deo et salvos fieri sine actione aliqua Spiritus sancti in eis, cum Christus clare dicat: nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu. Et semper cum remissione peccatorum datur Spiritus sanctus, nec quis potest Deo placere sine Spiritu sancto,* Rom. 8. *Cum ergo certum sit, infantes baptizatos esse membra ecclesiae et placere Deo, certum et hoc est, Spiritum sanctum in eis efficacem esse, et quidem ita efficacem, ut regnum coelorum, hoc est gratiam Dei et remissionem peccatorum, accipere possint* etc. *Et licet nec satis intelligamus, nec verbis explicare possimus, qualis sit illa Spiritus sancti actio et operatio in infantibus, qui baptizantur, esse tamen et fieri ex verbo Dei certum est. Illam autem actionem seu operationem Spiritus sancti in infantibus vocamus fidem et dicimus, parvulos credere. Illud enim medium seu organum, quo regnum Dei, quod in verbo et sacramentis offertur, accipitur, Scriptura vocat fidem et credentes dicit accipere regnum Dei* etc.
** Fides justificans consideratur vel *per se* et natura sui vel *ratione accidentium.* Priori modo quae in adultis, ea quoque fides est in parvulis. Credunt enim, hoc est fiduciam suam in Christum collocant, quod est fidei justificantis formale. Interim posteriori modo accidentium respectu discrimen aliquod agnoscimus, quoad actus tum antecedentes, tum consequentes. Adultiores enim 1. explicitam sive specialem ac distinctam magisque evolutam articulorum religionis cognitionem habent, quam 2. concipiunt ex verbi praedicati auditu, lectione, meditatione, ruminatione, apprehensione; 3. sciunt, se credere; 4. operibus in oculos incurrentibus et officiis caritatis publice, quales sint, testantur; 5. cum dubitatione, diffidentia et trepidatione luctantur. Fides porro Pontificiis alia est *informis,* alia *formata.* Quam ergo infantibus fidem tribuunt? Non formatam, haec enim non potest esse sine dilectione et operibus. Ergo informem, quae cum per se sit mortua, quid nisi cadaver fidei eis relinquunt? *Habitus* omnis aut est absolutus, aut transitivus. Exponant ergo, quem fidei habitum infantibus tribuant. Si absolutum, qui est qualitas in sese terminata, repugnant naturae fidei et erit mortua ac historica fides, quam etiam habent diaboli Jac. 2, v. 19. Nam vera justificans fides non est absoluta qualitas, sed fiducialis Christi apprehensio. Sin habitum relativum, activum, apprehendentem et applicantem sibi Christi λύτρον infantibus tribuunt, cur suam sententiam nostrae opponunt? Si per *actum fidei* intelligunt: 1. ἐνέργειαν fidei foras progredientem quoad proximum per opera caritatis, concedimus, tali fidei operatione infantes carere; 2. reflexionem et reciprocationem, qua credens scit, se credere, libenter largimur, etiam hanc deesse infantibus; 3. sin accipiunt de ἐνεργείᾳ, qua fides per Spiritum sanctum in cordibus infantum accensa agit, paciscitur et stipulatur cum Deo 1. Petr. 3, v. 21. tum eam ἐνέργειαν negando nihil nisi inane fidei nomen ipsis tribuunt.**

227. Si ergo Bellarminus per fidem actualem hoc intelligit, quod infantes eo modo credant, quo adulti, quodque prorsus eadem ratio fidei sit in parvulis baptizatis, quae in adultis; sciat, nos talem fidem non tribuere parvulis, quo pertinent dicta illa Augustini, *quod parvuli baptizati nondum habeant* IX. 274. *sensum fidei* lib. 1. de peccat. merit. c. 19. quod *divina nondum sciant,* epist. 57. ad Dard. quod *nondum illa fides, quae in credentium voluntate consistit, parvulum fidelem faciat* tract. 80. in Joh. quod *parvuli nondum possint corde credere ad justitiam et ore confiteri ad salutem* lib. 4. contra Donat. c. 24. neque aliud quicquam probant argumenta Bellarmini, quibus fidem actualem infantibus derogat, utpote quod infantes non agnoscant distantiam boni et mali, quod non attente auscultent verbo, quod non habeant sensum fidei etc. Si vero fidem actualem infantibus denegando omnem Spiritus sancti operationem in parvulo, dum baptizatur, negat, ita quidem ut alius baptizetur, alius vero credat et aliena illa fides parvulo, in quo Spiritus sanctus nihil plane operetur, imputetur ad justitiam et salutem; tum apparet ex superioribus fundamentis, IX. 275. quid sit respondendum. Bellarminus hanc Spiritus sancti in infantibus operationem vocat fidei habitum, quem opponit fidei actuali. Sed cum infantes teste Christo *recipiant regnum coelorum,* hoc est gratiam Dei, remissionem peccatorum et vitam aeternam, cum Christum apprehendant ad salutem, non quidem more adultorum, sed pro suo captu et modulo nobis inexplicabili, quomodo fidei actus simpliciter et absolute illis denegari poterit? Quomodo otiosus aliquis fidei habitus illis tantummodo tribuendus?
** Dicimus, *fidem infantum esse actualem,* non respectu externarum operationum, sed internarum et fidei propriarum. Nam absque externis aliarum virtutum operibus propria et interna fidei opera esse posse, planissimo somniantium exemplo confirmatur. Quomodo illam habeant, captu nostro asse-

Ambiguitas in termino fidei actualis.

qui nos non posse fatemur. Andreas Osiander disp. de bapt. anno 1615. q. 13: *Quoad qualitates et conditiones fidei non est per omnia eadem ratio fidei in infantibus et adultis, siquidem in infantibus per externas operationes et externos fructus fides se ita non exserit, ut fit in adultis; interim manet ipsa fidei substantia et ipsius ratio formalis, quae est apprehendere Christum.* Grauerus. *Non docemus, infantes in baptismo talem habere fidem actualem, quae per sensibiles motus et operationes sese exserat, sicut in adultis; sed statuimus, Spiritum sanctum in actione baptismi sua gratia et efficacia in infantibus operari fidem, quae non sit otiosus aut nudus habitus, sed actu alioquo (cujus modus tamen nobis est inexplicabilis) Christum induat Gal. 3, v. 27. regnum coelorum recipiat Marc. 10, v. 15. et regenerationis ac salutis particeps fiat Joh. 3, v. 5. Tit. 3, v. 5. 1. Petr. 3, v. 21. Jam vero induere Christum, recipere regnum coelorum, adipisci regenerationem et salutem sunt indubii actus fidei. Ergo fidem infantum suo modo actualem esse necesse est.*** Quaecunque argumenta Bellarminus profert, quibus probat, infantes non justificari sine fide, ea etiam probant, fidem infantum non esse nudum ac otiosum habitum omni plane actu et ἐνεργείᾳ destitutum, sed vivam ac efficacem fidem. *Fides* (ait Bellarminus) *est medium ad salutem necessarium. Sine fide impossibile est Deo placere; homo justificatur per fidem. Ergo tribuere parvulis justificationem sine fide est fingere novam justificationem contra Dei verbum.* Haec ille rectissime. Subsumimus autem, fidem illam, quae justificat ac salvat, non esse nudum et otiosum habitum, omni actu et ἐνεργείᾳ destitutum, sed vivam et efficacem. Ergo et talis erit infantum fides. ** *Qui credit in Filium* (non qui habitu fidei infuso praeditus), *habet vitam aeternam* Joh. 3, v. 16. illud autem *credere* nihil aliud est quam Christum apprehendere explicante ipso Johanne c. 1, v. 12. ubi si τὸ *credere* de nudo fidei habitu exposueris, sequetur, duas esse credentium classes, in quibus aliqui per fidem habitualem, aliqui per actualem salventur.** Repetimus definitionem fidei justificantis in Scriptura traditam, quod sit fiducialis apprehensio Christi ad vitam aeternam. Ut ergo beneficia Christi in baptismo et per baptismum offeruntur infantibus; ita ab eis apprehendi non possunt nisi fide propria, quam Spiritus sanctus in ipsorum animis per hoc sacramentum accendit. Augustinus lib. 1. de peccat. merit. c. 9. *parvulis occultam gratiam, cum baptizantur, infundi* dicit. Epistol. 57: *Dicimus, in baptizatis parvulis, quamvis id nesciant, habitare Spiritum sanctum, sic enim eum nesciunt, quamvis sit in eis, quemadmodum nesciunt et mentem suam, cujus in eis ratio, qua uti nondum possunt, veluti scintilla quaedam sopita est excitanda aetatis assensu.* Serm. 14. de verb. apost. post allegatam Christi sententiam: *Qui non crediderit, condemnabitur,* interrogat Pelagium: *Ubi ponis parvulos baptizatos? Profecto in numero credentium, nam ideo et consuetudine ecclesiae antiqua, canonica, fundatissima parvuli baptizati fideles vocantur; inter credentes igitur parvulos baptizatos numerabis; nec judicare ullo modo aliter audebis, si non vis esse haereticus.* Bernhardus serm. 5. in Cant.: *Infantes habent fidem, sed ex miraculo.*

228. Nos igitur non de modo fidei sumus solliciti, sed in illa simplicitate acquiescimus, quod infantes vere credant et per fidem in baptismo gratiae Dei, remissionis peccatorum, regenerationis et salutis aeternae participes fiant, quod ipsum quibus argumentis adversarii impugnent, dispiciendum porro erit. *1. Fides est ex auditu Rom. 10, v. 17. Infantes non audiunt verbum. Ergo non habent fidem.* **Beza in praefat. p. 1. resp. ad colloq. p. 22: *Si dictum illud apostolicum verum est,* fides ex auditu *et quidem* praedicantis ore, *unde tandem fides illa vestrorum infantum?* Sed hoc Bezae argumentum late refellit ipse Calvinus lib. 4. inst. c. 16. §. 19.** Respondemus: 1. Argumentum procedit a particulari, quia non solum praedicatio verbi, sed etiam administratio baptismi est efficax medium, per quod Spiritus s. fidem ad salutem operatur; non solum verbum *est incorruptibile illud semen, ex quo renascimur* 1. Petr. 1, v. 23. Sed etiam baptismus est *lavacrum regenerationis,* Tit. 3, v. 5. Regeneratio autem et fides sunt ἀδαμαντίνως conjuncta. Sacramenta sunt verbum visibile, quod ergo verbo ἀκουστῷ tribuitur, id verbo huic ὁρατῷ non est denegandum. **Matth. 28, v. 19. dicit salvator: μαθητεύσατε, *facite discipulos.* Quomodo? *baptizantes et docentes,* quae duo baptismum et doctrinam cum juxta se ponat salvator, ostendit, fieri discipulos alios quidem per doctrinam, alios vero per baptismum. Quare auditus verbi negatio non protinus negat ipsam fidem.** 2. Si dicant, haec duo non posse simul consistere, quod Spiritus sanctus fidem excitet et quod beneficia in baptismo oblata fide apprehendantur; respondemus, duo esse baptismi officia in infantibus, primo per eum accenditur fides, ut per causam instrumentalem et salutare Spiritus sancti organum; deinde eadem confirmatur et obsignatur per baptismum, ut per sigillum seu signaculum fidei. Declaramus hoc simili exemplo. *Auditus sermo non prodest, nisi fide misceatur,* Hebr. 4, v. 2. et tamen ille ipse sermo auditus est medium fidei excitandae. Ut ergo per auditum et meditationem verbi fides accenditur, per quam fidem auditus sermo prodest; sic in infantibus per baptismum tanquam ordinarium regenerationis medium excitatur fides a Spiritu s. in infantibus, per quam baptismus est salutaris. 3. Licet alia ratione in adultis intelligentibus et volentibus sit fides, quam in infantibus rationis usum non habentibus, non tamen ob id simpliciter deneganda est infantibus fides propter argumenta superius allata. In adultis oritur fides ex auditu, meditatione et apprehensione verbi praedicati, est assensio in mente, fiducia in voluntate, qua cor erigitur et quietatur. Credens scit, se credere, vult et conatur

Argumenta IX. 276. adversariorum contra fidem infantum.

1. Infantes non audiunt verbum.

fidem retinere et subinde crescere, luctatur cum dubitatione, diffidentia et trepidatione, exserit efficaciam suam signis et testimoniis externis; hoc modo non excitatur, nec exserit se fides infantum, sed ex eo nimis large infertur a distributo ad non distributum procedendo, quod infantibus plane deneganda sit fides. Lutherus in cap. 12. Hos. tom. 4. Lat. fol. 665: *Quid mirum est, Spiritum s. in infantibus esse efficacem eo modo, quem nos non intelligimus? Cum habeant vitam, carnem et ossa, non tamen aluntur in utero eo modo, quo nos, qui in hac luce vivimus, alimur. Vere igitur odiosum et impium Anabaptistarum dogma est, qui ideo pueris baptismum negant, quod sensu et mente careant, nec intelligant, quae cum eis agantur. Nobis non intelligunt, nobis mente et sensu judicantur carere, sed Deo non sic, cujus opus sunt. Deus enim sicut alio modo eos alit quam nos, ita quoque alio modo movet eorum corda.* 4. Quid enim, an non Jeremiae et Johanni in utero materno datus est Spiritus sanctus? an non in Davide hoc praestitit, ut ab uberibus matris suae adhuc pendens fiduciam in Domino collocaret? 5. Deus creaturas irrationales alloquitur, ut jussui et verbo ejus obediant, Deuter. 32, v. 1. Esa. 1, v. 2. quanto magis cum infantulis per verbum in
IX. 277. baptismo agere potest. Quo pertinent verba Lutheri in libr. de capt. Babyl. cap. de bapt.: *Sicut verbum Dei potens est, dum sonat, etiam impii cor immutare, quod non minus est surdum et incapax quam nullus parvulus; ita per orationem ecclesiae offerentis et credentis parvulus in baptismo fide infusa mundatur, mutatur ac renovatur.*

2. Infantes non habent usum rationis. 229. *2. Infantes non habent usum rationis. Ergo nec fidem.* Respondemus: 1. Quamvis non possimus percipere, quomodo fides infantum comparata sit, tamen fidem illis denegare non debemus propter expressa Scripturae dicta, quae testantur, ipsos credere. 2. Operatio Spirisus sancti fidem excitantis non est alligata ad usum rationis humanae, Matth. 16, v. 17: *Caro et sanguis non revelavit tibi.* ***Distinguendum inter notitiam naturalem per media naturalia et humana acquisitam, qualis etiam in impiis esse potest, et notitiam spiritualem a solo Spiritu sancto excitatam. In illis, qui rationis usu destituuntur, non potest esse notitia naturalis, bene tamen spiritualis.* Grauerus. Idem argumentum refellit Calvinus lib. 4. instit. c. 16. §. 17. *Ut maxime concedamus, non uti infantes ratione per causas naturales, hinc tamen minime efficitur, ne quidem in regeneratione tales rationis motus supernaturales cieri. Et sane quia hominem sine rationis motu de novo generari, a peccatis lavari, maxime est absurdum, credimus, qui fecit sine mediis, ut Johannes embryo sciret* (utique per rationem, quia per nullam vim et facultatem aliam) *foetum a Maria conceptum sibique praesentem esse Messiam, eundem etiam posse per media in quocunque infante rationem ad operandum excitare, licet id naturae conditionem superet.* Hunnius disp. de bapt. aq. §. 72.** 2. Cor. 3, v. 5: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis.* 3. Imo cum τὸ φρόνημα σαρκὸς et νόημα intellectus, sint *inimicitiae adversus Deum*, Rom. 8, v. 7. 1. Cor. 2, v. 14. 2. Cor. 10, v. 15. melior erit hac in parte conditio infantum, quam adultorum, ratio enim, quando usu suo se exserit et suis λογισμοῖς indulget, impedit potius fidem, quam ut eam promoveat. 4. Adulti fideles in somno ratione non utuntur, ecquis vero pronuntiabit, eos in somno vera fide destitutos esse, nec *Christum in cordibus ipsorum per fidem habitare?* Ephes. 3, v. 17. in phrenesi, in agone mortis etc. perit usus rationis, an statim fidem defecisse dicemus? 5. Quando Christus dicit Joh. 3, v. 8: *Spiritus ubi vult spirat et vocem ejus audis, sed nescis, unde veniat et quo vadat; sic est omnis ex Spiritu natus;* ostendit, operationem Spiritus s. in regeneratione non esse sensibus ac intellectui nostro subjectam. 6. Johannes in utero materno repletus Spiritu s. praesentem Messiam saltu excipiebat Luc. 1, v. 41. Quis vero dicet, ratione illum eo tempore fuisse usum? Hos. c. 2, v. 20. et 21. dicit, *terram in annonae caritate clamare ad coelum, coelum clamare ad Dominum.* Davides Psalm. 104, v. 21. pronuntiat, *catulos leonum rugitu suo quaerere escam a Deo.* Job. 39, v. 3. et Psalm. 147, v. 9. *pulli corvorum* dicuntur *clamare ad Deum vagantes, eo quod non habeant cibos.* Rom. 8, v. 22. creatura dicitur *ingemiscere ad Deum, ut liberetur a servitute corruptionis.* Hos gemitus, has voces, hos clamores nos non audimus nec intelligimus, Deus vero audit et intelligit; quanto minus ex eo, quod non intelligimus, quomodo infantum fides comparata sit, colligi poterit, ipsos fide carere, de qua expresse Deus testatur, qui *plus potest praestare, quam nos intelligimus* Ephes. 3, v. 20?

230. *3. Infantes ubi adoleverint, non possunt rationem reddere suae fidei, nec ejus recordantur.* 3. Infantes in adulta aetate non recordantur suae fidei.
Respondemus: 1. Johannes in utero matris repletus erat Spiritu sancto Luc. 1, v. 15. ac Christum praesentem fide agnoscens laetissimo saltu eundem excipiebat v. 41. idem tamen in aetate adulta in fidei articulis informandus erat, quin imo diserte testatur Joh. 1, v. 31. quod in principio ministerii personam Messiae in individuo non agnoverit. **Quando igitur dicit, *non noveram illum*, loquitur de notitia sensuum, quoad exteriorem faciem, interim in ipso utero eum certa ratione noverat.** 2. Christus
Matth. 18, v. 6. de parvulo, quem in medium sta- IX. 278.
tuerat, asserit, quod vere credat; ecquis autem certo asseverare ausit, eum de Christo ejusque persona et officio explicite respondere potuisse? 3. Adulti in somno, in παραφροσύνῃ etc. fidem retinent, quamvis externa oris confessione eandem non manifestent. **Saepe adulti spatio aliquot annorum elapso non amplius recordantur, se ante annos aliquot scivisse, quod tamen revera sciverunt. Adulti non possunt explicare, quomodo in somno et morbis gravioribus retinuerint fidem.** 4. Facessant ergo humanae rationis argutiae et audiatur Spiritus sancti testimonium de infantum fide in sacris literis propositum.

Deus solus novit corda filiorum hominum, 2. Paral. 6, v. 30. *Ipse scit, quid sit in homine*, Joh. 2, v. 25. Demus ergo verbis ejus hunc honorem, ut testimonio ejus de infantum fide fidem habeamus.

4. Infantes reluctantur baptismo.

231. 4. *Infantes et vocis ejulatu et motibus corporis reluctantur et obstrepunt baptismo. Si ergo crederent et vere intelligerent, quid fieret, rei fierent ingentis sacrilegii, nec abluerentur, sed sordidarentur.* Respondemus: 1. Augustinus epist. 57. hoc argumento utitur, ut probet, infantes non habere sensum fidei, nec scire divina, quod nobis non adversatur, qui nequaquam talem, hoc est tam explicatam et sensibilem fidem, qualem adulti habent, infantibus tribuimus. 2. Sed non potest nec debet ex eo deduci, quod infantes plane careant fide, cum Scriptura expresse illis tribuat fidem, contra quam nullae rationis argutiae exaudiri debent. 3. Christus, qui ratione substantiae carnis et effectuum nobis similis factus Hebr. 2, v. 17. naturali quodam sensu dolores refugiebat, *Pater* (inquit) *si possibile est, transeat a me calix iste* Matth. 26, v. 39. Aspice eum provolutum in conspectu Dei ac misere querulantem, nec ulla veritatis specie negare poteris, Christum vere sentire dolores mortis et inferni, ac graviter ob eos conqueri, absit vero ut sacrilegium propterea Christro tribuamus. 4. Infantes circumcisi senserunt dolorem acerbissimum ac propter eum reluctati sunt circumcisioni, nihilo tamen minus circumcisio ipsis erat *signaculum justitiae fidei* Rom. 4, v. 11. 5. Si motus illi reluctantes in infantibus impediunt fidem, impedient etiam regenerationem, ex quo consequens erit, baptismum non amplius esse *lavacrum regenerationis*, Tit. 3, v. 5. 6. Quid vero dicemus de morte hominis, quam natura nostrae carnis non potest non aversari? Augustinus tr. 123. in Joh.: *Affectus ille infirmitatis, quo nemo vult mori, usque adeo naturalis est, ut eum Petro nec senectus auferre potuerit;* numquid vero et tunc cessat fides nostra? absit.

5. Propatres infantum loco ipsos credere respondent.

232. 5. *Ἀναδόχοι sive propatres quaesiti: An infans credat in Deum Patrem, Filium et Spiritum sanctum? pro infante respondent affirmate. Ergo infantes baptizantur in fidem ecclesiae ac propatrum.* Respondemus: 1. Invertimus hoc argumentum. Si enim infantes, qui baptizantur, non habent fidem, quid est, quod baptizans nominatim ab infante quaerit et susceptor ipsius nomine respondet, quod credat? Si haec sunt vana tantum spectacula, quomodo talibus ludibriis Deus ad iracundiam non provocatur? Augustinus lib. 1. de peccat. merit. et remissione c. 33: *Ubi ergo parvulos ponimus baptizatos nisi inter fideles? sicut universae ubique ecclesiae clamat auctoritas. Ergo inter eos, qui crediderunt, hoc enim eis acquiritur per virtutem sacramenti et offerentium responsionem.* 2. Susceptores igitur repetunt, quod Christus tanquam os infantum pro ipsis in evangelio testatus est, nimirum parvulos credere, illorum esse regnum coelorum et adultos debere similes effici parvulis. 3. Usus susceptorum sive patrinorum in baptismo nec a Christo institutus nec ab apostolis adhibitus; sed ab ecclesia Christiana propter causas suo loco exponendas bono consilio introductus. Jam vero ex instituto quodam ecclesiae contra expressum Dei verbum nihil potest concludi. 4. Susceptores hoc responso manifestum faciunt, in cujus nomen infans sit baptizandus, cui fidem det in baptismo etc. Quin etiam per preces suas infantem Christo offerunt, qui per baptismum eum regenerat, fide propria donat et in foedus Dei ad salutem aeternam recipit. 5. Adde quod quidam ex Calvinianis improbent haec interrogata et responsa susceptorum. Sic enim scribit Chassanio lib. 2. loc. comm. c. 43. sect. 1. p. 283: *Perridiculum est, quod ab adultis in baptismo postulabatur, id ab infantibus exigere, scilicet ut de fide sua rogati respondeant, cum ne quidem fandi facultatem habeant.* Bucanus loco 47. p. 634: *Illud credis? credo; abrenuntias? abrenuntio, ab adultorum baptismo ad paedobaptismum perperam, si ipsos infantes spectes, translatum est.* Quomodo igitur ex ceremonia ecclesiastica, quam ipsimet improbant, contra nos argumentari possunt? **Ceterum *quod infantes credant ante baptismum,* conantur aliqui ex eo probare. *1. Preces piorum non sunt irritae inprimis in causa salutis aeternae. Atqui pii petunt, ante baptismum infantes fide donari.* Respondemus: 1. preces instituendae juxta Dei voluntatem 1. Joh. 5, v. 13. at talis voluntas, quod Deus omnes et singulos infantes in ecclesia natos ante baptismum perceptum fideles efficere velit nuspiam in Scripturis revelata; 2. preces ecclesiae eo spectant, ut Deus in infantibus per ordinarium regenerationis medium videlicet per baptismum fidem excitet; si vero baptismo priventur, non dubitamus, quin Deus per preces piorum in ejusmodi infantibus fidem operari queat. *2. Propatres ante baptismi perceptionem respondent loco infantis:* Credo. Respondemus: 1. argumentum est desumtum a consuetudine humanitus introducta. Ex baptismo adultorum transsumtum est. 2. Licet forma interrogandi in praesenti sit formata, nihilominus tamen non significatur, quid ante baptismi actionem fiat, sed tantum quod infantes in ipso baptismi actu, qui mox subsequitur, credant et regenerentur. *3. Lutherus in post. eccles. dom. 3. post festum Epiph. statuit, infantes secum afferre fidem ad baptismum.* Respondemus: 1. disputat ex hypothesi contra Pontificios, qui infantes in fidem ecclesiae absque propria fide baptizari docebant, hos ex propriis principiis, inprimis ex hac formula interrogandi *credisne* confutat ostendendo, si in baptismi actu infans prorsus careat propria fide, falso patrinos infantis nomine respondere, quod credat. 2. Urget quidem Lutherus, fidem infantibus per preces piorum conferri, sed quod hoc semper et necessario ante baptismi actum fiat, non expresse determinat, sed potius ad ipsum baptismi actum proprie sic dictum refert. 3. Quare contra Waldenses disputans sic concludit: *Necessum est, ut fides si non ante*

IX. 279.

baptismum, tamen in ipso baptismi actu adsit, si infans a peccato et diabolo liberari debeat. At quid opus erat hac correctiva locutione, si infantes semper et necessario ante baptismum fidem habere statueret? Et rursus: *Quapropter hoc dicimus et concludimus infantes ipsos in baptismo credere et propriam fidem habere, quam Deus in ipsis operatur per preces patrinorum, qui eos ad baptismum adducunt.* **

Quaeritur 6: Quid statuendum de infantibus ante baptismum mortuis. Sententia Augustini.

IX. 280. 233. Quaeritur 6: *Quid statuendum de infantibus ante usum baptismi, vel in utero materno, vel statim a nativitate mortuis?* Respondemus: Augustinus studio asserendae necessitatis baptismi contra Pelagianos in duriorem illam prolapsus est sententiam, quae infantibus non baptizatis vitam aeternam simpliciter denegat, ut videre est epist. 17. 82. 92. et 94. lib. de fide ad Petrum c. 27. Interim, quae ipsius modestia, dubitanter ut plurimum in hac quaestione procedit, libr. 1. de peccat. merit. et remiss. c. 15. lib. 8. de origin. an c. 18. etc.

Pontificiorum.

Pontificii ut rigorem illius sententiae aliquo modo corrigerent, medium locum inter coelum et infernum excogitarunt, quem vocant *limbum infantum*, in quo nec bene nec male sit talibus infantibus, ut apparet ex Bonaventura libr. 2. sent. dist. 33. quaest. penult. Unde mos enatus, infantes non baptizatos ceremoniis sepulturae Christianae fraudandi eosque in peculiari aliquo coemeterii angulo terrae mandandi. Dominicus a Soto libr. 2. de natura et gratia c. 10. *in ecclesia constitutissimum esse* dicit, *nullum parvulum absque baptismo in re, quem in voto habere non potest, intrare regnum coelorum.* **Lindanus libr. 4. panopl. c. 15. pro haeresi Pelagiana Protestantibus impingit, quod doceant, *infantes sine baptismo posse salvari.* Respondemus: hoc Pelagiani non docuerunt, sed *proprius in hac parte error Pelagianorum fuit negare peccatum originis simpliciter.* Bellarminus de not. eccles. c. 9. art. 45. Gregorius de Valent. de pecc. orig. c. 2. Merito ergo hic aliquis dixerit cum Erasmo in epist. ad Card. Mogunt. pag. 475. edit. Basil. ann. 1521: *Compertum est, damnata ut haeretica in libris Lutheri, quae in Bernhardi Augustinique libris ut orthodoxa imo et pia leguntur.* ** Hungerus in colloq. Ratisbonens. p. 34. edit. Lubec.: *Ejusmodi infantes, qui sine baptismo decedunt, non salvantur, quod est fides Catholica.* **Hungeriano illi effato in eodem colloquio, si recte aestimes, contradicit Tannerus p. 257. edit. Lubec.** Azorius Jesuita lib. 2. instit. moral. c. 17: *Aliquando aliquorum patrum opinio cum communi theologorum sententia pugnat, ut cum docent patres, infantes absque baptismo morientes igne perpetuo cruciari. Communis autem Scholasticorum opinio est et verior, eos poena sensus non puniri;* ** et libr. 9. tom. 1. mor. c. 33. §. 3. *infantes absque baptismo etiam in casu necessitatis mortuos esse mortis aeternae reos* scribit. Lindanus libr. 4. panopl. c. 15. *esse condemnandos.* Maldonatus in Matth. 25, v. 23. *perire;* Bellarminus lib. 1. de bapt. c. 4. art. ult. *ad sinistram futuros esse cum hircis;* Maldonatus d. l. *statim ac moriuntur mox in infernum descendere;* ex concil. Florentino Canus in relect. de sacram. part. 2. §. afferunt: *Ipsorum animas una cum corporibus resumtis detrudendas esse in tenebras.* **

Bellarminus quinque sententias de statu talium infantum numerat.

234. Bellarminus lib. 6. de amiss. gratiae et statu peccati c. 1. quinque numerat sententias de statu talium infantum: *Prima est eorum, qui regnum coelorum infantibus non baptizatis promittere audebant, etiamsi non negarent, eos in peccato originali conceptos et natos. Altera est eorum, qui parvulos non baptizatos excludebant a regno coelorum et vita beatis promissa; tamen eis dabant vitam aeternam et naturalem beatitudinem sine ulla molestia aut dolore extra regnum beatorum et procul a carcere damnatorum, hoc est in loco medio inter gehennam et coelum. Tertia sententia docet, parvulos sine baptismo decedentes damnari apud inferos aeterna morte; sed tamen sic puniri carentia visionis Dei, quae dicitur poena damni, ut nullum patiantur dolorem, neque internum neque externum. Quarta sententia liberat parvulos ejusmodi a cruciatu ignis et vermis, quae proprie dicitur poenae sensus, sed non liberat eos ab interno dolore, qui sequitur ex amissa beatitudine sempiternae felicitatis. Quinta sententia docet, parvulos propter originale peccatum utroque genere poenae, damni scilicet et sensus in gehenna perpetuo, cruciari.* IX. 281. Habes exemplum consensus Pontificii tantopere depraedicati, cum praeter primam sententiam reliquae omnes suos in Pontificia ecclesia habeant assertores. Secundam enim amplectitur Ambrosius Catharinus et Albert. Piggius; tertiam Thomas et aliquot Scholastici doctores; quartam Lombardus, quem alii nonnulli sunt secuti; quintam Gregorius Arimensis et Joh. Driedo. unde c. 2. §. *hoc solum* fatetur Bellarminus *quosdam Scholasticos constituere infantes in parte inferni altiore, quam limbum puerorum appellant, quosdam vero cum caeteris damnatis in eundem locum eos redigere;* cui vero Bellarminus accedit? c. 2. asserit, *parvulos sine baptismo decedentes mortis aeternae damnandos esse.* c. 4. probare conatur, *parvulos sine baptismo decedentes non puniendos poena sensus sive ignis sensibilis.* c. 6. disputat contra Thomam et Bonaventuram, *probabile esse, parvulos illos passuros interiorem animi dolorem, quamvis mitissimum, quod scilicet intelligent, se beatitudine privatos, a consortio piorum fratrum et parentum alienos, in carcerem inferni detrusos et in tenebris perpetuis vitam acturos.* De quibus omnibus ita disputat Bellarminus, ac si ex infernali illo infantum carcere nuper ad nos rediisset.

235. **Tertullianus libr. de baptismo disputat adversus Quintillam, feminam haeresis illius nefariae auctricem, quae baptismum ad salutem necessarium esse pernegabat, quam feminam Tertullianus initio statim ejus libelli vocat *viperam et aspidem, quod baptismia quas fugeret, nam* (inquit) *verae*

viperae et aspides ipsique reguli serpentes arida et inaquosa sectantur. Ex recentioribus Joh. Völkelius Photinianus in resol. nodi Gordii p. 18: *Baptismum ad salutem summe necessarium esse nuspiam apud sacros auctores scriptum legimus.***

Calviniani contra statuunt, infantes fidelium ab utero esse sanctos.

Qui Calvinum sequuntur, in adversum impingunt scopulum, baptismi necessitatem simpliciter negantes ac statuentes, *infantes fidelium pariter omnes sive baptizatos sive non baptizatos ex utero materno jure hereditario promissionis esse sanctos et foedere Dei ac societate aeternae salutis gaudere.* Calvinus lib. 4. inst. c. 15. sect. 20. Beza colloq. Mompelg. p. 434. ad thes. 3. Wirteb. Sadeel in respon. ad Burdegal. art. 11. p. 87. Ursinus in comp. theol. p. 528. Gentillius in apol. pro Christ. Gall. cap. de bapt. **Musculus in loc. comm. f. 338. invehitur in eos, *qui cum infantibus suis ad baptismum festinant, ubi si seculi mores paterentur, ipsi non displiceret Nazianzeni sententia, qui consuluit, ut parvulorum baptismus differatur in annum usque tertium.*** Petrus Martyr 1. class. 4. loc. com. c. 5. sect. 16. hac de re sic disputat: *Neque haec a me dici eo putanda sunt, quod omnibus pueris fidelium absque*
IX. 282. *sacramento decedentibus id pollicear. Si enim id facerem, temerarius haberi possem. Illos divinae misericordiae judicandos relinquo, cum de arcana electione et praedestinatione mihi nihil constet; sed tantum hoc assero, eos revera servari, in quos electio divina incurrit, quanquam baptismus non intercesserit. Item de hujusmodi parvulis bene spero, quod illos videam ex fidelibus parentibus natos; quae res habet non vulgares promissiones, quae licet non sint generales quoad omnes, attamen cum nihil secus videam de salute talium infantium, par est ut bene sperem.*

Nostra hac de re sententia.

236. Nos incedimus via media docentes, baptismum esse quidem ordinarium initiationis sacramentum et regenerationis medium omnibus omnino, etiam fidelium liberis, ad regenerationem et salutem necessarium; interim tamen in casu privationis sive impossibilitatis salvari liberos Christianorum per extraordinariam et peculiarem dispensationem divinam. Necessitas enim baptismi non est absoluta, sed ordinata; ex parte nostra ad baptismi susceptionem obligati sumus, interim tamen non neganda est actio Dei extraordinaria in infantibus Christo a piis parentibus et ecclesia per preces oblatis atque exstinctis, priusquam baptismi copia illis fieri posset, cum Deus suam gratiam et salutarem efficaciam non ita alligarit baptismo, quin in casu privationis extraordinarie agere et velit et possit. Distinguimus igitur inter necessitatem ex parte Dei et ex parte nostri, inter casum privationis et viam ordinariam, itemque inter infantes natos in ecclesia et extra ecclesiam. De infantibus extra eccle-
IX. 283. siam natis dicimus cum apostolo 1. Cor. 5, v. 12: *Quid mihi de iis, qui foris sunt judicare? nonne de his, qui intus sunt judicatis?* v. 13: *nam eos, qui foris sunt, Deus judicabit.* Quare cum de illis
IX. 284. nulla exstet promissio, ideo judicio Dei eos committimus, nec tamen locum quendam inter coelum et infernum intermedium statuimus, de quo altum in Scripturis est silentium. **(D. Hunnius in qq. in c. 7. Genes. hac de re ita: *Salvari infantes gentilium extra ecclesiam ut certo pronuntiare non possumus, cum nihil hac de re in sacris literis definitum exstet; ita nec simpliciter asseverare ausim, parvulos illos sine discrimine damnatos: 1. Cum Deus, qui nullius mortem vult absolute, nec eorum parvulorum interitu delectari recte statuatur; 2. et Christus pro ipsis quoque sit mortuus; 3. et quod tales incredularum gentium liberi hodie sacramentorum participes non evadunt, id parentum culpae tribuendum videatur, cum ipsi respectu sui per casum necessitatis exclusi a sacramentorum usu appareant, nec Deus ob impietatem parentum aeterna morte plectat liberos,* Ezech. 18. *Committamus ergo eos Dei judicio.*)** Sed de infantibus in ecclesia natis melius speramus. Sane pii parentes liberos suos, quam potest fieri primum, ad baptismum tanquam ordinarium regenerationis medium afferunt ac per baptismum Christo offerunt, qui vero hac in parte negligentes inventi fuerint, ita ut per incuriam vel damnabilem sacramenti contemtum liberos suos baptismo privaverint, gravissimam Deo rationem olim reddent, cum *consilium Dei spreverint,* Luc. 7, v. 30. Interim tamen infantes illos, qui vel in utero materno, vel repentino quodam casu ante baptismi susceptionem exstinguuntur, temere damnare nec possumus nec debemus, quin potius statuimus, preces piorum parentum, vel si parentes hac in parte negligentes fuerunt, preces ecclesiae Deum pro his infantibus fusas clementer exaudiri eosdemque in gratiam et vitam a Deo recipi, qua de re videantur consolatoriae epistolae et scripta Lutheri tom. 2. Jen. Lat. p. 133. tom. 8. Jen. Germ. p. 51. et seqq. tom. 12. Witteb. p. 184. in Genes. c. 17. p. 81. 92. et seqq. Pomerani in Psalm. 29.

De infantibus exstinctis in utero materno.

237. Quod enim attinet infantes in utero materno exstinctos, quibus sepeliri prius contingit quam nasci; quibus convertitur in coemeterium, quod vitae debebat esse hospitium, de illis manifestum est: 1. Quod non possint pro contemtoribus hujus sacramenti censeri, siquidem baptismus est *lavacrum regenerationis.* Quoniam vero nemo potest renasci, nisi prius nascatur; quomodo ergo per baptismum renasci potuerunt, qui nondum in lucem sunt editi? Locum igitur hic habet illud Augustini lib. 4. de baptismo c. 24: *Tunc sacramentum baptismi impletur invisibiliter, cum id ipsum non contemtus religionis, sed articulus necessitatis excludit.* Item- IX. 285.
que illud Bernhardi epist. 37: *Contemtus sacramenti damnat, non privatio;* et epist. 77: *voluntas pro facto imputatur, ubi factum excludit necessitas.* 2. Infantes ante octavum aetatis diem mortui non sunt circumcisi, quippe circumcisio erat ad octavum diem restricta, Genes. 17, v. 12. Ut ergo illi pro contemtoribus circumcisionis non potuerunt haberi, nec fulmen illud maledictionis ipsis intorqueri v. 14: *Parvulus, cujus caro praeputii non fuerit circum-*

cisa, *eradicabitur* etc. ita quoque qui in utero materno exstinguuntur, pro contemtoribus baptismi non possunt censeri.. 3. Pii parentes fructum ventris per preces serias Deo offerunt, quin imo in publicis ecclesiae precibus gravidarum ac parturientium fit mentio; jam vero de exauditione precum praesertim publicarum exstant suavissimae promissiones. Ergo non potest dubitari, quin quod alias per ordinarium baptismi sacramentum Deus efficit, id in casu privationis extraordinarie gratiae suae efficacia compleat. Bernhardus serm. 1. in ram. pal. col. 116: *Qui parvulus natus est et primam parvulorum elegit aciem, hodie quoque parvulos a gratia non excludit, quia nec pietati incongruum, nec majestati ejus difficile est, ut suppleat munus gratiae, quod minus in eis habet natura possibile.* 4. Christus non solum nasci, sed et in utero virginis concipi ac gestari voluit, ut etiam infantum in utero materno adhuc conclusorum salvator esset. Irenaeus lib. 2. adv. haer. c. 39. p. 137: *Christus omnem aetatem sanctificavit per illam, quae ad ipsam erat similitudinem. Omnes enim venit per semet ipsum salvare, omnes inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes et parvulos et pueros et juvenes et seniores; ideo per omnem venit aetatem et infantibus infans, parvulis parvulus* etc. 5. Ac ne ulla de benevola Dei erga infantes in utero conclusos voluntate dubitatio oriretur, promisit Deus, se fore *seminis nostri Deum* Gen. 17, v. 7. ubi vox seminis complectitur infantes nondum in lucem editos, ut constat.

De infantibus in lucem editis, sed ante baptismum exstinctis.

238. Quod attinet infantes in lucem quidem editos, sed repentino quodam casu ex hac vita ereptos, antequam baptismi copia illis fieri potuit, nec illos a societate vitae aeternae temerario ausu excludendos esse, sequentia evincunt argumenta. 1. Illi itidem non possunt haberi pro contemtoribus sacramenti. 2. Offeruntur Deo per preces parentum et ecclesiae, quae non solum gravidas et parturientes, sed etiam lactantes Deo commendat. 3. Exstant promissiones de benevolo Dei erga ipsos affectu. Gen. 17, v. 7: *Ero Deus seminis tui.* Matth. 18, v. 14: *Non est voluntas Patris vestri coelestis, ut pereat unus de parvulis istis.* Matth. 19, v. 14. Marc. 10, v. 14: *Sinite parvulos ad me venire.* Joh. 6, v. 37: *Venientem ad me non ejiciam foras.* 4. Deus non alligavit se ipsum ac gratiam suam mediis in commodum nostrum institutis. Nos quidem ad media alligati sumus, Deus autem extraordinarie potest agere. Sic in fame uti debemus cibo, in morbis medicina; Deus autem etiam sine cibo corpus alere, sine medicamentis sanitatem restituere potest; ita quoque sine baptismo ordinario regenerationis lavacro in casu necessitatis regenerationem operari potest. 5. Infantes Israëlitici ante circumcisionem mortui non fuerunt absolute et simpliciter a salute exclusi; jam vero baptismus successit in locum circumcisionis Col. 2, v. 11. Nec gratia Dei strictior et arctior in N. T. quam in V. infantibus masculis ante octavum diem decedentibus non lata erat lex circumcisionis, ideo nec praevaricatio legis illis imputari potuit. Rom. 4, v. 15. Quid enim, num damnabimus sanctissimos illos martyres Hebraeorum masculos, qui vix dum in lucem editi jussu Pharaonis Aegyptii in profluentem sunt projecti? Exod. 1, v. 22. Num infantes in deserto mortuos intra decursum 40 illorum annorum, in quibus circumcisio propter quotidiana itinera fuit intermissa, ad infernum ablegabimus? Jos. 5, v. 5. Quin imo nullo habito corporalis salutis discrimine infantes illos Moyses circumcidisset, si privatio hujus sacramenti cum praesentissimo aeternae salutis dispendio fuisset conjuncta. Num infantes Israëliticos tempore Antiochi ante octavum aetatis diem crudeliter interfectos vita aeterna defraudabimus? IX. 238.
1. Macc. 1, v. 51. et 64. Num parvulos Bethleemiticos, beatas illas animulas, parvulos integellulos martyrumque gemmulas, quorum quidam infra octavum nativitatis diem nefarie trucidati, nefarie damnabimus? Matth. 2, v. 16. Quidam etiam huc referunt filiolum Davidis ex Bethsabea susceptum, ad quem se certo venturum testatur David, utique non in sede damnationis, sed beatitudinis. 2. Sam. 12, v. 23. Verum ex textu non potest liquido ostendi, quod ante octavum nativitatis diem ac proinde ante susceptam circumcisionem infantulus ille mortuus fuerit; v. 18. die septima exstinctus dicitur, sed computatio instituenda est, non a die nativitatis, sed a tempore eo, quo Nathan ad Davidem ingressus propter peccatum adulterii et homicidii eum objurgaverat, quod an ipso nativitatis die, an vero sequentibus factum fuerit, incertum est, licet prius admodum verisimile videatur. 6. Testantur exempla, quosdam in N. T. sine baptismo in casu necessitatis salvatos, quare nec infantes per pias preces Deo oblati a salute temerario ausu fuerint excludendi. Luc. 23, v. 43. Christus ad latronem dicit: *Hodie mecum eris in paradiso;* jam vero latronem illum baptizatum esse nullibi legitur. Ergo casus necessitatis a regula Joh. 3, v. 5: *Nisi quis renatus fuerit* etc. intelligitur exceptus. ** Excipit Gretserus in colloq. Ratisbon. p. 30. *latronem baptizatum baptismo sanguinis et habuisse martyrium.* Respondemus: 1. negat hoc Bellarminus, qui lib. 1. de sacr. baptism. c. 6. ex Augustino docet, *latronem non salvatum baptismo sanguinis, sed fluminis,* quod etiam habet Osorius tom. 4. p. 618. *et latronem illum non posse dici martyrem.* 2. Latro non nitebatur suo, sed Christi sanguine, a peccatis nos unice abluente, neque enim sui sanguinis profusione quisquam justificari potest Actor. 4, v. 12. Venit latro ad crucem alieno, humano scilicet, pollutus sanguine, inde descendit alieno, Christi, mundatus sanguine. 3. Proprie etiam latro martyr non est, quia causa supplicii fuit latroni non confessio nominis Christi, sed latrocinia, quae exercuerat. Et quidni omnes fures, latrones aliosque maleficos, si poenitentiam agant, martyres dices?** Augustinus lib. 4. contra Donatistas c. 23. et habetur cap. baptismi de consecrat. distinct. 4: *Sicut in*

latrone quod de sacramento baptismi defuerit, complevit omnipotentis benignitas, quia non superbia, non contemtu, sed necessitate defuerat; sic in infantibus, qui baptizati moriuntur, eadem gratia omnipotentis explere credenda est, quod non ex impia voluntate, sed ex aetatis indigentia, nec corde credere ad justitiam, nec ore confiteri possunt ad salutem. (Eadem ratio procedit in infantibus ante baptismum mortuis, per pias ecclesiae et parentum preces Christo oblatis.) In Actis apostolicis fit mentio Cornelii, Lydiae et aliorum, qui vere crediderunt, antequam baptizarentur, illi si per aliquem repentinum mortis casum fuissent abrepti, dubium nullum, quin aeternum fuissent salvati. Pertinet huc gloriosus chorus martyrum, qui cum adhuc essent catechumeni, ante baptismum ad supplicia fuerunt rapti, quos a salute excludere nimis durum foret. De imperatore Valentiniano, qui sine baptismo mortuus est, Ambrosius in oratione funebri sic loquitur: *Respexit Deus ardens desiderium illius, quo baptismum expetivit.* Quo etiam referenda est illa observatio, quod Christus cum dixisset Marc. 16, v. 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit;* in antithesi nequaquam dixerit: Qui vero non crediderit, nec baptizatus fuerit, damnabitur, innuens scilicet, baptismum non esse absolutae necessitatis, ut sine eo etiam in casu necessitatis nemo possit fieri salvus. Bernhardus epistola 77. postquam multa ex Ambrosio et Augustino citasset: *Vide*, inquit, *ne forte ob hoc salvator cum diceret, qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* etc. *caute et vigilanter non repetierit, qui vero baptizatus non fuerit, sed tantum qui vero non crediderit, condemnabitur, nimirum innuens, solam interdum fidem sufficere ad salutem et sine ipsa sufficere nihil.* Eodem sensu Lutherus tom. 2. Jen. Lat. p. 787. monstrat: *Christi fidem in sacramento adeo esse necessariam, ut etiam sine sacramento*
IX. 287. *servare possit, ideo noluit adjicere, qui non crediderit et non baptizatus fuerit.* 7. Quidam utuntur etiam hoc argumento: Si Deus pepercit parvulis Ninivitarum ad se conversorum quoad poenam temporalem, multo magis verisimile est, eum parvulis ex semine Abrahae natis pepercisse quoad poenam aeternam propter suam misericordiam et promissionem: *Ero Deus seminis tui.* 8. Si infantes sine baptismo mortui simpliciter damnandi, daretur parentibus occasio perpetui angoris, imo et desperationis: Sed haec posteriora argumenta non sunt tanti roboris ut priora. Atque haec nostra sententia ne ipsorum quidem Scholasticorum et Pontificiorum quorundam destituitur testimoniis, ut tractatu de sacramento in genere §. 53. propos. 3. late ostendimus.

Argumenta Bellarmini, quod infantes sine baptismo decedentes sint damnati.

239. Quomodo ergo probat Bellarminus sanguinarium suum decretum, quod scilicet *fide catholica tenendum sit, parvulos sine baptismo decedentes absolute esse damnatos et non sola coelesti, sed etiam naturali beatitudine carituros?* Cap. 2. urget cumprimis dictum Christi Joh. 3: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Respondemus: 1. dicta et exempla Scripturae pro confirmatione nostrae sententiae adducta evidenter ostendunt, hanc comminationem Christi, uti et eam, quae de circumcisione exstat Genes. 17, v. 14. non ad casum privationis, sed ad contemtum sacramenti pertinere. 2. Describitur igitur in dicto Christi generalis regula, juxta quam modo ordinario Deus nobiscum agit, interim tamen ab hac regula casus necessitatis intelligitur exceptus. 3. Severissimam illam comminationem Gen. 17, v. 14. non posse ad omnes omnino infantes sine circumcisione mortuos referri, ostendit res ipsa, quandoque enim alteruter parentum contra alterius voluntatem impedit circumcisionem Exod. 4, v. 25. ad adultos igitur pertinet, qui ex contemtu circumcisionem in corpore suo suscipere noluerunt, itemque ad liberos apostatarum, qui ab ecclesia Israëlitica ad ethnicismum prolapsi penitus omiserunt circumcisionem, quod temporibus Antiochi multos fecisse constat ex 1. Macc. 1, v. 54. 4. Quam interpretationem ac restrictionem ipsa verba textus confirmant, additur enim αἰτιολογικῶς, *quia pactum meum fecit irritum* הֵפַר fregit, contemsit, violavit etc. 5. Pari ratione dictum Christi de usitato ordine intelligendum, per quem extraordinariae potentiae et actioni Dei nihil quidquam detrahitur, quo minus in casu necessitatis sine baptismi medio regenerationem operari possit. Nos sumus alligati mediis, quibus reverenter uti debemus, Deus autem gratiam et efficaciam suam illis non eo modo alligavit, ut nequeat extraordinarie et immediate in negotio salutis agere. Johannem in utero replevit Spiritu sancto, cum alias per verbum et sacramenta detur Spiritus sanctus. Paulum convertit spirantem minas et caedes, Actor. 9, v. 1. cum alias medium ordinarium conversionis sit *auditus verbi* Rom. 10, v. 17. per quod efficax est in cordibus eorum, *qui non resistunt Spiritui sancto* Actor. 7, v. 51. *nec consilium Dei adversus semet ipsos spernunt* Lucae 7, v. 30. 6. Expendat igitur Bellarminus verba Thomae Aquin. part. 3. q. 64: *Deus non alligavit gratiam suam sacramentis;* et Lombardi lib. 4. sent. diss. 4. lit. E: *Dictum Christi* Joh. 3. *intelligendum de illis, qui possunt et contemnunt baptizari, vel ita intelligendum est, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, hoc est ea regeneratione, quae fit per aquam et Spiritum sanctum, non salvabitur.* Et postea: *Deus suam potentiam sacramentis non alligavit; imo repetat ea, quae scripsit* libro 4. de Christo cap. ult.: *Deus non est alligatus sacramentis.*

Bellarmini contra Ambrosium Catharinum disputatio.

240. Quae contra Ambrosium Catharinum Bellarminus ibidem profert, ut evincat, parvulis sine baptismo mortuis ne quidem naturalem beatitudinem concedendam, directe nos non feriunt, nituntur autem quaedam falsis hypothesibus, utpote quod infantes non credant in Christum, neque per sè neque per alios, neque actu neque habitu, quod locus eorum, in quo semper degent, sit carcer in-

IX. 288. ferni, locus horridus et tenebrosus; quod non possit illis infundi ulla scientia, cum eam non promeruerint bonis operibus, nec gratis donari possit, cum post mortem non sit tempus gratiae; quod hominibus in puris naturalibus decedentibus, non debeatur naturalis beatitudo etc. Quaedam laborant elencho consequentiae, utpote quia infantes nascuntur peccato originali obnoxii, natura sunt filii irae et captivi Satanae. Ergo sine baptismo decedentes aeterna morte pereunt omnes. Atqui concedimus antecedens, sed negamus consequens, distinguimus enim inter ordinarium regenerationis medium, quod est baptismus, et inter extraordinariam Dei gratiam in casu necessitatis; distinguimus inter liberos Christianorum, qui per pias preces parentum et ecclesiae Deo offeruntur, et inter liberos infidelium, qui foris sunt, quos Dei judicio relinquimus.

Quid de Ambrosii Catharini opinione statuendum sit.

241. Quod ad ipsam opinionem Catharini de naturali beatitudine infantum atque aliorum de tali sede ipsorum, in qua nec bene nec male illis sit, attinet, dicimus Scripturam non nisi duo loca, videlicet coelum et infernum, vitam et mortem aeternam, regnum Dei et diaboli, societatem electorum et damnatorum, salutem et damnationem commemorare eademque sibi invicem immediate opponere, tertium aliquem locum nuspiam in Scripturis exprimi. Augustinus lib. 1. de pecc. mer. et remis. c. 28: *Non est ullus ulli medius locus, ut possit esse, nisi cum diabolo, qui non est cum Christo.* serm. 14. de verb. apost.: *Nullus est relictus medius locus, ubi ponere queas infantes. De vivis et mortuis judicabitur, alii erunt ad dextram, alii ad sinistram, non novi aliud* etc. lib. 1. de orig. an. c. 9: *Non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem regnumque coelorum quietis vel felicitatis cujuslibet atque ubilibet quasi medium locum, hoc enim eis haeresis Pelagiana promisit.* lib. 5. hypog.: *Primum locum fides catholica divina auctoritate credidit esse coelorum, unde, ut dixi, non baptizatus excipitur; secundum gehennam, ubi omnis apostata vel a Christi fide alienus aeterna supplicia experietur; tertium penitus ignoramus, imo non esse in Scripturis sanctis invenimus* etc. Ut ergo inter credentes et incredulos, inter pios et impios, inter membra Christi et diaboli non datur tertium, ita nec inter regnum coelorum et infernum; proinde talis quidam locus ex judicio humanae rationis pro infantibus non baptizatis haudquaquam excogitandus, in quo nec bene, nec male ipsis sit; quid enim? an non male ipsis foret, si a visione Dei et societate angelorum atque omnium sanctorum se penitus in aeternum exclusos intelligerent?

An parvuli sine baptismo decedentes puniendi sint poena sensus.

242. Cap. 4. Bellarminus conatur demonstrare, *parvulos sine baptismo decedentes non puniendos poena sensus sive ignis sensibilis.* Fatetur autem, contrariam sententiam, quod scilicet parvuli sine baptismo decedentes omni genere poenae, tum damni tum etiam sensus et in animo et corpore puniendi sint, non videri aperte ab ecclesia reprobatam, rejici tamen passim in scholis et sequentibus argumentis refutari. 1. Apoc. 18, v. 7: *Quemadmodum se glorificavit et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum. At parvuli nulla ratione se glorificarunt, nec in deliciis fuerunt, nullum igitur merentur tormentum et luctum.* Respondemus: dicto illo de poenis magnae meretricis Babylonis notatur gradus summus tormentorum; qui recte negatur parvulis infidelium, non tamen ipsa damnatio. Luc. 12, v. 47: *Servus qui novit voluntatem Domini, nec paravit se ad faciendum eam, vapulabit multis;* v. 48: *qui autem non novit faciens digna plagis, vapulabit paucis.* Gradus igitur erunt poenarum, interim tamen in inferno nullus erit plane expers poenae sensus. Augustinus lib. 5. in Julian. c. 8: *Quis dubitaverit, parvulos non baptizatos in damnatione omnium levissima futuros, quae, qualis et quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quod eis ut nulli essent, quam ut ibi essent, potius expediret.* ** Fulgentius libr. de fide ad IX. 289.
Petrum c. 27: *Firmissime tene et nullatenus dubita, non solum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt et ibi moriuntur; sive cum de matribus nati sine sacramento baptismatis de hoc seculo transeunt, ignis aeterni sempiterno supplicio puniendos esse.* ** 2. Esa. 66, v. 24. et Marc. 9, v. 44. *conjungitur ignis cum verme. Vermis eorum non morietur et ignis non exstinguetur. Constat autem, parvulos nullam passuros poenam ex morsu vermis, hoc est ex conscientia mali operis animum pungente, ergo credibile est, nullam passuros esse ignis materialis poenam.* Respondemus: ignem inferni materialem futurum facilius dici potest quam probari, cum eo etiam daemones torqueantur. Nec sequitur: infantes infidelium damnati nullos sentient morsus conscientiae propter peccata actualia graviora, ergo plane nulla sentient tormenta, cum infernus dicatur locus tormentorum. Opponimus igitur generalem illam sententiam Christi Matth. 25, v. 41: *Ite in ignem aeternum.* Augustini serm. 14. de verbis apost.: *Nullus relictus medius locus, ubi ponas infantes; de vivis et mortuis judicabitur, alii erunt ad dextram, alii ad sinistram, non novi aliud. Si ergo dextra erit et sinistra, et nullum medium locum in evangelio novimus, ecce in dextra regnum coelorum est; percipite, inquit, regnum; qui ibi non est, in sinistra est; quid erit in sinistra? Ite in ignem aeternum.* Addimus argumentum: Si peccatum originis est vere et proprie dictum peccatum, utique poena ejus erit vere et proprie dicta poena. *3. Patres negant talibus infantibus poenam sensus.* Respondemus: summum gradum poenarum, non autem omnem omnino poenam negant. Fatetur ipse Bellarminus, sententiam, quae parvulis poenam sensus sive ignis sensibilis infligendam statuit, non videri ab ecclesia catholica reprobatam. *4. Peccatum originis non tollit in homine ordinem naturalem, sed supernaturalem, conversionem videlicet ad Deum, per donum gratiae supernaturale. Ergo aequum est, ut poena peccati originalis sit privatio*

doni supernaturalis, *qualis est carentia visionis Dei*, *non autem inflictio poenae sensibilis*, *quae naturam ipsam laedit.* Respondemus: argumentum nititur falsa hypothesi, ostendimus enim suo loco, quod peccatum originis ipsum naturae bene institutae ordinem miris ac miseris modis turbarit. Consequens etiam repugnat Scripturae et experientiae, cum poenae peccati originalis sint morbi et mors ipsa, per quam naturam laedi quisquis negaverit, soli meridiano obloqui censendus est. Recognoscat Bellarminus sua verba c. 15. hujus libri: *Omnes humanae vitae calamitates*, *inter quas sunt labor et dolor in corpore*, *morbi*, *ipsa mors* etc. *ex merito peccati*, *non ex conditione naturae oriuntur. 5. Propter habitualem carentiam virtutum et habitualem pronitatem ad vitia nemo puniri solet poena positiva et sensibili*, *sed solum propter culpam actualem*, *non enim suspenduntur a magistratu qui carent habitu justitiae vel qui proni sunt ad furta*, *sed qui re ipsa furantur; possunt tamen qui carent virtutibus et proni sunt ad mala*, *rejici tanquam indigni ab aliqua dignitate adipiscenda. At peccatum originis est culpa solum habitualis.* Respondemus: μετάβασις est εἰς ἄλλο γένος ex jure fori ad jus poli, ex judicio humano ad judicium divinum, Esa. 55, v. 8: *Non sunt cogitationes meae sicut cogitationes vestrae*, *nec vestrae viae sicut viae meae;* v. 9: *sicut altiores sunt coeli quam terra*, *sic altiores sunt viae meae quam viae vestrae* etc. Peccatum originale est non solum carentia justitiae inesse debitae, sed etiam horribilis destructio naturae, depravatio omnium virium animae et corporis, unde justissimo Dei judicio non solum poena damni, sed etiam poena sensus ei debetur. Quid enim? an infantes non affliguntur morbis, an non sunt morti obnoxii propter orginale peccatum? Num propterea injustitiae Deum accusabimus? absit. *6. Propter originale peccatum non injungitur in ecclesia hominibus baptizandis quamvis adultis poenalis satisfactio*, *neque jubentur ejusmodi homines propter id peccatum*, *ullam animo tristitiam doloremque con-*
IX. 290. *cipere; igitur credibile est nullam ei respondere sensibilem poenam in futuro seculo.* Respondemus: unam agnoscimus pro peccatis omnibus, tam originali quam actualibus satisfactionem a Christo praestitam, a qua longissime distant ecclesiasticae satisfactiones, quae non sunt meritum remissionis coram Deo, sed pars disciplinae ecclesiasticae. Propter peccatum originale nullam animo tristitiam concipiendam esse ignotum fuit Davidi, *qui in peccatis se conceptum* esse gravissime conqueritur Psalm. 51, v. 7. ignotum fuit Moysi, *qui absconditum nostrum in lumine vultus divini collocari conqueritur* Psalm. 90, v. 8. ignotum fuit Paulo, *qui peccatum in carne sua habitare serio ingemiscit* Rom. 7, v. 17.

Exceptiones Bellarmini ad nostra argumenta.

243. Cap. 5. conatur Bellarminus respondere objectionibus quibusdam, sed manifeste petit principium; generales Scripturae sententias tantum ad adultos in ecclesia restringendo ac pro igne aeterno substituendo locum inferni, ubi est ignis. *Parvuli* (inquit) *mittendi sunt in locum ignis*, *nec tamen inflammandi illo igne*, *aut cruciandi vel quod sit in parte altiore ejus loci*, *vel quod ignis vim habeat eos detinendi*, *non tamen urendi.* Ut alibi accidentibus sine substantia tribuit vim nutriendi, nimirum si in magna copia sumantur, ita hic igni infernali derogat vim urendi respectu infantium, quibus figmentis qua tandem specie fidem faciet? Cap. 6. contra Thomam, Bonaventuram et alios *multos illustres theologos* (uti eos vocat) conatur Bellarminus probare, *parvulos non baptizatos passuros interiorem animi dolorem*, *licet mitissimum;* quod nobis non adversatur, qui cum Augustino lib. 5. in Julian. c. 8. dicimus, *parvulos non baptizatos in damnatione omnium mitissima futuros.*

De adjunctis baptismi quae sunt: 1. Tempus. Quovis anni tempore et quavis diei hora baptismum suscipi posse.

244. Postquam de causis et objecto baptismi actum fuit, restat ut adjunctis ejusdem, quae sunt tempus, locus et ceremoniae externae, pari perspicuitate expositis, colophonem huic tractatui imponamus. De tempore baptismi sic statuimus. 1. Cum baptismi administratio non sit ad certum quoddam tempus divino mandato restricta, ideo quovis anni tempore, quavis diei hora licite suscipi potest. Gal. 4, v. 10: *Observatis dies et menses et tempora et annos;* v. 11: *vereor*, *ne frustra laboraverim inter vos.* Col. 2, v. 16: *Nemo vos judicet in cibo et potu aut in parte diei aut neomeniae aut sabathorum.* Basilius in exhortat. ad baptis. p. 444: *Tempus aliud alii opportunum negotio*, *ad baptismi vero salutem quodlibet tempus accommodum est*, *sive dies sit*, *sive nox*, *sive hora*, *seu quodcunque temporis momentum.* In primitiva ecclesia usu receptum fuit bis in anno baptizare, semel in paschate et iterum in festo Pentecostes, cujus consuetudinis meminerunt Tertullianus lib. de baptismo circa fin. *(Diem baptismo solenniorem pascha praestat*, *cum et passio Domini*, *in qua tingimur*, *adimpleta est. Exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est*, *quo et Domini resurrectio inter discipulos frequentata est*, *et gratia Spiritus sancti dedicata et spes adventus Domini subostensa.* Sed paulo post addit: *Ceterum omnis dies Domini est*, *omnis hora*, *omne tempus habile baptismo.)* Idem referunt Basilius in exhortat. ad bapt. Gregorius Turon. lib. 10. hist. Ambrosius serm. 61. Hieronymus in epist. ad Pammach. Augustinus lib. de cura pro mortuis c. 12. Inde tempus illud appellarunt *lumina* seu *tempus luminarium*, a baptismi scilicet beneficio, quod baptizati a Spiritu sancto illuminentur, quo respectu ipse baptismus φωτισμός dictus fuit. Nocte epiphaniorum baptizatos esse multos Carthagini in Basilica Fausti refert Victor Vitensis
lib. 2. in persecut. Vandalica. Quamvis autem re- IX. 291.
spectu catechumenorum ex ethnicismo ad Christum conversorum observatio illius temporis non sit improbanda, tamen ad tempus illud baptismus eorum non est praecise adstringendus, nec infantum ex parentibus Christianis natorum baptismus ad illud

anni tempus differendus, sed statim a nativitate ipsis conferendus, quod ipsum piis veterum dictis et exemplis confirmari potest. Chrysostomus homil. 1. in Acta: *Numquid amplius habet illud tempus* (Quadragesimae)? *ipsi apostoli non in paschate donati sunt gratia, sed alio tempore. Praeterea cum baptizarentur tria millia et quinque millia, non erat paschae tempus.* Vide Cyprianum in epist. ad Fidum.

Parentes liberos suos ad baptismum statim a nativitate deferre properent.

245. 2. Cum baptismus sit ordinarium regenerationis medium Joh. 3, v. 5. et sanctum initiationis sacramentum, ideo in nostris ecclesiis laudabilis servatur consuetudo, ut parentes primo statim vel altero vel tertio a nativitate die parvulos ad baptismum deferant, vel illico etiam nulla interposita mora, postquam nati fuerint, baptizari curent, nimirum si quando propter infirmitatem metus est de periculo vitae. Qui vero hac in parte negligentes fuerint ac propter apparatus splendorem baptismum differunt, gravissimis tentationibus semet ipsos immergunt, si quando liberi absque baptismo decedunt. Musculus in locis tit. de bapt. p. 338. scribit, *non probari posse a cordatis viris, quod tam anxie ac superstitiose cum infantibus vix jam natis ad baptismum quomodocunque percipiendum festinetur;* sed procedit hoc ex falsa hypothesi de absoluto decreto et sanctitate infantum ex fidelibus natorum. Cum olim Fidus Numidae episcopus censeret, infantes infra octavum diem ad imitationem circumcisionis non oportere baptizari, convocata est synodus 66 episcoporum sub Cypriano, in qua statutum fuit, ut non exspectato illo tempore baptismus etiam modo natis conferretur. Ita enim scribit Cyprianus epist. 59. ad Fidum: *Longe aliud in nostro concilio omnibus visum est; in hoc enim, quod tu putabas esse faciendum, nemo consentit, sed universi potius judicavimus, nulli hominum nato misericordiam Dei et gratiam esse denegandam* etc. Eadem vere verba ex Cypriano repetit Augustinus epist. 22. Nec valet argumentum Fidi ex circumcisione ductum propter disparitatis rationem.

Objectio a circumcisione petita.

1. In institutione circumcisionis expressa fit diei octavae mentio, sed tale quid in baptismi institutione demonstrari nequit. 2. In baptismo cessat ratio, propter quam administratio circumcisionis in diem octavum dilata fuit. Ideo enim ad octavum aetatis diem circumcisio differebatur, ut infantes collectis prius viribus circumcisionis dolores sustinere valerent, sed in baptismo nullum ejusmodi periculum. 3. Typica etiam fuit diei octavae significatio, quam exposuimus suo loco; sed in N. T. typi cessarunt. 4. Levitica discrimina dierum, ciborum etc. in N. T. penitus sunt sublata, ideo hac in parte utimur libertate, quam Christus nobis promeruit Gal. 5, v. 1. 5. Successit quidem baptismus in circumcisionis locum Col. 2, v. 11. ratione scilicet usus salutaris, interim tamen non potest in omnibus partibus et circumstantiis a circumcisione ad baptismum duci argumentum, alias sequeretur, tantum masculos, non autem feminas baptizandas etc.

Baptismi susceptio non est differenda ad finem usque vitae.

246. 3. Cum hora mortis sit incerta ac subitaneo casu aliquo multi ex hac vita abripiantur, ideo baptismi susceptio non est ad finem usque vitae differenda. Quamprimum aliqui ad fidem Christianam olim fuerunt conversi ac Christo dedere nomen, baptizati sunt ab apostolis, ut hist. Actor. c. 2, v. 41. c. 8, v. 12. 13. 36. c. 9, v. 19. c. 10, v. 47. c. 16, v. 15. 33. c. 18, v. 8. evidenter testatur, nuspiam vero apostoli leguntur auctores vel suasores fuisse, ut usque ad vitae exitum baptismus differretur. Quod ergo ad cunctationem veteribus in primitiva ecclesia usitatam attinet, sciendum, non exemplis, sed legibus judicandum esse; habuerunt XI. 202.
hujus suae dilationis quasdam rationes, alii magis, alii minus probabiles. 1. Quidam distulerunt baptismum ad adultam aetatem, propter illustriorem fidei confessionem, cum magis conspicua sit et magis confirmet ecclesiam fidei confessio ab hominibus in aetate adulta et judicio confirmato perfecta quam a pueris vel adolescentibus edita, sed majoris fuit ponderis periculum non baptizatis adultis imminens, quam utilitas ecclesiae proposita, unde etiam Nazianzenus in conc. de bapt. et Chrysostomus in c. 1. Act. hunc morem improbant. 2. Quidam procrastinarunt baptismum absterriti exemplis apostatarum; cum enim non sine summa doloris acerbitate viderent, quosdam ex baptizatis vel metu periculorum fractos vel blanditiis inductos a fide et confessione ecclesiae deficere, inde multis in doctrina nondum plene confirmatis satius visum fuit baptismi usum differre, donec saevitia persecutionis defervesceret, quam baptismum in ecclesia Christiana susceptum apostasiae crimine turpiter foedare. 3. Quidam distulerunt baptismum praetextu exempli Christi anno aetatis trigesimo primum baptizati, atque ut in Jordane baptizari possent, ut de Constantino Eusebius lib. 4. in ipsius vita et Theodoretus lib. 1. histor. c. 31. ac de Theodosio Socrates lib. 5. histor. eccles. c. 6. referunt; sed similitudo baptismi a Christo et aliis dilati ostensa fuit superius §. 193. vide etiam §. 78. 4. Quidam etiam cum in baptismo plenaria fiat peccatorum remissio ac mundatio, satius esse judicarunt ad horam mortis baptismum differre, quam novis peccatis gratiam baptismi excutere. Sed cum baptismi efficacia extendat se per totam vitam, cumque foedus gratiae in baptismo initum ex parte Dei semper maneat ratum ac firmum, unde ad illud perpetuo per veram poenitentiam pateat reditus, ideo haec causa non est satis urgens, propter quam baptismus contra exemplum ecclesiae apostolicae differatur. Vide Bernhardum serm. 66. in Cant. ubi refutat Albios *baptismum in adultam aetatem differendum esse docentes.*

Optandum erat ante me-

247. 4. Cum baptismus sit sanctissimum N. T. sacramentum, devote ac reverenter tractandum, ideo

ridiem et in publico ecclesiae conventu baptismum administrari. optandum esset, ante meridiem et in publico ecclesiae conventu eundem administrari. 1. Cor. 14, v. 40: *Omnia fiant ordine ac decenter.* Testatur cujusque pii experientia, preces sobrias esse magis serias et ardentes. Testatur Christus publicas ecclesiae preces magnum habere pondus Matth. 18, v. 19. Constitut. eccles. electoralis art. 6. generali p. 307: Weil die hohe Majestät Gott Vater, Sohn und Heiliger Geist mit seinen lieben Engeln der heiligen Taufe beiwohnet, und bei solcher der Himmel geistlich sich aufthut, und das große Gnadenwerk der Wiedergeburt und geistlichen Erneuerung des Menschen, so getauft, selbst gegenwärtig wirket, sollen die Pfarrherren sich befleißigen, daß sie in Gegenwart der versammelten Kirchen geschehe, auch das Volk ernstlich vermahnen, sich selbst dazu zu schicken, wie solche allweg füglich nach der Predigt verrichtet werden kann, denn die ganze Kirche nicht allein für die neugetauften Kinder beten, sondern auch ein jeder Christ sich selbst seiner empfangenen heiligen Taufe und des Bundes Gottes nützlich erinnern soll, den Gott in der heiligen Taufe mit ihm gemacht und aufgerichtet hat.

Quaeritur de tempore baptismi. An scilicet baptismus semel vel aliquoties suscipiendus. 248. Quaeritur hoc loco: *An baptismus repeti possit, sicut eucharistiae usus saepius repetitur?* Respondemus negative, cujus negationis fundamenta exposuimus eademque ab argutiis Bellarmini (praeter characteris impressionem non dari aliam negati ἀναβαπτισμοῦ certam causam pugnantis) vindicavimus in tractat. de sacrament. in gen. §. 103. Bre-
II. 293. viter 1. nec in baptismi institutione nec uspiam alibi in verbo Dei vel requiritur vel conceditur, ut baptismus iteretur. 2. Nullum datur in Scripturis exemplum, semel vere baptizatos in peccata prolapsos ac per poenitentiam ad Deum conversos iterum fuisse baptizatos. 3. Pactum gratiae et foedus pacis, quod in baptismo initur et obsignatur, non est momentaneum, sed perpetuum, ita ut per poenitentiam ad illud iterum pateat reditus. Sicut de circumcisione dicit Deus Genes. 17, v. 13: *Erit pactum meum in carne vestra in foedus aeternum;* ita quoque baptismus est *stipulatio bonae conscientiae erga Deum* 1. Petr. 3, v. 21. *Qui fidelis est ac permanet* 2. Timoth. 2, v. 13. *Cujus dona et vocatio sunt ἀμεταμέλητα* Rom. 11, v. 29. cujus dulcissima exstat promissio Esa. 54, v. 10: *Sicut in diebus Noae* (cum quo pactum inii) *juravi, ne inducerem aquas ultra super terram, sic juravi quoque, quod misericordia mea non recedet a te et foedus pacis meae non commovebitur.* 4. Sicut circumcisio in V. T. non fuit repetita, ita nec baptismus, qui in locum circumcisionis successit Col. 2, v. 11. repeti debet. Quae de secunda circumcisione ex Josua 5, v. 2. afferuntur, exposuimus in tractat. de circumcis. §. 24. 5. Regeneratio spiritualis per baptismum una est, sicut generatio carnalis una est, *quomodo uterus repeti non potest, sic nec baptismus, velut qui filius familias est, nequit amplius quam semel fieri et effici filius.* §. Sic itaque instit. de action. 6. Baptismus est sacramentum initiationis et Christianismi investitura, jam vero semel tantum ingressu in ecclesiam opus est. 7. Baptizamur *in Christi mortem* Rom. 6, v. 3. Jam vero Christus semel tantum mortuus est, v. 9. *8. Unum est baptisma* Ephes. 4, v. 5. non solum unitate substantiae seu unione sacramentali partium substantialium, verbi scilicet et aquae, nec solum unitate dispensationis, cum aqua, Spiritus et sanguis Christi, licet natura sua plurimum inter se differant, tamen in usu salutari baptismi arctissimo nexu copulentur atque uno ministerio dispensentur; sed etiam unitate usus legitimi. Hinc Tertullianus lib. de baptismo: *Semel lavacrum inimus, semel delicta diluuntur.* Cyprianus lib. 2. epist. 3: *Baptisma semel sumitur nec rursus iteratur,* ubi addit rationem ex dicto Christi: *Qui biberit ex aqua, quam ego do, non sitiet in aeternum.* Idem Cyprianus sive quicunque auctor alius lib. de ablut. pedum: *Baptismum repeti regula ecclesiastica prohibet.* Augustinus epist. 203. ad Maxim.: *Rebaptizare hominem haereticum omnino est peccatum, rebaptizare catholicum scelus immanissimum.* Vide Clementem 1. §. ult. de summ. Trinit. **Damascenus lib. 4. orthod. fid. c. 10. ex Hebr. 6, v. 4: ἀναβαπτίζεσθαι ἐστι Χριστὸν ἀνασταυροῦσθαι.**

249. Errant igitur 1. *Marcion* et ejus asseclae, Errores de repetitione baptismi.
qui non tantum semel, sed iterato et saepius baptizabant teste Niceta lib. 4. thes. orth. fid. haer. 14. et Damasceno de haeres. p. 576. 578. edit. Basil.: *Tres baptismos constituebat Marcion, primum exhibendum post primam conversionem; secundum postquam delictum sit admissum post conversionem; tertium, si post secundum baptismum peccatum sit commissum. 2. Hemerobaptistae,* qui quandoquidem quotidie peccamus, neminem salvum futurum doce- II. 294.
bant, nisi qui singulis diebus sacro baptismate tingeretur, inde se et vestimenta sua quotidie lavabant, ex quo etiam Hemerobaptistae sunt appellati. Supplementum Philastrii haeres. 42. ex Crinito. *3. Anabaptistae* nostro tempore baptizatos infantes denuo baptizant in adulta aetate, nimirum quia paedobaptismum judicant esse inanem ceremoniam. 4. Detestanda est *Judaei illius perversitas*, quam commemorat Socrates lib. 7. histor. eccles. c. 7: *Judaeus* (inquit) *quidam veterator Christianam fidem simulans saepius baptizatus fuit, per quam fallaciam multas corrasit pecunias. Postquam autem multos ex variis sectis homines (Arianorum enim et Macedonianorum baptismum receperat) dolo ludificans non habebat amplius quibus imponeret, tandem ad Paulum Novatianorum episcopum venit, ait, se magna cupiditate baptismatis recipiendi flagrare, per ejus manum ut illud assequatur, orat. Paulus ejus probat institutum, verum se non prius baptismum illi daturum ait, quam sit fidei articulis institutus diesque complures jejuniis vacaverit. Judaeus contra voluntatem jejunare coactus acriter instare, uti baptismo donetur. Paulus quoniam illum tam obnixe baptismum petentem mora nolebat*

offendere, parat res ad baptismum necessarias. Cumque vestem splendidam pro illo emisset et alveum baptisterii aqua impleri jussisset, Judaeum eo deduxit, ut illi baptismum impertiret; verum aqua universa divina quadam virtute, quae oculis cerni percipive non poterat, subito exhausta est. Ac cum neque episcopi neque alii, qui aderant, accurate considerarent, qua ratione id accidisset, sed aquam per foramen, quod in imo alveo fuit, per quod etiam alias aquam solebant educere, effluxisse affirmarent, alveum baptisterii de integro foraminibus undique in eo firme obturatis diligenter implent. Ac cum Judaeus esset secundo ad alveum baptisterii deductus, aqua rursus penitus evanuit. Itaque tum Paulus, o homo inquit, »aut veteratoris partes agis, aut baptismum ignorans recepisti. Quare ubi ob miraculum a multis eo concursum erat, forte quidam Judaeum de facie novit eumque ab Attico episcopo baptizatum viderat. 5. *Cum Cingarii sive Zigeni*, die Zigeuner (quorum imposturas et fraudes vivis coloribus depingunt Aventinus in annal. Bojor. lib. 7. circa finem Albert. Crantzius lib. 11. Saxoniae c. 2. Camerarius lib. 1. medit. histor. c. 17.) non religionis, sed lucri, quandoque etiam veneficii causa baptismum suis infantibus conferri, idque saepius diversis in locis petant, ideo recte jubet constit. eccles. elect. art. generali 6. p. 308. baptismum impostoribus illis denegandum esse. Verba constitutionis haec sunt: Dieweil sich auch mehrmals zugetragen, daß die Zigeuner ihre Kinder, wie zu besorgen, allein um Gewinnes willen taufen lassen, und also geschehen könnte, daß sie mehr denn einmal durch die Pastores unwissend getauft
IX. 295—303. würden und es aber an ihm selbst ein verdächtig Volk, da es in unsern Landen gesehen, auch unser ernstlicher Wille und Meinung je und allwege gewesen, daß solche Leute, so nicht allein mit Aberglauben, Lügen und Betrug umgehen, sondern auch gemeiniglich Landesverräther sind, in unsern Landen nicht geduldet, lassen wir es nochmals dabei bleiben, und befehlen auch hiermit ernstlich allen unsern Amtleuten, Befehlshabern, Erb- und Gerichtsherren, daß sie ihnen keinen Durchzug noch Unterschleif gestatten, sondern so bald sie in unsern Landen angetroffen, wiederum zurückweisen, damit solcher Mißbrauch der heiligen Taufe und ander Unrath nicht vorkommen und gänzlich in unsern Landen verhütet werden möge. 6. Pii imperatores non immerito *poenas* statuerunt in eos, qui baptismum repetunt. Sic enim Valentinianus Valens et Gratianus lib. 1. tit. 6. C. ne sanct. baptis. iter.: *Antistitem, qui sanctitatem baptismatis illicita usurpatione geminaverit, sacerdotio indignum censemus. Eorum enim condemnamus errorem, qui apostolorum praecepta calcantes Christiani nominis sacramenta sortitos alio rursus baptismate non purificant, sed incestant, lavacri nomine polluentes.* Honorius et Theodosius ibidem: *Si quis rebaptizare quempiam de ministris Catholicae sectae fuerit detectus, una cum eo piaculare crimen commisit (si tamen criminis per aetatem capax sit) et hic, cui persuasum sit, ultimo supplicio percellatur.*

250. *At*, inquis, *1. baptizamur in remissionem peccatorum* Actor. 2, v. 38. *Jam vero quotidie indigemus peccatorum remissione. Ergo etiam quotidie indigemus peccatorum remissione. Ergo etiam quotidiana baptismi iteratione.* Respondemus: ex eo, quod peccatorum remissione quotidie indigemus, haudquaquam consequens est, per illud ipsum medium baptismi remissionem peccatorum quaerendam et a Deo impetrandam esse, siquidem foedus in baptismo initum, quod complectitur promissionem de gratuita remissione peccatorum Jer. 31, v. 34. est ex parte Dei immotum ac perpetuum, proinde hac promissione per totum vitae decursum nos erigere, ac quando per infirmitatis peccata beneficia hujus foederis amisimus, per veram poenitentiam ad illud redire ac peccatorum remissionem consequi possumus. Regeris: *Sicut adulterio solvitur vinculum matrimonii, ita per peccata tanquam spirituale adulterium dissolvitur spiritualis desponsatio in baptismo facta, nova igitur desponsatione ac proinde novo baptismo post peccata indigebimus.* Respondemus: sane adulterium est sufficiens divortii causa; interim tamen si maritus innocens conjugi adulterae culpam remittat eidemque imposterum cohabitare consentiat, non requiritur nova desponsatio, sed partis nocentis deprecatio ac vitae emendatio; ita quoque promisit Deus Jer. 3, v. 1. 12. 13. Ezech. 16, v. 60. se in gratiam nos iterum recepturum, si post admissum spirituale adulterium per veram poenitentiam ad ipsum convertamur; ergo non requiritur nova desponsatio ac novi foederis erectio, sed pristinae desponsationis ac foederis renovatio, commemoratio et confirmatio.

Objectiones pro repetitione baptismi. 1. Quotidie indigemus remissione peccatorum.

251. *At*, inquis, *2. cum hypocritae ad baptismum accedentes effectus ejusdem salutares non participent, illorum baptismus repetendus erit.* Respond. Augustinus lib. 1. contra Donat. c. 12. videtur statuere, quod effectus et gratia praestetur etiam ei, qui ficte baptismum suscipit, quod Lombardus ita interpretatur, Augustinum partim disputandi causa, partim ex aliorum opinione loqui. Neque tamen hypocritarum baptismus repetendus fuerit, quia recedente fictione consequuntur pridem accepti baptismi effectum, hoc est rem sacramenti, quod plenissime loco dicto Augustinus affirmat. Quemadmodum ergo forma permanens remoto impedimento consequitur finem suum, v. g. gravitate in lapide permanente lapis deorsum labitur remoto impedimento; ita quoque res se habet in baptismo hypocritarum. Glossa in cap. credere de consecrat. dist. 6. ex Augustino contra Donatist. lib. 5. c. 24: *In baptismo induitur Christus interdum sacramento tenus, interdum quoad vitae sanctificationem; primum bonis et malis est commune; secundum bonorum et piorum est proprium.* Distinguendum igitur inter substantiam et fructum baptismi. Est et manet verus baptismus semel legitime in nomine

2. Hypocritae IX. 304. non participant salutares baptismi effectus.

Patris, Filii et Spiritus sancti acceptus, sive credat qui baptizatur, sive non credat, quamvis fide destitutus salutarem ejus fructum in praesenti non participet; nec tamen novo baptismo, quando poenitentiam agit, indiget, sed ad primi baptismi virtutem perpetuo valentem redit et ex eo baptismo gratiam Dei sibi polliceri potest.

2. De loco baptismi. 252. Quod ad locum baptismi attinet, de eo nullum exstat peculiare Dei praeceptum, ideoque ejus administratio non est certo loco alliganda, interim tamen in publico ecclesiae coetu baptismum ordinarie administrari debere dicimus: 1. quia est verbum visibile et obsignatio ejus, quod in verbo promittitur. Jam vero publica verbi praedicatio instituitur in publico ecclesiae conventu, 1. Cor. 14, v. 26: *Cum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet* etc. 2. Quia sacra coena, alterum N. T. sacramentum, in publico ecclesiae coetu administratur, 1. Cor. 11, v. 20: *Convenientibus vobis in unum jam non est dominicam coenam manducare.* 3. Quia in ecclesia omnia debent *ordine ac decenter fieri* 1. Cor. 14, v. 40. Ergo multo magis sacramentorum administratio debita cum reverentia coram facie ecclesiae fieri debet. 4. In baptismo seriae preces requiruntur, vel maxime, ut docet exemplum Christi orantis in baptismo Luc. 8, v. 21. quo pertinent emphatica illa D. Lutheri verba in praefat. catechetica art. de baptismo: Du wollest ja bedenken, wie gar es nicht ein Scherz ist, wider den Teufel handeln und denselben nicht allein von den Kindlein jagen, sondern auch dem Kindlein solchen mächtigen Feind sein lebenlang auf den Hals laden, daß es wohl noth ist, dem armen Kindlein aus ganzem Herzen und starkem Glauben beistehen, auf das andächtigste bitten, daß ihm Gott nicht allein von des Teufels Gewalt helfe, sondern auch stärke, daß es möge wider ihn ritterlich im Leben und Sterben bestehen. Und ich besorge, daß darum die Leute nach der Taufe so übel auch gerathen, daß man so kalt und lässig mit ihnen umgegangen und so gar ohne Ernst für sie hat gebeten in der Taufe &c. Jam vero preces multorum piorum simul conjunctae sunt magis efficaces Matth. 18, v. 19. Jac. 5, v. 14. 5. Quia baptizatum oportet habere certa baptismi testimonia, praesertim in tentationibus, ideo utile est multos adesse testes. Num. 35, v. 30. Deut. 17, v. 6: *In ore duorum aut trium testium* etc. 6. Si plures sacrae huic actioni intersint, recordantur sui baptismi, quod ipsum ad fidei confirmationem plurimum facit.

Baptismum in publico ecclesiae coetu administrandum esse.

253. Nec tamen baptismi administratio ita alligata est publico loco, ut ne quidem in casu necessitatis, alibi videlicet in loco privato, baptizare liceat, ut nugatur Beza in resp. ad quaest. 151. Siquidem 1. in baptismi institutione non exprimitur certus aliquis locus. 2. Apostoli ubivis locorum baptizarunt, utpote sub dio Actor. 2, v. 41. in via Actor. 8, v. 38. in domibus Actor. 9, v. 19. c. 10, v. 47. in carcere Actor. 16, v. 33. Johannes Baptista extra templum Hierosolymitanum et synagogas Judaeorum, in Jordane et in aquis prope Salem baptizavit, Matth. 3, v. 6. etc. Sancti martyres primitivae ecclesiae in carcere fuerunt baptizati, teste Eusebio libr. 6. c. 5. moribundi in lecto, unde dicti fuerunt clinici, teste Cypriano in epist. ad Magnum. Walefridus Strabo de reb. ecclesiast. c. 26: *Sciendum, primo simpliciter in fluviis et fontibus baptizatos credentes.* Beda lib. 2. histor. Angl. c. 14. refert. *initio nascentis ecclesiae apud Britannos, ubi tam cito templa non potuerunt exstrui, passim ad flumina turbam baptizatam.* 3. In casu necessitatis a communi ordine licet digredi, modo nihil committatur contra expressum Dei verbum. Ordo enim servire debet administrationi sacramentorum, non autem imperare. 4. In N. T. cultus Dei non est alligatus certo loco, ut in V. T. Matth. 18, v. 20: *Ubicunque duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Joh. 4, v. 21: *Venit hora, quando nec in monte, nec in Hierosolyma adorabitis Patrem.* 1. Timoth. 2, v. 8: *Volo viros orare in omni loco* etc. 5. Circumcisio in privatis aedibus saepe fuit administrata; jam vero baptismus successit in locum circumcisionis. Exod. 4, v. 25. filius Moysis in diversorio circumciditur. 1. Maccab. 1, v. 63. 2. Maccab. 6, v. 10. tempore Antiochi mulierculae privatim circumcidunt pueros. Luc. 1, v. 59. Johannes Baptista domi circumciditur in praesentia matris puerperae. 6. Quemadmodum praedicatio verbi, absolutio ac coenae administratio ordinarie in publico ecclesiae coetu suscipitur, interim tamen aegrotis domi etiam proponitur privatim consolatio ex verbo evangelii, annuntiatur peccatorum remissio et sacrae coenae ἐφόδιον communicatur; ita quoque domi licet parvulos baptizare, quamvis alias baptismi administratio pars sit publici ministerii. 7. Ipsa necessitas, videlicet infirmitas infantum, quandoque requirit, ut domi administretur baptismus, ne per nos ab ordinario regenerationis medio arceantur. Lutherus in c. 9. Hoseae tom. 4. Lat. f. 653: *In N. T. nullus certus locus sacris destinatus est, possunt baptizari pueri domi, si res postulat, vel in templo, vel sub dio, vel sub tecto; locus, imo persona quoque ministrans ad baptismum nihil affert.*

Baptismum etiam in privatis locis administrari posse. II. 305.

3. De ceremoniis baptismi. 254. Ceremonias ac ritus in baptismi administratione usitatos distinguimus in tres classes: 1. quidam divinitus sunt mandati; 2. quidam ab apostolis libere usurpati; 3. quidam a viris ecclesiasticis additi. De singulis tenendae sunt hae regulae: 1. Ritus baptismi divinitus instituti accurate distinguendi sunt a ritibus ab apostolis usurpatis et a viris ecclesiasticis honesti, decoris, ordinis et piae commonefactionis ergo additis; illi enim sunt substantiales et necessarii, hi vero accidentales et certo modo liberi. Christus jussit in nomine Patris, Filii et Spiritus s. baptizare, Matth. 28, v. 19. ubicunque igitur juxta Christi mandatum et apostolorum exemplum aqua in nomine Patris, Filii et Spiritus san-

Regulae generales.

cti effunditur, verus et legitimus baptismus administratur, si vel maxime non accedant externae ceremoniae ab hominibus excogitatae. Lombardus lib. 4. sentent. dist. 3. lit. A: *Verbum et elementum de substantia hujus sacramenti sunt, cetera ad solennitatem* (decorem et honestatem) *pertinent et sacramentalia appellantur.* In substantialibus ritibus, cum divinitus mandati sint ac proinde in administratione baptismi necessarii, nihil est mutandum, omittendum vel abrogandum; in accidentalibus vero ecclesiae libertas quaedam relicta est. 2. Ritus ab apostolis in baptismi administratione libere usurpati, licet non eo gradu necessarii sint, quo prioris generis ritus divinitus instituti, tamen a ritibus mere ecclesiasticis distinguendi ac diligenter sunt servandi. Ex historia apostolorum colligitur, quod in administratione baptismi explicationes doctrinae sacramentorum, exhortationes, preces, gratiarum actiones etc. adhibuerint, Actor. 2, v. 38. etc. Hos ritus etiam
IX. 306. in nostris ecclesiis retinemus, quia sacramenta non sunt nuda et otiosa spectacula, sed instituta sunt, ut et fidem confirment et promissionem clarius explicent, ideo doctrina de substantia, usu et efficacia eorum praesentibus ex verbo Dei lingua ipsis nota proponenda est et explicanda, ut de legitima et salutari sacramentorum susceptione diligenter admoneantur. Notandum tamen, in Scripturis ostendi quidem fundamenta, unde sumi debeant explicationes, exhortationes, preces, gratiarum actiones, ex institutione scilicet et doctrina de baptismo, sicut in verbo Dei traditur, non tamen praescribi certam formam conceptis verbis, sed hoc pro ratione circumstantiarum ad aedificationem liberum permitti, modo fundamentum servetur. 3. Ritus a viris ecclesiasticis additi sunt adiaphori et indifferentes, proinde non sunt simpliciter repudiandi, nec tamen eo gradu necessarii sunt, quo ritus divinitus mandati, id quod clarius per certas regulas explicandum.

Regulae speciales de ritibus ecclesiasticis.

255. **Quas nonnulli breviter ita tradunt: *1. Indifferentes ceremoniae debent dirigi ad ecclesiae aedificationem. 2. Quae faciunt ad institutionem et commonefactionem, laudandae. 3. Quae faciunt ad conservationem ordinis in ecclesia, libere retinendae. 4. Sacramenta quam simplicissime administranda juxta institutionem Christi et praxin apostolorum. 5. Si in doctrina possumus convenire, in ceremoniis debemus esse faciles.*** Dicimus ergo nos: 1. Si qui ex illis ritibus actionem, usum et efficaciam, quin et necessitatem ac dignitatem baptismi commendent atque illustriorem reddant; analogiae fidei congrui et ad pietatem ac doctrinam utiles sint; debitam reverentiam erga hoc sacramentum in praesentibus augeant; denique ordini, decori et aedificationi ecclesiae serviant: illos utiliter retineri posse. Augustinus epist. 119. c. 18: *Una in his saluberrima regula tenenda est, ut quae non sunt contra fidem, neque contra bonos mores et habent aliquid ad exhortationem vitae melioris, ubicunque instituti videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando et imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non impedit, ut amplius detrimentum sit.* 2. Non tamen tribuatur illis ritibus spiritualis aliqua vis et efficacia sine promissione divina, neque propria baptismi ad tales ritus vel ex toto vel ex parte transferantur. 3. Nec statuendum, tales ritus ad integritatem et essentiam baptismi pertinere ac necessarios esse, sed pro adiaphoris habeantur. 4. Non sunt cumulandi illi ritus, ne multitudo, pompa et splendor illorum obruat ceremonias divinitus in administratione baptismi praescriptas ac sensus atque animos ita occupet, ut vel nulla vel exigua habeatur eorum ratio, quae sunt a Christo mandata. Optimum igitur est, ut in administratione baptismi quam potest fieri proxime ad apostolicam simplicitatem accedamus, sicut Tertullianus lib. de baptismo testatur, sine ullo apparatus splendore baptismum olim administrari solitum. Gregorius Nazianzenus orat. de baptismo improbat, quod olim propter baptismum munus offerebatur, vestis elegans requirebatur ac convivium baptistis parabatur: *Turpe est* (inquit) *dicere, ubi est munus, quod propter baptismum offeram? ubi luculenta vestis ubi ea, quae ad baptistas meos humanissime excipiendos requiruntur? te ipsum loco muneris offer, Christum indue, honesta ac laudabili vitae ratione me a te, sic ego excipi et tractari gaudeo.* 5. Si qui ritus vel sunt divino verbo contrarii ac impietatis et superstitionis aliquid admixtum habent, ut exorcisationes aquae ad baptismum adhibendae, vel otiosos habent lusus, nec serviunt aedificationi, sed sacrosanctam hanc actionem in spectaculum histrionicum ac theatricum transformant; vel quibus aliqua peculiaris vis et efficacia praeter et contra Dei verbum tribuitur: illi merito abrogantur et improbantur; ex quo apparet, quid de usu sputi et salis, exsufflatione, chrismate etc. sub opinione necessitatis, cultus et spiritualis efficaciae illis insitae adhibitis sit statuendum. 6. In ipsis ritibus adiaphoris retinenda est libertas, quam Christus caro pretio partam ecclesiae concessit, uti scilicet sine opinione necessitatis libere observentur et ecclesiae ordinatione ac consensu, praesertim si utiles esse desinant et a salutari fine in abusum et superstitionem degenerent, abrogari et mutari possint. 7. Non sunt damnandae ecclesiae propter dissimilitudinem in hujusmodi ritibus, aut si in illorum omissione vel mutatione libertate utantur. 8. Cavendum tamen in hac abrogatione scandalum, ideo
non est privatae cujusvis petulantiae mutatio illorum IX. 307.
rituum permittenda, sed publico judicio ecclesiae relinquenda. ***Mutatio consuetudinis, etiam quae utilitate adiuvat, novitate perturbat*, Augustinus.** 9. Proinde si falsi fratres ritus sua natura adiaphoros, fidei analogos, auctoritate ecclesiae commendatos, necessitatem et efficaciam baptismi rudioribus illustriorem reddentes et ecclesiae aedificationi servientes temere sive praegressa auditorum informa-

tione cum scandalo publico abrogant atque hac abrogatione libertatem Christianam impugnant, merito illis obviam itur, Galat. 5, v. 1: *State in libertate.* Coloss. 2, v. 16: *Nemo vos judicet in cibo et potu* etc.

Bellarmini disputatio de baptismi ritibus.

256. Ex his facili negotio apparet, quid statuendum de duobus illi fulcris, quae Bellarminus lib. 1. de baptismo c. 24. ceremoniis in Romana ecclesia circa baptismi administrationem usitatis supponit. *1. Quamvis* (inquit) *ritus illi non sint in divinis literis, neque praecepto neque exemplo commendati, tamen cum ipsi etiam (adversarii) aliquid praescribant in administratione baptismi, quod in sacris literis non invenerunt, non poterunt hoc argumento ritus ab ecclesia receptos evertere. 2. Ritus illi sunt antiquissimi et vel ex traditione apostolorum manarunt, vel a sanctissimis patribus instituti sunt.* Respondemus: non temere damnamus ritus in apostolica et primitiva ecclesia receptos, sed illos, qui vel habent aliquid impietatis et superstitionis, vel continent otiosos lusus, nec faciunt ad aedificationem, vel qui sua copia libertatem Christianam gravant, vel quibus spiritualis aliqua efficacia extra Dei verbum tribuitur, vel qui sub opinione cultus et necessitatis obtruduntur; reliquos vero ritus analogiae fidei congruos, decori et aedificationi ecclesiae servientes, usum et efficaciam baptismi ob oculos rudiorum proponentes et auctoritate primitivae ecclesiae vel, ut D. Chemnicius loquitur, augusta et veneranda antiquitatis canicie commendatos retinemus, salva tamen libertate, quam Christus in his adiaphoris ecclesiae concessit. Ceterum ut Christus a Scribis et Pharisaeis rogatus, quare discipuli ejus transgrediantur traditionem majorum non lavantes manus suas, cum panem manducant, vicissim illos interrogat Matth. 15, v. 3: *Quare et ipsi transgrediantur mandatum Dei propter traditiones suas?* ita ex Bellarmino interrogante, quare non probemus omnes illos ritus ex traditione majorum descendentes, vicissim quaerimus, quare propter traditiones suas transgrediantur mandatum Dei, administrantes baptismum in lingua peregrina, populo ignota, ac tribuentes humanis ritibus, quod baptismo divinitus instituto insolidum erat tribuendum, ut de ποτηριοκλεψ'ᾳ in sacramento coenae et commutatione ejusdem in sacrificium nihil hoc loco dicamus. Quaerimus etiam, cur omnes illos ritus nominent antiquissimos eosque ab apostolica traditione arcessant, cum non ignorent, plerosque ex illis nec semper a tempore apostolorum, nec ubique in omnibus ecclesiis receptos et usitatos fuisse ac multos ex vetustissimis ritibus per posteros abolitos et in novos commutatos fuisse, ut de delibatione lactis et mellis, cujus mentionem faciunt Tertullianus libr. 1. advers. Marcion. c. 14. et Hieronymus 9. dialog. contra Luciferanos, manifeste constat. Bellarminus respondet, *hanc ceremoniam non fuisse generalem.* Atqui idem de reliquis ritibus plerisque dici potest. De trina mersione sic scribit Canus libr. 3, c. 5: *Trina mersio, quam canon apostolorum ab apostolorum traditione profluxisse dicit, jam diu per contrariam consuetudinem abolita est.* Tertullianus lib. de pudicit. innuere videtur, *baptizatis datum esse annulum lavacri et fidei, quam professi essent, obsignationem.* Hic ritus ibidem non amplius est in usu. II. 308.

De ceremoniis baptismi in specie.

257. Porro, ut in specie de baptismi ceremoniis agamus, Bellarminus in tres classes eas distinguit. Prima continet ceremonias ante baptismum, quas c. 25. numero duodenario includit: *1. Prima ceremonia est professio nominis, usitata catechumenis, qui ex eo dicuntur competentes seu electi. 2. Scrutinium sive examen et exploratio quaedam, an competentes firmiter et sincere credant. 3. Abrenuntiatio Satanae et operum ejus. 4. Fidei professio, quam saepius interrogati respondent et postea etiam in ipso die baptismi publice pronuntiant recitantes symbolum. 5. Signum crucis in fronte et pectore. 6. Exorcismus sive adjuratio daemonum certis precibus acta, ut recedant ab homine baptizando. 7. Exsufflatio, per quam daemonum expulsio et Spiritus s. afflatio significetur. 8. Gustus salis. 9. Cum tanguntur saliva aures et nares et dicitur: Epheta, id est aperire. 10. Impositio manuum ac benedictio sacerdotalis. 11. Unctio in pectore et scapulis. 12. Abstinentia vini, carnium et rei uxoriae, aliaque opera poenitentiae.* Secunda classis continet ceremonias comitantes baptismum, quas c. 26. numero quinario comprehendit: *1. Prima ceremonia est impositio nominis. 2. Susceptores. 3. Consecratio aquae. 4. Trina mersio. 3. Tempus Paschale et Pentecostes.* Tertia classis continet ceremonias, quae sequuntur baptismum; illas c. 27. itidem quinario numero complectitur: *1. Prima est osculum pacis. 2. Unctio chrismatis in vertice. 3. Cereus accensus, qui datur baptizato in signum fidei et gratiae acceptae. 4. Vestis candida, quam ferre solebant a sabbatho Paschatis usque ad Dominicam in albis. 5. Delibatio lactis et mellis seu vini, quae hoc tempore non sit in usu.* De his ceremoniis noti sunt versiculi:

Sal, oleum, chrisma, cereus, chrismate, saliva,
Flatus; virtutem baptismatis ista figurant;
Haec cum patrinis non mutant esse, sed ornant.

Ritus in nostris ecclesiis usitati. 1. Commonefactio de peccato originis.

258. In nostris ecclesiis observantur hi ritus, quorum quidam praecedunt baptismi administrationem, quidam vero sequuntur, 1. Proponitur *commonefactio de peccato originis* per lapsum primorum parentum in mundum introducto et per carnalem generationem in omnes posteros propagato, a quo non nisi per Christum possimus liberari, qui sua obedientia et satisfactione gratiam Dei, remissionem peccatorum, justitiam et vitam aeternam nobis promeruit, eademque beneficia per baptismum, salutare illud regenerationis et renovationis lavacrum, nobis dispenset. Haec commonefactio utiliter adhibetur in administratione baptismi, ut de necessitate ejusdem praesentes admoneantur adque debitam erga hoc sacramentum

reverentiam excitentur: quo referri potest, quod Johannes accedentes ad baptismum monet, nos natura esse infrugiferas arbores, *ad quarum radicem securis posita* Matth. 3, v. 10. nec per carnalem ex piis parentibus nativitatem ab hoc malo nos liberari posse, v. 9. sed Christum esse *agnum illum, qui tollat peccata mundi* Joh. 1, v. 29. *qui baptizet Spiritu sancto.* v. 33. in cujus etiam nomine baptismus conferatur in remissionem peccatorum Marc. 1, v. 4. Ita quoque Philippus eunuchum ante baptismi administrationem quaerit, *an ex toto corde credat, Jesum Christum esse Dei Filium,* Actor. 8, v. 37.

2. Impositio nominis. 259. 2. *Imponitur nomen* baptizando; haec ὀνομαθεσία merito in baptismo retinetur: 1. quia nomen illud est perpetuum memoriale baptismi suscepti,
IX. 309. ideoque in tentationibus maximam praebet consolationem. 2. Quia in circumcisione nomina imponebantur olim parvulis Luc. 1, v. 59. c. 2, v. 21. 3. Ob occasionem nominis Abrahae in circumcisione mutati Genes. 17, v. 5. Jam vero baptismus successit in locum circumcisionis, Coloss. 2, v. 11. Haec nominis impositio testatur, parvulos *in librum vitae scriptos* Phil. 4. v. 3. *in manum Dei* Esa. 49, v. 16. *in coelo nomen ipsorum scriptum esse* Luc. 10, v. 20. ut non amplius sint filii irae, sed novum acceperint nomen et dicantur Dei filii, Christi discipuli, templa Spiritus sancti, heredes vitae aeternae. 4. Admonet nos haec ὀνομαθεσία, quod nomen nostrum Christo dederimus in baptismo, proinde sub vexillo ejus contra diabolum et ipsius organa perpetuo dimicandum esse. 5. Monet haec ceremonia, tum demum nomen et celebritatem apud Deum nos consequi, cum regeneramur et adoptamur in Dei filios. 6. Nititur exemplo primitivae ecclesiae. Dionysius de ecclesiast. hierarch. cap. de bapt.: *Plerumque imponitur infantibus boni ominis causa nomen patris; tum ut ipsius nomen ad posteritatem in filio conservetur, tum ut ipsum nomen filio sit commonefactio de imitandis et exprimendis virtutibus paternis.* Ex Dionysio Alexandrino apud Eusebium libr. 7, c. 25. colligi posse videtur, *apostolorum nomina liberis baptizatis imposita fuisse.*

3. Exorcismus minor. 260. 3. *Jubetur Satanas exire* ab infante et locum dare Spiritui sancto, de qua ceremonia paulo
4. Signum crucis. post disseremus. 4. *Signum crucis* in fronte et pectore infantis formatur, quod jam olim in baptismo usitatum, teste Tertulliano lib. de resurrectione carnis, non sit superstitionis aut supernaturalis cujusdam efficaciae causa, sed ut testetur, receptionem in gratiam et regenerationem ad vitam aeternam constare infanti baptizato solius Christi crucifixi merito; monet etiam, infantem recipi in numerum eorum, qui credunt in Christum crucifixum ac veterem hominem in ipso per baptismum crucifigendum Rom. 6, v. 6. quin et in hac vita cruci ipsum fore obnoxium. **Hemmingius in histor. Dom. Jes. Christi p. 117. non improbat signum crucis imprimi fronti et pectori infantis, dum baptizatur, *modo id fiat in signum novae istius inaugurationis, qua baptizatus Christo crucifixo dat nomen et se sub ipsius vexillo militaturum promittit; 2. si illud crucis signum ut doctrinae quoddam memoriale ob oculos ponat; 3. si ut μνημόσυνον* historiae habeat. 4. Si veluti triumphale signum victi diaboli illud erigat.** Gen. 48, v. 14. patriarcha Jacobus manibus decussatim nepotibus suis Ephraemo et Manassi impositis crucem quasi format et crucis Christi eos admonet. Huc etiam referunt quidam veteres signum in frontibus servorum Dei, Ezech. 9, v. 4. Apoc. 7, v. 3. Christus *crucifixus fuit olim* gentibus *stultitia,* 1. Cor. 1, v. 23. unde Christianos per ludibrium vocabant *crucis religiosos* teste Tertulliano in apolog. c. 16. Christiani igitur, ut ostenderent, se ob crucem Christi non erubescere, in medio frontis eam pingebant. Cyrillus Hierosolymitanus catech. 13: *Non pudeat nos crucifixum confiteri, sed in fronte confidentes signaculum crucis digitis imprimamus.* Augustinus serm. 8. de verbis Domini: *De cruce Christi nobis insultant sapientes hujus mundi et dicunt, quale cor habetis, qui Deum colitis crucifixum, in fronte eam figat, ubi sedes pudoris est, ibi omnino figatur* etc. Quare cum catechumeni Christo crucifixo IX. 310.
darent nomina, in signum fidei ac confessionis de Christo signum crucis in fronte et pectore olim fuit formatum. Augustinus lib. 1. de peccat. merit. c. 26: *Catechumenos secundum quendam modum suum per signum Christi puto sanctificari, addit autem et per orationem manus impositionis.* A baptismo catechumenorum ad baptismum infantum, ut pleraeque aliae ceremoniae, postea fuit signum crucis translatum.

261. 5. Recitantur *preces,* quibus infans Christo 5. Preces.
offertur, ut memor promissionis suae, per Spiritum sanctum in ipso efficax sit ac per spirituale diluvium baptismi peccata ejus submergat, fide ipsum donet et ex numero infidelium in arcam ecclesiae receptum ad vitam aeternam conservet etc. Has preces utiles in baptismo adhiberi constat ex eo, quod Christus infantes sibi offerri jubet Matth. 19, v. 14. Marc. 10, v. 14. Luc. 18, v. 15. id quod fit piis precibus, per quas una cum verbo Dei omnia sanctificantur 1. Timoth. 4, v. 5. Huc referendum, quod Christus ipse in suo baptismo orasse legitur Luc. 3, v. 21.

262. 6. Exorcismus adhibetur hac forma: *Adjuro te, immunde Spiritus, ut exeas ab hoc servo* 6. Exorcismus.
Jesu Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Olim in primitiva ecclesia viguit donum ejiciendi daemones testibus Justino in dial. cum Tryphone, Tertulliano lib. de coron. milit. et apologet. cap. 32. Cypriano lib. ad Demetr. Lactantio lib. 2. instit. c. 16. lib. 4, c. 27. etc. Cessante isthoc dono exorcismus ad ceremonias baptismi translatus est, cum per baptismum ex regno et potestate Satanae, cujus captivi sumus, liberati in regnum Christi et consortium vitae aeternae recipiamur. Proinde exorcismus est testimonium et viva quasi

adumbratio: 1. Spiritualis captivitatis, qua infantes in regnum Satanae propter peccatum detinentur. 2. Exhibiti Messiae et praestiti ab eo operis redemtionis, quod fortis armatus expugnatus sit et spolia per ministerium Verbi et sacramentorum distribuantur. 3. Efficaciae divinae baptismi propriae, qua infantes ex potestate tenebrarum in regnum filii Dei transferuntur. 4. Praecipui scopi et finis totius ministerii ecclesiastici, qui consistit non modo in applicatione beneficiorum Christi ad credentes, sed etiam in perpetua pugna contra Satanam. 5. Est confessio publica ecclesiae contra errores Pelagianorum, Anabaptistarum, Cinglianorum. 6. Comprobatur testimoniis primitivae ecclesiae. Cyprianus lib. 4. epist. 7. Nazianzenus orat. in sacrament. lavacr. Augustinus de nupt. et conc. lib. 1, c. 20. lib. 2, c. 18. de peccat. merit et remission. lib. 1, c. 34. de civit. Dei lib. 10, c. 22 etc. Ambrosius lib. 1. de sacram. c. 5. Optatus Milev. lib. 4. contra Parmen. Quae exorcismi fundamenta profert. D. Schilterus in catech. p. 530. **Differt autem noster exorcismus a Pontificio: 1. noster auctoritate humana nititur, est sua natura ἀδιάφορος ac liberae observationis. Pontificiorum exorcismus non humana, sed apostolica auctoritate niti fingitur, Bellarminus lib. 1. de baptism. c. 25. hinc in ecclesia Pontificia non indifferens, sed necessarius statuitur, Concil. Tridentin. sess. 7. canon. 13. 2. noster est σημαντικός, significans peccatum originale ac liberationem ab ea per Christum; sed Pontificiorum exorcismo ipsa ἐνέργεια seu efficax operatio tribuitur. Verbum ἐξορκίζειν generale est significans Deo ultore et vindice per juramentum invocato aliquid imperare, nec semper de corporaliter obsessis usurpatur. Marc. 5, v. 7. inquit legio ad Christum: *Adjuro te per Deum id est* Dei nomine et imperio quasi in auxilium vocato praecipio. 1. Thess. 5, v. 27: *Adjuro vos per Deum*, *id est* Deum ultorem super vos invoco. Matth. 26, v. 63: ἐξορκίζω σε κατὰ θεοῦ τοῦ ζῶντος, id est *Deum vivum super te vindicem invoco.* Phrasi etiam *exeundi* de soluta obsessione spirituali utitur salvator Matth. 12, v. 43. ὅταν τὸ ἀκάθαρτον πνεῦμα ἐξέλθῃ, ac de spiritualiter captivis a Satana dicit apostolus 2. Timoth. 2, v. 26: *Quod in diaboli laqueis quasi vivi ab illo in vinculis detenti sint.* Ephes. 2, v. 2: τὸ πνεῦμα ἐνεργοῦν ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας, significat autem ἐνεργῶ interna efficacia insita agito et impello, Matth. 14, v. 2. Rom. 7, v. 5. inde ἐνεργούμενοι dicuntur a diabolo obsessi, a cujus potentia intus operante impelluntur et agitantur. Ad patrum dicta, quibus videntur exorcismi verbis efficaciam aliquam tribuere, respondemus, *ea commode esse explicanda, illam* vero explicationem monstrat Augustinus libr. 1. de nupt. et concup. cap. 20: *A potestate tenebrarum, quarum diabolus princeps est, i. e. a potestate diaboli et angelorum ejus eruuntur parvuli, cum baptizantur;* et mox: *In veritate igitur, non in falsitate potestas diabolica exorcisatur in parvulis;* et postea: *Quid ergo est in eis, per quod in potestate diaboli teneantur, donec eruantur inde per sacramentum baptismatis Christi, quid est nisi peccatum?* (tribuit igitur virtutem liberandi a potestate diaboli exorcismo, quatenus ille respicit sacramentum baptismi.)**

263. Cavendum igitur 1. ne haec ceremonia pars IX. 311.
baptismi essentialis ac necessaria statuatur; 2. ne de obsessione quadam corporali infantis cogitetur, cum spiritualem ejusdem in regno Satanae captivitatem solummodo demonstret. *Scimus* (inquit Chemnicius part. 3. locorum p. 392.), *infantes Dei beneficio non esse corporaliter obsessos; scimus autem vicissim ex verbo Dei, multo tristius et periculosius esse, quod propter peccatum regni coelorum extorres spiritualiter captivi detinentur sub regno Satanae potestate tenebrarum, unde nullius creaturae potentia eripi possunt, sed Deus Pater divina sua potentia propter Filium, per Spiritum sanctum in baptismo eos liberat.* **Lutherus in praefat. actionis baptism.: *Ecclesia Christiana firmis et indubitatis verbis coram Deo confitetur, puerum esse a diabolo* (spiritualiter scilicet) *obsessum, i. e. filium esse peccati et irae Dei.*** 3. Neve usus exorcismi statuatur effectivus, quasi vi verborum istorum infans ex regno Satanae liberetur, cum sacramento baptismi hoc sit in solidum tribuendum, sed saltem significativus. Negari quidem nequit, pios veteres interdum ita loqui, ac si per exorcismum et exsufflationem infantes a potestate Satanae liberentur, unde exorcismi usum effectivum esse statuit Comp. theol. veritat. lib. 6. c. 10. p. 438. Gregorius de Valent. disputat. 4. q. 6. de ritu baptism. part. 2. tom. 4. id vero juxta analogiam fidei ita accipiendum, quod efficaciam verbi et baptismi contra Satanam rhetoricis illis commendationibus hujus ceremoniae demonstrare voluerint. Coelestinus P. R. C. sive distinct. 4. de consecrat. decernit, *omnes a baptismate arcendos, a quibus per adjurationes et exsufflationes diabolus non fuerit expulsus.* ibi glossa addit, *hoc non esse simpliciter intelligendum, quia daemon ante baptismum non ejicitur, cum usque ad tinctionem diaboli familia simus et ejus membra, statuit ergo, diabolum exorcismo non ejici, sed ejiciendum significari.* **Graeci recentiores nominant potius ἀφορκισμόν quam ἐξορκισμόν, ut ex eorum constat euchologio. Et ipsi non solum his utuntur formulis: ἐπιτιμᾷ σοι κύριος, διάβολε, ὁ παραγενόμενος εἰς τὸν κόσμον καὶ κατασκηνώσας ἐν ἀνθρώποις, ἵνα τὴν σὴν καθελεῖν τυραννίδα καὶ τοὺς ἀνθρώπους ἐξέληται; *increpet te Dominus, diabole, qui in mundum venit et inter homines conversatus est, ut tuam destruat tyrannidem et homines eripiat;* aphorcismo secundo: ὁ θεὸς ὁ ἅγιος, ὁ φοβερὸς καὶ ἔνδοξος, ὁ ἐπὶ πᾶσι τοῖς ἔργοις καὶ τῇ ἰσχύει αὐτοῦ ἀκατάληπτος καὶ ἀνεξιχνίαστος ὑπάρχων, αὐτὸς ὁ προορίσας σοι, διάβολε, τῆς αἰωνίου κολάσεως τὴν τιμωρίαν δι ἡμῶν τῶν ἀχρείων αὐτοῦ δούλων κελεύει

σοι καὶ πάσῃ τῇ συνέργῳ σου δυνάμει ἀποστῆναι ἀπὸ τοῦ νεωστὶ σφραγισθέντος, *Deus sanctus*, *terribilis et gloriosus in omnibus operibus et fortitudine sua incomprehensibilis et impervestigabilis*, *ille qui tibi*, *Satanae*, *praefinivit aeterni supplicii poenam*, *per nos inutiles servos imperat tibi et coadjutrici potentiae tuae omni*, *ut absistas a recens signato* etc. verum hasce etiam adjungunt preces in tertio aphorcismo: *Κύριε σεβαώθ*, *ὁ θεὸς τοῦ Ἰσραήλ*, *ὁ ἰώμενος πᾶσαν νόσον καὶ πᾶσαν μαλακίαν*, *ἐπίβλεψον ἐπὶ τὸν δοῦλόν σου*, *ἐκζήτησον* (exquire), *ἐξερεύνησον καὶ ἀπέλασον ἀπ' αὐτοῦ πάντα τὰ ἐνεργήματα τοῦ διαβόλου*, *ἐπιτίμασον τοῖς ἀκαθάρτοις πνεύμασι καὶ δίωξον αὐτὰ καὶ καθάρισον τὰ ἔργα τῶν χειρῶν σου καὶ τῇ ὀξείᾳ σου* (celeri) *χρησάμενος ἐνεργείᾳ σύντριψον τὸν Σατανᾶν ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ ἐν τάχει καὶ δὸς αὐτῷ νίκας κατ' αὐτοῦ καὶ τῶν ἀκαθάρτων πνευμάτων*, *ὅπως τοῦ παρὰ σοῦ ἐλέους τυγχάνων καταξιωθῇ τῶν ἀθανάτων καὶ ἐπουρανίων σου μυστηρίων καὶ δόξαν σοι ἀναπέμψῃ τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας.***

IX. 312. 264. Quod igitur rem ipsam per exorcismum adumbratam itemque explicationem verborum in hac ceremonia adhibitorum attinet, quod videlicet sit commonefactio et testimonium de spirituali captivitate infantis in regno Satanae, de miserabili statu, in quem per lapsum primorum parentum redacti sumus, de salutari efficacia baptismi etc. ea cum fidei sit analoga, non potest simpliciter improbari; interim tamen cum verba sint duriora ac seposita illa explicatione prae se ferant obsessionem quandam infantis, a qua per illam ipsam ceremoniam fiat liberatio, ideo ut loquitur D. Chemnicius part. 3. locorum theolog. p. 178: *Habet ecclesia libertatem, ut doctrinam illam de peccato originis, de potestate et regno Satanae et de baptismi efficacia aliis verbis Scripturae magis consentaneis proponat et explicet.* *Ἐξορκίζειν* non significat hoc loco juramentum diabolo deferre ac jurejurando illum obstringere, sicut usurpatur Matth. 26, v. 63. nec significat infantem corporali obsessione liberari, sed continet gravem obtestationem, ut diabolus ab hoc infante propter peccatum sibi mancipato cedat et Christo redemtori ac Spiritui regeneratori locum relinquat, perinde ut Christus dicit Matth. 16, v. 23: *Abi post me*, *Satan*, cum in Petro prava cogitatio exsurgeret. Paulus 1. Thessal. 5, v. 27. adjurat Thessalonicenses *per Dominum*, *ut epistolam hanc legant.* Zachar. 3, v. 2. hac forma detestationis utitur: *Increpet te Deus, Satan!*

265. Hanc libertatem abrogandi ceremoniam adiaphoram ut ipso facto ecclesia in exorcismo demonstraret, forte non fuerit inutile propter causas non contemnendas; **(Martyr in locis p. 1551: *Laudabile et consultum fore* ait, *si exorcismi in preces converterentur.* Bucanus in censura super libr. sacror. Angl. c. 13: *Praestat, ista increpandi et imperandi verba adversus malos daemonas verti in verba precandi.)*** sin vero abrogatio exorcismi ab iis, qui in pluribus doctrinae Christianae capitibus pertinaciter errant, praefracte urgetur et quidem ex hoc fundamento, quod liberi Christianorum ante baptismum sancti sint ac in Dei foedere, quod baptismus non sit medium, sed signum et obsignatio regenerationis etc. tunc in praeposteram abrogationem non est consentiendum, cum hac ratione libertas Christiana et ὀρθοδοξία articuli de peccato originis ac de efficacia baptismi oblique petatur. Galat. 2, v. 4. et 5: *Falsis fratribus*, *qui subintroierunt explorare libertatem nostram*, *quam habemus in Christo Jesu*, *ut nos in servitutem redigerent*, *nec ad horam cessimus*, *ut veritas evangelii apud nos permaneret.* Gal. 5, v. 1: *State in libertate*, *qua Christus nos liberavit.* Sed nec privatim absque consensu ecclesiae a ministro suscipienda, nec a magistratu edictis imperanda est exorcismi abrogatio, verum praecedat oportet diligens ex verbo Dei de hac ceremonia informatio ac orthodoxae ecclesiae consensus. IX. 313.

266. *7. Recitatur evangelium Marc. 10.* ejusdemque ἐξήγησις additur continens antithesin miseriae nostrae et consolationis eidem opponendae. *8. Imponuntur manus infanti.* Haec χειροθεσία a patriarchis, prophetis, Christo et apostolis usurpatur in quinque casibus: 1. in benedictione Marc. 10, v. 16; 2. cum sacerdotes victimam adducunt ad altare Levit. 3, v. 2; 3. si quem voluerunt miraculose curare Marc. 16, v. 18; 4. quando conferri debuit Spiritus sanctus Act. 8, v. 17; 5. si quis ad ministerium ordinandus Num. 27, v. 18. Act. 13, v. 3. 1. Tim. 5, v. 22. In baptismi administratione adhibetur exemplo Christi benedicentis infantibus sibi oblatis Matth. 19, v. 14. et Ananiae imponentis manus Paulo baptizando Actor. 9, v. 17. Augustinus lib. 3. de bapt. contra Donatist. c. 16: *Quid impositio manuum aliud nisi oratio super hominem?* Significat igitur haec ceremonia, infantem coelestis benedictionis participem reddi, a morbo peccati originalis liberari, Spiritu s. donari et ad sanctum ministerium Deo praestandum ex mundo segregari. 9. Oratio Dominica recitatur eidemque benedictio ac pium votum ministri subjungitur: *Dominus custodiat introitum et exitum tuum ex hoc nunc et usque in seculum.*

7. Recitatio evangelii Marci. 8. Impositio manuum. 9. Orationis Dominicae recitatio.

267. *10. Patrini ac matrinae* adhibentur, qui monentur, ut officii sui diligentem habeant rationem, ac postea infantis nomine abrenuntiant Satanae et fidem Christianam profitentur. Haec abrenuntiatio usitata fuit in baptismo catechumenorum, ut patet ex Ambrosio libr. de iis qui myst. init. c. 2. Dicuntur patrini alias ἀνάδοχοι, susceptores, quia ex sacro fonte baptizandum levant; compatres, propatres et patres spirituales, quia ad baptismum regenerationis lavacrum infantem deferunt; fidejussores, sponsores, quia loco infantum spondent ac

10. Patrinorum adhibitio.

De officio susceptorum. respondent.¹ Adhibentur autem hoc fine: 1. ut per serias preces infantem Christo offerant eundemque fide donari et in foedus gratiae recipi petant, qua in parte sequuntur exemplum eorum, de quibus Matth. 19, v. 13. Marc. 10, v. 13. Luc. 18, v. 15. commemoratur, quod *infantes Christo obtulerint*, atque implent vaticinium Esai. 49, v. 22: *Afferent filios tuos in ulnis et filias tuas super humeros portabunt.* 2. Ut Christi loco testentur, infantes baptizatos credere et Deo placere, heredes esse regni coelorum Matth. 19, v. 14. etc. 3. Ut sint testes baptismi, quo baptizati postea in adulta aetate resistere possint tentationibus diaboli. 4. Ut succedant in locum demortuorum parentum ac infantem, quem ex sacro fonte susceperunt, in vera pietate et religione institui curent. Augustinus serm 116. de temp. tom. 10. p. 852: *Qui filios aut filias excipere religioso amore desiderant et antequam baptizentur et postquam baptizati fuerint, de castitate, de humilitate, de sobrietate, vel pace eos admonere vel docere non desinant et agnoscant, se fide jussores eorum esse, pro ipsis enim respondent, quod abrenuntient diabolo, pompis et operibus ejus, et ideo tam illi, qui excipiunt, quam qui excipiuntur, tam patres quam filii pactum, quod cum Christo in baptismi sacramento conscribunt, custodire contendant, nec unquam aliquid de diaboli pompis vel mundi istius luxuriosis oblectationibus concupiscant.* Porro usus susceptorum est antiquissimus, cum ex instituto Hygini **(Eusebius lib. 4. hist. eccles. c. 11. vocat eum *Hyginum*, sed apud Polydorum Virgilium lib. 4. de rer. invent. c. 4. et in Centuriis Magdeburg. vocatur *Iginus* cent. 2. c. 6. p. 111.)** circa annum Christi 154. adhiberi coeperint, ac
IX. 314. mentio eorum fiat apud Dionysium Areopag. in hierarch. ecclesiast. c. 2. Tertullianum lib. de baptism. etc. Alii morem hunc ex imitatione baptismi catechumenorum, quibus referente Eusebio libr. 7. c. 20. et libr. 8. c. 21. testes et sponsores antiquitus adhibebantur, profluxisse statuunt. Disserunt etiam de illorum instituto et officio Polydorus Virgilius libr. 4. de rerum inventoribus c. 4. Augustinus serm. 163. de tempor. Hugo de S. Victore part. 6. c. 12. Lombardus lib. 4. sent. dist. 6. art. 2. etc. Referenda huc ea, quae habet Guil. Bucanus institut. theol. loco 47. p. 651: *Usus sponsorum nec necessarius est, quia expresse non praescribitur in Scripturis, nec simpliciter rejiciendus, 1. quia ortus est ex imitatione baptismi catechumenorum, qui baptizandi non solum de fide interrogati ipsi respondebant, sed fidei suae velut testes et sponsores dabant; 2. non pugnat cum Scripturis; 3. habet nihil iniqui aut inhonesti; 4. ex caritate proficiscitur; 5. hoc ita cedit in utilitatem et salutem infantis, ut nemini sit fraudi; 6. totum hoc ad aedificationem ecclesiae facit; 7. ut ad facilem partum in generatione carnali adhibetur obstetrix; sic in spirituali generatione baptismi aliquis adhibetur, qui fungatur vice obstetricis et paedagogi in iis, quae pertinent ad fidem et vitam Christianam.*

268. Quaeritur hoc loco: *1. Quot susceptores adhibendi sint?* Respondemus: in quibusdam locis unus, in quibusdam vero tres, in quibusdam etiam plures invitantur; Hyginus unum solummodo patrinum unamve matrinam baptismo interesse voluit teste Platina in ipsius vita p. 20. **Concilium Tridentinum sess. 24. c. 2. constituit, *unum duntaxat virum vel unam feminam vel ad summum virum ac feminam unius infantis baptismo tanquam testes et susceptores adhibendos esse.*** Quamvis vero integritati et efficaciae baptismi ex numero susceptorum nihil vel accedat vel decedat ac proinde adiaphorum sit, unum vel plures invitare, ne tamen scandalum detur, cujusque ecclesiae consuetudini reverenter parendum; cumprimis vero cavendus luxus, qui in complurium susceptorum invitatione plerumque spectatur, cui electoralis constitutio ecclesiastica obviam ire voluit. Propter testimonii firmitatem atque educationis necessitatem, ut parentibus ac uno vel altero patrinorum e vivis sublato infans pie educari possit, satius esse videtur tres quam unum adhibere. Numer. 35, v. 30. Deuter. 17, v. 6: *In ore duorum vel trium testium consistit omne verum.* *2. Quales adhibendi sint susceptores?* Respondemus: ut numerus, ita et qualitas susceptorum baptismo nihil addit vel demit; interim tamen ad sacram hanc actionem, quantum quidem fieri potest, pii et verae religioni addicti testes adhibendi sunt, ne videamur impietate ac haeresi eorum, quos invitavimus, delectari. 1. Thessal. 5, v. 22: *Ab omni specie mala abstineto.* Deinde ut conscientia pacatiore liberos nostros nobis defunctis educandos illis tradere possimus. Denique cum in civilibus judiciis haereticus et Judaeus contra Christianum testimonium dicere prohibeantur l. quoniam 21. c. de haer. et Manich. Farin. q. 56. num. 205. cum seqq. et Dd. comm. cumque notati infamia ac haerentes in manifestis flagitiis a testimonio repellantur cap. testimonium 54. extr. de testibus c. super 13. eod. quanto minus IX. 315.
ad hanc sacrosanctam actionem baptismi testium loco admittendi fuerint. *3. An admittendi sint susceptores diversae ac perversae religioni addicti?* Respondemus: distinguendum inter eos, qui sunt dociles ac sanabiles, qui baptismum nostrum approbant et confessionem nostram aperte non damnant; et inter eos, qui sunt pertinaces, insanabiles ac blasphemi. Priores admitti possunt, ut pia informatione in viam reducantur ac vanitatem calumniarum, quibus ecclesiae nostrae praegravantur, ipsimet cognoscant; posteriores vero repellendi sunt propter scandalum multiplex aliasque rationes gravissimas. Vide Lutherum praefat. de bapt. et Const. eccles. tit. de excommunic. ***Causae, propter quas pertinaces, insanabiles ac blasphemi, itemque Pontificii vel Sacramentarii aliique ad compaternitatem non sunt admittendi,* hae sunt: 1. Etsi officium patrinorum est adiapho-

Quaeritur: 1. De numero susceptorum.

2. Quales adhibendi sint susceptores.

3. An admittendi susceptores diversae religionis.

rum, tamen baptismus, ut reliqua V. et N. T. sacramenta, est nota conjunctionis in fide et confessione. 2. Propter mandata divina de fugiendo infidelium consortio in spiritualibus, Matth. 7, v. 6: *Ne detis quod sanctum.* 2. Cor. 6, v. 14: *Ne ducatis jugum.* 2. Joh. v. 10: *Si quis venit* etc. 2. Thess. 3, v. 6: *Subducatis vos a fratre, qui inordinate se gerit.* Tit. 3, v. 10: *Haereticum devita.* 3. Propter abusum nominis divini in invocatione, quam haeretici faciunt, Psalm. 50. 4. Propter infantes, ne fraudentur precibus piorum patrinorum, Psalm. 109, v. 7. 5. Blasphemi et insanabiles, ut hostes Dei et veritatis non possunt infantes, quos ex sacro fonte susceperunt, de fide vera instituere. 6. Propter scandalum eorum, qui in fide non satis sunt confirmati, propter deformationem baptismi et suspicionem hypocriseos aut collusionis cum impiis in religionis exercitio, aut avaritiae, aut aliorum criminum, 1. Thessal. 5, v. 22. ab omni specie mali. 7. Ne participemus de poenis testis bapt. haeretici, Apoc. 18, v. 4. 8. Nulla necessitas cogit adhiberi fidejussores tales, cum praesto sint alii sincerae religioni addicti. 9. Christus jussit impoenitentes ligare. Atqui separato abusu sacramentorum est magna pars clavis ligantis. 10. Pontificii nos pro haereticis in bulla Coenae damnant et mortuis locum sepulturae in coemiteriis denegant. Cur ergo illos ad compaternitatem admitteremus? Addimus 11. Exempla ecclesiarum Saxonicarum, Brunsuicensium, Mansfeldensium, Megapolensium, Magdeburgensium, Rostochiensium, Argentoratensium, Ratisbonensium etc. Empsych. in conf. Braun. p. 291.** *4. Quid faciendum ministro, si a magistratu cogatur aut haereticum admittere aut officio se abdicare?* Respondemus: admittat, sed cum solenni protestatione, quia satius est in tali casu, qui non concernit ipsam baptismi substantiam ac fidei articulos, injuriam magistratus ferre, quam non necessaria ministerii desertione lupo aditum ad ovile Christi patefacere. Protestatio tollit scandalum et ministri conscientiae satisfacit.

4. Quid faciendum ministro, si magistratus eum cogit, ut tales susceptores admittat.

5. An quis comparere debeat a diversae religionis homine ad officium susceptoris vocatus.

5. Si quis a diversae religionis homine ad officium susceptoris vocetur, num comparere debet. Respondemus: de hoc casu integrum tractatum scripsit Melch. Episc. impressum Coburgi anno 1593. ubi multis argumentis probat, orthodoxum non posse salva et illaesa conscientia in baptismo Pontificiorum susceptoris munere fungi. Quidam vero contrarium statuunt, nimirum comparere aliquem posse, sed cum solenni protestatione: 1. quia in ecclesiis haereticis verus administratur baptismus, modo observetur Dominica institutio; 2. quia post obitum parentum infans in nostram potestatem redactus in vera religione institui potest; 3. quia nimia morositate offenduntur infirmi in fide, qui nostra facilitate et conversatione lucrifieri possent. Respiciendae sunt circumstantiae et pia adhibenda est prudentia, ne vel cum adversariis colludere, vel infirmorum fidem subvertere in hoc casu videamur. Const. eccles. elect. art 10. gener. hac de re sic statuit: Keinem unserer Religions-Verwandten ist zu rathen, daß er bei einer Papistischen Taufe stehen und hiermit ihren Papistischen Gräuel, so sie bei der heiligen Taufe treiben, bestätigen soll. *6. Num ex fidejussionis ritu in baptismo talis quaedam cognatio oboritur, qua matrimonium inter compatres eorumque liberos prohibeatur.* Respondemus: affirmat Bellarminus lib. 1. de matrim. c. 30. ex Canonistis. Sed si spiritualis cognatio, quae a Christo ipso descendit ac in fidei et caritatis communione consistit, non impedit matrimonium, quanto minus compatrum illa cognatio, quae ab hominum instituto dependet, illud impediet?

6. An ex fidejussionis ritu oriatur cognatio spiritualis. IX. 316.

Vestis candida in baptismo.

269. Hi ritus omnes baptismi administrationem praecedunt, ut dignitas et efficacia ejusdem auditoribus et spectatoribus commendetur iidemque ad serias preces, devotionem ac reverentiam erga hanc sacram actionem excitentur. Sequitur baptismi administrationem induitio *vestis candidae.* Bucanus loc. 47. p. 645. hunc ritum vocat *inutilem et superstitiosum*, sed non est temere improbandus, quia testatur 1. infantem a peccatis ablutum ac justitia Christi, veste illa salutis, indutum esse, Gal. 3, v. 27: *Quotquot baptizati estis, Christum induistis.* Ambrosius lib. de iis qui initiantur mysteriis c. 7. tom. 4. oper. p. 425: *Accepisti vestimenta candida, ut essent indicium, quod exueris involucrum peccatorum et indueris innocentiae casta velamnia* etc. Fortunatus de hac veste ita canit:

Candidus egreditur nitidis exercitus undis
Atque vetus vitium purgat in amne novo.
Fulgentes animas vestis quoque candida signat;
Et grege de niveo gaudia pastor habet.

Paulinus:

Inde parens sacro ducit de fonte sacerdos
Infantes niveos corpore, corde, habitu.

2. Infantem verae libertatis in Christo participem factum atque ex potestate Satanae manumissum esse. Tertullianus lib. de res. carnis, ubi ordine manumissionis insignia recenset, albam quoque annumeravit vestem. *Si famulum*, inquit, *libertate mutaveris, et vestis albae nitore et annuli aurei honore et patroni nomine ac tribu mensaque honoratur.* 3. Admonet infantem, ut exuto veteri homine induat novum et in vera pietate Deo in posterum serviat. Rom. 13, v. 13: *Honeste ambulemus, non in comessationibus, non in cubilibus et impudicitiis* etc.; v. 14: *sed induite Dominum Jesum Christum. Eph. 4, v. 24: Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis. Jud. epist. v. 23: Odio habentes maculatam carnis tunicam. Apoc. 7, v. 13: Qui sunt amicti illis stolis albis? v. 14: laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine agni.* Dionysia Africana: *Ne perdamus indumentum salutis nostrae, ne veniens invitator vestem non inveniat nuptialem.* Rabanus libr. 1. de institut. clericor.: *Induuntur baptizati albis vestibus ad*

significandam innocentiam et puritatem Christianam. Vestem illam candidam baptizati neophyti gestare solebant a sabatho sancto usque ad Dominicam festo paschali proximam, quae ob id dicebatur *Dominica in albis.* Tandem tota baptismi actio concluditur precatione, benedictione ac pio voto ministri pro fidei corroboratione in puero ejusdemque conservatione in gratia Dei ad vitam aeternam, id quod fit mandato Dei, Numer. 6, v. 22. et exemplo Christi Marc. 10, v. 16. Precationis seu pii voti a ministro usurpati formula exstat apud Ambrosium lib. 2. de sacrament. cap. 7. circa finem: *Venisti ad sacerdotem, quid tibi dixit? Deus*, inquit, *Pater omnipotens, qui te regeneravit*
IX. 317. *ex aqua et Spiritu sancto concessitque tibi peccata tua, ipse te ducat in vitam aeternam.*

Benedictio.

Usus doctrinae de baptismo.

270. Atque haec dicta sint de sanctissimo initiationis sacramento, baptismo scilicet, quorum omnium verus ac pius usus consistit in his membris: 1. Ut gratias Deo agamus pro institutione hujus sacramenti, per quod in foedus gratiae recipimur, a peccatis mundamur, regeneramur, renovamur ac Spiritu sancto donati filii Dei et heredes vitae aeternae scribimur. Plato memoratur gratias Deo quotidie egisse, quod Graecus, non barbarus natus sit; nos longe justiores ac graviores causas habemus supplices quotidie et Deo agendi gratias, quod ex parentibus Christianis nati per baptismum ad vitam aeternam simus renati. Magnum Dei beneficium est, quod nos salvos et incolumes in hunc mundum nasci voluerit, sed longe majus beneficium est ac proinde aeternis praeconiis dignum, quod ex aqua et Spiritu renati et in ecclesiae consortium recepti spem vitae aeternae minime dubiam habemus. 2. Ut hoc fidei signaculo in omnibus periculis, tentationibus et adversis contra Satanam ejusque organa nos armemus, exemplo Davidis contra Goliathem pugnantis, 1. Sam. 17, v. 26. Ignita Satanae tela scuto fidei excepta in aqua baptismi exstingui possunt, Ephes. 6, v. 16. Refertur de nobili quadam matrona, quod gravissimis Satanae tentationibus oppugnata baptismi administrationem intuita non mediocrem consolationem ex eo perceperit, quod eodem modo se in infantili aetate baptizatam inque foedus gratiae receptam edocta fuerat. ** Uti Lutherus notavit, qui tom. 1. Lat. Jen. conc. 1. de sacram. baptismi p. 321. a: Es ist kein anderer größerer und lieblicherer Trost in dieser Welt als die Taufe, denn durch die Taufe erlangen wir Gnade und Barmherzigkeit. et tom. 2. Lat. Jenens. de captiv. Babyl. p. 271: Man liest von einer heiligen Jungfrauen, welche, so oft sie angefochten worden, nur mit ihrer Taufe sich gewehret und kürzlich gesagt habe: Ich bin ein Christ, denn der Feind die Kraft der Taufe und des Glaubens, so an der Wahrheit der göttlichen Verheißung gehaftet, bald verstanden habe und von ihr gewichen sei. ** Fridericus Barbarossa imperator in flumine, cum inde emersus esset, ante ultimum vitae halitum commonefecit se fluminis baptismi sui. Et Albertus Saxo princeps summam consolationem adversus diaboli ludibria esse dixit baptismi sui recordationem, D. Selnec. parte 4. exam. theolog. pag. 129. *In omni lapsu, in omni tentatione, in ipso mortis articulo nulla est alia consolatio recordatione baptismi efficacior. Et qui ad multam senectam pervenerit, etiam sanctissimus, doctissimus et maximus quisque, cum moriendum est, cogitur retrocedere usque ad horam baptismi et rursus talis recens natus infans fieri et oblivisci praeteritorum omnium, aut non potest intrare in regnum Dei,* scribit Neander in theol. christ. cap. de baptis. pag. 475. 3. Ut memores obligationis nostrae in baptismo factae sub vexillis Christi contra Satanam, mundum et carnem nostram strenue pugnemus ac *consepulti Christo per baptismum in mortem in novitate vitae Deo in posterum serviamus.* Rom. 6, v. 3: *An ignoratis, quia quicunque baptizati sumus in Christum Jesum, in mortem ejus baptizati sumus?* v. 4: *Consepulti ergo sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quemadmodum Christus ex mortuis resurrexit per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus.* Baptizati sumus in nomen Patris, Filii et Spiritus sancti; ergo in Patrem, Filium et Spiritum sanctum, unum verum Deum, non in creaturas credere debemus; impium est credere in eum, in quem non es baptizatus. Baptizati sumus in nomen Patris, Filii et Spiritus sancti; ergo Patrem, Filium et Spiritum sanctum, non autem creaturas invocare debemus. Basil. epist. 78: *δεῖ ἡμᾶς βαπτίζεσθαι, ὡς παρελάβομεν· πιστεύειν δὲ, ὡς βαπτιζόμεθα· δοξάζειν δὲ, ὡς πεπιστεύκαμεν πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα.* Baptizati sumus in nomen Patris, Filii et Spiritus sancti; ergo Patrem, Filium et Spiritum sanctum, unum verum Deum, colere, ab ipso omnia ad hanc et futuram vitam ne- IX. 318.
cessaria sperare inque sancto timore illi servire debemus. Nazianzenus orat. 40. in s. baptism. p. 641: *Nihil aliud esse vim et facultatem baptismi aestimare debemus quam secundae vitae ac purioris vivendi rationis pactum cum Deo initum (συνθήκας πρὸς θεὸν δευτέρου βίου καὶ πολιτείας καθαρωτέρας) ac proinde vel maximo in metu omnes esse atque omni custodia animas nostras servare debemus, ne hoc pactum violasse comperiamur. Nam cum ad mutua hominum pacta firmanda Deus medius adhiberi soleat, quantum quaeso periculum est, ne foedera cum Deo ipso contracta perfregisse reperiamur ac praeter alia peccata ipsius quoque mendacii apud veritatis tribunal rei peragamur.* Ambrosius lib. 1. de sacr. c. 6. tom. 4. p. 429: *Abrenuntiasti diabolo et operibus suis, abrenuntiasti seculo et voluptatibus ejus* etc. *memor esto sermonis tui, et nunquam tibi excidat tuae series cautionis. Si chirographum homini dederis, teneris obnoxius, ut pecuniam ejus accipias, teneris adstrictus, et reluctantem te foenerator adstringit, si recusas, vadis ad judicem atque illic tua cautione convinceris. Ubi promiseris, considera, vel quibus promiseris. Chirogra-*

phum tuum tenetur non in terra, sed in coelo. Refertur de pio quodam susceptore sive propatre, quod filium suum in apostasias nefariae crimen prolapsum transmissione vestis candidae obligationis in baptismo praestitae commonitum in viam revocaverit. Mirito quidam, Carthaginensis ecclesiae minister, cum esset cruciandus, exprobravit apostasiam suo carnifici, quem olim ipse de baptismate susceperat, ostentando crebro ea, quibus illum texerat, linteamina. Victor Vitensis lib. 3. de Vand. persecut.

Definitio baptismi. 271. Ex his, quae dicta sunt, talis constitui potest baptismi definitio: Baptismus est prius N. T. sacramentum divinitus institutum, quo hominibus in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti aqua baptizatis Deus beneficia Filii sui, mediatoris nostri Jesu Christi, obedientia et satisfactione parta tum offert, tum fidei interventu donat, applicat et obsignat, ut ex filiis irae filii Dei facti ad vitam aeternam regenerentur et renoventur; vel brevius: Baptismus est prius N. T. sacramentum, nempe hominis in aquam immersio vel adspersio in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti, ut regeneretur ac renovetur per Spiritum sanctum. Ex Matth. 28, v. 19. Ephes. 5, v. 26. Tit. 3, v. 5. etc. plena baptismi definitio constitui potest hoc modo: Baptismus est lavacrum aquae in verbo institutum a Deo in N. T. per ministerium Johannis et a Filio Dei incarnato solenni promulgatione mandatum apostolis et reliquis ad finem usque mundi ecclesiae ministris, in quo tota sacrosancta trinitas adspersionem sanguinis Christi, quae fit per adspersionem aquae in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti effusae, hominem sic baptizatum ab omni peccato emundat, non ex opere operato, sed interveniente Spiritus sancti efficacia et fide propria, ac cum eodem foedus aeternum sancit, in quo ut hominem baptizatum Christo et ecclesiae insitum in filium adoptat, per aquam et Spiritum regenerat ac heredem vitae aeternae scribit, ita homo baptizatus vicissim ad agnitionem, fidem, obedientiam et cultum veri illius Dei obstringitur et obligatur. Benignissimus Deus, qui per baptismum in foedus gratiae nos recepit, in eodem usque ad finem vitae nos sanctos et immobiles conservet, per Christum dominum nostrum in Spiritu sancto, Amen. *Εὐχή.*

FINIS QUARTI TOMI.

Altenburgi, ex typographeo aulico. (H. A. Pierer.)

CONSPECTUS QUARTI TOMI.

LOCUS XVII. DE BONIS OPERIBUS p. 1—136.

LOCUS XVIII. DE SACRAMENTIS p. 137—219.

LOCUS XIX. DE CIRCUMCISIONE ET AGNO PASCHALI p. 220—255.

LOCUS XX. DE S. BAPTISMO p. 256—398.